


Pica



THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.



THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM
COMPLECTENS
SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illuſtrationem utriuſque Teſtamenti, & ad Philologiam ſacram, & profanam utiliſſimum, maximeque neceſſarium.

VOLUMEN VIGESIMUMSECUNDUM.

A U T O R E

BLASIO UGOLINO.



VENETIIS

MDCCLIX.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTHZ, ET SEBASTIANUM COLETTI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.



PHILIPPO URSINO
COMITI DE ROSEMBERG &c.
FRANCISCI I. CÆSARIS
ET
MARIÆ THERESÆ AUGUSTÆ
Pannoniæ & Bohemiæ Reginæ &c.

AD VENETAM REMPUBLICAM
ORATORI.

BLASIUS UGOLINUS
FELICITATEM.



O *consilio* VIR PRÆSTANTISSIME, *Tibi potissimum* ANTIQUITATES SACRAS *dicandas, addicendasque putavi, ut Tuæ in me benignitatis, & meæ in Te pietatis atque observantiæ argumenta hoc publico testimonio testatiora, atque exploratiora omnibus essent. Præterea permagni mea inter-*

erat,

erat, pro ea qua polles, gratia atque autoritate, Tuis Auſpiciis illas exornari, ac præmuniri, quod probe noſſem, quantum ex iis comparari ſibi poſſent præſidii ac dignitatis. Nulla Tibi, quo tantam Tibi gloriam, atque exiſtimationem comparares, vel a fortuna, vel a natura præſidia defuere. Genus, vetuſtate, nobilitate, opibus, imperiis, regiis affinitatibus, pietate, doctrina, Pontificatu, rerum domi, bellique geſtarum magnitudine, in tota ferme Europa præ ceteris celebratur. Majores Tui omni virtutum genere, præſertim militari gloria claruere. Nullum in Italia per tot ſe ſecula geſtum eſt bellum, ubi Proavi Tui non præfuerint imperatores. Nulla in Europa regio eſt tam remota, & deſerta, quæ non ſit Gentis Tuæ victoriis, atque hoſtium cladibus celebrata. Tota Italia Tuorum Majorum monumentis referta, & ornata eſt. Exſtant quamplurima præclariſſima etiam Venetiis: Inprimis NICOLAI URSINI, *qui ceteros ſuæ ætatis Imperatores excelluit, propter egregiam Reipublicæ navatam operam, ex S. C. in Æde D. D. Johannis & Pauli, in loco Urbis celeberrimo, inaurata equeſtris ſtatua conſpicitur. Oſtendebat Tibi puero Pater Majorum imagines, quorum alios clariſſima Imperia, alios ſanctitas, atque innocentia, alios in utraque fortuna animi magnitudo & conſtantia, alios alia recte facta commendabant. Singulorum nomina, ætates, virtutes, & res geſtas recenſebat. Inprimis Tibi a Patre exponebantur quinque Pontificum imagines, qui in Eccleſia univerſa regenda, procurandaque, ſingularem famam, & gloriam ſibi compararunt.* S. STEPHANUS I. *immortale gentis Tuæ decus & ornamentum, Chriſti fidem, quam vivens adverſus Epiſcopos Africanos doctrina, & conſtantia defenderat, moriens præclariſſimo martyrio confirmavit.* STEPHANO II. *cujus conſilio atque auſpiciis, Longobardorum, qui excidium urbi, atque Italiæ minabantur, opes, Gallorum auxilio fractæ, profligatæque ſunt, ſucceſſit* S. PAULUS *frater, quod nulli unquam contigiſſe meminimus,*

nimus , pietate , innocentia , & ſanctitate tantopere celebratus . NICOLAUS III. *recepta Flaminia , adverſus Gallos & Germanos Italiæ libertatem , & Pontificia jura acerrime propugnavit . Præ ceteris Tibi a Patre recens* BENEDICTI XIII. *imago oſtentabatur , qui tanta claruit innocentia , & integritate , ut veterum omnium Pontificum , quorum geſta , Eccleſiaſticos Annales perlegentes tantopere admirabamur , virtutes omnes in ſe uno præſeferret . Gratulabatur ſibi Pater , Te puerum tantorum Virorum adſpectu ac memoria commoveri , ſperans fore ut , Tua quoque imago Nepotibus poſteriſque exemplo atque ornamento eſſe poſſet . Qua de cauſa nulla abs Te prætermiſſa eſt cura & diligentia , ut domeſticum gloriæ patrimonium tuerere , ne Avorum memoriæ , & Patris monitis defuiſſe viderere . Peradoleſcens tantam de Te in Luſitanica Legatione exiſtimationem excitaſti , ut in bello , quod conſecutum eſt* CAROLI VI. *Cæſaris mortem , poſt hominum memoriam maximo , acerrimoque , deſerta legatione Boruſſica , eo quod violatum eſſet fœdus , quod nuper Dreſdæ tanta ſanctitate ſancitum erat , Legatus ad Ruthenos , Anglos , Batavos , atque iterum Luſitanos incredibilem conſilii , prudentiæ , fidei & conſtantiæ famam Tibi comparaveris , cum veteribus fœderibus confirmandis , tum novis ſanciendis , quibus in tanta rerum perturbatione & deſperatione Europæ libertati conſuleretur , cujus incolumitas ab incolumitate* MARIÆ THERESÆ *Reginæ Pannoniæ & Bohemiæ ſejuncta eſſe non poterat : quo tempore Ludovicus Comes a Khevenhuller uterinus Frater Imperatorum omnium , quos adhuc vidimus , virtute ac felicitate maximus , profligatis hoſtibus , ſociorum & populorum animos , qui jam de ſumma rerum deſperarant , ad ſpem victoriæ & ſalutis excitavit . Pari cum laude , qua ceteris , ac dignitate , Veneta Legatione perfungeris . Sæpenumero ſingularem Tuam in Politicis ſcientiam & doctrinam , in colloquiis , quibus intereram , magnopere admirabar , cum abs Te in memorandis Tuis Legationibus ,*

ſingu-

ſingularum gentium leges, jura, mores, inſtituta, opes militia, claſſes, navalia, armamentaria, mercationes, emporia, artes, opera, ærarium, vectigalia, portoria, fœdera, conſilia, ſpes, metus tam accurate recenſerentur, ut publicæ utilitati conſuleretur, ſi hæc Tua monumenta in publicam lucem prodire, atque evulgari paterere. Prætereo conſulto reliqua; neque enim omnia commemorari poſſunt; Illud vero ſilentio præterire non poſſum, Te tanto conſilio, fide, vigilantia, æquitate, atque integritate Myſiæ Prorege præfuiſſe, ut Tibi abeunti pro Tuis maximis atque immortalibus promeritis, ab univerſis provinciæ ordinibus maximæ atque immortales gratiæ actæ habitæque ſint. Ampla & præclara de Te prædicantur, & commendantur omnia. Celebratur egregia indoles, excellens ingenium, admirabilis in omni literarum genere doctrina, liberalitas, & munificentia plane regia, mira quædam ad omnia recte facta voluntas, & propenſio, incredibilis humanitas, facta omnibus Tui adeundi, conveniendique poteſtate, præſertim iis, qui a virtute & probitate commendantur. Mihi vero nulla abs Te humanitatis, beneficentiæ, officii, ac ſtudii argumenta defuere, ut nullum prætermiſeris mei vel ornandi, vel tuendi locum. Qua de cauſa ſpero ANTIQUITATIBUS SACRIS *Tua ſtudia & auſpicia non defutura. Dignæ enim illæ ſunt, vetuſtate, præſtantia, utilitate, & divina, qua gloriantur, origine, ut Tuis præſidiis muniantur. Etenim ſi Gentis antiquitatem ſpectes, omnium fuit vetuſtiſſima; ſi leges, a Deo Rege latæ ſancitæque ſunt; Si rem militarem ac bella, Jehova auſpice & Imperatore indicta, geſtaque. Vale.*

BLA-



BLASIUS UGOLINUS LECTORI.



IN hoc Volumine Hebræorum ſectas, ex quibus utrique Teſtamento plurimum lucis impertiri poteſt, præcipue illuſtrandas curavimus. Tres, ſc. *Phariſæorum Sadducæorum*, & *Haſidæorum*, qui etiam *Eſſeni* appellantur, præ ceteris celebrantur. De *Phariſæis* & *Sadducæis* crebra eſt mentio in Novo Teſtamento; *Haſidæi* in libris *Machabæorum* memorantur. *Karæos*, quos *Textuales*, & *Scripturarios* merito appellare poſſumus, nullomodo prætereundos cenſuimus. Doctrinæ & judicii fama, ſed multo magis Rabbanitarum odio, quod eorum Traditiones reſpuerent, ſeu potius irriderent, magnopere claruere. Pauci in Europa, frequentiores olim in Ægypto, & in Palæſtina fuerunt. Eorum libri, in quibus *Abderet Elihau* præ ceteris commendatur, ſerius nobis innotuerunt. Poſtremo de *Proſelytis*, & de eorum Baptiſmo, & Circumciſione uberrime actum eſt. In eo, quod proxime conſequetur volumine, Ægyptiorum, Syrorum, Aſſyriorum, Chaldæorum, Perſarum, Phœnicum, Græcorum, & Romanorum Theologia, ſeu potius Idololatria illuſtrabitur.

IN-

INDEX
OPUSCULORUM,
Quæ in hoc volumine continentur.

BLA-



BLASII UGOLINI
TRIHÆRESIUM
SIVE DISSERTATIO
DE TRIBUS SECTIS JUDÆORUM

fc. de Pharifæis, Sadducæis, & Effenis.

CAPUT PRIMUM.

Num tres, an plures fectæ fuerint.



CUM ea, quæ fpectant Judæorum fectas, a celeberrimis Viris *Drufio*, *Serario*, & *Scaligero* duobus in quarto voluminibus magnis contentionibus illuftrata fint, ne in immenfum crefceret opus, ex iis ea decerpere ftatuimus, quæ præcipue intereffe putabimus, nihil ex iis, quæ ad illuftrationem hujus augumenti neceffaria videbuntur, prætermiffuri, imo quamplurima, quæ ab iis præterita funt, additurí.

Sectæ, quas *Jofephus* Antiquit. lib. XIV. cap. 9. αἱρέσεις, & φιλοσοφίας, lib. XVIII. c. 2. *Hieronymus* dogmata *Abraham Zachuth* כתות, fc. coetus, collegia, catervas vocant, & in Avoth אומה, fc. natio dicuntur, tres a *Jofepho* Capt. lib. II. cap. 12. tres, fc. Pharifæorum, Sadducæorum, & Effenorum memorantur. Τρία παρὰ Ἰουδαίοις εἴδη φιλοσοφεῖται, καὶ τοῦ μὲν αἱρετισταὶ Φαρισαῖοι, τοῦ δὲ Σαδδουκαῖοι, τρίτον δὲ ὃ δὴ καὶ δοκεῖ σεμνότητα ἀσκεῖν, Εσσηνοὶ καλοῦνται: *Tria hominum genera apud Judæos philofophantur, & unius quidem generis affeclæ funt Pharifæi, alterius vero Sadducæi; Tertium vero, quod etiam fane vitam exercere feveriorem exiftimatur, Effeni vocantur*. Idem in vitæ fuæ principio: Τρεῖς εἰσὶν παρ' ἡμῖν αἱρέσεις, Φαρισαίων μὲν ἡ πρώτη, καὶ Σαδδουκαίων ἡ δευτέρα, τρίτη ἡ Εσσηνῶν. Idem teftatur lib. XIII. Antiq. c. 18. lib. XI. cap. 13. lib. XVII. cap. 2. *Hieronymus* lib. 2. adverfus Jovinianum. *Jofephus* (inquit) *in fecundo Judaicæ captivitatis hiftoriæ, & in octavo decimo Antiquitatum libro, & contra Appiomem voluminibus, tria defcribit dogmata Judæorum, Pharifæos, Sadducæos, Effenos:* Autor regulæ Monachorum, quæ inter opera *Hieronymi* deprehenduntur, ita fcribit: *Jofephus in fecunda Judaicæ captivitatis hiftoria, & 18. Antiquitatum libro tria defcribit dogmata Judæorum, Pharifæos, Sadducæos, Effæos. Theophylactus* Actuum Apoftolorum c. 22. Παρὰ Ἰουδαίοις τρεῖς αἱρέσεις γενικαί, Φαρισαῖοι, Σαδ-

Σαδδεκαῖοι, Εσσηνοί. *Oecumenius* in eundem locum. *Tres apud Judæos sectæ erant in genere, nempe Pharisæi, Sadducæi, & Esseni. S. Jo. Chrysostomus* in actus Apostolorum hom. 44. *Photius* in Biblioth. aliique multi.

Præter has tres supra memoratas alteram recenset *Josephus* lib. 1. Captivit. cap. 11. exortam tempore Herodis Regis, & Archelai ejus filii, autore Juda Galilæo, qui negabat a Judæis ullum pendendum esse tributum: ἦν δὲ οὗτος σοφιστὴς ἰδίας αἱρέσεως, οὐδὲν ἄλλοις προσεοικώς. *Erat vero hic sectæ propriæ sophista, re nulla ceteris similis*. Et lib. XVIII. Antiquit. c. 1. Ἰούδας καὶ Σαδδοῦκος τετάρτην φιλοσοφίαν ἐπείσακτον ἡμῖν ἐγείραντες. Et cap. 2. Τῇ τετάρτῃ τῶν φιλοσόφων ὁ Γαλιλαῖος Ἰούδας ἡγεμὼν κατέστη. *Tertullianus* lib. de præscriptionibus c. 45. quatuor Hæreticos enumerat Dosithæum, sc. Samaritanum, Sadducæos, Pharisæos, Herodianos. Cum eo consentiunt *S. Hieronymus* lib. contra Luciferianos, & *Eusebius* lib. IV. Hist. cap. 22. qui ex *Hegesippo* septem numerat. *Honorius* Augustodunensis, & *Rabanus* lib. II. de Clericorum institut. cap. 58. octo recensent. *Pharisæi, Sadducæi, Esnæi, vel Esneistæ, Marbonenses, vel Marbonæi, Genistæ, Merisæi, Samaritani, & Hemerobaptistæ. Epiphanius* lib. 1. undecim enumerat, ut ex iis quatuor sint Samaritanorum, & septem Judæorum. Etenim ab eo dividuntur in Essenos, Sebovæos, Gorthenos, & Dositheos: Hi in Sadducæos, Grammateos, seu Scribas, Pharisæos, Hemerobaptistas, Nasaræos, Essenos, & Herodianos: Cum eo consentit libr. de Hæresibus *S. Jo. Damascenus*. A *Philastrio* in lib. de Hæresibus duodetriginta recensentur, sc. Ophitæ, seu Serpentini, Cajani, Sethiani, Dosithæi, Sadducæi, Pharisæi, Samaritani, Nazaræi, Esseni, Heliognisti, seu Solicolæ, Batracholatræ, Myolatræ seu Musoritæ, Myolatræ seu Muscicolæ, Troglodytæ, Fortunicolæ, Baalitæ, Assaritæ, Remphanitæ, Melochitæ, Tophetícæ, Puteoritæ, Calchophitæ, Subterranei, Thamuzitæ, Belitæ, Bahalitæ, aut Baalamitæ, Phytonissæi, Astarothitæ, Herodiani. Verum e sectarum numero eximendi sunt Idololatræ, quales erant Baalitæ, Solicolæ, Assaritæ, aliique a *Philastrio* memorati, & præterea Samaritani, & Herodiani. Tres tantum antiquius sectas fuisse testatur *Josephus* lib. XVIII. cap. 2. Ἰουδαίοις φιλοσοφίαι τρεῖς ἦσαν ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου τῶν πατρίων: *Judæis philosophiæ tres erant, jam inde ab initio institutis patriis derelictæ*: Ut interpretatur *Ruffinus*. Duas tamen initio fuisse asserit *Abraham Zachuth* fol. 37. *Tunc divisus fuit Israel in duas partes dimidias: Una pars sequuta est Simeonem Justum, & Antigonum ejus discipulum, & societatem eorum juxta id quod acceperunt ab Ezra, & a prophetis: & altera pars dimidia sequuta est Sanaballatum, & generos ipsius, qui obtulerunt holocausta & hostias extra domum Domini, & finxerunt a corde suo statuta. Porro in domo hac Sacerdotio functus est gener Sanabatlati Manasses filius Josue filii Josadac Sacerdotis Magni. Tunc etiam Sadoc & Baithos discipuli Antigoni erant in caput; atque hoc erat initium hæreseos, quum ivissent Antigoni præceptoris sui tempore ad sacrarium montis Garizin, ibique essent capita sive principes. S. Hieronymus* in *Matthæi* cap. 22. *Duæ hæreses erant in Judæis, una Pharisæorum, altera Sadducæorum*.

CAPUT II.

I. *De Etymo*: II. *De Ortu*: III. *De Speciebus Pharisæorum*.

I. Apud *Suidam* legitur Φαρισαῖος καὶ Φαρισεύς. Ex Syriaco פרישי natum Φαρισαῖος. Apud *Justinum* legitur Φαρισαῖος. De Etymo Pharisæi quatuor extant sententiæ: Prima est illorum, qui Pharisæos divisos interpretantur, sc. a voce Phares, quæ divisionem significat. *Epiphanius*: ἐλέγοντο δὲ φαρισαῖοι διὰ τὸ ἀφωρισμένους εἶναι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἄλλων: Φάρες γὰρ κατὰ τὴν ἑβραΐδα ἑρμηνεύεται ἀφορισμός. *Qui ideo Pharisæi dicti sunt, quod divisi essent ab aliis; Phares enim Hebraice interpretatur divisio*. Cum eo consentiunt *Origenes Matth.* 23. *Damascenus* de hæresibus, *Ambrosius* lib. 3. in *Lucam*. Et *Suidas*: φάρες γὰρ κατὰ τὴν ἑβραΐδα γλῶτταν ἀφορισμὸς ἑρμηνεύεται ἢ διακοπή: *Phares enim Hebraice divisio interpretatur, aut præcisio*. Hoc refellitur a Scriptura Hebraica; nam Phares jultimam habet ſ Sade cum Phares & Pharis, unde Pharisæi per ſ Sin in ultima scribatur. Secunda est eorum, qui a פרש deducunt, quando in significatu explicandi, & explanandi sumitur, & dictos ita volunt, quod eorum vita omnium oculis esset conspicua, & quasi explicata, quod laudes hominum appeterent; quod a paucis fuit adprobatum. Tertia ab eodem verbo פרש derivatur, quando in eodem sensu explicandi, atque explanandi sumitur: Quod a *Gorionide* confirmatur dicente: *Hi sunt Pharisæi, qui legem* po-

populo enarrant. Et *Joſephus* lib. 1. captiv. Jud. 4. ſcribit Phariſæos præter alios peritius legem exponere. At conſtat non omnes Phariſæos fuiſſe legis interpretes, cum hoc munus proprium fuerit Scribarum, qui pars erant Phariſæorum; hoc eſt *μέρος τῶν φαρισαίων*, uti legitur Act. XXIII. 8. Præ omnibus recte ſentiunt, qui a ſeparando ita dictos eſſe putant: Quo forte reſpicit Apoſtolus *Rom.* 1. 1. quando dicit *ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον*, cum antea fuerit *ἀφωρισμένος εἰς τὸν νόμον*, ſeparatus ad ſtudium legis, ſc. Phariſæus. Hinc tamen nomen non ſumſerunt, ſc. quod ſeparati eſſent ad ſtudium legis, ſed quod diviſi eſſent a populo, ut eſt apud *Hieronymum Matth.* 22. dicti fuerint Phariſæi. Separati erant ab aliis, primum vitæ munditia, uti legitur in lexico *Aruch* פרוש הוא שפירש עצמו מכל טומאה ומן מאכל טמא ועם הארץ אינו מדקדק במאכל. *Phariſæus dicitur, qui ſe ſeparat ad omni immunditie, & a cibo polluto, & populo terræ, qui de cibo non ſubtiliter diſcernit*. Deinde dignitate & pietate, uti legimus in libro articulorum fidei *Joſeph Albo* cap. 28. *Homines diviſi ab aliis dignitate, & pietate*. Præterea ſeparati erant ad vitæ genus puriſſimum, & ad mandata legis: *Suidas*: *φαρισαῖοι οἱ ἑρμηνευόμενοι παρὰ τὸ μερίζειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων, εἴς τε τὸ καθαρώτατον τοῦ βίου, καὶ ἀκριβέστατον, καὶ εἰς τὰ τοῦ νόμου ἐντάλματα*. *Phariſæi, quod eſt ſi interpreteris, ſeparati: Separabant quippe & ſejungebant ſe ab omnibus aliis, & ad puriſſimum, accuratiſſimumque vitæ genus, & ad legis præcepta*. Habitu etiam a ceteris diſtincti erant. Rabi *David* ad *Soph.* 1. *Qui induunt veſtem peregrinam*: Scribit: *Sunt qui exponant de hominibus, qui oſtendunt ſeipſos* פרושים וחסידים *ſanctos & pios, & induunt veſtes peregrinas, quæ non ſunt ſimiles veſtibus reliqui populi, qui agnoſcantur veſtibus ſuis, quod ſint ſancti & pii; interim viæ ipſorum malæ ſunt*. Separati quoque erant a viis hujus ſeculi teſte *Elia Thesbite* in vocabulario: פרוש *cujus pluralis* פרושים *Phariſæi, ſic dicti, quod ſeparati eſſent a viis hujus ſeculi*: Non ſolum peculiares veſtes habebant, ſed etiam vulgi veſtitum abominabantur, unde illud. בגדי עם הארץ מדרס לפרושים *Veſtes populi terræ conculcatio ſunt Phariſæorum*: Vid. *Juchaſin* fol. 22. pag. 2. פרוש non ſolum ſignificat Phariſæum, ſed etiam ſanctum & purum, uti legitur in *Juchaſin* fol. 139. pag. 2. de Heſſenis: *Docent eos baptizare, ut aſſueſcant eſſe ſancti aut puri*. *Heſychius*. *φαρισαῖος ἀφωρισμένος, μεμερισμένος, καθαρός*: *Separatus, diviſus, purus*. Iterum *Jucaſin* fol: 140. *Inveniuntur inter eos, qui futura prædicunt, & hoc propter* פרישותם וקדישותם *puritatem, & ſanctitatem eorum*. Nobilitate & doctrina celebrantur: *Auguſtinus* de verbis Domini: *Phariſæi Judæi erant, quaſi egregii Judæorum; Nobiliores enim, atque doctiores tunc Phariſæi vocabantur*. Item ſermone XII. de verbis Apoſtoli; *ſecundum legem Phariſæus*: ita ſcribit: *Primarii quidem erant, & quaſi ad nobilitatem Judaicam ſegregati, non contemtibili plebi commixti, qui dicebantur Phariſæi: Nam dicitur hoc verbum ſegregationem interpretari, quomodo in Latina lingua egregius, quaſi e grege ſeparatus*. Sumitur etiam pro Monacho, & Monacha. *Juchaſin* 144. de matre Merlini loquens. *In diebus Leonis erat ſapiens magnus Merlinus in Anglia, quem dicunt fuiſſe filium dæmonis, ſed mater ejus erat filia Regis* פרושה *monacha*: Idem fol. 136. loquens de Rhea Sylvia: *Anno 38. Oziæ Amulius expulit fratrem ſuum maximum natu, & occidit filium fratris ſui, & filiam ejus fecit Veſtæ* פרושה, *quæ ſcortata peperit Remum, & Romulum*.

II. Diſtinguenda ſunt nomen, & ſecta, ut optime animadvertit *Druſius*: Secta vetuſtiſſima fuit, quæ videtur orta tempore Antiochi Sochæi, cum Sadducæi conſtituta alia a ſapientibus ſecta, hæreſin in Eccleſiam introduxerunt: De nomine incertum eſt quando cœperit; Quamvis principe Jonatha tres ſectæ fuerint, tamen non inde ſequitur ſapientes vocatos fuiſſe Phariſæos. Chronicon templi ſecundi fol. 30. col. 1. ſub Alexandro Jannæo ſapientes fuiſſe vocatos Phariſæos aſſerit: *Temporibus Alexandri Jannæi ſapientes vocabantur Phariſæi*. Legitur *vocabantur*, non cœperunt vocari. Hinc nomen non erat recens, uti vult *Forerius* comment. in *Jeſ.* 1. *Nomen autem Phariſæorum neotericum erat, & Syriacum*: Syriacum fuiſſe jam probatum eſt. *Hieronymo* non ſine magno dolore aſſentiri non poſſumus aſſerenti *Iſai.* 8. Ex Schammai & Hillel ortos fuiſſe ſcribas, & Phariſæos: *Quas domus* (inquit) *Nazyræi* (*quæ ita Chriſtum recipiunt, ut obſervationes legis veteris non amittant*) *duas familias interpretantur, Schammai & Hillel, ex quibus orti ſunt Scribæ & Phariſæi, quorum ſuſcepit ſcholam Akibas, quem magiſtrum Aquilæ proſelyti autumant, & poſt eum Meir; cui ſucceſſit Jochanan filius*

filius Zachai , & post eum Eliezer , & per ordinem Delphon , & rursum Joseph Galilæus , & usque ad captivitatem Hierusalem Josue . Schammai igitur & Hillel , non multo prius quam Dominus nasceretur , orti sunt in Judæa , quorum prior dissipator , interpretatur , sequens prophanus , eo quod per traditiones & δευτερώσεις suas legis præcepta dissiparint , atque maculaverint . Primum Schammai & Hillel non duas sectas , sed duas familias statuerunt , quæ vocantur domus Hillel & domus Schammai . Deinde scribæ sunt vetustiores . Præterea Rabi Akiba non successit Hilleli, sed Rabban Gamaliel ejus filius , & Rabban Jochanan ben Zachai. Vixit enim Akiba sub Hadriano , & in bello Chozibæ periit . Abraham ben David Levita in Kabbala . *R. Akiba* (inquit) *erat caput Academiæ post Rabban Gamaliel , ætate altera post excidium* : Et mox . *Hadrianus adscendit in terram Israel, & cœpit Bitther nono mensis Ab , anno 73. a destructo templo. Is affecit Israel plaga magna , qualis non visa neque audita fuit in diebus Nabuzardan , neque in diebus Titi* . Et post : *Occisus fuit R. Eliezer filius Samor ; antea pectinarunt carnem ipsius R. Akibæ pectinibus ferreis : Omnia hæc evenerunt eis in bello Hadriani propter indignationem ipsius ben Choziba. Juchasin* fol. 34. *Akiba filius Joseph proselytus justitiæ, maximus sapientum vixit annos 120. uxorem duxit ædis tempore , & vixit usquedum subacta fuit Bitther , an. 52. post excidium ædis, aut 73. juxta ætates mundi . Moses autem Ægyptius ait eum fuisse armagerum ben Chozibæ* . Et mox. *Rabban Simeon filius Gamaliel occisus fuit in die destructionis templi , & R. Akiba ferme 60. annis post eum fuit* . Hillel cum Dominus nasceretur agebat annum 110. Non natus est in Judæa , sed in Babylonia : Hellel , sive Hillel , id est הלל quod nomen extat *Judic.* XII. 13. perperam interpretatur prophanus ; nam prophanus חול dicitur per Heth; cum Hellel laudem denotet. Schammai , id est שמי , quod scribitur absque punctis שמאי, qui & Samæus , & apud Josephum Sameas ; invenitur hoc nomen 1. *Paral.* 2. 45. Incertum quid significet; certum est a שמס, quod dissipare denotat , derivari non posse : Fuit pater domus judicii cum Hillel esset princeps . Raban Jochanan non successit R. Akibæ , cum ille floruerit sub Vespasiano , uti testatur *Abraham Zachuth : Rabban Jochanan (inquit) Cabbalista fuit 30. & R. Josue 31. R. Akiba 32.& R. Meir 33.& Rabbenu Haccados* 34. Atque iterum fol. 37. *In deuterosi tractatu Sotah R. Josua vocavit Akibam discipulum R. Jochanan filii Zachai , licet esset discipulus discipuli ejus.*

III. Septem Pharisæorum species recensentur *Hierosol. Berachoth* fol. 13. 2. & *Sotha* fol. 20. 3. & *Babyl. Sotha* fol. 22. 2. & *Aruch* in voce פרוש , quæ discribendæ sunt , ut eorum hypocrisis & insania detegatur : שבעה פרושים הן *Septem sunt Pharisæi* פרוש שכמי *Pharisæus Sichemita : Babyl.* זה עשה מעשה שכם *Hic facit opus Sichem*. Glossa : *Qui circumcisus est sed non in honorem Dei Hieros.* טעין מצוותיה על כתפיה : *Portat præcepta sua super humeros suos* : id est ut explicat *Aruch* : *Ligna ad conficiendum tabernaculum*, in festo tabernaculorum, *aut aliquid istiusmodi*. פרוש ניקפי *Pharisæus percussus*, vel *illidens : Babyl.* המוקיף את רגליו *qui illidit pedes suos* . Glossa. *Qui incedit in humilitate , calce pedis hujus pollici istius contiguo , nec pedes a terra extulit , ita ut illiderentur pollices ad saxa . Aruch . Qui longe se retraxit , ne homines in viis premeret , & pedes suos allisit ad saxa . Hierosol.* : אקיף לי ואנא עבד מצוה *Percute me, aut circumda me, & tamen ego præstabo mandatum.* פרוש קזאי *Pharisæus sanguinem eliciens. Babyl. Sanguinem elicit ad parietes*. Glossa. *Se talem præstitit ac si obturatis esset oculis ne adspiceret fœminam; atque hinc in parietes caput illisit, emisitque sanguinem. Aruch . Se ad parietes ita compressit, ne transeuntes premeret, ut ex illisione sanguinem eliceret: Hieros. Præstat unum præceptum, ac unum officium , ac sanguinem elicit ad unumquodque.* פרוש מרוכיא *Pharisæus mortarii : Aruch . Incedens in tunica fluente, mortarii instar erat; cujus os scilicet deorsum versum est ; sic ille fluente veste , supra erat arctior , latior infra . Hieros.* פרוש מנכייה *Qui dicit : quodcunque meum est ego subtrabo , ac præsto mandatum :* פרוש מה חובתי ואעשנה. *Pharisæus qui dicit : Noscam quid sit officium meum , & præstabo: Hieros. Præstiti officium, ut præstetur mandatum secundum illud. Aruch : Quasi diceret : Non est qui ostendat mihi, in quo sim trangressus.* פרוש יראה *Pharisæus timoris* , sicut *Jobus* : פרוש אהבה: *Phtrisæus amoris* sicut *Abraham: Hieros.* אין לך חביב מכולן אלא פרוש אהבה כאברהם . *Inter hos omnes non est aliquis amari dignus, præter Pharisæum amoris , qualis fuit Abraham* . *Buxtorfius* in lexico in voce פרוש *Sotha* fol. 22. 2. שבעה פרושים הן *Septem Pharisæi sunt.* פרוש שכמי *Pharisæus Sichemæus* העושה מעשה שכם *Qui facit ope-*

opera Sichemæorum. Hi circumcidebantur in gratiam Iſraelitarum, non ad gloriam Dei: Sic hoc genus Phariſæorum opera ſua faciebat, ut viderentur & colerentur ab hominibus, non ut coleretur Deus; Hi ergo fuerunt *Phariſæi arrogantes*: פרוש נקפי id eſt המוקף את רגליו *impingens pedes ſuos*: Hi quaſi reptantes dicti, quod ex nimia humilitate pedes in inceſſu non elevarent, ac proinde ad obvios lapides & obſtacula facile pedes impingerent, & percuterent (*Ligthfootus* Tom. I. 522. פרוש אחר נקפי *Alium impingentem Phariſæum* שהולך כפוף *qui inclinato corpore procedebat* connivenſque ſponte impingebat in lapides humilitatis oſtentandæ gratia, ſed cor ipſius nequam erat; ſanguinem parietibus impactus eliciebat; videbatur admodum humilis, & propterea circumſpicere ut grediebatur, nolebat, neque hæc timore Dei, ſed dolo malo agebat) פרוש קיזאי id eſt המקיז דם לכתלים *venam ſecans ad parietes*: Hi quaſi φλεβότομοι *venæ ſectores* dicti, quod ea inani humilitate, & caſtitate oculis conniventibus & ferme clauſis, incederent, ne unquam mulierem, aut virginem obviam adſpicerent, ac impuris afficerentur affectibus, ideoque fronte ad parietes occurſabant, & cruenti fiebant quaſi venam capitis ſecuiſſent. A clauſis oculis cœcutientes dicti: Hæ plagæ dicuntur in Miſna iſtius loci מכות פרושים *plagæ Phariſæorum*, & numerantur inter ea, quæ ſenectutem inducunt mundo. פרוש מדוכיא id eſt שפע כמדוכיא *qui eſt depreſſus & incurvatus inſtar piſtilli, quod ſc. ſuperne retuſum, & quaſi duplicatum eſt*. Hi incurvati dicti fuerunt, quod capite & dorſo verſus terram inclinati, quaſi duplicati incederent: Forte propterea fecerunt, ne capite erecto illiderent, & impellerent pedes Dei, prout alibi dicitur המהלך בקומה זקופה אפילו ארבע אמות כאילו רוחק רגלו כלפי שכינה דכתיב מלא כל הארץ כבודו. *Qui incedit ſtatura erecta vel quatuor cubitos perinde eſt ac ſi depelleret pedes præſentiæ Divinæ, ſcriptum eſt enim Iſai.* VI. 3. Plena eſt univerſa terra gloria ejus: (*Lightfootus* ibid. פרוש מדוכיא *Contortum Phariſæum* כירך בגדיו בידו *qui veſtes ſuas circa manum contorquebat* ומראה עצמו מתרחק ממנע בני אדם שלא יטמא *cavebatque ne quenquam tangeret, ne ab eo inficeretur*: manibus enim veſtibus involutis utebatur], ut homines a ſe abigeret) פרוש מה חובתי ואעשנה id eſt מה חובתי עוד ואעשנה *Quod eſt debitum meum amplius & faciam illud* ממעליוא *ex ſuperabundantia*? Hi fuerunt operarii ſuprabundantes, gloriantes ſe omnia legis opera præſtare, & amplius adhuc præſtituros ſi doceantur: (*Lightfootus* ibid. פרוש מה חובתי ואעשנה *Supererogantem Phariſæum*, qui dicebat: *Oſtende mihi officium meum illudque & ultra exequar: Oſtende mihi tranſgreſſionem meam, eamque corrigam: quaſi dixiſſet: Oſtendere nemo poteſt in quo ego peccarim*) פרוש מאהבה *Phariſæus ex amore* id eſt מאהבת שכר *ex amore præmii*, quod lex obſervatoribus ſuis promittit non ex amore timoris Domini, & honoris legis. פרוש מיראה *Phariſæus ex timore* ſc. של עונשין *pœnarum, quas lex neglectoribus & contemtoribus minatur*.

CAPUT III.

I. *An Phariſæi iidem ac Sapientes, Νομικοὶ, Legiſperiti, & Scribæ?* II. *Num Phariſæi ſucceſſerint Naſyræis?*

DOctores *Judæorum* (*Hieronymus* ad Algaſiam inquit) σόφοι, *hoc eſt ſapientes. Et ſi quando traditiones ſuas certis diebus exponunt diſcipulis ſuis, ſolent dicere* οἱ σόφοι δευτερῶσι (vel potius δευτερῶσι) *id eſt ſapientes docent traditiones*. Diſtinguntur a Scribis, & ab aliis *Matth.* cap. XXIII. 34. *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & Sapientes, & Scribas. Iſai.* XXXIII. 18. *Ubi eſt ſapiens? ubi legis verba ponderans? Ubi doctor parvulorum?* I. *Cor.* I. 20. *Ubi ſapiens, ubi ſcriba, ubi conquiſitor hujus ſeculi?* Tria doctorum genera דרשן חכם סופר. Nam דרשן ad verbum eſt συζητητὴς ut vocatur ab ipſo Apoſtolo. *Jerem* VIII. 8. *Quomodo dicitis? Sapientes nos ſumus: Et lex Domini nobiſcum eſt: Vere mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum*. Poſtmodum, ut notat *Elias Theſbites*, ſapientum nomen abjicientes, vocati ſunt Talmidim, id eſt diſcipuli, uti *Pythagoras* ſe Philoſophum appellavit teſte *Cicerone* lib. V. *Tuſc.* & *Diogene* lib. I. Qui *Legiſperiti*, & *Legis doctores* a noſtro Interprete vocantur, Græce νομικοὶ dicuntur *Matt.* cap. XXII. 35. *Luc.* VII. 30. X. 25. XI. 45. 46. 52. XXIV. 3. *ad Titum* III. 13. Aliquando νομοδιδάσκαλοι *Luc.* V. 17. *Act.* V. 34. I. ad *Tim.* I. 7. A Scribis videntur non fuiſſe diſtincti ex *Matth.* VII. 29. XVII. 10. *Marc.* XII. 28. *Luc.* VII. 30. XI. 45. I. *Cor.* I. 20. *Epiphanius* aperte τοὺς νομικοὺς diſtinxit ἀπὸ τῶν νομοδιδασκάλων, καὶ τῶν γραμματέων. Eodem enim facit γραμματέας καὶ νομοδιδασκάλους, a quibus diſtinguit τοὺς νομικοὺς, quos accenſet Pha-

Pharisæis. Ideo recte ait: συνῆσαν καὶ γάρ αυτοῖς καὶ οἱ νομικοὶ. *Conversabantur enim cum ipsis & νομικοὶ*; ut optima vertit *Cornarius* immerito reprehensus judice Scaligero a *Serario* qui interpretatur. *Cum ipsis enim iidem erant & nomici*, seu *legisperiti*. Etenim νομικοὶ licet unum corpus καὶ τάγμα efficiebant, tamen erat discrimen quoddam inter Pharisæos καὶ τοὺς νομικοὺς, quod severius institutum Pharisæorum quam τῶν νομικῶν. Sed *Syrus* Paraphrastes aliter ac Epiphanius τὸν νομικὸν semper ספרא γραμματέα vertit; quod sane verum est, quum νομοδιδάσκαλοι legem interpretarentur, quod proprium τῶν σοφῶν, νομικοὶ vero formulas juris præscriberent, & actiones civiles docerent, & forensia magis tractarent, quod proprium τῶν γραμματέων. Veruntamen ex *Matth*. XXII. 35. & *Luc*. XI. 45. videntur Scribæ fuisse distincti a Legisperitis. Nam cum Christus dixisset: Οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταί: Respondens quidam τῶν νομικῶν dixit ei: *Magister quum hæc dicis, etiam nos afficis injuria*. Quod confirmatur, cum ait Christus: Καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς οὐαί. *Væ vobis quoque legisperitis*. Distinctos ab iis fuisse Pharisæos perspicuum est & *Luc*. V. 17. VII. 30. XI. XIV. 3. Interdum Pharisæi erant legisdoctores, ut *Matth*. XXII. 35. *Unus ex iis* (Pharisæis) *Legisdoctor*. *Act*. V. 34. *Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legisdoctor honorabilis universæ plebi*. Duo genera Scribarum erant γραμματεῖς τοῦ νόμου, καὶ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, qui sunt Actores, vel Auctuarii publici. Priorum mentio *Jerem*. VIII. 8. *Ezræ* VII. 6. Alterorum sæpe fit mentio *Matth*. II. 4. I. *Machab*. V. 42. & alibi. *Serarius*, qui scribit lib. II. *Trihær*. cap. 8. quod Scribæ in civilibus quibusdam commentariis, contractibus & instrumentis occuparentur, prout hodie apud nos tabelliones, quemadmodum videri factum potest *Jerem*. XXXII. 12. *Psal*. 44. 2. merito reprehenditur a *Scaligero* cap. XI. *Elench*. Trihær., qui his rationibus eum refellit pag. 106. De scribis. *In contractibus occupabantur, veluti hodie Tabelliones* Jerem. XXXII. 12. Nos negamus ibi vel suspicionem ullum, aut vestigium illius rei extare. Nam in venditionibus, & emtionibus, & omnibus contractibus, qui ex consensu, tempore Jeremiæ non adhibebantur tabelliones; sed qui emebat, duo instrumenta eodem fere exemplo scribebat, alterum signabat sigillo suo, alterum patens ostendebat testibus, ut in eo scriberent nomina sua, & scirent de quo inter ambos convenisset. Nomina autem scribebantur in aversa parte utriusque instrumenti, ne opus esset alterum resignare; Dixi eodem fere exemplo: Nam quædam erant in signato instrumento, quæ nolebant testibus nota esse, nimirum conditiones, & tempus redemtionis, ut caverent insidias eorum, qui proximi גואלים erant. In patente autem exemplo ostendebatur tantum, quid convenisset inter contrahentes, non quomodo nec quatenus, sed tantum de quo agro contracta esset obligatio. Neque ex illo insigni loco Jeremiæ aliud quid potest colligi, utpote qui sit perspicuus. Neque R. Salomonis sententia probanda, quæ refert ea omnia ad consuetudinem Judæorum hodiernam. Nihil enim tale apud Jeremiam. Erat certe hic mos antiquissimus apud omnes gentes etiam apud Romanos, ut in obligationibus ex consensu, testibus tantum res transigeretur, non publicis actibus. Præterea notum est, Romanos vetustiores signatis tabulis testamenti testes adhibuisse, quibus nomen hæredis ignoratum fuisset, ne illi insidiæ struerentur, & quemadmodum erant & sunt contractus, qui ex literis, sic verisimile est in illis adhibitos fuisse tabelliones publicos, in quibus fortassis erat is de quo *Psal*. 47. 1. Nam quamvis in dubium revocari potest, tamen constat ibi agi de eo, qui notis excipit, quod genus hominum ταχυγράφοι Græce, Latine notarii dicti. Sed an sit auctuarius publicus, id vero quod jure diximus, dubitari potest. Scribæ in Sacris Codicibus conscribendis conservandis & explicandis occupati erant. 4. *Reg*. XXII. 8. 9. 10. 1. *Esd*. VII. 10. & 11. *Jerem*. VIII. 8. *Matth*. VII. 29. XVII. 10. XXIII. 2. 1. *Cor*. I. 20. & hi erant iidem ac Legisperiti distincti a Pharisæis, vita tamen ac docendi similitudine maxime conjuncti *Matth*. XII. 38. XV. 1. XXIII. 2. 13. 14. 23. 25. *Luc*. V. 21. & 30. VI. 7. *Joan*. VIII. 3. Videntur iidem fuisse ac *seniores Matth*. XXVIII. 12. & XLI. 28. *Marc*. XV. 1. Et cum adjunctione *Seniores populi* vocantur 1. *Matth*. XII. 6. & 35. *Matth*. XXVII. 1. *Luc*. XXII. 66. Prophetas *Chaldæus* vertit *scribas* ut 4. *Reg*. XXII. 2. 1. *Paral*. XXXIV. 8. *Jerem*. XXVI. 11. XXIX. 2. Scribæ in Judæorum commentariis vocantur בעלי מקרא quasi lectionarii, aut scripturarii, vel textuarii, ut distinguantur a sapientibus, qui בעלי משנה i. e. Deuterotæ, & בעלי תלמוד i. e. Talmudistæ. Ergo Scribæ textum explicabant, cum sapientes, id est Pharisæi versarentur circa δευ-

τερώσεις, & traditiones majorum. Erant tamen nonnulli ex Scribis, qui in traditionibus versabantur, teste *Epiphanio*, qui in hæresi τῶν γραμματέων scribit, οἵ τινες ἦσαν δευτερῶται τοῦ νόμου, ὡς γραμματικήν τινὰ ἐπιστήμην ὑφηγούμενοι, τὰ ἄλλα πράττοντες τῶν Ἰουδαίων. *Qui Deuterotæ erant legis, quasi grammaticam quandam scientiam docentes, cetera Judaice viventes.*

II. נזירים a separando appellati sunt Etenim נזר in Niphal eam significationem habet, ut *Hos.* IX. 10. Inde נזר quod *Symmachus* reddit *Exod.* XXIX. 6. ἀφόρισμα. *R. Salomo* אין נזירה בכל מקום אלא פרישה. Hinc Nazir seu *separatus. Elias Thesbites. Pharisæi dicti quod separati essent a moribus hujus seculi, quales olim erant Nazyræi; ceterum omne Nazir Chaldaice* redditur נזירה *&* *non* פרוש; quod postremum non est verum; nam Genes. XLIX. 16. in *Onkelo* pro Nazir est פרישא: Sic enim certe locum interpretatur לגברא פרישא דאחוהי *Super virum qui separatus est a fratribus suis*. Hinc *Forerius* putavit Pharisæos veteribus Nazyræis successisse. *Hoc* (inquit) *pro comperto habeo, teste etiam R. Salomone quod Pharisæi in locum Nazyræorum successerunt. R. Salomon* non dicit Pharisæos in locum Nazyræorum successisse, sed verbum, פרש, a quo Pharisæi dicti sunt, eandem significationem habere, cum verbo נזר, verbi Nazyræi. Si ritus spectas, maxime inter se differebant; etenim Pharisæi neque comam tondebant, neque a sicera & vino abstinebant; quæ omnia observanda erant a Nazyræis.

CAPUT IV.

Dogmata Pharisæorum.

I. FAto omnia tribuere Pharisæos testatur *Josephus* Orig. lib. XVIII. c. 2. προστάττεσθαι τε εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιοῦντες. *Fato quæcumque geruntur tribuunt*. Fato & Deo; iterum *Josephus* capt. Jud. lib. II. cap. 12. εἱμαρμένῃ τε καὶ Θεῷ προσάπτουσι πάντα. *Et fato & Deo universa deputant*. Aliqua non omnia idem Orig. lib. XIII. cap. 9. Οἱ μὲν οὖν φαρισαῖοι τινὰ καὶ οὐ πάντα εἱμαρμένης εἶναι λέγουσι. *Quædam non omnia fato tribuunt*. Hebraice fatum מזל dicitur, id est planeta, vel astrum, quod ita agit, ut tamen non cogat. *Abraham Zachut* de Pharisæis. *Credunt Deum nosse sive curare omnes res, & astrum juvare*. Tamen dicunt הכל תלוי במזל *omnia pendent a fato. Cohel.* IX. 2. in Targum legitur כלא במזליא תליא *Omnia pendent ab astris*. מזל etiam fortunam designat, sive fortunæ influentis donum; מזל *influxio*, sc. a נזל *influere*. Hinc *Josephus* hanc sectam cum Stoica aliquo modo consentire scribit.

II. Fato ita tribuunt, ut nihilominus homini non adimant liberum arbitrium. *Josephus* Orig. lib. XVIII. 2. Οὐδὲ τοῦ ἀνθρωπείου τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ' αὐτῆς ὁρμῆς ἀφαιροῦνται· δοκῆσαν τῷ Θεῷ κρᾶσιν γενέσθαι καὶ τῷ ἐκείνης βουλευτηρίῳ, καὶ τῶν ἀνθρώπων τῷ θελήσαντι προσχωρεῖν μετὰ ἀρετῆς ἢ κακίας. *Voluntatem hominis non privant impetu a se ipso pendente, Quippe sic Deo placitum esse ut certo temperamento miscerentur in unum forti decretum, & ratio humana, si quis vellet accedere vel ad virtutem vel vitium.* Idem Capt. lib. II. cap. 12. καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια καὶ μὴ κατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι. *Et quidem facere quæ justa sunt vel negligere, secundum majorem partem in homine situm esse*. Vide quoque *Orig.* lib. XIII. cap. 9. *Abraham Zachuth. Credunt planetam juvare, nihilominus relinquitur liberum arbitrium in manu hominis*. Id vocat: הבחירה *electionem*; dicitur & הרשות, *potestas, facultas*, ut in illo dicto Aquibæ Pharisæi in *Aboth* c. 3. הכל צפוי והרשות נתונה: In quem locum scholia Hebraica. *Licet homini facere id quod vult*. Et mox. *Potestas sive facultas est in manu hominis, si vult peccat, & si non vult, cohibetur*, sicut scriptum est. Ecce posui coram te vitam & mortem, bonum & malum. Hoc arbitrium a Deo juvari scribit R. *David Psal.* 119. 170. *Deus liberat hominem a peccato: Nam licet dederit ei liberum arbitrium, si tamen rectus est, adjuvat eum in via bona.*

III. Fatentur animam immortalem esse. *Josephus* lib. XVIII. cap. 2. Ἀθάνατον ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε· καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προστίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥᾳστώνην τοῦ ἀναβιοῦν. *Animas credunt esse immortales, & sub terris earum judicia fieri; tum præmia cuique contingere ex virtutis, aut malitiæ merito, & has perpetuis damnari carcerebus, illis facilem esse ad vitam reditum.* Zonaras. Ἀθανασίαν ταῖς ψυχαῖς ἀπονέμουσι, καὶ δικαιώσεις ὑποχθονίους τῶν βεβιωμένων δοξάζουσι. *Animos immortales, & sub terra vitæ actæ rationes reddendas esse censent. Abraham Zacuth. Animæ bonæ oblectant sese de operibus suis, & malæ descendunt, at non adscendunt*. Quod confirmatur *Luc.* & *Act.* XXIII. 8. Si modo πνεῦμα hic est anima. Fatentur etiam resurrectionem corporum, quam nos resurrectionem carnis dicimus, carnem pro cor-

corpore ſumentes, unde *Luc.* xx. 36. *υἱοὶ ἀναστάσεως filii reſurrectionis* , & Hebraice בני תחיה & *Act.* xxiv. 15. credita fuiſſe dicitur a Phariſæis *ἀνάστασις νεκρῶν*, *Syriace* קימתא דמיתא Atque iterum *Act.* xxiv. 21. alibi. In *Sanhedrin* cap. xi. אמר מר זוטרא מנין לתחיית המתים מן התורה שנאמר יחי ראובן לימות המשיח ואל ימות לעולם הבא *Dixit Mor Zutra*: *Unde probatur reſurrectio mortuorum ? Ex lege : Dictum eſt enim*: Vivet Ruben . *Quod ad dies Meſſiæ*: Et non morietur: *Quod ad futurum ſeculum pertinet* . תני דבי אליהו צדיקים שעתיד הקדוש ברוך הוא להחיותן חוזרים לעפרם הקדוש לעולם קיים אף הם לעולם קיימים *Docet domus Eliæ*, *juſtos, quos Deus S. B. raſuſcitabit*, *non redactum iri in pulverem*: *ſicut enim ſanctus ille in æternum vivit* , *ita etiam hi vivent in æternum* . *Jalkut* מר זוטרא בר טוביה אמר מנין לתחיית המתים מן התורה שנאמר יחי ראובן בעולם הזה ואל ימות לעולם הבא. *Mor Zutra bar Tobia dixit* : *Unde probatur reſurrectio mortuorum ? Ex lege* : *Dictum eſt enim*: Vivet Ruben *: In hoc ſeculo*: Et non morietur. *In ſeculo futuro*. Verum negant omnes reſurrecturos . *R. David Kimchi* ad *Pſal.* 104. 4. ואם תהיה תחיית המתים לכל אדם זה מחלוקת בין חכמים *An omnes homines ſint reſurrecturi* , *de hoc diſſenſio eſt inter ſapientes*. Alii omnes reſurrecturos fatentur . In *Pirke Avoth R. Elieſer* cap. iv. הילודים למות והמתים להחיות והחיים לידון *Qui nati ſunt* , *hac lege nati ſunt* , *ut moriantur*, *qui mortui ut reviviſcant*, *qui revixerunt* , *ut judicentur* . Alii reſurrecturos omnes Iſraelitas aſſerunt. In *Sanhedrin* cap. x. כל ישראל יש להם חלק לעולם הבא *Omni Iſraelitæ eſt pars in futuro ſeculo* . Alii reſurrecturos eſſe pios tantum . *R. David Kimchi* l. c. סוגיית התלמוד הוא כי תחיית המתים לצדיקים ולא לרשעים Hunc uſum terit Gemara , quod reſurrectio futura ſit Juſtorum duntaxat, non impiorum. Alii neque pios neque impios eſſe reſurrecturos , ſed piorum tantum animas poſt mortem fore ſuperſtites *: Maimonides* תשובה c. viii. כל מי שאינו זוכה לחיים אלו הוא המת שאינו כי לעולם אלא נכרת ברשעו ואבד כבהמה וזהו כרת הכתובה בתורה שנאמר הכרת תכרת הנפש ההיא מפי השמועה למדו הכרת בעולם הזה תכרת לעולם הבא כלומר שאותה הנפש שפירשה מן הגוף בעולם הזה אינה זוכה לחיי העולם הבא אלא גם מן העולם הבא נכרתת העולם הבא אין בו גוף וגויה אלא נפשות הצדיקים בלבד בלא גוף כמלאכי השרת הואיל ואין בו גויה אין בו לא אכילה ולא שתייה ולא דבר מכל הדברים שגופות בני אדם צריכין להם בעולם הזה ולא יארע דבר בו מן הדברים שמאורעים לגופות בעולם הזה כגון ישיבה ועמידה ושינה ומיתה ועצב ושחוק וכיוצא בהן. *Quicunque non meretur* , *ut vivat vitam iſtam ille moritur* , *& nunquam reviviſcit* , *ſed exſciditur in impietate ſua* , *& perit ut jumentum*: *& hæc exciſio illa eſt*, *de qua in lege ſcribitur* , *ubi dicitur* : Exſcidendo exſcidetur anima illa. *Ex quo illud diſci poteſt*, *quod anima duplici exciſione ſit exſcidenda* ; *ſc. exciſione in hoc ſeculo*, *& exciſione in ſeculo futuro* . *Perinde enim eſt* , *ac ſi dicat* , *quod anima a corpore ſeparata in hoc ſeculo*, *non amplius habeatur digna* , *quæ vivat in ſeculo futuro* , *ſed jam de ſeculo quoque futuro ſit exciſa*. *In ſeculo autem futuro non eſt corpus* , *neque corporale quid* , *ſed animæ ſolummodo juſtorum*, *& quidem abſque corpore*, *perinde ut Angeli miniſterii*; *quandoquidem itaque nihil in eo corporale eſt*, *ideo etiam in eo neque cibus* , *neque potus* , *aut quicquam eorum*, *quibus corpora hominum hoc in ſeculo habent opus*. *Neque ibi aliquid eorum contingit*, *quæ hoc in ſeculo evenire corporibus ſolent*, *cujuſmodi ſunt ſeſſio* , *ſtatio*, *mutatio*, *mors* , *dolor*, *riſus*, *& quod his ſimile*.

IV. Ex *Matth.* xvi. 14. perſpicuum eſt Phariſæos credidiſſe animarum *μετάβασιν*, ſeu *μετεμψύχωσιν*: *Venit autem Jeſus in partes Cæſareæ Philipi*, *& interrogabat diſcipulos dicens*: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis ? At illi dixerunt* ; *alii Johannem Baptiſtam* , *alii autem Eliam* , *alii vero Jeremiam*, *aut unum ex prophetis*. Atque ex Luc. ix. 18. *Et factum eſt cum ſolus eſſet orans* , *erant cum illo & diſcipuli*, *& interrogavit illos dicens* : *Quem me dicunt eſſe turbæ ? At illi reſponderunt* : *Johanem Baptiſtam*, *alii autem Eliam*, *alii vero*, *quia unus propheta de prioribus ſurrexit*: *Joſephus* idem teſtatur lib. ii. captiv. cap. 7. *Animam omnem quidem incorruptam eſſe*; *tranſire autem in alia corpora ſolas bonorum* ; *improborum vero interminabili ſupplicio cruciari* Idem teſtantur Hebræi fere omnes. *Zohar* in Paraſcha חיי שרה ubi hæc leguntur . אמר רבי חזקיה אי כל גופין יקומון דיתעקרון אינון דאתנטעות כנשמתא חדא מה תהא אמר רבי יוסי גופא בתראה יקום דאתנטע ואצלח ונטל שרשו כדקא יאות *Dicit R. Ezechia*: *Si omnia corpora reſurgent*, *& expergiſcentur* , *quæ per unam animam ſunt plantata*, *quodnam ex illis erit*, *quod ſcilicet animæ reunietur? Ultimum*, *dicit R. Joſe*, *reſurget*, *quia illud fuit plantatum* , *proſpere egit* , *& extendit radi-*

ces suas, sicut omnino rectum est. Kimchi de Elia *Malach.* IV. 5. ישב נשמתו שעלתה לשמים אל גוף נברא כגופו הראשון כי גופו הראשון שב אל הארץ לעלות כל יסודו *Faciet Deus ut anima ejus, quæ ascendit in cœlum revertatur in corpus, quod creabit, ut prius illud corpus fuit: Prius enim illud corpus, ipso adscendente, conversum est in terram;* & *unumquodque elementum rediit ad suum elementum.* Idem ad Psal. 104. 30. אמרו קצת חכמי השחקר כי כל ימי אחרי מות יקום כי הנפשות הם עתידות להתגלגל ולחזור לעולם אבל אינן חוזרות אל החומר הראשון כמו אותו החומר בעצם ויהיה זה תמיד אלפי שנה וגדולי הפילוסופים אומרים כי לא תשוב הנפש אל הגוף לעולם *Dixerunt quidem ex sapientibus scrutationis, omne vivens, postquam mortuum est resurrecturum propterea quod futurum sit, at animæ circumvolvantur, & redeant in mundum; attamen non redeunt ad materiam primam, sicut ipsa materia in se est; & hoc juge futurum est, & fiet per aliquot mille annos: Sed maximi ex philosophis dicunt quod animæ in æternum non redeant in corpus. Bechai* ad *Deut.* XXXIII. 6. יחי ראובן ואל ימות הזכיר יחי על חיי העולם הבא ואל ימות שלא ישוב משם עוד בגוף למות מיתה שניה וזהו שתרגם אונקלוס עד ומותא תנינא לא ימות אם יכופר העון הזה לכם עד תמותון זו מיתה שניה וכן יונתן אם ישתכיר חובא הדין לכון עד דתמותון מיתא תנינא וילדה כדון ארקדוס והרחוב באור בלשון שאמר לחיי עלמא ומותא תנינא לא ימות כיון לומר כי משה התפלל השבט שיזכה לחיות חיי עד ולא ישוב משם עוד בגוף למות מיתה שניה וכן תמצא בדוד מפורש שהזכיר בענין הנשמה הרבים הבאים לא לאחר מיתה סליחת עופות רפואת תחלואים בגלגולה נאורה שתתחה יורה שתעבור בשחת אבל הוא ינלגלנה אחר התעטרותה במדות שובע שמחות בזיו השכינה זהו שאמר הסלח לכל עונכי הרופא לכל תחלואכי הגואל משחת חייכי המעטרכי חסד ורחמים המשביע בטוב עדיך תתחדש כנשר נעוריכי וחמשה תועלות הן שהזכיר בתוספת יודין זה חמשה כנגד חמשה דברים שנמשלה בהן הקדוש ברוך הוא וכנגד חמשה שמות שיש לה. Vivet Ruben & non morietur. *Dixit:* Vivet; *quod victurus sit vita seculi futuri;* & non morietur. *Quod non sit amplius rediturus in corpus, ut moriatur morte secunda: & hoc modo interpretatus est. Onkelos:* & morte secunda non morietur. *Itaque quod dicitur.* Si expiabitur vobis iniquitas hæc donec moriamini; *intelligendum de morte secunda: Et sic Jonathan vertit:* Si remittetur vobis debitum hoc, usque dum moriamini morte secunda. *Quod etiam intendit* Onkelos, *dum quadam sermonis amplificatione, & exegesi de vita mundi loquitur:* & morte secunda non morietur: *Nimirum id dicere intendit, Mosen pro tribu orasse, ut haberetur digna quæ viveret vita æterna, & non reverteretur amplius inde in corpus ad moriendum secunda morte. Id invenies a Davide expositum, quum commemoravit eas res, quæ animæ obvenire solent post mortem, ut sunt remissio iniquitatum, sanatio infirmitatum in revolutione ejus, & redemtio de fovea: Nec hoc docet, eam transiturum esse per foveam, sed exacta revolutione, coronatam virtutibus, saturatum iri lætitia, idque splendore majestatis divinæ. Et hoc vult, quum dicit:* Qui remittit omnes iniquitates tuas, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de fovea vitam tuam, qui coronat misericordia, & miserationibus, qui satiat bonis os tuum, & renovatur, ut aquilæ, juventus tua. *Quæ sunt quinque utilitates illæ, quas in memoriam revocavit litera jod quinquies per paragogen addita. Nam quinque jod ponuntur pro quinque rebus, quibus Deus S. B. animæ comparatur, & pro quinque nominibus, quæ ipse habet.* Idem ibid. וכל דרך הקבלה יחי ראובן ואל ימות הזכיר יחי על חיי העולם הבא ואל ימות שלא ישוב משם עוד בגוף למות מיתה שניה וזהו שתרגם אונקלוס עד ומותא תנינא לא ימות ונלרה לנו בזה כי הנשמות מתגלגלות לשוב בגוף אחר שקבלו שכרם וענשם בגן עדן או בגיהנם וזה ידוע ומקובל כי כשם ששמטיה העולם חוזרות כן הנשמה אחר שקבלה שכרה בגן עדן או עונשה בגיהנם הנה היא חוזרת אחר זמן בגוף לקבל הראוי לה במדה כנגד מדה והגלגל הזה הנקרא אצל רז״ל תחית המתים. *Ex traditione illud:* Vivet Ruben, & non morietur: *sic est interpretandum; ut* τὸ vivet *de vita seculi futuri, sed* τὸ & non morietur, *ita accipiatur, quod non sit rediturus inde in corpus, & moriturus morte secunda, sicut exposuit* Onkelos *in Targum:* Et morte secunda non morietur: *Quo ipso nobis revelavit, quod animæ revolvantur, & redeant in corpus postquam acceperant mercedem suam, & etiam mulctam vel in horto Edem vel in Gehenna. Et hoc cognitum, ac per traditionem acceptum est, quod sicut intermissiones mundi redeunt, atque revolvuntur; sic anima postquam accepit vel mercedem in horto Eden, vel mulctam in Gehenna, ipsa etiam post aliquod tempus redeat in corpus, ut accipiat quod ipsi conveniens est, mensuram pro mensura. Et hæc revolutio illa est, quæ apud Rabinos nostros f. m. revivifica-*

catio mortuorum appellatur. Sed clarius *Elias* in Thisbi. אומרים בעלי הקבלה גלגול הנשמות ודעתם שכל נשמה ונשמה נבראת שלשה פעמים רוצה לומר שהיא מתגלגלת בגופי שלשה בני אדם ולוקחין סמך מפסוק הן כל אלה יפעל אל פעמים שלש עם גבר וכן אומרים שנשמתו של אדם הראשון נתגלגלת בגוף של דוד המלך ומדוד תגלגל בגופו של משיח וכן אמרו שהנשמות של בעלי עבירות יתגלגלו בגופו בעלי חיים כל אחד לפי עונו כגון מי שבא על הזכר שמתו תתגלגל בארוכה לפי שהוא רובע ונרבע ומי שבא על אשת איש נשמתו תתגלגל בגמל לפיכך אמר דוד אשירה להשם כי גמל עלי פירוש אשירה לך ואודך כאשר העברת חטאתי ותצלח נפשי מן הגמל. *Autores cabalistici dixerun de revolutione animarum; quorum opinio est, unamquamque animam tribus vicibus creari; volunt dicere, quod ea volvat se per corpora trium filiorum hominis; Et locus scripturæ unde probant, iste est:* Ecce omnia ista operatur Deus cum homine tribus vicibus. *Unde sic dicunt, quod anima primi hominis volutaverit se in corpus David regis, & inde reversura sit in corpus Messiæ, idque significari per literas quæ sunt in voce* אדם, *quarum unaquæque integram dictionem constituit, Adam, David, Messias. Sic quoque dixerunt, quod animæ hominum prævaricatorum migrent in corpora animalium, uniuscujusque animam secundam id quod peccavit. E. g. qui rem habet cum masculo; anima ejus, inquiunt, migrat in leporem, quod is, scilicet in coitu modo marem, modo foemellam agit; qui vero rem habet cum alterius uxore, anima ejus in camelum migrat; Hinc est quod David dicit.* Cantabo Domino כי גמל עלי: *exponitur: Cantabo tibi & confitebor tibi, quia abstulisti peccatum meum, & liberasti animam meam de camelo.*

V. Angelos credebant, contra id quod docebant Sadducæi *Act.* XXIII. 8. μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτι πνεῦμα, & primo die creationis fuisse creatos, uti testatur *Abarbanel* ad *Pentat.* f. 21. col. 4. האם נאמר כמו שחשבו אנשים מה מהעניינים שאין שם שכלים נבדלים מחומר כי הם הסבה הראשונה יתברך ושהוא לבדו מניע הגלגלים כלם והיה הכדור מתנועע אחד והמניע אחד הנה זה מלבד שהוא שיקר כפי הענין האמיתי הוא כפירה כפי התורה שפרסמה מציאות המלאכים בסופרי האבות ובהגדת הנבאות לנביאים ובדברי דניאל נקבו בשמות גבריאל ומיכאל וקבלו חכמים זכרונם לברכה שהם נבראו בתחלת הבריאה ביתר הדברים הנבראים כלם שהרי כתיב הללוהו כל מלאכיו כי הוא צוה ונבראו וכן אמר בתורה ויכלו השמים והארץ וכל צבאם כי בכלל צבא השמים הם השכלים המניעים אותם וכמו שאמר ראיתי את יהוה יושב על כסאו וכל צבא השמים עומדים עליו מימינו ומשמאלו שהם המלאכים ועליהם אמר ישעיה עליו השלום אנכי עשיתי ארץ ואדם עליה בראתי אני ידי נטו שמים וכל צבאם צויתי ובנבואת זכר ישעיה גם כן שרפים עומדים ממעל לו שקרא המלאכים בשם שרפים לפי שהיה שליחותם לשריפה כמו שאמר והבית ימלא עשן ואיך אם כן נכחיש מציאותם והגרמים השמימיים קצרה התורה בספור עניניהם אבל על כן פירש העידה בכלל בריאתם *Quod si dicatur, ut cogitant Theoretici quidam, quod non dentur ibi intellectus separati a materia, sed quod causa sit Deus, qui solus moveat orbes cœlestes omnes, & quod detur unica sphæra mobilis, unicusque motor: Ecce præter quod falsissimum sit, si ad veritatis trutinam expendatur, etiam ex lege illud refelli potest, quæ clare meminit existentiæ Angelorum in historia patrum, & in enarratione vaticinii prophetarum. Quinimo in Daniele exprimuntur nominatim Gabriel & Michael. Docuerunt igitur sapientes nostri f. m. quod Angeli creati sint creationis initio, veluti reliqua omnia entia creata, quia scribitur* Psal. 148. 2. 5. Laudate eum omnes Angeli ejus, quoniam ille præcepit, & creati sunt: *Propterea etiam ait in Lege* Genes. II. I. Et perfecti sunt cœli & terra, & omnis exercitus eorum. *Itaque sub generali nomine exercitus cœli continentur quoque intellectus separati utpote motores illius* q. d. I. Reg. XXII. 19. Vidi Dominum sedentem super thronum suum, omnemque exercitum cœli stantem juxta eum a dextra ejus, & a sinistra ejus *Et intelliguntur Angeli, de quibus itidem* Isaias *super quo sit pax* XLV. 12. Ego feci terram, & hominem super eam creavi, ego, & manus meæ tetenderunt cœlum, & omni exercitui ejus præcepi. *Similiter in Prophetia meminit* Isaias VI. 2. Seraphim stantes super illud. *Vocat ille Angelos nomine Seraphim eo quod emittuntur per ignem;* Isaias VI. 2. & domus repleta est fumo. *Quomodo ergo negaretur existentia illorum? Etenim corpora cœlestia breviter complectitur lex, sicubi de illis agit. Atque hactenus expositio illa, quæ testatur generaliter creationem illorum.* In *Manassis* ben Israel problem. XXII. varii ordines Angelorum recensentur. Primus est שכלים נבדלים מחומר *Intelligentiarum a materia separatarum*, quales sunt, *Michael, Gabriel, Raphael, Uriel*. Illi autem qui sunt ex hoc ordine non possunt comprehendi corporeis sensibus, sed solum in prophetica visione. Nullus istorum Angelorum un-

unquam visus fuit prophetis; sed tantummodo ab iis, quando in apparitionibus istis intellectus eorum elevabatur ad spiritualem contemplationem, vox Angelorum audita est: secundus gradus est מלאכי השרת *Angelorum ministerii*. Hi sunt legati & ministri, quos condidit Deus ad regendum mundum, id est eos qui sanctimoniæ & pietati operam dant, idcirco *Psal.* 91. 11. dicitur. *Angelis suis præcipiet de te, ut te custodiant in omni via.* Tales nonnunquam visibiles formas assumsere, & apparuerunt prophetis. Tertius gradus est spirituum sublunarium, qui sunt ministri & executores divinæ iræ & justitiæ. Hi appellantur מלאכי הקבלה *Angeli damni, & alio nomine* מלאכי המות *Angeli mortis*, uti etiam שטנים ומזקים id est *Tortores & carnifices*. Nam illi sumunt de malis supplicia, & assidue inquirunt in hominum peccata. Isti novissime in *Erubbin* cap. 11. in רוחין שדין ולילין dividuntur. Inter novissimos recensentur, quos ex Adamo & Lilisa genitos fuisse Judæi fabulantur. *Erubbin* l. c. אמר ירמיה בן אליעזר כל אותם השנים שהיה אדם הראשון בנדוי הוליד רוחין ושידין ולילין שנאמר ויחי אדם שלשים ומאת שנה ויולד בדמותו בצלמו מכלל דעד האידנא לא אוליד בדמותו *Dicit R. Hieremia ben Elieser Omnibus illis annis, quibus primus homo fuit in anathemate, genuit spiritus, dæmones, & spectra nocturna. Dictum est enim:* Et vixit Adam triginta & centum annos, & genuit in similitudine sua, in imagine sua. *Hoc docet quod ad hoc usque tempus non genuerit in similitudine sua. Jarchi* ad h. l. כל מאה ושלשים שנה שפירושה חוה מאדם רוחות הזכרים היו מתחממים ממנה והיא יולדת מהם ורוחות נקבות מתחממות ומולידות ממנו הלא הוא אשר בהעותו והוכחתיו בשבט אנשים ובנגעי בני אדם. *Singulis centum & triginta annis, quibus segregata erat Eva ab Adam spiritus mares cum illa concubuere, & ipsa peperit ex illis; spiritus autem fœminini generis concubuere cum Adam, & peperere ex illo: Illud ipsum est, quod dicitur* 2. Sam. VII. 14. Quem perverse agendo eum, & arguam eum in via virorum & in plagis filiorum hominis. *Jalkuth* ad l. c. ובנגעי בני אדם זה אשמדאי שדחהו ממלכותו והשני בני אדם הראשון הם שכל מאה ושלשים שנה שפירשה אדם מאשתו במות הבל היו הרוחות מתיחמות ויולדות הימנו. Et in plagis filiorum Adam: *h. e. Asmodæorum qui pepulerunt ipsum e regno suo: Nam filii primi hominis fuere Dæmones, quoniam omnibus centum ac triginta annis, quibus separatus erat Adam ab uxore sua propter mortem Abel, spiritus fœmellæ commixtæ sunt cum eo, & inde pepererunt.* Glossa ad *Psal.* 89. 3. ופקדתי בשבט פשעם כך אמר לו נתן הנביא על שלמה אשר בהעותו והוכחתיו בשבט אנשים זה רזון בן אלידע שעמד לשטן לו ובנגעי בני אדם זה אשמדאי Visitabo in virga iniquitates illorum: *Ita dicit ei Nathan propheta super Salomone* 2. Sam. l. c. Quem in perverse agendo eum, & arguam eum in virga virorum: *Hic est Reson filius Acliadha, qui stetit ei in adversarium* 1. Reg. XI. 23. & in plagis filiorum Adam: *Hi sunt Asmodæi*. Verum *Abarbanel*, cum puduerit fabularum sociorum suorum, allegorice conatur exponere in *Pentat.* fol. 38. col. 4. אבל אמרו שדין ורוחין ולילין על הבנים והבנות שהוליד אדם קודם שת כי היו קין שד כפי רשעתו ומעשיו והבל היה רודף רוח כרדיפה הכבוד והתאוה וההנהגה *Verum vocant dæmones & spiritus, & spectra filios & filias, quas Adam genuit ante Seth, quoniam Kain fuit dæmon respectu impietatis suæ, & operum suorum: Abel autem spiritum sectatus est, sc. gloriam, & desiderium, atque imperium.* Asserunt Angelos excidisse e cœlo, & concubuisse cum filiabus Kain, atque ex iis genitos fuisse dæmones & gigantes: In numero, & nominibus eorum non conveniunt. R. Eliefer l. c. vocat עזא ועזאל *Asa & Asael Juchasin* מחזאל *Machasael*. *Jonathan* Targumista שמחזאי ועזאל *Schamchosai & Asael* Gen. VI. 4. Perusch Thargum in h. l. הנפילים שמחזאי ועזאל פרוש שנו מלאכים שנפלו ממקום קדושתן מן השמים כמו זכר ביומא Gigantes, *Schamchosai, & Asael, explic. Duo Angeli sunt, qui cecidere e loco sanctitatis suæ de cœlo, ceu memoratur in* Joma f. 3. col. 2. *Raschi* in *Num.* XIII. 24. f. 164. col. 2. הנפילים ענקים מבני שמחזאי ועזאל שנפלו מן השמים בימי דור אנוש. Gigantes *Anachim sunt de filiis Schamchosai, & Asael, qui e cœlo ceciderunt tempore Enosch*. In fragmento *Chanoch* viginti recensentur: 1. Semixas. 2. Atarkuph. 3. Arakiel. 4. Chababiel. 5. Orammame. 6. Rhamiel. 7. Sapsich. 8. Zakiel. 9. Balkiet. 10. Azalzel. 11. Pharmarus. 12. Amariel. 13. Anagemas. 14. Thausael. 15. Samiel. 16. Sarinas. 17. Eumiel. 18. Tyriel. 19. Jamiel. 20. Sariel.

CAPUT V.

I. De traditionibus Pharisæorum. II. De lotione manuum, de lotione a foro, de lotione poculorum &c.

I. TRaditiones suas vocant תורה בעל הפה sc. legem oretenus datam, & *νόμον ἄγραφον*, i. e. legem non scriptam, quam æquant, immo præferunt legi scriptæ, utramque a Mose in monte Sinai traditam gloriantes: Vocantur etiam *παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων*, קבלה חכמים doctrina accepta a sapientibus, & *δευτερώσεις*, quæ משנה Hebraicæ dicitur, unde בעלי משנה, qui & תנאים deuterotæ; & sæpe dicunt תנו חכמים או רבנן *ἐδευτέρωσαν οἱ σοφοὶ ἤτοι οἱ διδάσκαλοι ἡμῶν*. *Epiphanius*: *αἱ τῶν πρεσβυτέρων παραδόσεις, δευτερώσεις παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις λέγονται*. De his magna inter Pharisæos & Sedducæos contentio. *Josephus* orig. XIII. cap. 18. *νῦν δὲ δηλῶσαι βούλομαι ὅτι νόμιμα πολλά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ φαρισαῖοι ἐκ πατέρων διαδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωυσέως νόμοις, καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα τὸ Σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγον ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα γεγραμμένα, τὰ δ᾽ ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν*. *Nunc vero ostendere est animus Pharisæos multa legitima tradidisse populo ex patrum continuata traditione, quæ in legibus Mosaicis scripta non sint, quæque proinde Sadducæorum genus rejiciat, asserens ea demum censenda legitima esse, quæ scripta sunt, quæ vero ex traditione Patrum sunt, omnino non servanda. Gorionides* c. 19. הנה הפרושים היו אומרים נשמור התורה אשר מסרו אבותינו בידינו מפורשת על פי החכמים אשר פרשו את התורה לקבלה והנה אצדוקים אומרים לא נאמין ולא נשמע לכל מסורה ולכל פירוש כי אם לתורה משה לבד: *Ecce Pharisæi dicebant: Servemus legem, quam tradiderunt patres nostri in manus nostras expositam per os sapientum, qui exposuerunt legem per traditionem: Et ecce Sadducæi dicebant: Ne credamus, & ne audiamus ullam traditionem, aut ullam expositionem, nisi legis Mosis solam. Hieronymus* in comentar. ad *Isai.* 59. *Contemnentes legem Dei, & sequentes traditiones hominum, quas illi δευτερώσεις vocant*. Et *Ezech.* 36. *Juxta Judaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant*: Et *Epistola* ad Damascum: *Ne videremur aliquid præteriisse eorum, quas Judæi δευτερώσεις vocant, justitiam præferebant*. Et *Epistola* ad Algasiam quæst. x. *Videntur igitur observationes Judaicæ apud imperitos, & vilem plebeculam imaginem habere rationis, humanæque sapientiæ, unde & doctores eorum σοφοὶ h.e. sapientes vocantur. Etsi quando certis diebus traditiones suas exponunt discipulis suis, solent dicere οἱ σοφοὶ δευτεροῦσιν, sapientes docent traditiones*. Si traditiones Judæorum fabulæ fuerint, cur dictum est *Matth.* XXIII. 3. *Super cathedra Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite?* Dicendum est omnia quæ Scribæ & Pharisæi dicebant in cathedra super qua sedebant, & ex ipsius cathedræ vi dicebant, servanda & facienda fuisse, i. e. quæ publica, legitimaque potestate, & autoritate, & ex hujus vel impulsu vel influxu, seu directione docebant, explicabant, jubebant, ac vetabant, & omnia fuisse ab omnibus recipienda: Quæ vero privata sua opinione, ac judicii suorumque pravitate sive domi, sive in scholis docerent, non audienda fuisse, sed ab eorum tanquam vitioso fermento fuisse cavendum. Optime *Augustinus* lib. IV. de doctrina Christiana cap. 27. *Quoniam boni fideles non quemlibet hominem, sed ipsum Deum obedienter audiunt qui ait;* quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite: Dicunt enim & non faciunt; *ideo audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non agunt. Sua enim quærere student, sed sua docere non audent: de loco scilicet superiori sedis Ecclesiasticæ quam sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominis, priusquam de talibus, quod commemoravi diceret, præmisit* super cathedram Moysi sederunt. *Illa ergo cathedra non eorum, sed Moysis cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua; docere autem sua cathedra illos non permittebat aliena:* Lib. VI. contra Faustum cap. 29. *A malorum moribus imitandis cohibet Dominus suos dicens:* Super cathedram Moysis sedent Scribæ & Pharisæi; quæ dicunt facite; quæ autem faciunt facere nolite; dicunt enim & non faciunt. *In quibus Dominicis verbas utrumque debetis advertere, & quatenus honor delatus sit doctrinæ Moysis, in cujus cathedra etiam mali sedentes bona dicere cogebantur*. Epist. 166. *Cœlestis magister cavendum præmonuit, ut etiam de propositis malis plebem securam faceret, ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra desereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere: Neque enim sua sunt, quæ dicunt, sed Dei qui in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis*. In *Psal.* XXXVI. conc. 3. *Vides quia in cathedra Moysis, cui successit*

cessit cathedra Christi, sedent & mali, & tamen dicendo bona non obsunt auditoribus: Quare tu propter malos ipsam cathedram dimisisti. Vid. etiam epist. VII. & alibi. *S. Chrysostomus* homil. XXI. in I. *Corinth.* & in *Galat.* I. & homil. 3. *Colos. Quid prodest, quod nos suscipitis, & non auditis ea, quæ a nobis dicuntur? Quid lucri ad vos redit, si non colitis, & non attenditis ea, quæ vobis dicuntur? Ille est nobis honor, ille cultus est admirandus, qui vobis, & nobis prodest, si nos audiatis: Audite & Paulum dicentem:* Nesciebam fratres, quod sit pontifex. *Audi & Christum dicentem.* Omnia quæ dixerint vobis, ut servetis, servate & facite. *Non me contemnis, sed sacerdotium. Si me eo videris nudatum, tunc me contemne. Tunc nec ego sinor imperare. Quandiu autem in hac sede sedemus, quandiu habemus præsidentiam, habemus & autoritatem & virtutem, etiamsi simus indigni. Si Moysis thronus erat adeo venerandus, ut propter illum audirentur, multo magis Christi thronus. Illum nos accepimus. Ex eo loquimur, ex quo Christus quoque in nobis posuit ministerium reconciliationis. Legati quicunque ii fuerint, propter dignitatem legationis multum honorem assequuntur: Vide enim: Veniunt in mediam barbarorum regionem soli inter tot hostes: Et quoniam magnam vim habet jus legationis, omnes eos honorant, omnes eos intuentur, omnes eos tuto emittunt; Et nos ergo suscipimus jus legationis, & a Deo venimus: Hæc est enim dignitas Episcopatus: Venimus ad vos legatione fungentes, rogantes ut bello finem imponatis, & dicimus quibusdam conditionibus, non civitates vobis daturos pollicentes, neque tot & tot frumenti modios, naque mancipia, neque aurum, sed regnum cœlorum, vitam æternam, cum Christo consuetudinem, & alia bona, quæ neque a nobis verbis possunt exprimi, neque a vobis audiri, quandiu fuerimus in hac carne, & vita præsenti. Legatione ergo fungimur; honore autem frui volumus, non propter nos, absit; scimus enim quam sit vilis, sed propter vos, ut vos quæ dicimus, diligenter audiatis, ut utilitatem accipiatis, ut non cum socordia & negligentia, ea quæ dicuntur, attendatis: Non videtis, quomodo legatos cuncti circumstant, & observant. Nos autem Dei legationis munus obimus apud homines: Qui hæc autem effecimus, non sumus nos, sed ipse Episcopatus; non iste aut ille, sed Episcopus: Nemo me audiat, sed dignitatem: Omnia ergo faciamus, ut Deo videtur, ut vivamus ad Dei gloriam, & digni habeamur bonis promissis iis, qui ipsum diligunt, gratia & benignitate Domini nostri Jesu Christi.*

II. *Origenes* περὶ ἀρχῶν lib. IV. c. 2. *Traditiones proferunt de Sabbatho dicentes unum cuique locum suum reputari intra duo millia ulnarum. Alii vero, ex quibus est Dosithæus Samaritanus, notant quidem hujusmodi expositiones, ipsi autem ridiculosius aliquid statuunt, quod unusquisque quo habitu, quo loco, quo positione in die Sabbathi fuerit inventus, ita usque ad vesperam debet permanere, i. e. vel sedens ut sedeat tota die, vel si jacens, ut tota die jaceat: sed & quod erit, non levare onus die Sabbathi, impossibile mihi videtur: Ex his enim ad fabulas infinitas Judæorum doctores devoluti sunt, dicentes non reputari onus, si calceamenta quis habeat sine clavis; onus vero esse si caligas quis cum clavis habuerit: Et siquidem supra unum humerum aliquid portaverit onus judicant, si vero supra utrumque, negabant esse onus. Hieronymus* epist. ad Algasiam. *Quia jussum est ut diebus Sabbathorum sedeat unusquisque in domo sua & non egrediatur, neque ambulet de loco ubi habitat, si quando eos juxta literam cœperimus arctare, ut non jaceant, non ambulent, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta servare, solent dicere; R. Akiba, & Simeon, & Hillel magistri nostri tradiderunt nobis ut bis mille pedes ambulemus in Sabbatho, & cetera istiusmodi doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei. Non quod dicamus sedendum semper esse in Sabbatho, & de loco, in quo fuerit occupatus, non recedendum, sed quod id impossibile legis est, in quo infirmatur per carnem, spirituali observatione complendam est.* Vide in hoc Opere tractatus jam editos de *Sabbatho* & de *Commixtionibus Sabbathicis*.

Apostoli accusantur a Pharisæis, quod evellerent spicas in Sabbatho *Matth.* XII. 2. *In illo tempore abiit Jesu per sata Sabbatho; discipuli autem ejus esurientes, cœperunt vellere spicas, & manducare: Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbathis.* Vid. *Mar.* II. 12. *Luc.* VII. I. *Maimonides* Schabb. c. 8. קוצר גרוגרת חייב ותולש תולדות קוצר. *Metens Sabbatho vel tantillum reus est, & vellens spicas est species messionis: Et quicunque aliquid decerpit e germinatione sua, reus est sub nomine metentis.* Reprehenditur Christus servator, quod in Sabbatho hominis manum aridam sanaverit. *Matth.* XII. 10. *Et cum inde transisset venit in Synagogam eorum, &* ecce

ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum dicentes: Si licet Sabbathis curare? Ut accusarent eum. Ipse autem dixit illis. Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc Sabbathis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet Sabbathis benefacere: Tunc ait homini: Extende manum tuam; & extendit: Et restituta est sanitas, sicut altera. Vid. *Mar.* III. 21. *Luc.* VI. 6. Licet hoc permissum sit ex eorum constitutionibus. *Tanchum* fol. 9. col. 2. *Periculum vitæ pellit Sabbathum: dicunt sapientes nostri, nec non circumcisio, & illius sanatio.* Iterum reprehenditur *Joh.* IX. 63. quod cæcum in Sabbatho sanaverit: *Hæc cum dixisset expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus.* Et mox. *Erat autem Sabbathum, quando lutum fecit Jesus, & aperuit oculos ejus. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis. Lutum mihi posuit super oculos, & lavi, & video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo a Deo, qui Sabbathum non custodit. Schabb.* fol. 108. col. 2. *Unus dicit: Vinum in medium oculi injici probibitum, poni super palpebras licitum: Alter dicit: Sputum etiam super palpebras poni probibitum. Maimonides Schabb.* cap. XXI. *Non indunt vinum in oculum Sabbatho, at ponunt in supercilia. Verum non licet salivam insulsam ponere vel super palpebras.* Non licuisse repugnare contra hostes in Sabbatho constat ex I. *Maccab.* II. 32. *Et statim perrexerunt ad eos, & constituerunt adversus eos prælium in die Sabbathorum, & dixerunt ad eos: Resistitis & nunc adhuc? Exite & facite secundum verbum regis Antiochi, & vivetis: & dixerunt: Non exibimus, neque faciemus verbum regis, ut polluamus diem Sabbathorum. Et concitaverunt adversus eos prælium: Et non responderunt eis, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilaverunt loca occulta, dicentes: Moriamur omnes in simplicitate nostra; & testes erunt super nos cœlum & terra, quod injuste perditis nos. Et intulerunt illis bellum Sabbathis, & mortui sunt ipsi, & uxores eorum, & filii eorum, & pecora eorum, usque ad mille animas hominum.* Quod tamen postea mutatum est. Ibid. *Et dixit vir proximo suo. Si omnes fecerimus, sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris, & justificationibus nostris, nunc citius disperdent nos a terra. Et cogitaverunt in die illa dicentes: Omnis homo, quicunque venerit ad nos in bello die Sabbathorum, pugnemus adversus eum, & non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.* Hoc factum autore Mattathia Hasmonæo scribit *Josephus* Orig. lib. XII. 8. *At ille docuit eos pugnandum etiam Sabbathis. Gorionides* fol. 36. col. 1. *Matthathias docuit Israelem pugnare in Sabbatho.* 3. Vide reliqua quæ spectant Sabbathum, in supracitatis tractatibus de *Sabbatho* & de *commixtionibus Sabbathicis*.

III. Frequenter jejunabant *Matth.* IX. 14. *Luc.* V. 33. *Hierosf. Kilaim. R. Jose jejunavit octoginta jejunia, & R. Simeon ben Lachisc trecenta eo fine, ut viderent R. Chajah Rabba.* Rabi Zadoch per quadraginta annos jejunavit a tempore sc. quo sponte apertæ sunt portæ templi, quod erat indicium venturi excidii *Juchasin* fol. 59. *De R. Josua ben Anania dicunt, quod omnibus diebus vitæ suæ* הו שחרו פניו מפני תעניות *nigra fuit facies ejus præ jejuniis. Babyl. Sotab* fol. 12. 1. *Quare vocatur nomen ejus Asbur?* 1. Paral. IV. 5. שהושחרו פניו *quia nigra fuit facies ejus præ jejunio.* Deformabant facies suas in jejuniis: *Matth.* VI. 16. Αφανίζουσι τὰ πρόσωπα αὐτῶν. *Taanith* cap. 2. *In publicis jejuniis accipit unusquisque cineres, ac imponit capiti suo.* Præcipue bis in hebdomada jejunabant; uti dicitur *Luc.* XVIII. 12. *Jejuno bis in Sabbatho. Babyl. Bava Kama* fol. 82. 2. *Ezra decrevit decem decreta. Instituit publicam legis lectionem diebus hebdomadis secundo & quinto; iterumque Sabbatho ad Mincha; instituit sessionem judicum in civitatibus; diebus hebdomadis secundo & quinto &c. Hierosol. Megillah* fol. 75. 1. *Rationem quare de die secundo & quinto decretum est, si quæras, respondendum est ex eo* (inquit Glossa) *quod dicitur in Midras de Mose, quod sc. adscendit in montem ad tabulas secundas recipiendas die hebdomadis quinto, descenditque pacato jam Deo, die hebdomadis secundo. Cum tempus gratiæ asset ascensio, ita ac descensio, de diebus secundo & quinto sic statuerunt. Ideoque etiam die secundo & quinto jejunare sunt soliti.* In *Megillah Taanith. Decreverunt doctores nostri f. m. jejunandum esse diebus secundo & quinto propter tria, videlicet ob destructum templum, ob legem conflagratam, & ob probrum Divini nominis.* Cetera, quæ spectant jejunium, vide tractatum *Taanith* Gemara Hierosolymitana illustratum, & Tosaphta *Taanith* jam edita in hoc opere. Austerissimum vitæ genus sectabantur, ut populo pii viderentur.

IV.

IV. De lotione manuum *Marc.* VII. 3. ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψονται. Quod varie interpretatur: *Vulgata* & *Erasmus crebro* i. e. πυκνῶς; ut sit adverbium & valeat *crebro sedulo*, ac *diligenter*, ducta metaphora a pugilum pugna quæ πυγμὴ dicitur, in qua sæpe & magna cum diligentia pugni jactantur; ita ut πυγμῇ aliquid agere, sit iterato sæpe, ac enixe agere: Lexicon Græco-Latinum vetus πυγμὴ *dimicatio*, *pugna*; & Latino-Græcum; *pugna* μαχὴ πυγμή. Videmus apud veterum quendam cognatam huic vocem πὺξ adverbiascere: οἱ δὲ φράγγοι ἵνα ἐσκηνημένοι ἐτύγχανον πύξ-τε καὶ ἐπιπολὺ βόθρους ὀρύξαντες ταύτῃ ἀσφαλέστατα ἔμενον: Hincque concludit contra *Bezam Casaubonus*: *Sane non magis isto loco* πυγμῇ νίψασθαι *pugno lavare censuerim*, *quam in superiori loco* πὺξ ὀρύξαντες *pugno fodientes:* Quod videtur confirmari a Syro in quo *lavare btiloith* est, uti *Luc.* I. 39. *abire btiloith* μετὰ σπουδῆς. Alii: *Nisi pugno laverint*. *Exod.* XXI. 18. באגרף LXX. πυγμῇ. *Hieronymus pugno*. *Isai.* LVIII. 4. באגרפין LXX. πυγμαῖς; *Hieronymus pugnis*. Est autem אגרף manus in digitos contracta; unde בעלי אגרף, qui pugnis valent. Quod consonum est Judæorum consuetudini, ac traditioni. *Jadaim* II. 3. ידים מטמאות ומיטהרות עד הפרק. *Manus polluuntur*, & *mundificantur usque ad juncturam lacerti*. *Cholin* fol. 106. *Lotio manuum* לחולין עד הפרק *quoad res comunes* (vel ad cibum communem) *erat usque ad juncturam lacerti*. *Et mundificatio manuum*, & *pedum in templo erat usque ad juncturam*. פרק inquit *Aruch est ubi distinguitur brachium a manu*. Glossa in *Jadaim* l. c. *Aquæ secundæ mundificant*, *quicquid manuum laverant aquæ primæ at vero si aquæ primæ excesserant ultra juncturam lacerti*, *aquæ secundæ non mundificant*, *quoniam non mundificant ultra juncturam*; *si ergo redeant aquæ*, *quæ juncturam excesserunt in manus iterum*, *immundæ sunt*. *Scaliger* cap. VII. Trihær. πυγμῇ νίπτεσθαι (*inquit*) ex *Marc.* VII. 3. ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι. *Syrus* reddidit *btiloith*, accurate diligenter. Arabicæ duæ diversæ paraphrases omittunt; tertia ab illis diversa exponit *sæpissime*, ex interpretibus Græcorum, qui πυγμῇ pro eo quod *Homero* πύκα id est *frequenter* accipiunt: Inde infimæ vetustatis Christiani scriptores πὺξ & πυγμῇ pro eodem usurpant, i. e. *sæpissime*. Certe verum esse eo verbo diligentem, & accuratam lotionem significari: Non tamen hoc est originem veram referre. Docti viri adducunt huc ex ritualibus Judæorum, quæ quamvis ad rem faciunt, non tamen ritum exponunt. A Judæo quovis etiam Judaismi imperito, si quæratur quid sit נטילת ידים *elevatio manuum* χειρολουσία, respondebit statim quid sit. Judæus lotioni manum operans quinque digitorum ἄκρα inter se jungit, & quum extremitates digitorum sic inter se commiserit, inde fit, ut manus in pugni speciem collecta sit, non tamen ut verum pugnum, qui Græcis πυγμὴ καὶ γρόνθος dicitur, faciat, sed πυγμῇ, vocatur, quia aliud nomen reperiri non potuit; πυγμὴ enim proprie est manus compressio digitis quatuor in volam inclusis, solo pollice in indicem incumbente: Hoc vero manus schema colligitur pollicis ungue cum quatuor digitorum summitatibus conjuncto. Cum igitur manus sic confirmatæ fuerint, attolluntur, ita ut aqua, quæ inter lavandum manibus hæserit, una cum sordibus per exteriores partes manuum ad cubitum usque defluant, & mox manibus eodem schemate manente terram versus pronis dimissis, ab cubitis in terram decidant: Itaque in lotione manuum tria fiunt; lavantur manus ita ut omnes sordes eluantur; componuntur deinde in pugnum, postremo elevantur, & demittuntur. Inde vides quare elevatio manuum vocata sit accurata illa χειρολουσία, qua ab antiquis usque temporibus hactenus utuntur Judæi. Sordes autem, & siquæ in manibus adhuc cum aqua adhæserint, vocantur חוצצי טבילה τὰ λεπτὰ τῆς λούσεως. Quare πυγμῇ νίπτεσθαι non est pugno in cavum manus alterius immisso defricari, quod putant viri docti; Hoc enim sane fiebat; sed est elevatio manuum in pugni figuram compositarum. Hactenus *Scaliger*. Quanti facerent lotionem manuum disce ex *Erubbin* fol. 21. 2. *Historia est de Rabi Akiba*, *quod erat vinctus in carcere*, & *ministrabat ei Rabi Josua lector*. *Attulerunt ei in dies aquam per mensuram*. *Die quodam occurrit ei custos carceris*, & *dicit ei*. *Hodie nimium aquæ habes*: *Effudit dimidium*, & *dedit ei dimidium*. *Cum perveniret ad R. Akiba*, *totam rem ei enarravit*. *Dicit ei R. Akiba*. *Da mihi aquam ut lavem manus*. *Dicit alter*. *Non sufficit aqua ut bibas*, *num sufficit ut laves manus*? *Cui ille*. *Quid faciam in re ubi est reatus mortis*? *Præstat ut moriar ipse siti*, *quam ut transgrediar mentem collegarum*. Refertur in *Berachoth* fol. 46. 2. quod excommunica-

ca-

carint Eleazarum ben Hazar שפקפק מנטילת ידים *quod vilifaceret lotionem manuum*, cumque mortuus esset jussu Synhedrii lapidem magnum impositum fuisse ejus feretro. Accusantur Apostoli *Matth.* xv. 2. quod illotis manibus comederent panem. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas, quam edunt panem. Challah* fol. 58. 3. *R. Jose nomine R. Shabeni, & R. Chajah nomine Simeonis ben Lakisch. Tenetur quivis quatuor milliaria ire ad lavandum manus. Traditum est lotionem ante cibum pro lubitu, a cibo esse de jure. Ante cibum vero, non item a cibo quædam preces recitandæ sunt. R. Jacob bar R. Isaach dixit: An dicis cum quis lavat, preces recitare, & tamen lotionem arbitrio relinquis? Dicunt teneri quatuor milliaria ire ad lavandum manus, & tamen rem arbitrariam esse affirmas.* Quamvis licitum esset edere cibos immundos, tamen Pharisæi illos in munditia comedebant. *Maimonides* cap. 16. de cibis immundis. *Quamvis permissum sit edere edulia immunda; religiosi tamen antiqui comederunt communem victum suum in munditia, & caverunt sibi ad immunditia omnibus diebus suis, atque illi vocabantur Pharisæi. Atque res hæc summæ sanctitatis & via summæ religionis, ut se scilicet homo segreget, & separet a vulgo, atque eos nec tangat, nec cum iis comedat, nec bibat, nam separatio talis inducit in puritatem corporis ab operibus malis.* Salomo *Erubbin* l. c. dicitur autor lotionis manuum. *Dicit Samuel:* בשעה שתקן שלמה עירובין ונטילת ידים. *Eo tempore quo Salomon instituit Erubbin, & lotionem manuum, prodiit Bath Kol, & dixit: Mi fili si sapiat cor tuum, lætabitur & meum.* Tamen de ejus autore ambigitur *Hierosol.* Schabb. fol. 3. 4. *Hillel & Schammai decreverunt de munditia manuum. R. Jose ben Rabbi Bon nomine R. Levi dicit: Antea exhibita erat ista traditio, sed ipsorum exciderat memoria; prostant hi secundi, & statuunt secundum mentem priorum.*

Deinde legitur *Marc.* VII. 4. Ἀπὸ ἀγορᾶς ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι. In quodam vetustissimo exemplari notatum est additum esse ὅταν ἔλθωσι *quum venerint* a foro scilicet. Nonnulli totius corporis ablutionem colligunt ex Græco verbo βαπτίζεσθαι. *Plutarchus* lib. de superstitione: βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν. Hinc exorti Hemerobaptistæ, & ex Pharisæis Banus illi Eremita, de quo *Josephus* in principio suæ vitæ: ψυχρῷ ὕδατι τὴν ἡμέραν καὶ τὴν νύκτα λούεσθαι πρὸς ἁγνείαν. Immersionem totius corporis non esse hic intelligendam constat ex eo, quod talis immersio non adhibeatur, nisi quando contrahatur pollutio a causis immunditiei principalioribus. *Raschi* in Kelim cap. 1. *Homo & vasa non contrahunt immunditiem* אלא מאב הטומאה: nisi a patre immunditiei, quales sunt *immunditia a reptili, a concubitu seminis, a polluto per mortuum, a leproso, ab aqua purificationis, a coeunte cum menstruosa, a fluxu seminiflui, a sputo ejus, ab urina ejus, a sanguine menstruosæ, a profluvioso &c.* Si his pollueretur, opus habebat immersione totius corporis. Ob immunditites inferiores satis erat purificatio manuum. Multo minus intelligendum est de rebus emtis a foro, quod essent abluendæ, uti reddunt nonnulli Interpretes: *Et quod e foro emunt, nisi illud lavent, non comedunt:* Cum quædam essent, quæ non erant abluenda, quædam quæ emta non illico comedebantur, & canones traditionales distinguant, quæ ab ipso foro licita erant, & quæ non; explicandus ita est locus *Marci*; Domi manentes non comedunt, ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται, *nisi pugnum laverint*; At redeuntes e foro non comedunt, ἐὰν μὴ πυγμῇ βαπτίζωνται *nisi pugnum in aquam immerserint* incerti ad quamnam immunditiem accesserint in foro. *Maimonides* in Mikvaoth cap. 11. *Lotio manuum neque immersio manuum erat a Scribis. Manus quæ opus habuerunt* טבילה *murione non tinxerunt nisi loco idoneo, ubi scilicet congregabantur 46. sata aquarum. Nam in loco ubi tinxit quis vascula, tingere licuit manus. At vero manus, quæ opus habent* נטילה *lotione tantum, si eas tingunt in congregatione aquarum, mundæ sunt, sive tinxerint in aquis haustis, sive in vasculis, sive in pavimento. Non mundificant manus* (quoad lotionem) *donec effundantur aquæ super manus e vasculo, nam non lavant manus nisi e vasculo.*

Sequitur *Luc.* ibid. *Et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum.* Ab hac lavandi consuetudine a *Justino* Martyre in dialogo cum Tryphone vocantur Βαπτισταί. Apud *Suidam* ξεστῶν καὶ πινάκων καὶ ποτηρίων καθαρισμοί. Lex. vet. πίναξ: In veteri Glossario ξέστης τὸ ἄγγος, & alibi ξέστης τὸ μέτρον, ξέστης horciolus; Aliis ξέστον est quicquid ablui potest, ut lapidea hydria. Ambiguum est an ξέστης deducendum sit a ξεστά. De Sextariis acci-

accipere est admodum conveniens; Etenim si deducatur a ξεστή, qua rasilia, tornatilia, lignea scilicet denotantur. Et fornasse utensilia ista quæ a Rabbinis vocantur פשוטים *plana* apponunturque τοῖς מקבלים aliquid intra se recipientibus, hac voce exprimuntur. Hujus classis erant cultri, mensæ, sedilia &c. de quibus pollutionis capacibus vide *Kelim* cap. 22. ubi numeratur שלחן *mensa* הרווּפקי *tabellula* vel mensula lignea, ubi reponebantur vinum, & fructus, inde ad mensam adducenda: ספסל *sedile*, שרפרן *Scabellum* pedum sub sedili. Χαλκίων כלי מחכת *Schabb.* 118. 11. *Catinos in quibus comedit vespere abluunt ut comedat in iis mane; mane abluunt eos, ut in iis comedat meridie, meridie abluunt eos, ut iis comedat ad Mincham: Post Mincham ulterius non proluit iterum; verum pocula, lagenas, & utres proluit; & sic per totum diem.* Ablutio horum vasculorum erat per שטיפה *immersionem*; vid. *Aruch* in עשר. *Pesakim* fol. 17. 2. *Omnia vasa* שיש להן אחוריים ותוך *quæ habent exterius, & interius eorum, si inquinatur interius inquinatur etiam exterius; at vero* נטמא גבו לא נטמא תוכו *si inquinetur exterius eorum, non inquinatur interius.* Per κλίνας intellige lectos non cubiculares, sed discubitorios, seu triclinares, quod eos in tricliniis haberent, in quibus recumbentes cibos sumebant; de quibus *Matth.* XXIII. 25. & *Luc.* XI. 39. Lecti imunditiem contrahebant vel istam quæ טומאת מדרס, vel illam, quæ טומאת מגע מדרס vocabatur. טמה טמאה מדרס erat lectus, in quem vel sederat, vel steterat, vel se inclinaverat, vel innixus fuerat, vel pependerat profluviosus aut profluviosa, aut menstruosa, aut leprosus, טמה טמאה מגע מדרס, erat lectus, quem tetigerat aliquid, quod hi tetigerant. Vox ergo βαπτισμὸς ad hæc omnia applicata proprie non accipienda est de tinctione aut immersione, sed quoad nonnulla de lotione tantum, & quoad nonnulla tantum de adspersione.

CAPUT VI.

I. Quod non comedant cum peccatoribus. II. De eorum precibus. III. De Decimis. IV. De cura conquirendi proselitos. V. De Phylacteriis, & Fimbriis. VI. De jurandi formulis, & de voto Corban.

I. AVersabantur publicanos, & peccatores, hinc reprehenditur ab illis Christus *Matth.* IX. 11. *Quare cum publicanis & peccatoribus edit magister vester?* Et *Luc.* VII. 39. *Hic si esset propheta, nosset quæ & qualis sit ea mulier, quæ tangit eum, nam peccatrix est.* Publicani exosi erant Judæis. *Maimonides* in גזלה cap. 5. *Homines de quibus præsumitur eos fures esse, præsumiturque omnes eorum opes per rapinam congestas esse, opusque totum suum esse opus rapacium; veluti publicanorum & latronum, opibus uti non licet, nec est eorum numus cum tuo commiscendus, eo quod præsumitur ex rapina acquisitus. Babyl. Sanhedr.* fol. 25. 2. Inter eos qui nec ad judicandum idonei fuerunt, nec ad testimonium in judicio perhibendum numerantur הגבאין והמוכסין. *Exactores & publicani. Maimonides* ubi supra. *Quandonam sunt publicani reputandi pro furibus? Quando scilicet est gentilis; vel quando ex seipso illud muneris usurpat, vel quando a rege deputatus non definitam summam exigit, sed pro arbitrio. Hieros. Demai* fol. 23. 1. חבר שנעשה גבאי דוחין אותו מחבורתו. *Religiosus qui evadit publicanus, pellendus est a societate religiosa.* Ne a vulgo quidem quem עם הארץ populum terræ vocabant, tangi volebant. In *Juchasin. Pharisæi non permittebant se tangi a populo terræ.* De *Jesai.* LXV. 5. *Qui dicunt: Recede a me, ne appropinques mihi, quia immundus es.* Hebraice. *Quia sanctior te sum.* Samaritani teste *Epiphanio* cum occurrunt Judæo, aut Christiano, aut Mahamedano exclamant: *Ne tangas me, ne attingito me:* ἔχουσι δὲ καὶ ἄλλα τινὰ ἀνοίας ἔθη παλαιά· οὔρῳ κλυζόμενοι ἐπὰν ἀπὸ ξένης ἔλθωσι, μεμιασμένοι δῆθεν, ὕδατι σὺν ἱματίοις βαπτιζόμενοι ἐπὰν ἅψωνται ἑτέρου τῶν ἀλλοεθνῶν, μιασμὸν γὰρ ἡγοῦνται τὸ τινὸς ἅψασθαι, ἤτοι θίγειν ἄλλου τινὸς ἀνθρώπου ἀπ' ἄλλου δόγματος. *Habent & alias quasdam vesaniæ priscæ consuetudines. Urina enim se proluunt, postquam ab exernis venerint, polluti videlicet; similiter & aquæ se cum vestimentis immergunt, ubi contigerint aliquem alterius gentis existentem. Pro inquinamento enim habent a quopiam contingi, aut contingere alium aliquem alterius dogmatis hominem.* Et paulo post de Dosithæis agens: ὡσαύτως μὲν περιτομήν τε καὶ σάββατον καὶ τὸ μὴ θιγγάνειν τινὸς διὰ τὸ βδελύττεσθαι πάντα ἄνθρωπον ὁμοίως ἔχουσι. *Similiter & circuncisionem & Sabbathum, & studium non contrectandi quempiam (abominantur enim omnem hominem) communia habent.*

II. *Matth.* VI. 5. Φιλοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς *Tanchum* fol. 35. 1. *Pergit ad Synagogam ad orandum. Hieros Beracoth* fol.

fol. 2. 1. תני הקורא קודם לכן לא יצא ידי חובתו אם כן למה קורין אותה בבית הכנסת אמר ר' יוסי אין קורין אותה בבית הכנסת בשביל לצאת יד חבתו אלא כדי לעמוד בתפילה מתוך דבר של תורה *Traditio: Si ante hanc horam legat, non satisfacit debito; si ita est; cur eam* (sc. שמע) *legunt in Synagoga? Dicit R. Jose: non legunt illam in Synagoga ut satisfaciant debito, sed ut stent in oratione propter legem. Babyl. Beracoth* fol. 30. 1. לעולם לישתף איניש נפשיה בהדי ציבורא *orantem oportet semper cum orat, se cum Ecclesia consociare. Rabbenu Asher* in *Berachot* fol. 69. 3. *Cum quis vespere ab agro se domum confert ne dicat: Ibo in domum meam, sed primo se conferat ad Synagogam, & si habilis sit ad lectionem, aliquid legat, si ad recitandas traditiones recitet, & deinde recitet* שמע *& precetur*. Crediderunt orationes in Synagoga peractas a Deo exaudiri. *Maimonides* in *Tephillah* cap. 8. *Orationes Synagogæ non respuit Deus, etiamsi mixti illic adsint peccatores: Necesse est ergo ut homo congregationi se associet, & ne solus oret, cum datur opportunitas orandi cum congregatione. Accedat ergo unusquisque mane & vespere ad Synagogam. Et si cui sit Synagoga in urbe sua, & in ea non oret cum congregatione, vocatur ille* שכן רע *vicinus malus*. Et cap. 6. *Prohibetur Synagogam præteriri tempore orationum nisi quid oneris in dorso portet, aut nisi sint plures in eadem urbe Synagogæ, nam tum censeri potest ad aliam eum proficisci, aut nisi sint duo ostia in Synagoga, nam præterito uno, per aliud eum introiturum esse, censeri potest. Si vero capite gerat phylacteria, tum præterire ei est permissum, eo quod illa testentur non immemorem eum esse legis. Babyl. Berachoth* fol. 8. 1. *Dicit S.B. quicunque incumbit studio legis, & retributioni misericordiæ, & quicumque orat cum Synagoga, reputo ego de eo, ac si me filiosque meos redimeret de nationibus mundi. Et quicunque non orat cum Synagoga, vocatur vicinus malus, sicut dicitur* Jerem. XII. 14. Sic dicit Dominus de omnibus vicinis meis malis. Non credendum est Christum servatorem omnes in Synagoga orationes damnasse. Nam & ipse legitur & in Synagoga sæpe orasse, neque reprehendisse publicas preces a toto coetu in plateis peractas, sed tantum orationes privatas publice fusas & in ominum conspectu, ut inde nomen & famam a prætereuntibus aucuparentur.

Pergit Evangelista l. c. Καὶ ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν. *Hieros.* in *Berachoth* fol. 8. 1. *Dixit R. Jochanan. Vidi ego R. Jamai stantem atque orantem in plateis Tsippori, & pregredientem ad quatuor cubitos, atque orantem orationem additiam. Taanith* cap. 2. *Quisnam ritus jejuniorum? Arcam produxerunt in plateas urbis, cineremque sparserunt in Arcam, & in caput præfecti Synhedrii, & vicepræfecti, atque imposuit quisque cineres in caput suum &c. Stant orantes, ac seniorem aliquem idoneum statuunt coram Arca, atque orat ille coram iis quatuor & viginti orationes. Maimonides Tephillah* cap. 11. *Orabant in plateis in festis & publicis jejuniis*. Preterea l. c. *Matth.* legitur: ἑστῶτες προσεύχεσθαι. Stantes orare solebant. *Babyl. Berachoth* fol. 26. 2. *Scriptum est:* Et surrexit Abraham multo mane ad locum, ubi steterat coram Domino. ואין עמידה אלא תפלה *At stare nihil aliud est quam orare; sicut dicitur:* ויעמד פנחס ויפלל: Et stetit Pinchas & oravit. *Hierosol. Berachoth* fol. 20. 1. *Ingreditur quis in Synagogam* ומצאן עומדין בתפלה. *Et invenit illos stantes in oratione. Hierosol. Beracoth* iterum fol. 8. 3. *Vidi ego R. Jannai stantem, atque orantem. Maimonides* in *Deah* cap. 5. *Discipulus sapientum deorsum spectat* כשהוה עומר בתפלה *cum stat orans*. Orationes institutas fuisse secundum sacrificia jugia asserunt Judæi *Beracoth* fol. 62. 1. *R. Jose, R. Chanina dicit. Patriarchæ instituerunt orationes; R. Josue ben Levi dicit: Instituerunt eas secundum sacrificia jugia. Oratio matutina est usque ad horam quartam; oratio Minchæ usque ad vesperam: Quænam est Minchah magna? Ab hora sexta & dimidia. Quænam est Minchah parva? Ab hora nona, & dimidia &c.* De vespertina dubitatum est utrum ex debito, an arbitraria esset: *Hieros. Taanith* fol. 67. *Historia est de discipulo quodam qui venit & interrogavit R. Josua* תפילה דערב מה היא *Oratio vespertina cujus qualitatis est? Respondit illa* רשות *Arbitraria. Venit ad Rabban Gamaliel & interrogavit, & ille dixit:* חובה *est debita. Cui alter: Nonne R. Josua dixit mihi; est arbitraria? Et ille: Cras cum ego ingrediar consessum, prosta tu & de hac re interroga: Prostitit iste discipulus, & interrogavit Rabban Gamaliel: Oratio vespertina cujus qualitatis est? Respondit ille:* חובה *debita. Et alter: Et ecce R. Josua dicit; quod sit arbitraria: Tum Gamaliel ad Josua: Num tu dicis, quod sit arbitraria? Dicit ei non: Dicit: Exurge in pedes tuos, ut in te testantur.* Statas octodecim fuisse, quæ quotidie recitandæ erant, testantur Judæi *Taanith* 65. 3. *Qua-*

3. *Quare sunt orationes quotidianæ octodecim. R. Josue ben Levi dicit. Secundum Psalmos ab initio Psalmorum ad :* Exaudiat te Deus in die tribulationis. *Psal.* xx. *Si autem dicat tibi quisquam quod sunt novemdecim. Dicit ei :* Quare fremuerunt (*Psal.* 11.) *Non est de iis. Hinc dicunt : Ille qui orat, & non exauditur, necesse habet, ut jejunet.* Simeonem Pekolæum in ordinem redegisse octodecim orationes legitur *Babyl. Beracoth* 28. 2. *Tradiderunt Sapientis Simeonem Pekolæum in ordinem redegisse octodecim orationes feriatim coram Rabban Gamaliel in Jafne. Dixit Rabban Gamaliel sapientibus: Nam quis est, qui novit orationem instituere in Sadducæos? Prostitit Samuel parvus, atque instituit &c.* Siquis non posset has orationes memoriter recitare, earum summulam compendiosam recitare debebat. *Babyl. Beracoth* l. c. *Dicit Rabban Gamaliel: Uno quoque die oret unusquisque octodecim orationes: R. Josue dicit:* תפלל מעין י'ח *oret summulam istarum octodecim. Et R. Akiba dicit.* אם שאירה תפלתו מתפלל י'ח ואם לאו מעין י'ח *Si expedita sit oratio in ore ejus, octodecim oret, si minus oret summulam istarum octodecim.*

Legitur præterea in *Matth.* l. c. μὴ βαττολογήσητε ὥσπερ οἱ ἐθνικοί. Extat exemplum battologiæ Ethnicorum supplicantium apud *Lampridium* in *Commodo*. *Parracida trahatur, rogamus; Auguste, parricida trahatur; hoc rogamus, parricida trahatur; exaudi Cæsar; delatores ad leonem, exaudi Cæsar; delatores ad leonem, exaudi Cæsar &c.* Vide eandem in *Severo*. *Gallieni* in *Avidio Cassio*. *Antonine pie, Dii te servent; Antonine clemens Dii te servent, Antonine clemens Dii te servent.* Vid. & *Capitolinum* in *Maximinis*. Battologiam sapiunt illa 1. *Reg.* XVIII. 26. *Baalitæ nomen Baal invocarunt a mane ad meridiem, dicentes: Arudi nos o Baal.* Judæi, ut legitur in eorum liturgiis, συνωνυμίαις usi sunt, non eadem repetentes iisdem verbas, at idem variatis phrasibus proferentes. *Hieros. Taanith* fol. 67. 3. כל המרבה תפלה נענה *Omnis multiplicans orationem exauditur.* Præter *Svicerum* in βαττολογῶ, vid. dissert. *Balthasar Stolbergii de Battologiis.* Prolixi erant in precibus. *Babyl. Beracoth* 32. 3. *Religiosi antiquiores soliti sunt per horam morari* (meditantes ante inceptas preces) *unde hoc? Dicit R. Jehosua ben Levi; ex eo quod dicit Scriptura.* אשרי יושבי ביתך Beati sunt qui sedent in domo tua. *Dicit etiam R. Jehosua ben Levi. Tenetur etiam orans ad morandum post preces suas per spatium horæ, sicut dicitur:* Justi laudabunt te Domine: ישבו ישרים את פניך sedebunt recti ante faciem tuam. *Necesse est ergo, ut moretur* (meditans) *per horam unam ante preces, & per horam unam post preces &c. Religiosi antiquiores morati sunt per spatium horæ ante preces, precati sunt per spatium horæ, & morati sunt per spatium horæ post preces. Cum ergo novem horas unoquoque die precibus immorando insumerent, quomodo reliquum legis est ab iis præstitum? & quomodo curatum est ab iis de rebus suis mundanis? Ast ideo quia religiosi essent, observata est lex eorum, & curatæ sunt res eorum.* Atque ibid. fol. 54. 2. *Prolixa oratio vitam protrahit.*

Pergit Matth. l. c. Οὕτως οὖν προσεύχεσθαι ὑμεῖς: Πάτερ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Isai.* PXIII. & LXIV. 8. *Pater noster qui es in cœlis. Sotah* cap. IX. *Quemnam habemus cui innitamur?* על אבינו שבשמים *Super patrem nostrum, qui est in cœlis. Joma* cap. VIII. *Benedicti vos o Israelitæ, quis vos purificat? Pater vester, qui est in cœlis. Hierosol. Maaseroth* fol. 50. 3. *Patri vestro, qui est in cœlis non dedistis, sed mihi Sacerdoti. Maimonides* in *Tephilloth.* אבינו שבשמים *Pater noster, qui es in cœlis, sic nobiscum agas, sicut promisisti per prophetas.* Ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου: Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. *Babyl. Beracoth.* fol. 40. 2. כל ברכה שאין בו מלכות אינה ברכה. *Omnis oratio in qua non sit memoria regni Dei non est oratio. Dicit Abai par censendum est illud τοῦ Rabh quod traditur* לא, עברתי ממצותיך ולא שכחתי. Non transgresus sum præcepta tua, nec sum oblitus: Deut. XXVI. 13. Non transgressus sum: id est *non agendo gratias:* Et non oblitus sum; id est *non oblitus sum memorare nomen tuum. At a R. Jochanan sic traditur. Et non oblitus sum memorare nomen tuum.* Γενηθήτω τὸ θέλημά σου ὡς ἐν οὐρανῷ &c. *Babil. Beracoth* fol. 29. 2. *Quænam est oratio brevis? R. Eliezer dicit:* עשה רצונך בשמים. *Voluntatem tuam fac in cœlis, & dato quietem spiritus timentibus te infra,* vel in *terra.* Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον &c. *Babyl. Berachoth* l. c. *Necessitates populi tui Israel sunt multæ, & cogitatio eorum tenuis (itaut non norint necessitates suas patefacere) sit beneplacitum tuum, ut des unicuique* פרנסתו *quod sufficiat in alimentum:* Ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. *Babyl. Beracoth* fol. 16. 2. *R. Jebuda precari sic fuit solitus: Sit beneplacitum tuum, ut liberes nos ab impudentibus, & impudentia, ab homine malo, & ab occursu malo, ab affectu malo, a socio* ma-

malo, a vicino malo, a Satana destructore, a judicio duro, & ab adversario duro &c.

III. *Luc.* XVIII. 12. ait quidam Pharisæus ἀποδεκατῶ ὅσα κτῶμαι. *Decimo quæcunque possideo.* Imitatus professionem offerentis primitias *Deut.* XXVI. 13. *Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, & dedi illud Levitæ, atque advenæ pupillo & viduæ.* Propter metum diligentes erant in decimando. *Sanhedr.* 83. 1. ואוכל טבל במיתה *Qui comedit indecimatum reus est mortis.* In decimando ex decreto Scribarum hic erat modus & mensura. E frugibus trituratis & ventilabro purgatis 1. excipitur quinta pars pro sacerdote, hæc vocabatur תרומה גדולה *ablatio magna.* 2. Decima pars residui Levitæ cedebat, vocabatur hæc מעשר ראשון *decima prima.* 3. Decima pars iterum e residuo tollenda & comedenda Hierosolymis, aut redimenda, vocabatur hæc מעשר שני *decima secunda.* 4. Levita decimam dat e suo Sacerdoti; vocabatur מעשר המעשר *decima decimæ* de quibus uberrime actum est a nobis in tractatibus *Demai Terumoth, Maaseroth* &c. *Epiphanius* de Pharisæis: ἀπεδεκάτουν τὴν δεκάτωσιν, τὰς ἀπαρχὰς ἐδίδουν, τριακοντάδας τέ καὶ πεντηκοντάδας, τάς τε θυσίας ἀσφαλέστατα καὶ τὰς εὐχὰς ἀπετίνουν. *Decimabant etiam decimas, vel decimarum etiam decimas dabant, tricesimas, & quinquagesimas, sacrificia etiam & vota firmissime solvebant.* De his vide *Joseph* Orig. lib. IV. cap. 18. *Matth.* XXIII. 23. ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον, καὶ τὸ ἄνηθον τὸ κύμινον. *Maaseroth* cap. 1. *Quodcunque cedit in cibum quodque custoditur, atque e terra nascitur, decimetur.* Quamvis decimatio olerum, uti legitur *Babyl. Joma* fol. 83. 2. instituta fuerit ex decreto Scribarum; מעשר ירק דרבנן *Decimatio olerum est e Rabbinis;* tamen a Christo approbata est, dicente: *Illa non oportet omittere.* τὸ ἡδύοσμον in *Sheviith* cap. 1. vocatur הדנדנה numeraturque inter ea, quæ obligantur ad legem anni septimi; ab *Aruch* vocatur מינטא *Mentha.* Vocatur aliquando מינתא *Oketsin* cap. 1. Ubi *Raschi. Arucho vernacule est* מינטא *Mentha, estque suavis odoris, eam ergo in Synagogis spargunt, boni odoris gratia:* τὸ ἄνηθον. A Rabbinis vocatur שבת *Oketsin* cap. 3. ubi *Raschi:* שבת: *Est de genere herbarum, & decimatur & quoad semen, & quoad herbam. Maimonides. Comeditur crudum post cibum, & non coquendum est, dum ergo non coquitur, obligatur ad decimationem.* Glossa in *Babyl. Avodah Zarah* fol. 7. שבת *lingua Romana est anethum, & decimatur, sive colligatur viride, sive maturum.* τὸ κύμινον Rabbinis כמון numeratur inter decimanda *Demai* cap. 2.

IV. *Matth.* XXIII. 15. legitur. *Circuitis mare, & aridam ut faciatis unum proselytum.* Nomen proselyti late sumtum denotat peregrinum, qui Chaldaice etiam גיורא dicitur *Exod.* XXII. 2. Unde προσηλυτεύω *advena sum* in edit. *Aquilæ Psal.* V. 5. XII. 5. & ab eo nomen προσηλύτευσις *commoratio, peregrinatio* in eadem edit. *Gen.* XLVII. 9. Duplices erant proselyti; alii vocantur גרי צדק *proselyti justitiæ*, qui etiam vocantur in *Avoda Zarah* גרים גרורים *proselyti tracti* id est a seipsis moti ad Judaismum suscipiendum. *R. Levi Exod.* XXIV. hujusmodi proselytum vocat גר בן ברית *proselytum filium fœderis, confœderatum;* & isti erant, qui non rerum externarum, sed solius religionis causa, & gloriæ Dei studio religionem Judaicam amplectuntur, & totam legem Mosis recipiunt; Alii vocantur גרי תושב *proselyti inquilini*, seu גרי שער *proselyti portæ. Maimonides* scribit. גר תושב *est qui neque circumciditur, neque baptizatur, sed certas tantum quasdam leges de non colenda sc. Idololatria, & septem præcepta filiis Noe data observat.* Talis recipiebatur & vocabatur מחסידי אימות העולם *ex piis gentibus mundi. R. David Kimchi* in voce גור Scribit. *Omnis* גר *de quo meminit scriptura; quod* גר *commoratus fuerit in terra Israel, est is qui recipit in se, quod non velit colere Idola. Avoda Zarah* fol. 64. 2. *Quisnam est* גר תושב. *Quicunque coram tribus Rabbinis recipit se nolle Idololatriam colere ex sententia R. Meir: At sapientes nostri dicunt; Quicumque recipit septem præcepta filiorum Noe. Alii dicunt: Proselytus inquilinus est, qui comedit de cadavere* (quod prohibitum *Levit.* XXII. 8.) *qui suscipit omnia præcepta Mosaica observanda isto excepto &c. Raschi Deut.* XXIV. 14. גרך *De advena tuo:* זה גר צדק. *Hic est proselytus justitiæ.* בשעריך *in portis tuis:* זה גר תושב אוכל נבלות. *Hic est proselytus inquilinus comedens cadavera. R. Bechai* in Cadhakkemach fol. 18. col. 4. גוי שקבל עליו שלא לעבוד עו׳ ועדיין לאוכל נבלות ובא ונר בשערי עירנו הוא ונקרא גר תושב ונקרא גר שער. *Gentilis qui recipit in se, quod non velit amplius colere Idololatriam, ac venit ut commoretur in portis urbium nostrarum is est qui vocatur* proselytus inquilinus, & *vocatur* proselytus portæ, *cui jubemur ea dare* Deut. XIV. 21. לגר peregrino, qui est in portis tuis dabis illud. Hinc *Onckelos* לתותב ערל Inquilino præputiato

to qui eſt in medio tui dabis illud &c. Et *Jonathan*. לגיר ערל Peregrino, proſelyto incircumciſo. Iterum *Avoda Zarah* fol. 65. *Dicit R. Bar bar Channa, dicit R. Jochanan: Proſelytus inquilinus ſuper quem tranſiverunt duodecim menſes, & non circumciditur,* הלי הוא כמין שבאומות *Ecce is eſt ſicut hæreticus inter Gentiles*. Proſelytus juſtitiæ fit Judæus, circumciſione, baptiſmo, & ſacrificio; ſi fœmina, baptiſmo & ſacrificio. *Maimonides* Iſſure Biah. *Per tria in fœdus miſſus eſt Iſrael, per circunciſionem, baptiſmum, & ſacrificium; Circunciſio fuit in Ægypto, ſicut dicitur:* Nullus non circunciſus comedet de Paſchate. *Baptiſmus fuit in deſerto ante datam legem, ſicut dicitur:* Sanctificabis eos hodie, & cras, & lavent veſtimenta. Ibid. *Quandocunque quis Ethnicus ad fœdus Iſraeliticum vult recipi ac ſociari & ſub alis majeſtatis diving ſe referre, jugumque legis in ſe recipere, circunciſio, baptiſmus, atque oblatio requiritur, ſi vero fœmina ſit, baptiſmus, atque oblatio. Babyl. Jevamoth* 46. 2. *Proſelytus qui circunciditur, & non baptizatur, quid de eo? R. Eliezer dicit: Ecce ille eſt proſelytus; Nam ſic reperimus de patribus noſtris, quod circunciſi fuerint, at non baptizati. Si baptizetur, at non circuncidatur, quid de eo erit? R. Jehoſua dicit: Ecce ille eſt proſelytus, nam ſic reperimus de ancillis, quæ baptizatæ ſunt; ſed non circumciſæ: At ſapientes dicunt: Baptizatur at non circunciditur, aut circumciditur, & non baptizatur, non eſt proſelytus, uſque dum circuncidatur, & baptizetur*. Ibid. fol. 78. 1. *Ethnica ſi proſelyta facta ſit, quum jam eſt gravida, filius ejus non opus habet baptiſmo* דסלקא טבילה דאימיה*: Nam ei ſufficit baptiſmus matris ſuæ: Matt.* XXIII. 15. proſelyti dicuntur fieri gehennæ filii; non quod circunciderentur, ſed quod eorum mores & doctrinam ſectarentur, uti docet *Auguſtinus* lib. XVI. contra *Fauſtum* cap. 29. *Non quia circunciditur ſed quod eorum mores imitatur, fit proſelytus filius gehennæ*. Et paulo poſt. *Fiebat proſelytus filius gehennæ, non a Phariſæis verba legis audiendo, ſed eorum facta ſectando: Hoc ergo dici poſſet tunc proſelyto circunciſo quod* Paulus *dicit Rom.* 2. Circunciſio quidem prodeſt, ſi legem cuſtodias. *Quia vero ille in non cuſtodienda lege Phariſæos imitabatur, fiebat filius gehennæ; propterea quantum arbitror, duplo magis, quam illi quia hoc negligebat implere, quod propria voluntate ſuſceperat, non ex Judæis natus, ſed ſponte Judæus factus*.

V. Fimbriæ & phylacteria ſatis ſuperque in ſuperiori volumine peculiaribus diſſertationibus illuſtrata ſunt.

VI. Jurabant per cęlum per terram, per caput; quod improbatur a Chriſto *Matt.* V. 34. *Maimonides Schevotth* c. 1. *Si quis jurat per cœlum, per terram, per ſolem &c. Sit licet animus jurantis ſub his verbis per illum jurare, qui hæc creavit, hoc tamen non eſt juramentum. Aut ſi quis jurat per aliquem librum e libris Scripturæ, ſit licet ſenſus jurantis per illum jurare, qui iſtum prophetam miſit, aut qui iſtum librum dedit, nihilominus hoc non eſt juramentum*. Juramentum per cœlum *Babyl. Beracoth* fol. 55. השמים כן הוא *per cœlum ita res eſt*. Per templum *Cherituth* cap. 1. *Cum venderentur aliquando turtures, & columbarum pulli Hieroſolymis denario aureo, dixit Rabban Simeon ben Gamaliel* המעון הזה *per habitationem hanc* (id eſt per templum) *hac nocte non quieſcam, niſi veneant denario argenteo. Ketubboth* cap. 3. & *Toſaphot.* ibidem. *Dixit R. Zachariah ben Kerſah* המעון הזה *Per templum hoc non receſſit manus mulieris e manu mea. Babyl. Kiddushin* fol. 71. 1. *Dixit R. Jochanan*: היכלא. *Juchaſin* fol. 56. *Bava ben Buta juravit per templum in fine tractatus Kerithuth, & Rabban Simeon ben Gamaliel in initiis; & ſic mos fuit in Iſrael*. Jurarunt per Hieruſalem: *Toſaphta* ad *Nedarim* cap. 1. *Dicit R. Jehuda: Qui dicit per Hieroſolymam, nihil dicit, niſi intento animo voverit Hieroſolymam verſus*. Et paulo poſt adduntur hæ jurandi vel vovendi formulæ. ירושלם בירושלם לירושלם היכל בהיכל להיכל. *Hieroſolyma, pro Hieroſolyma, per Hieroſolymam; Templum, pro templo, per templum: Altare pro altari, per altare; Agnus, pro agno, per agnum: Paſtopharia, pro paſtophariis, per paſtophoria. Lignum, pro ligno, per lignum; Sacrificia ignita, pro ignitis, per ignita. Patinæ, pro patinis, per patinas, hæc omnia, quod ego hæc faxo tibi*. Jurarunt per capita ſua. *Sanhedr.* cap. 3. *Tenetur quis proximo jurare, & dicit ille*. דוולי בחיי ראשך. *Vove vel jura mihi per vitam capitis tui. Aben Ezra* ad *Exod.* x. 7. *Conſuetudo Ægyptiorum eſt hodie, ut jurent per caput regis: Qui ſi juraverit, niſi ratum habuerit verbum ſuum, reus eſt mortis: Nec pondo auri, quod offert pro redentione ſua, eum liberare poteſt, quandoquidem publice contemſit regem*. Apud *Virgilium* Julus jurat: *Per caput hoc juro*. Jurabant per legem: *R. David Iſai.* VIII. 20. לתורה *per legem juramentum eſt cum homo dicit: Per legem erit iſtud ſic vel ſic*.

ſic. Per terram jurare ſuos cogebat Elxai, cujus meminit *Epiphanius* : πονηρὸς δὲ ἄρα καὶ ὁ ἐν τῷ ἠλξάι ὁ καταναγάσας οὐ μόνον ἐν θεῷ ὀμνύναι, ἀλλὰ καὶ ἐν ἁλὶ. *Malignus ille, & qui in Elxai locutus eſt, qui cogebat non ſolum jurare per Deum, ſed & per ſalem*, ἐν ὕδατι *per aquam*, ἐν αἰθέρι *per æthærem*, καὶ ἐν ἀνέμῳ *per ventum*, καὶ ἐν τῇ γῇ *per terram*, καὶ ἐν οὐρανῷ *& per cœlum*.

Matth. XV. 5. Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. *Marc.* VII. 11. adjecta vox Hebraica κορβᾶν id eſt קרבן cum interpretatione ὅ ἐστι δῶρον. Nam Corban donum ſive munus quod offertur Deo teſte *Epiphanio* pag. 99. Δῶρον τῷ θεῷ, & *Theophylacto* δῶρον τῷ θεῷ ἀνατεθειμένον. Alii τῷ ἐστὶ ſubaudiunt δῶρον ἐστὶ τοῦτέστιν ἀνατεθειμένον τῷ θεῷ ἐστιν ὦ πάτερ ὁ ζητεῖς ἐξ ἐμοῦ ὀφεληθῆναι. Donum eſt quocunque a me juvari poſſes, hoc eſt Deo cui perſolvenda ſunt omnino vota, & cujus priores ſunt partes, jam antea conſecravi id omne, quo alioqui poſſes a me ex meis bonis in hac egeſtate ſublevari; Ita ſentiunt *Theophylactus*, *Theodoretus*, aliique. Alii vero ita explicant: Per Corban (Juramenti genus eſt, cujus *Theophraſtus* meminit) ſi quacunque re a me, ſi quod me attinet, juvaberis. Subintelligitur; ſim vanus, aut diſpeream; aut habear mendax; quæ ellipſis uſitata eſt in jurejurando, ut in *Pſalmis. Si David mentiar; ſi introibunt in requiem meam. Scaliger* omnium optime Elenchi Trihær. cap. XI. Hoc reliquum eſt (*inquit*) ut indigeremus Ariſtarcho Serario ad interpretationem loci *Matth.* XV. 5. 6. *Munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit*. Ipſe dicit verbum *eſt* malo aliquo fato ſedem commutaſſe, & ita reponendum. *Munus eſt, quodcumque tibi ex me proderit*, tanquam τὸ ἐστὶ ſubintelligendum ſit in Græco δῶρον ἐστὼ ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Addit interpretationem, qua nihil alienius a ſenſu Evangeliſtæ adferri potuit, nihil jucularius. Non ero declamator ſocietatis. Non ſolum Rabbini, ſed & Doctores Latini notiſſimas & vulgo tritiſſimas ſententias dimidiatas ſolent citare. Ita enim proverbia apud omnes nationes aliquando inchoata proferuntur. Quum igitur quis offerebat Korban dicebat: *Hoc Korban, quod ego Deo offero, proſit mihi & meis*. קרבן הדא יהנא לי ולרי לי. Hoc facto putabat ſe liberum debita charitate in parentes, & defunctum omni pietatis officio erga ipſos illo dono, quod Deo obtuliſſet ita ut ſi a parentibus provocatus aut admonitus officii eſſet aut de alimoniis dandis, aut de aliis officiis præſtandis, eos ille ſubmoveret exceptione illius oblationis; *niſi quod ego pro te obtuli, me hoc omni onere liberat*. Supplenda igitur eſt primum exceptio illa filii adverſus patrem. Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, πάσης μὲ πρὸς σὲ τιμῆς καὶ ὑπηρεσίας ἐλευθερεῖ *Donum quod a me profectum tibi profuit, omni erga te honore debito, ac onere & officio liberat me*: Deinde continuanda & ſupplenda itidem ſententia Phariſæorum; ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατεὶ ἢ τῇ μητεὶ δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς πάσης πρὸς σὲ τιμῆς ἐλευθεροῖ καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ ἀναίτιος ἐστίν: aut tale aliquid: Hæc eſt vera interpretatio, quæ omnes doctos, indoctos, veteres, recentiores fugit. Neque eſt quod *Maſius* omni exceptione major jactet ſe illum locum aſſecutum eſſe, ut *Serario* (quanquam diſſimulat) daret novæ interpretationis argumentum. Nihil enim attulit *Maſius*, quod vel minimum lucis huic loco afferat: Itaque omnes illa verba ὃ ἐὰν ὠφεληθῇς *quod tibi profuerit* quam præpoſtere contra Helleniſmum interpretantur? quam inepte *Serarius*? Quis ejus verba intelligat, ſive ſeorſim conſiderata, ſive cum Græcis collata? δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς *Munus eſt, ſeu Deo oblatum eſt, aut Deo votum, ac dicatum ſit omne illud, quo tibi prodeſſe poſſum*: Vos autem dicitis: *Quicunque dixerit patri, aut matri; donum quodcunque ex me tibi profuerit*: Et cetera; *& non tamen honoraverit patrem ſuum, & matrem*; Et cetera: Nam illud *& cetera* quod eſt ſubintelligendum, oſtendit deeſſe ſententiæ, quod quiſque audiens ſupplere poſſit. Erat enim nota ſententia; Hebræi magiſtri dicunt וכולי & cetera: Quis eſt parum Græce intelligens, qui malit aliter ac Syrus interpres ea exponere? δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς: id eſt. *Donum quod ex me tibi profuerit*; donum a me profectum: Syrus: *Donum meum quodpiam, quo ex me juvaberis*. Niſi quod illud ἐξ ἐμοῦ non conjungit cum voce δῶρον, ſed cum verbo ὠφεληθῇς. Certe eadem eſt interpretatio *Hieronymi* & *Theophylacti* cum noſtra. In hoc tantum laboratur, ut verba ipſa bene concipiantur. In verbis *Talmud*, quæ citat *Maſius*, eadem plane verba ſunt, quæ in textu Evangeliſtæ קרבן כל מה דהנא מני : δῶρον πᾶν ὃ ἂν ὠφεληθῇς ἐξ ἐμοῦ: quomodo *Syrus* interpres. At doctiſſimus *Maſius* ita interpretatur: πᾶν ὅ τι ἂν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς κορβᾶν ἔστω, τοῦτ' ἔστιν ἀνάθεμα. Hic anathema nullum locum habet, & longe longeque a ſenſu Evangeliſtæ remotum eſt. Quod autem ad juvandum interpretatio-

tionem *Masii Serarius* adfert locum *Theophrasti*, quem nos in Appendice de *Emendatione Temporum* illustravimus non magis ad interpretationem *Masii* facit, quam interpretatio *Masii* ad mentem Evangelistæ. Certissimum est quos *Theophrastus* vocat Tyrios, eos esse hebræos, qui Tyriorum lingua, quæ mera Hebraica erat, utebantur. In vetustissimis igitur legibus δευτερώσεων Judaicarum hoc erat præceptum negativum *non jurare per Korban Matth.* XXIII. 18. Ubi etiam *Syrus* Paraphrastes utitur verbo *Kor bono*: Hæc est mens *Theophrasti*; neque aliter sensit *Josephus*, qui per Tyrios ibi Judæos innui rectissime judicavit. At jurare per Horbona quid commune habet cum illo? *Korbona omne quod a me tibi profuerit*: An filium qui ita patrem alloquitur, necesse jurare? Nugæ, nugæ. Hactenus *Scaliger*. Vox δῶρον nota fuit & usitata Rabbinis. *Zevachim* fol. 7. 2. אמר רבא עולה דורון היא. *Dicit Rabba holocaustum est* δῶρον. Ubi Glossa. *Holocaustum non offertur, ed expiandum pro facto aliquo, sed postquam pœnitentia expiavit factum, venit holocaustum* להקביל פנים *ut cum favore homo recipiatur, sicut cum quis peccavit contra regem* וריצהו עי פרקלטין *& placavit eum per* παράκλητον, *& venit ut imploret ejus favorem, affert* דורון. Sæpe occurrunt hæ formulæ vovendi in libris Judæorum præsertim in tractatibus *Nazir & Nedarim* קרבן שאני נהנה לך & קונם שאני נהנה לך quod ipsum idem sonat, ac Κορβᾶν vel δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. *Nissim in Nedarim* cap. I. קונם קונה הרי לשון הקדש הוא Konem, Kone sunt vocabula sacrationis. קונם *Maimonides in Babyl. Beracoth* כהקדש יהא עלי: *Sit super me sicut res sacrata*. Hoc impium axioma de non præstanda ope parentibus in eorum pandectis non deprehenditur quod eos fortasse puduerit literis consignare: Contra parentum obsequium docent, & hortantur. *Tosaphta Kidduschin* cap. I. בן מאכיל אבו ומשקה מלביש ומכסה מוציא ומכנים ומרחץ פניו ידיו ורגליו. *Filius tenetur ad cibandum patrem ad potandum, vestiendum, tegendum, educendum, & inducendum, & ad lavandum ejus faciem, manus & pedes.* Imo hoc etiam asseritur *Hieros. Kidduschin* fol. 61. 2. 3. *Tenetur filius patrem nutrire, imo pro eo mendicare.*

C A P U T VII.

I. *Pharisæorum studium Astronomicum.* II. *Clementia.* III. *Autoritas.* IV. *Vestitus.* V. *Nequitia.* VI. *Nam omnes mali?*

I. ASTRONOMIÆ studio admodum deditos fuisse testatur *Epiphanius*. Αλλὰ καὶ εἱμαρμένη καὶ ἀστρονομία παρ' αὐτοῖς ἐσχρημάτιζεν. *Fatum & Astronomia multum apud ipsos in usu erant. Abraham Zachuth. Fui (inquit) in regno Hispaniæ, & in aliis regnis Christianorum postquam exissent libri, quos feceram de Astrologia: Dicebant; Abraham Zachuth Salamanca oriundus. Et licet mihi gloriari de hoc, qumadmodum dixerunt sapientes nostri f. m. Quænam est sapientia, ob quam mngnificant sapientes in oculis populorum? Dicebant: Ratio Tecupharum, & planetarum. Et ego testor coram Deo quod laudabant Israelem valde propter hoc studium; itaque intentio mea non erat alia, quam ut intelligerem verba sapientum f. m. & commentarios, quos scripserunt hac de re.* Eodem teste *Epiphanio* Pharisæi suæ linguæ vocabulis nominabant septem planetas, solem ἡμὰ id est חמה quod nunc legant ἀμμὰ καὶ σέμες ושמש καὶ ἥλιον. Lunam ἰρεὲ id est ירח καὶ ἐλβανὰ (legerim καὶ λαβανὰ i. e. לבנה) σελήνην. Martem qui Ἄρης Græce, χωχὲβ ὀχμὼλ stellam Ocmol. (Ocmol teste *Scaligero* cap. VI. *Elench. Tribær.* est nomen Martis, qui in veteri inscriptione *Camulus* dicitur; Imagini enim Martis subscriptum: CAMULO DEO Mercurium qui ἑρμῆς, χωχὲβ ὀχμὼδ stellam Ochmod. Jovem χωχὲβ βαὰλ stellam Baal, id est Jovis; Nam Baal Jupiter. Dicitur & כוכב צדק, & צדק simpliciter ab æquitate, item מזל טוב astrum bonum, & Arabice גלגלנונה. Venerem id est ἀφροδίτην, σερὺα ἤτι λουὲδ Serua vel Lued; forte λουὴτ id est להט hodie נונה a splendore. Saturnum χωχὲβ σαβὴθ stellam Sabbathi: *Hiscuni* מזלות planetas appellat, quorum nomina recenset *Exod.* XXV. ad locum: *Facies lucernas septem*. Primus inquit est חמה Sol a calore. Secundus נונה Venus a splendore. Tertius כוכב κατ' ἐξοχὴν id est Mercurius. Quartus לבנה luna. Quintus שבתי Saturnus. Sextus צדק Jupiter a justitia. Septimus מאדים Mars a rubore. Sequuntur in *Epiphanio* XII. signa Zodiaci, quorum nomina τέλαα id est טלה κριὸς Aries; σὼρ שור ταῦρος Taurus: θωμίμ תומים δίδυμοι Gemini: σαρατὼν סרטן καρκῖνος Cancer:

ᾆελ

ἄρι אריה λέων Leo. Βεθουλά בתולה παρθένος Virgo. μωζανὴμ מאזנים ζυγὸν Libra. ἀκρόβ five ἀκράβ עקרב σκορπίων Scorpius. κεστέτ קשט τοξότης Sagittarius: γαδὶ גדי αἰγόκερος Capricornus. δαλὶ דלי ὑδρηχὸς (hoc poeticum, fcribe igitur ὑδροχόος qui eft ὑδροχοεὺς) Aquarius: δέγγιμ דגים ἴχθυες Pifces. Ceterum Venus planeta הילל dicitur *Ifai.* XIV. 12. Ubi LXX. φώσφορος, *Hieronymus* Lucifer, *Jonatham* כוכב נוגהא Stella lucis.

II. Pharifæi clementia celebrantur. *Jofephus* Antiqu. lib. XIII. cap. 18. ἄλλως τε καὶ φύσει πρὸς τὰς κολλάσεις ἐπιεικῶς ἔχουσιν οἱ φαρισαῖοι. *Et alioqui natura funt mifericordes in animadverfionibus Pharifæi.* In Chronico Templi fecundi fol. 40. Vocantur אנשי חסד *viri mifericordiæ.* Nam חסד antiqua declaratione mifericordia. Eadem vox fignificat pietatem: Unde *Ifai.* LVII. I. אנשי חסד *viri fancti ac pii*, id eft החסחים qui & amantes Dei *Exod.* XX. 6. Apud *Gorionidem* cap. 33. Alexander rex moriturus uxori Alexandræ fuafit, quæ habentur apud *Jofephum* Orig. lib. XIII. 5. *Novi* (inquit) *eorum indolem* (de Pharifæis loquens) *bonam effe; nam inimicitias non retinent, & mifericordes funt.* *Abraham Zachuth* fol. 139. *Sed Pharifæi erant mifericordes, & filii mifericordiarum.* Cum mifericordes fuerint, nefcio quo pacto apud *Suidam* vocentur Sicarii: Σικάριοι λέγονται οἱ φαρισαῖοι ὡς ζηλωταί. Pharifæi non dicebantur Sicarii, fed ex Pharifæis profectus Judas Galilæus, qui etiam Judas Gaulonita appellatur, & quartæ fectæ autor fuit, quæ folum Deum Dominum agnofcebat; Ita ne Cæfarem dominum faterentur, graviffima fupplicia perpeffi funt, tefte *Jofepho* in Judaicis lib. VII. cap. 19. Qui igitur e Pharifæis ex hac fecta erant e zelo erga Deum Zelotæ appellati funt; hoc primum, deinde quia Sicis utebantur ad occidendum homines, vocati etiam funt Sicarii.

III. Maxima apud populum florebant gratia atque autoritate tefte *Jofepho* lib. XIII. cap. 18. τοσαύτην ἔχουσι τὴν ἰσχὺν παρὰ τῷ πλήθει, ὡς καὶ κατὰ βασιλέως τι λέγοντες, καὶ κατὰ ἀρχιερέως εὐθὺς πιστεύεσθαι. Et uberius eodem libro cap. 23. & 24. ubi Alexander moriturus Alexandræ uxori præfcribit, ut profecta Hierofolymam poft ejus mortem poteftatem aliquam Pharifæis concedat, ut eorum gratiam aucupetur: τούτους γὰρ ἐπαινοῦντας αὐτὴν ἀντὶ τῆς τιμῆς εὔνουν καταστήσειν αὐτῇ τὸ ἔθνος· δύνασθαι δὲ πολὺ παρὰ τοῖς ἰουδαίοις τούτους ἔφασκε, βλάψαι τε μισοῦντας, καὶ φίλους διακειμένους ὠφελῆσαι· μάλιστα γὰρ πιστεύεσθαι παρὰ τῷ πλήθει περὶ ὧν ἂν καὶ φθονοῦντες, τι χαλεπὸν λέγωσιν. Rurfum lib. XVII. cap. 3. Ἦν μόριόν τι ἰουδαϊκῶν ἀνθρώπων ἐπ' ἀκριβώσει μέγα φρονοῦν τοῦ πατρίου νόμου, οἷς χαίρειν τὸ θεῖον προσποιουμένων ὑπῆκτο ἡ γυναικωνῖτις φαρισαῖοι καλοῦνται, βασιλεῦσι δυνάμενοι μάλιστα ἀντιπράσσειν προμηθεῖς κἀκ τοῦ προὔπτου ἐς τὸ πολεμεῖν τε καὶ βλάπτειν ἐπηρμένοι. Et lib. XVIII. cap. 2. refert quemadmodum eorum arbitrio gererentur omnia, ita ut fi magiftratus ac dignitates capere vellent Sadducæi, ad eorum voluntatem fe accommodare deberent. *Gorionides* cap. XXIX. *Porro ibi fedebat unus e Pharifæis cui nomen Eleazar, homo excitans contentiones, & vir malus nequamque, qui refpondit & dixit; Vivat rex Hyrcanus in feculum. Si amas effe juftus quemadmodum locutus es, & admittere reprehenfionem veram, quemadmodum verbis declarafti, defcende e folio facerdotii, & fufficiat tibi folium regni, Et rex ad Eleazarum; quare hac indicas mibi? & dixit ei: Quia in captivitatem abiit mater tua in diebus Antiochi Epiphanis regis Macedoniæ, & ipfa erat polluta: Ideo non decet te intrare in Sanctum Sanctorum.* Interdum propter eorum fuperbiam maximas perpeffi funt calamitates & perfecutiones. *Gorionides* l. c. *Iratufque fuit rex valde, & verfum eft gaudium eorum in luctum, & lætitia eorum in gemitum, & in contentionem, & amor eorum in hoftilitatem. Ibi autem fedebat vir dives princeps & magnus, & ipfe erat Sadducæus, cui nomen Jonathan. Is regi dixit: Nonne dixeram tibi ne crederes verbis eorum, quia mendacia funt in ore ipforum? Quia illi ipfi funt, qui mandarunt Eleazaro, ut malediceret tibi, & ut fperneret te in oculis populi, & principum; & dixit rex Pharifæis; vos prævaricati eftis in me ob maledictionem hanc validam, etiam quia audiviftis & tacuiftis, effringam etiam ego macerias veftras: Et dixit rex Pharifæis; judicate rem hanc de maledictione, qua maledixit mihi Eleazar: Et refponderunt · Debet cædi, & flagellari: fatis hoc tibi fit; quia Pharifæi non judicant judicium mortis. Et refpondit Jonathan, & dixit: Nonne dixi tibi, quod e fententia ipforum, & voluntate ipforum fuerit maledictio hæc? Et fuit ab eo die & ultra, defecit Hyrcanus a verbis Pharifæorum, & roboratus eft cum Sadducæis, fuitque Sadducæus. Præcepitque rex, & promulgarunt per caftra & per terram Ifrael dicendo: Omnis doctor, qui docet filios fuos de lege Pharifæorum, moriendo morietur. Et occidit Hyrcanus e Pharifæis in die illo multos,*

& etiam Eleazarum, qui maledixerat gloriæ ipsius, combussit igne, & etiam ex tenui plebicula, quorum manus erat cum Pharisæis, occidit multos. Propterea excitatum est odium in eum, & in filios ejus, quo prosecuti sunt eum Israelitæ, & semen ejus a diebus illius. Quod confirmatur a *Josepho* lib. XIII. cap. 18. Hyrcani hujus filius Alexander cum Bethomen urbem cepisset, complures inde captivos abduxit, eorumque fere octingentos, dum cum suis pellicibus epulabatur, in crucem egit, cum prius in eorum conspectu occidisset eorum liberos & uxores. *Josephus* lib. XIII. cap. 22. Εστιώμενος ἐν ἀπόπτῳ μετὰ τῶν παλλακίδων, ἀνασταυρῶσαι προσέταξεν αὐτῶν ὡς ω'· τοὺς δὲ παῖδας αὐτῶν καὶ τὰς γυναῖκας ἔτι ζώντων παρὰ τὰς ἐκείνων ὄψεις ἐπέσφαττεν. *Gorionides. Confirmato & reverso in regnum suum Alexandro, Pharisæi fugientes venerunt in Bettshemes munientes se contra Regem. Rex vero collecto exercitu suo profectus est contra eos, & subruta civitate apprehendit octingentos ex præcipuis Pharisæis, ligatosque ferro perduxit eos in Hierusalem: Tunc fecit convivium omnibus servis suis, super tectum palatii sui in sublimi loco, ubi comederunt & biberunt, & inebriati sunt cum eo magnates literatorum, & cum læto animo præcepit educi octingentos viros vinctos qui erant de majoribus Pharisæorum, & suspensi sunt omnes in patibulis coram eo: Quod videns bibit, & risit. Abraham Zachuth* de Alexandro rege scribens: *Is quoque* (inquit) *odio insectatus est sapientes, & eos magna cæde affecit. Ab uno Simeone Satæ filio abstinuit, quod esset frater uxoris suæ. Fugit autem Josue Peraiæ filius, superioris Simeonis Satæ socius, Alexandriam Ægypti, donec Simeon Satæ filius ei supplicatione reditum a rege impetrasset.* Quod confirmatur in tractatu *Taanith* cap. 10. *Sanhedrin*, & *Kiddashin*. Jam vero Herodes rex cum sex Pharisæorum millia in ejus fidem jurare nollent, primum pecunia mulctati sunt, deinde ex iis complures sunt interfecti teste *Josepho* lib. XVII. c. 3. Ex eodem ordine videntur ii fuisse, de quibus fit mentio cap. 8. doctissimis patriarum legum interpretes, omnibusque ob assiduam Juventutis institutionem clarissimi, Judas Sariphæi filius, & Mathias Margolothi filius, qui vivi combusti sunt, quod eorum hortatu juventus aggressa fueris auream aquilam, quam magnæ portæ templi imposuerat Herodes, detrahere, impactisque securibus comminuere, quia hujusmodi anathema contra legem esse judicarent, quæ κωλύει εἰκόνων τε ἀναστάσεις ἐπινοεῖν, καὶ τινων ζώων ἀναθέσεις ἐπιτηδεῦσθαι τοῖς βίοις κατ' αὐτὴν προηρημένοις.

IV. Epiphanius heræs. 16. sic Pharisæorum habitum describit: στόλας ἔτ' οὖν ἀμπεχόνας οἱ τοιοῦτοι ἀνεβάλλοντο, καὶ δαλματικὰς, ἔτ' οὖν κολοβίωνας ἐκπλατυσήμων διὰ πορφύρας ἀλουργοϋφεῖς κατεσκευασμένας. *Hi tales stolas sive pallia induebant, & dalmaticas sive colobiades ex laticlaviis, ut purpurissei, sive purpura prætexti essent, paratos.* Secundo: διά τοι τῆς ἀμπεχόνης καὶ διὰ τῶν ἄλλων σχημάτων, καὶ γυναικικῶν, ἱματίων ἐν πλατείαις ταῖς κρηπῖσι καὶ γλώττοις τῶν ὑποδημάτων προϊόντες. *Per amicula & alios ornatus ac muliebria pallia crepidati & in calceis ligulatis procedentes.* Quis credat Pharisæos, qui populo ut placerent, severissimum vitæ genus profitebantur, mollibus & muliebribus vestibus incessisse, cum hujusmodi vestimenta omnibus Judæis induere lege vetitum esset?

V. Ubique a Christo Servatore accusantur. Vocantur *hypocritæ Matth.* XV. 40. *Inanis gloriæ cupidi Matth.* XXIII. 5. 6. 7. *Luc.* XI. 43. *Foris parentes justi Matth.* XXIII. 28. *Sepulcra dealbata Matth.* XXIII. 27. Duplicis generis erant sepulcra apud Judæorum magistros, קבר תהום *Sepulcrum abyssi*, de quo ignoratur quod sit sepulcrum, Μνημεῖον ἄδηλον *Luc.* XI. 44. & קבר מצוין *sepulcrum pictum*, qualia essent ea, quæ calce dealbabantur, ut prætereuntes se ab iis removerent, ne polluerentur. Utrisque Scribas & Pharisæos comparat Salvator *Luc.* loc. cit. De dealbatione sepulcrorum *Shekalim* cap. 1. *Decimo quinto mensis Adar emendant vias, & plateas,* & *collectiones aquarum, atque ea præstant, quæ publicum spectant* ומציינין את הקברות *Et pingunt* vel *notant Sepulcra*: Modus describitur *Maasar Sheni* cap. V. ומציינין קברו נסיד ממחה ושופך. *Pingunt sepulcra calce, aqua macerata, atque infusa.* Ratio redditur in *Gemara Hierosolymitana Shekalim & Maasar Sheni. Nonne sepulcra notant ante mensem Adar? Imo, at supponitur abstersos esse colores. Quam autem ob causam sic pingunt? Ut par sit hæc res causæ Leprosi: Clamat ille: Immundus, immundus; atque hic pariter immunditia ore suo ad te clamat, & dicit: Ne appropinques. R. Illa nomine R. Samuelis bar Nachman, illud adducit* Ezech. XXXIX. 15. Si transiens quis per terram os hominis viderit, signum sepulcrale juxta illud eriget. Vid. *Hieros. Maasar Sheni* fol. 55. 3. *Moed Katon* fol. 80. 2. 3. 3. *Sotah* 25. 3. Glossatores rationem ibi reddunt: *A decimoquinto mensis Adar*

Adar investigarunt, atque ubicunque sepulcrum invenerunt; cujus abluta ab imbribus esset dealbatio, eam restaurarunt, ut locus immundus dignosceretur, atque ut inde declinarent sacerdotes comesturi Trumam. Glossa ad *Shekalim* & iterum ad *Maasar Sheni*. *Sepulcra calce notarunt ad formam ossium, quam aquæ infusam circa sepulcrum fuderunt ut dignoscerent inde omnes locum istum immundum esse, ideoque ab eo esse declinandum*. Glossa *Babyl. Moed Katou* fol. 5. 10. *Notas fecerunt in sepulcra calce alba instar ossium &c.* οὕτως καὶ ὑμεῖς ἔξωθεν μὲν φαίνεσθε τοῖς ἀνθρώποις δίκαιοι &c. *Matth.* ibid. In *Babil. Sotah* isti hypocritæ vocantur צבועין *tincti* vel *colorati*: Jannai rex moriens uxorem monet, ut caveat sibi מן הצבועין שדומין מפרשין שמעשיהן כמעשה זמרי ומבקשין שכר פינחס *Ab hominibus pictis, Pharisæos simulantibus, quorum opera sunt sicut opera Zimri, & tamen expectant mercedem Pinchasi*. Ubi Glossa. צבועין *homines epicti ii sunt, quorum externa forma non respondet naturæ eorum, at colorati sunt, quoad extra* אין תוכן כברם *at interius eum non est sicut exterius; eorumque opera mala sunt sicut opera Zimri; at mercedem Pinchasi requirunt, hominibus dicentes, ut se honorent veluti Pinchasum*. *Babyl. Joma* fol. 72. 2. תלמיד חכם שאין תוכו כברו אין תלמיד חכם *Discipulus sapientis, qui idem non est ad intra quod est ad extra, non est discipulus sapientis*. *Matth.* VI. 16. Hinc dicuntur Ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα αὐτῶν. Pergit Evangelista: ἔσωθεν δὲ μεστοί ἐστε ὑποκρίσεως καὶ ἀνομίας. Quod ipsi magistri. In *Babyl. Joma* quærunt, quænam peccata essent sub templo primo, ob quæ illud fuit vastatum? Respondent. *Idololatria, & effusio sanguinis*: Quæritur, quænam sub secundo. Respondent: *Odium absque causa, & secreta iniquitas*: Et addunt: ראשונים שנתגלה עונם נתגלה קיצם: *Iis qui sub templo primo erant, quod revelata est iniquitas eorum, revelatus est etiam finis eorum*. אחרונים שלא נתגלה עונם לא נתגלה קיצם. *At iis qui sub templo secundo, non revelatus est finis eorum eo quod non revelata sit iniquitas eorum*: Ubi glossa: *Illi qui sub templo primo, non occultarunt iniquitatem suam, iis ergo revelatus est finis eorum sicut dicitur*: Post septuaginta annos in Babylone ægo visitabo vos: *At eorum qui sub templo secundo non revelata est iniquitas*: בני מקדש שני היו רשעים בסתר *illi sub templo secundo fuerunt iniqui clauculum*. Præterea *Matth.* ibid. 35. ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου υἱοῦ Βαραχίου. De *Zacharia* filio Jojade a *Joaso* rege occiso 2. *Paral.* XXIV. agitur; de quo *Hieros. Taanith* fol. 69. 1. 2. Et *Babyl. Sanhedr.* fol. 96. 2. *R. Jochanan dixit: Octoginta mille sacerdotes occisi sunt ob sanguinem Zachariæ: R. Jehuda interrogavit R. Acham: Ubinam loci interfecerunt Zachariam? An in atrio mulierum? an in atrio Israelis? Respondit ille: Nec in atrio Israelis, nec in atrio mulierum; sed in atrio sacerdotum: & sanguini ejus non factum est, quod sanguini arietis, aut capreoli fieri consuetum est: De his enim scriptum est*: Et sanguinem ejus fundet, & cooperiet pulvere. *At hic scriptum est*: Sanguis ejus in medio ipsius est: in vertice rupis eum non posuit, in terram non fudit. Ezech. XXIV. 7. *Quare hoc autem?* Ut exoriri faciat furorem in ultionem. Sanguinem ejus ego in vertice rupis posui, ut non cooperietur. *Vers.* 8. *Septem sceleta patrarunt isto die. Interfecerunt sacerdotem, Prophetam, & Judicem; sanguinem insontis fuderunt; polluerunt atrium; & fuit iste dies dies Sabbathi, & dies expiationis. Cum ergo illuc adscenderet Nebuzaradan, vidit sanguinem bullientem: Dixit iis ergo; quid hoc sibi vult? Sanguis est, inquiunt, vitulorum, agnorum, & arietum, quos obtulimus in altari. Afferte ergo, inquit, vitulos, agnos, ac arietes, ut experiar, an hic ex eorum sit sanguine. Adduxerunt, ac mactarunt, & sanguis iste adhuc bulliit, at eorum sanguis non bulliit. Rem mihi pandite, ait, aut ego carnem vestram carminabo pectinibus ferreis: Dixerunt ergo ei: Sacerdos & propheta, & Judex hic fuit, qui Israeli prædixit mala hæc omnia, quæ a te passi sumus, & nos in eum insurreximus atque occidimus: & ego eum, inquit, placabo. Sapientes adduxit, atque eos super istum sanguinem occidit, & tamen non est sedatus. Adduxit puerulos e schola, atque eos super eum occidit, & tamen non quievit. Adduxit juvenes sacerdotes, atque eos super eum occidit, & tamen non quievit; ita ut occideret super eum nonaginta & quatuor millia, & tamen non quievit: Appropinquavit ipse, & dixit: O Zacharia, Zacharia: Optimos inter tuos perdidisti; num vis ut omnes perdam; Tum quievit, & non ebulliit amplius* &c. Præterea *Luc.* XI. 44. appellantur *monumenta quæ non apparent*; *Matth.* XXIII. 25. *Pleni rapina, & immunditia*. Ibid. vers. 28. *Pleni hypocrisi & iniquitate*. Ibid. *Job.* IX. 40. *Matth.* XV. 14. XXIII. 16. 17. 24. 26. *Cæci*. *Matth.* XVI. 4. *Generatio mala & adultera*. *Matth.* III. 3. &c. XXIII. 23. *Serpentes, & genimina viperarum*. *Matt.* XXIII. 15.

15. *Filii Gehennæ*: *Matt.* XVI. 11. *Cavete a fermento Pharisæorum*, *&* *Sadducæorum*: Et cum quidnam intelligeret, exposuisset: *Tunc intellexerunt*, *quia non dixerit cavendum a fermento panum*, *sed a doctrina Pharisæornm*, *&* *Sadducæorum*. Hieronymus in h. l. *Fermentum Pharisæorum*, *&* *Sadducæorum non corporalem panem*, *sed traditiones perversas*, *&* *hæretica dogmata*. Et paulo post. *Hoc est fermentum*, *de quo Apostolus loquitur*: Modicum fermentum totam massam corrumpit: *Istiusmodi fermentum*, *quod omni ratione vitandum est habuit Marcion &* *Valentinus*, *&* *omnes hæretici*. *Matth.* XV. 3. *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* *Matth.* XXIII. 5. *Opera sua faciunt ut videantur ab hominibus*. Vers. 6. *Amant primos recubitus in cœnis*, *&* *primas cathedras in Synagogis*, *&* *salutationes in foro*, *&* *vocari vb hominibus Rabi*. *Aruch* in voce אבי. *Secula vetustiora*, *quæ digniora erant*, *opus non habuerunt titulo vel Rabbi*, *vel Rabb*, *aut ad sapientes Babylonis insigniendos*, *aut sapientes terræ Israeliticæ*; *Nam ecce adscendit Hillel e Babylone*, *&* *nomini ejus non additus est titulus Rabbinatus*; *atque ita erat de iis qui nobiles erant inter prophetas*; *nam dicit*: Haggai Propheta; *non Rabbi Propheta*: Ezra non adscendit e Babylone; *&* *non Rabbi Ezra*; *quos non insignierunt titulo Rabinatus*, *cum nomina eorum proferrent*: *Ac non audivimus*, *initium hoc habuisse nisi in præfectis Synedrii a Rabban Gamaliele sene*, *&* *Rabban Simeone filio ejus*, *qui periit in excidio templi secundi*, *ac a Rabban Jochanan ben Zaccai*, *qui omnes fuerunt præfecti*. *Ac titulus etiam Rabbi incepit a promotis ad Presbyteratum ex illo tempore*, *R. Zadok &* *R. Eliezer ben Jacob*, *effluxitque res a discipulis Rabban Jochanan ben Zaccai*, *&* *ultra*: *Ordoque in ore omnium sic est Major Rabbi quam Rabb*, *&* *major est Rabban quam Rabbi*, *&* *major est qui nomine suo simplici vocatur*, *quam Rabban*. In *Babyl. Maccoth* Regem Jehoshaphatum ita sapientes vocasse asserunt: Cum videret ille discipulum sapientem, surrexit e solio, atque eum amplexus est, atque osculatus, eumque vocavit אבי אבי רבי רבי מרי מרי. *O pater*, *pater*, *Rabbi*, *Rabbi*, *Domine*, *Domine*. Discipuli magistros suos nomine Rabbi salutare debebant. *Babyl. Beracoth* fol. 27. 2. *R. Eliezer dicit*: המתפלל אחורי רבו *Qui orat post tergum magistri sui*, והנותן שלום לרבו והמחזיר שלום לרבו. *Et qui salutat magistrum suum*, *&* *resalutat magistrum suum*, *&* *qui se separat a schola magistri sui*, *&* *qui aliquod docet*, *quod non audivit a magistro suo*, *is divinam majestatem provocat ut discedat ab Israel*. Glossa ad hæc verba. *Qui salutat &* *re salutat magistrum suum*: Sic commentatur: *Qui magistrum salutat ea forma verborum*, *qua alios homines salutat*, *&* *non dicit ei*; שלום עליך רבי *Salve Rabbi*. Vid. *Hieros. Shevuoth* fol. 34. 1. Ibi refertur fol. 19. 1. Synhedrium vigesies quater quosdam excommunicasse על׳ כבוד רבי *propter honorem magistri*. Magistri se mutuo sic salutarunt. *Hieros. Moed Katon*. *R. Akiba dixit R. Eleazaro*, *Rabbi*, *Rabbi*: *Babyl. Taanith* fol. 2. 2. *R. Eliezer ben Simeonis Magdal-Gedor venit e domo magistri insidens asino*; *per rexit juxta ripam fluvii grandem valde*, *hilarisque*, *ideo quod plurimum in lege didicisset*: *Occurrit ei homo quidam deformis admodum dicitque* שלום עליך רבי *Salve Rabbi*; *at ille eum non resalutavit*; *verum e contra sic dixit*: Raka; *quam deformis est iste vir*; *forsan omnes concives tui æque deformes sunt ac tu?* *Respondit ille*: *Ego hoc non novi*; *ast ito tu ad opificem*, *qui me fecit*, *eique dic*: *Quam deforme est hoc vasculum*, *quod fecisti?* Et paulo post. *Cum accederet* (iste deformis) *ad propriam urbem*, *prodierunt ei in occursum concives*, *&* *dixerunt*, שלום עליך רבי רבי מורי מורי. *Salve Rabbi*, *Rabbi*, *magister*, *magister*: *Dicit iis* (R. Eliezer) *Cuinam vos dicitis Rabbi*, *Rabbi?* *Respondent*: *Ei qui te sequitur*. *Quibus ille*: *Si hic est Rabbi*: *ne multiplicentur tales in Israel*. *Matth.* XXV. 24. *Comeditis domos viduarum*, *orationes longas orantes*. Iterum *Matth.* VI. 5. *Et cum orates*, *non eritis sicut hypocritæ*, *qui amant in Synagogis*, *&* *in angulis platearum stantes orare*, *ut videantur ab hominibus*. *Luc.* XVIII. 11. *Pharisæus status hæc apud se orabat*: *Deus gratias ago tibi*, *quia non sum sicuti cæteri homines rapaces*, *injusti*, *adulteri*, *velut etiam hic publicanus*. *Matth.* XXIII. 14. *Excolantes culicee*, *camelum deglutientes*.

VI. Quamvis Pharisæorum dogmata, & instituta per se prava, vel ab ipsis depravabat essent, fuissentque toties, ut vidimus, a Christo Servatore damnata, & exprobrata, tamen credendum est non ipsius per se sectæ hæc vitia fuisse, neque eorum omnium, qui eam sequebantur. Apostolus *Actor.* XXVI. coram Festo Romano præside, Agrippa Rege, magnoque judicum consessa ait: *Secundum certissimam sectame nostræ religionis vixi Pharisæus*: Græce dicitur ἀ-

ρέσις ἀκριβεστάτη i. e. secta exquisitissima, & accuratissima: Et a *Josepho* lib. II. Capt. eodem pene vocabulo Pharisæi appellantur: οἱ δοκοῦντες μετ' ἀκριβείας ἐξηγεῖσθαι τὰ νόμιμα. Et lib. XVII. Ant. cap. 3. ἐπ' ἀκριβώσει μέγα φρονοῦν τοῦ πατρῴου νόμου μόριόν τι τῶν Ἰουδαίων. Syriace eodem *Actor.* loc. *ulphana rischaja* i.e. *doctrina & institutio prima* ut etiam a *Josepho* lib. II. capt. cap. 14. dicitur *seu præcipua & principalis*. Si absurda & absona sunt, quæ adhuc ex hujus sectæ principiis recensuimus, quomodo illa exquisitissima, & accuratissima dici poterat? Credendum est vitia, uti dictum est, omnibus sectatoribus non fuisse communia, quod satis indicat eodem loco Apostolus: *Ab initio* (inquit) *secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus*: Et cap. XXII. vers. 5. *Nutritus juxta veritatem* (τὴν ἀκρίβειαν) *paternæ legis*: Et ad *Phil.* cap. III. 5. *Siquis alius videtur confidere in carne, ego magis circumcisus octavo die, ex genere Israel, de tribu Benjamin Hebræus ex Hæbræis, secundam legem Pharisæus*. Et postea vers. 9. dicit se in Christo Jesu justitiam, quæ ex lege est, habere noluisse, ut illam, quæ ex fide est Christi haberet; Justus igitur antea secundum eam, quam non Pharisaica hypocrisis, & improbitas explicata, sed lex ipsa dabat, justitiam erat, præsertim quia ibidem ait: *Ego secundum justitiam conversatus, quæ in lege est, sive querela*. Sicque Mosaica justitia eum fuisse justum pronunciat Hieronymus lib. I. & II. ad *Gal.* cap. 3. Præterea Gamaliel magister ipsius Apostoli, ad cujus pedes eruditus erat juxta veritatem paternæ legis *Actor.* XXII. 5. erat vir probus, & a Pharisaica invidia, cæcitate ac furore alienus. Cum S. Petrus & Apostoli a Judæis capti, a Sacerdotum principe objurgati, a Sadducæis agnorum instar, circumadati essent; *Surgens* (Actor. V. 34.) *quidam in concilio Pharisæus nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis universæ plebi, jussit foras ad breve tempus fieri*: Eosque liberavit, & eorum se numero adjuncit. *Erat* (Joh: III. I.) *homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Judæorum*. Et virum fuisse rectum, veritatisque amantem apparet ex toto Christi Domini colloquio, atque ex ejus apologia in Synhedrio pro Christo Domino, atque ex ejus conditura pro corpore Christi Domini *Joh.* XIX. 39. Qui Christum Dominum adhuc infantulum ulnis excepit (*Luc.* II. 28. *Homo erat justus & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus Sanctus erat in eo*) Pharisaicæ Sectæ fuissæ multi scripserunt: Præter istos plures Pharisæos ad Christi Domini fidem accessisse affirmatur *Actor.* XV. Sicut & eorum multi ad Johannis Baptistam accesserunt *Matth.* III. Credendum est vitia, quæ reprehenduntur, non omnibus nec solis Pharisæis fuisse communia. Eadem fere Jurisperitis objiciuntur a Christo Domino vitia, *Luc.* XI. & *Matth.* XXIII. & alibi, quæ Pharisæis. Cum plurimi ex Pharisæis improbi ac scelerati essent, ideo toties eos Christus Dominus monuit atque arguit. Consuevere hujusmodi reprehensiones, atque objurgationes fieri, quasi ne unus quidem bonus & rectus sit, ut *Isai.* I. 6. *Jerem.* VIII. 6. & 10.

CAPUT VIII.

I. *De Scriptura nominis Sadducæi.* II. *Unde dicti?* III. *De Sadoco hæresiarcha*: IV. *Baithos, sive Baithus, a quo, Baithusæi. Dosithæus Samarita.*

I. **E**Piphanius hæres. 14. ἐπονομάζουσιν οὗτοι ἑαυτοὺς σαδδουκαίους, δῆθεν ἀπὸ δικαιοσύνης τῆς ἐπικλήσεως ὁρμωμένης. Σεδὲκ γὰρ ἑρμηνεύεται δικαιοσύνη. Idem scribit *Hieronymus* in *Matth.* XXII. צדוק Σαδὼκ Hebraice dicitur (quamquam in Bibliis Græcis aliquando Σαδοὺκ scribitur. Hoc nomen Judaice effertur צדוק Σαδδοὺκ. *Josephus*: Ἰοῦδας καὶ Σάδδουκος. Ideoqui Hebraice צדוקים Σαδωκέιμ dicendi, ii Judaice dicuntur צדוקאי Σαδδουκαῖοι. Saducæus utrum unica D an geminata D scribatur, parum refert: Nam utraque Scriptura deprehenditur in Codicibus Latinis: A Sadoc Sadocæus, & immutatione unius literæ Saducæus; quod tamen potius a Saduc id est Σαδοὺκ. Quanquam *Ezech.* XLVIII. II. & XLIII. 19. & XLIV. 15. in codicibus Græcis legatur σαδδοὺκ, unde ut conjicio Σαδδουκαῖος *Sadducæus*. *Hieronyus* in coment. Qui sunt de semine Sadoc, quem cur LXX. σαδδοὺκ nominent, scire non valeo. Non est dubium, quin legerint צדוק unde σαδὼκ melius per ω magnum, quam σαδὸκ per ο parvum. Apud antiquum Interpretem Syrum hoc nomen perpetuo scribitur זדוקיא unica D & Sade in Zain versa.

II. *Suidas* Σαδδουκαῖος ἀπὸ τούτου. Locus ille qui sit ignoratur. Beda in *Acta* cap. V. *Saducæi interpretantur justi, dicti a Sadoc sacerdote, vel propter genus vel propter mores*. An Sadoc hæresiarcha sacerdos fuerit, ignoratur; At non ignoratur dictos esse non propter genus, aut mo-

mores ejus, ſed propter hæreſin. *Epiphanius*: ἦν δὲ καὶ Σαδὼκ τις τοὔνομα κατὰ τὸ παλαιὸν τῶν ἱερέων· ἀλλ' οὐκ ἐνέμειναν οὗτοι ἐν τῇ ἐπιστάτου αὐτῶν διδασκαλίᾳ. *Erat autem & quidam Sacerdos Sadoc nomine priſcis temporibus; ſed non permanſerunt hi in præſulis ſui doctrina*; Si verum hoc, *ergo non a Sacerdote illo nomen acceperunt*. Idem. Σαδδουκαῖοι, ἑρμηνεύονται δίκαιοι· σεδὲκ γὰρ δικαιοσύνη. Δικαίους γὰρ ἑαυτοὺς ὠνόμαζον. *Juſtos enim ſeipſos cognominabant*. Juſti Saddicim dicuntur, non Sadducim. Verum etymon eruetur ex *Theophylacto*; ἀπὸ αἱρεσιάρχου σαδὼκ ὀνομάζονται. *Aut ab Hæreſiarcha Sadoc nominantur*. In commentario ſuper *Aboth*. *A Sadoc & Baithos vocati ſunt diſcipuli eorum Saducæi & Baithuſæi*. *Aruch*. *Vocantur Sadocæi de nomine Sadoc*.

III. *Epiphanius* Sadocum hunc αἱρεσιάρχην appellat; quia fuit autor hæreſis Sadducæorum, qui ab eo nomen ſortiti ſunt. Vixit Sadoc ſub Antigono Sochæo, qui Simeoni juſto ſucceſſit: Cordiſcipulum habuit Baithos, a quo Baithoſæi. De his fit mentio in *Aboth*. *Coram Antigono ſedebant duo diſcipuli Sadoc & Baithos*. Et *Abraham Zacuth* in *Juchaſin*. *Tunc erant Sadoc & Baithos diſcipuli Antigoni caput, & hoc initium hæreſeos; Nam abierunt tempore Antigoni præceptoris ſui ad Sanctuarium montis Garizin, fueruntque ibi capita, ſive primores*: Et *Aruch*. *Expoſitum eſt in Aboth R. Nathan, Antigonum virum Socho oriundum duos diſcipulos habuiſſe, quorum nomina Sadoc & Baithos, e quibus exierunt duæ familiæ malæ Sadducæorum, & Baithuſæorum; Dicti autem Sadducæi a Sadoc, ut Baithuſæi a Baithas*. *Abraham David* in Cabbala. *Antigonus Sochæus accepit a Simeone juſto, & Sodalitio ipſius: Hæc erat ætas tertia, & ipſe dicebat*: *Ne eſtote tanquam ſervi, qui miniſtrant principi ea conditione, ut accipiant præmium. Sadoc autem & Baithos interrogabant eum hac de re, & reſpondit eis, quod in præmio ſeculi hujus non poneret fiduciam, ſed in ſæculo venturo. Sed ipſi negant verba ejus, & dicebant nunquam audivimus quicquam de ſeculo venturo. Fuerunt autem diſcipuli ejus, diſſenſeruntque ab eo, & abierunt ad Sanctuarium montis Garizin, ubi erant principes*. *Aruch*. *Antigonus docuit diſcipulos ſuos Sadoc & Baithos; nolite eſſe tanquam ſervi &c. Abierunt, & docuerunt diſcipulos ſuos, & diſcipulos diſcipulorum ſuorum non ſecundum mentem ejus. Dixerunt; Si patres noſtri ſciviſſent eſſe reſurrectionem mortuorum, & mercedem datum iri juſtis in ſeculo venturo, certe ita docuiſſent & ſepararunt ſe ab lege; & dixerunt: Traditio in manu Phariſæorum ad vexandum ſe in hoc ſeculo* (ſtulta eſt) *cum in ſeculo venturo non ſit illis merces*. Et addit. *Qui miniſtrat principi ea conditione, ut accipiat præmium ſibi miniſtrat, non principi: Deinde miniſterium iſtud conditionem habet; ſi dederit præmium; quod ſi non dederit; non miniſtrabit ei*. *Maimonides* in *Aboth* loc. cit. *Huic ſapienti erant duo diſcipuli, Sadoc, & Baithos, qui cum hoc a Magiſtro audirent, inter ſe cum exiſſent, dixerunt; Magiſter noſter in expoſitione ſua nos docet, non eſſe vel præmium vel pœnam, nec ullam omnino* (in futurum) *expectationem*: (*Nam quid ſibi vellet ille non intellexerunt*:) *Mutuo ergo ſe ipſos confirmarunt, ac receſſerunt a norma, ac legem deſeruerunt; atque utrique adhæſit aliqua turba: Eos ergo ſapientes vocarunt Sadducæos, & Baithuſæos*. Dictum Antigoni habetur in *Aboth* cap. 1. *Ne eſtote ſicut ſervi, qui miniſtrant principi ea conditione, ut præmium ab eo accipiant; ſed eſtote ſicut ſervi qui miniſtrant principi hac conditione, ne accipiant præmium; & ſit Dei timor ſuper vos*. Commentatur quidam ad h. l. Non dicit ea conditione ut accipiant mercedem, ſed ea conditione ut accipiant præmium, i. e. פרס quod interpretatur מנה portionem vel minam. *Saadias* in *Dan.* ait eſſe dimidium minæ: *Syrus* in novo fœdere פרס vocat σιτομέτριον i. e. *demenſum*; *Luc.* XII. 42. קצין הוו פריסתא dixit pro *frangentes erant panem*. *Act.* II. 46. *Tremellius portionem* reddit id eſt מנה.

IV. In *Aboth* R. Nathan cap. 5. *Sadoc habuit condiſcipulum Baithos nomine cui miniſtrabant vaſis argenteis, & aureis*. Hic a Sadoco diverſam familiam conſtituit, licet una & eadem utriuſque hæreſis eſſet. Baithos *Genebrardus* confundit cum Doſithæo, qui teſte *Origene* contra Celſum lib. II. vixit poſt tempora Chriſti. *Poſt Jeſu tempora* (inquit) *Doſithæus Samarita conatus eſt perſuadere civibus ſuis ſe eſſe Chriſtum illum pronunciatum a Moſe, viſuſque eſt diſcipulos inveniſſe*. Idem in *Matth.* tractatu 27. *Sicut manifeſtat hiſtoria lectionem, non multi fuerunt homines tempore Apoſtolorum, qui ſe Chriſtos eſſe dixerunt, niſi forte Doſithæus Samareus, unde Doſitheani dicuntur, & Simeon*. Si Samarita erat, alius eſt ab eo, quem *Epiphanius* memorat hæres. 13. Nam hic a Judæis ad Samaritas defecit: *Doſithæus* (inquit *Epiphanius* l. c.) *commixtus eſt Samaritanis ab Judæis exiliens ad eorum mores*:

res: Et cum in legis doctrina processisset, iisque quæ apud illos (Judæos) *sunt deuterosibus* τὰ πρωτεῖα, i. e. *apud eosdem primas venatus esset, speque sua, & conatu excidisset, neque dignus qui apud Judæos aliquid existimaretur, habitus esset, declinavit ad Samariticum genus, & huic ipsi* (Dositheanorum) *hæresi præfuit. In spelunca vero vitem agens anachoreticam propter nimium ejus, quam sibi ipse finxerat, sapientiæ studium, varie ac hypocritice in jejunio perdurans, ut quidem fama est, sic mortuus est in panis, & aquæ inopia, e spontaneo suo scilicet decreto seu sententia. Post dies vero aliiquot venisse ajunt aliquas ad ejus visitationem, ejusque corpus reperisse tetrum exhalans odorem, & erumpentes e ipso vermes, muscarumque super ipso nubem ingenti numero, & quodam veluti examine constitisse.* Dositheus Hebraice דוסתאי Dosthai scribitur. Fuerunt plures hoc nomine. Nam in *Juchasin* memoratur quidam ex discipulis Schamai, qui Christo coævus fuit, & alius Desthai filius R. Jannai discipulus R. Meir. In *Ilmedenu* sectione; *& sedit Jacob*: mentio alterius Desthai, qui similiter habuit patrem Jannai. *Sennacherib misit ad Samaritanos Samariam R. Dosthai filium Jannai ad docendum eos legem: Sebaja* cum *Dosthai* ad Samaritanos missus est a Sennacherib ad docendum eos legem. In *Ilmedeau* fol. 16. col. 1. *Quum novi incolæ Samariæ a leonibus infestarentur, Sennacherib misit qui caussam quærerent; dixerunt: Terra illa non admittit gentem, quæ se non exercet in lege, neque circunciditur: Dixit illis: Date mihi duos e vestro numero, qui eo proficiscantur, & doceant eos. Statium ergo miserunt R. Dosthai filium Jannai, & R. Sebaja, qui docuerunt eos in scriptura legis.* Forte Dosthai hic est ille, de quo *Epiphanius* hæres. 14. Σαδδουκαῖοι ἀπόσπασμα ὄντες ἀπὸ Δοσιθέου. *Sadducæi avulsio a Dositheo existentes.* Inter hunc & discipulum R. Meir mille anni plus minus intersunt: Præter hos alius laudatur R. Dosthai filius Juda, & Abba Jose filius Dosthai cap. IV. *Sanhedrin*. Ceterum Dositheani prophetas rejiciebant teste *Tertulliano* de præscriptionibus adversus Hæreticos lib. 1. *Taceo enim Judaismi hæreticos; Dositheum inquam Samaritanum, qui primus ausus est prophetas quasi non Spiritu Sancto locutos repudiare.* Dositheus non ita vetustus esse videtur, ut ab eo derivari potuerint Sadducæi secta vetustissima, ut vult *Epiphanius*, præsertim cum Sadducæi resurrectionem negarent, Dositheani assererent: ἀνάστασιν γὰρ ὁμολογοῦσι, καὶ πολιτεῖαι εἰσὶ παρ᾽ αὐτοῖς: *Resurrectionem enim fatentur, & apud ipsos sunt instituta*: Teste ipso *Epiphanio* hæres. 13. & recte *Origenes* post Christi tempora exortum ait Dositheum. Quare nihil alienius a vero Σαδδουκαῖοι ἀπόσπασμα ὄντες ἀπὸ Δοσιθέου τοῦ προλελεγμένου.

CAPUT IX.

I. *De variis nominibus Sadducæorum.* II. *An Caræi hujus temporis Sadducæi?* III. *An prophetas rejecerint?*

I. SAdducæi aliquando vocantur מינים. *Maimonides* in Pirke fol. 26. col. 2. ומאן יצאו אלו הארורות של מינים. *Et ab eo tempore* (Sadoc sc. & Baithos) *exiverunt istæ sectæ Minæorum qui vocantur in his terris* (h. e. in Ægypto) *Karæi; apud sapientes autem nostros nomen ipsorum est Sadducæi, & Baithusæi &c. Elias* in Thasbite מין *dicitur is qui sine lege vivit. Scribit autem R. Moses filius Maimon non cadere hoc nomen nisi in Sadducæum, & Baithusæum. Rosch Haschana* fol. 17. 1. אבל המינין והמסירות והאפיקורוסין: *Sed Hamminim proditores, & Epicuræi, & socii ipsorum descendunt in infernum & puniuntur ibi in generationes generationum*: Ubi *Raschi* האישים אשר הפכו המינין *Minim* דברי אלהים חיים לרעה כמו צדוקים וביתוסים. *Homines qui pervertant verba Dei in malum, quales fuerunt Sadducæi: & Baithusæi. Juchasin* fol. 159. 1. *Discipuli ejus* (Antigoni) *fuerunt Sadoc & Baithos, qui pessime deponerarunt tenuerunt hæresim; & illi fuerunt principes Minæorum, & Epicuræorum*; Nomen impiorum putrescat. Veruntamen per מין intelligitur etiam Manichæus. In *Ammude Golah* fol. 123. מינים ר״ל מחזיקי אמונת מאני והוא היה פלוסוף מפלוסופי היונים. *Minim sunt qui tenent fidem Mane, qui fuit philosophus ex philosophis Græcorum*. Glossa in *Hierosol. Beracoth* cap. IX. המינים הם אותם שמאמינים שהיו שני אלוהות *Minim sunt illi qui credunt duos esse Deos* (quæ Manichæorum fuit hæresis.) Et in libello מכתם לדוד fol. 81. col. 2. Scribitur, in dicto illo R. Akibæ אף הקורא ספרים החיצונים *Etiam qui legit in libris extraneorum* (non habebit sc. partem in seculo futuro) per *Extraneos* intelligi המינים *Minim* qui non credunt unitatem Dei. Et paulo post: וכתב הרב מישיר ליאון ז״ל כי ראש המינים כופר באחרות השם ית׳ היה נקרא בשמו מני ועל שם אותו מני קראו כל מי שכופר באחדות השם ית׳ מין ולאלו המינין

שכופרים

שכופרים באחרות השם ית׳ קראום רז״ל היצונים וכו׳. *Et scribit eximius vir Leon f. m. quod princeps Minæorum, qui negavit unitatem Dei Benedicti, fuerit appellatus Manu, vel Mano, & juxta nomen istius Mano vocarunt quemvis, qui unitatem Dei negavit Minæorum* mentio in Epistola *Hieronymi* ad *Augustinum*: *Usque hodie per totas orientis Synagogas inter Judæos hæresis est quæ dicitur Minæorum, & a Pharisæis nunc usque damnatur, quos vulgo Nazaræos nuncupant, qui credunt in Christum filium Dei natum de Virgine Maria, & eum dicunt esse qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit in quem & nos credimus: Sed dum volunt & Judæi esse & Christiani, nec Judæi sunt nec Christiani*. Secta ista proculdubio fuit Baithusæorum, & Sadducæorum, vel Karræorum, qui omnes traditiones rejiciebant, & Scripturam pro lubitu explicabant. Quod dicit illos vulgo Nazaræos fuisse nuncupatos, ideo factum esse potuit, quod in Christum, Nazarenum etiam crederent, sicuti etiamnum hodie nos נוצרים appellant. Cæterum in genere hodie hæreticos מינים, & hæresin מינות appellant: Habent Judæi certam precationem, quam vocant ברכת המינים *precationem hæreticorum*; Vocatur etiam ברכת האפיקורוס, item ברכת למשומדים, ut apud *Maimonidem Tephillah* cap. 7. In libro *Taame Mizuoth* fol. 26. 2. vocatur ברכת הרשעים In *Babyl. Beracoth* fol. 28. 2. vocatur ברכת צדוקים, & in *Hierosol.* cap. 4. ברכת של מינים, & dicitur longe post octodecim preces *conscriptam esse in urbe Jafne* (nempe circa tempora Jesu Christi.) Sic legitur in exemplari Polonico Cracov. an. 1602. excuso לאחר זמן מרובה קרוב לתרבותו של הנוצרי שלמד להפיך דברי אלהים חיים. In *Tzemach David* part. 1. fol. 36. 1. Legitur: *Sanhedrin migravit in Hierusalem Jafanum 40. annis ante vastationem templi anno 4385. & ibi ordinavit Samuel precationem hæreticorum coram R. Gamaliel seniore, ut est in cap. 1. Sanhedrin: Ex hac circunstantia temporis item liquet, tempore Christi conscriptam esse primum hanc precatianem; unde facile conjici potest, quibus de causis & contra quos sit directa*. Vocantur etiam Sadducæi קראים id est Karæi; eo quod traditiones rejicerent. Maimonides in *Aboth* cap. 1. *Ab isto tempore egressæ sunt istæ sectæ maledictæ hæreticorum, & vocabantur in hisce terris* (nempe in Ægypto) *Karræi. Nomina autem ipsorum sunt* (id est nominantur apud sapientes) *Sadducæi & Baithusæi, & ipsi inceperunt respondere contra Kabalam* (id est se opponere traditionibus Seniorum) *& explicare versiculos* (id est inhærere soli Textui Biblico) *prout conveniens ipsis videbatur, nec audiebant ullum sapientem omnino*. R. *Abraham* in lib. זכות fol. 17. 1. ובזמן אלו המלכים התחילו גם כן כת הקראים ונקראו גם כן צדוקים ובייתוסים *Et tempore horum regum initium sumsit etiam secta Karræorum, qui vocantur quoque Sadducæi & Baithusæi. Abarbanel* in comment. in cap. 1. *Aboth* ubi de Sadoco & Baithos agit scribit: ומהם נעשו כת הקראים עד היום הזה. *Et ex ipsis facti sunt Karræi usque in diem hodiernum*. Autor Kabbalæ Historicæ fol. 40. *Et cepit rex* (Alexander, qui & Jannæus cognominatus est) *octingentos ex magnatibus Pharisæorum, & vincivit eos catenis ferreis, tradexitque eos Hierosolymam: Apparavit autem convivium omnibus ministris suis super tecto palatii sui, in loco excelso, ubi comederunt, biberunt, & inebriati sunt cum eo* גדולי הקראים *magnatos Karræorum. Cum vero hilariori esset animo; præcepit produci octingentes illos vinctos, suspenditque eos omnes in conspectu suo, videns, bibens, ac lætus. Post mortem Alexandri regnavit uxor ejus Alexandra, quæ habuit duos filios Hyrcanum, & Aristobulum; Hyrcanus vir probus, & rectus fuit amator Pharisæorum, Aristobulus vir bellicosus, Karræorum amator, Regina mater Pharisæorum protrectrix fuit, voluitque omnem Israhelem ipsorum religionem amplecti; Sic Hyrcanum constituit Sacerdotem summum, Aristobolum autem ducem exercitus: Reminino autem dedit ipsa Pharisæis super Karræos, dixitque ipsis. En ipsos in manu vestra, agite cum ipsis, ut placuerit in oculis vestris. Egredientibus ipsis ex conspectu ejus inciderunt in Dogerum Magnatum Karræorum, interfecerunt eum gladio, populumque multum ex magnatibus Karræorum simul trucidarunt, ita ut pessime cum hæreticis istis fuerit &c.* Epicurræi quoque dicti sunt. *Juchasin* fol. 139. *Sadoc & Baithos erant principes hæreticorum*. Vocantur etiam Epicuræi. Quomodo Epicuræorum? Quia ut *Philastrius* ait: *Epicuræi dementiam potius, quam divinæ legis jura sectabuntur; Aboth* cap. 2. *Esto vigilans in studio legis, ut habeas quod respondas Epicuro*. Ubi Glossa. *De voce* אפיקורוס *variant Sapientum sententiæ: Sunt qui dicunt eum vocari Epicurum, qui contemnit discipulos sapientum; Alii dicunt Epicurum esse, qui retegit faciem in legem, ut Manasse filius Ezechia. Sanhedrin* cap. 2. numerat Epicuræos inter eos qui non sunt habituri

turi partem in futuro seculo. Ubi *Gemara* fol. 99. 2. *Epicurus est*, זה המבזה תלמיד חכם *qui contemnit discipulum sapientis*. Maimonides in *Sanhedrin* cap. 18. *Vox* אפיקורוס *est Aramea ac significat eum* שמפקר *qui arroganter despicit; & contemnit legem, aut discentes eam. Abarbanel* cap. 2. in *Pirka Avoth* אפיקורוס וכופר בפינות התוריות ומבזה ארת דברי חכמים. *Epicurus est qui negat pinuas legales* (i.e. articulos fidei) *& contemnit verba sapientur*. Sæpe etiam Epicurus idem est ac Hereticus; nam qui negat articulos fidei, merito dicitur hæreticus: Hinc המינין & אפיקורוסין inter se permutantur. Sic ubi in Gemara Veneta est המינין ibi in Basileensi habet להשובת אפקורו סין tu אפקוריסין *ad responsionem contra Hæreticos. Bava Batra* fol. 91. 1. Pro eo comuniter dicitur לאשובת המינין. Vocem autem המינין usurpare recentiores renuunt, quia innotuit ea Christianos indigitari. Hinc הוי שקור ללמוד תורה מה שתשיב לאפקירוס *Est vigil ad discendam legem, ut ponis respondere hæretico. Sanhedrin* fol. 28. 2. שלא יאה לבו להעות האפיקורום. *Ne inclinet cor sum ad opiniones hæreticas*. Hinc צפכירוסות *Epicureitas, Epicuresurus, hæresis, dissidium, dissentio, varietas opinionum*. Apud Genaricos מיד נזרקה אפיקורופורה: *Statium conjecta fuit in ipsum hæresis*, i. e. suspectus fuit de hæresi. *Kiddusbin* fol. 66. 2. וגורמים לאפקירוסות: Et occasionem præbent dissidio, ire. Diversis aut hereticis dissentionibus: *Cosri* fol. 180. פך תפול לספקות יביאוך לאפיקורוסות ולא חסכים עם חברך. *Ne incidas in dubia, quæ te adducant in diversitatem opinionum, ut non conveuiat senteutia tua cum sociis tuis. Cosri* iterum 181. 1. אפקירוסותם. *Et causa hæreseos ipsorum*.

II. De Karræis dissentiunt Judæi. Quidam eos distingunt a Sadducæis. Liber annotationum in *Aboth*. *Sunt qui dicunt Sadducæos & Baithusæos esse illos, quos alii Caræos appellant: Sunt qui dissenti aut dicentes, Caræos esse aliud genus hæreticorum*. Autor libri *Cosri* oratione 3. sect. 61. distinguit Caræos a Sadducæis. Nam primo originem Caræorum diversam tradit, deinde in dogmatibus differentiam aliquam. Quoad originem post Simeonem justum qui ultimus fuit ex viris Synagogæ magne, primum Scholæ caput ponitur comuniter ab omnibus Antigonus, qui floruit annis Mundi 3460. trecentis annis ante Christus ut est in *Juchasin* fol. 19. 2., cujus discipulis fuerunt Sadoc & Baithos, autores sectæ Sadducæorum, vel ut autor iste scribit שהיו ראש לכופרים ובהם נקראו הצדוקים וביתו סים *qui fuerunt caput hæreticorum, & ab illis vocati sunt Sadducæi & Baitusæi*. Hos sæcuti sunt Joseph ben Joeser, & Joseph ben Jochanan, annis quadraginta post. Prioris celebris est mentio in libro *Sotah* fol. 47. 1. Ex quo mortus est Joseph ben Joeser vir Tzaridæus בטלו האשכולות: *Cessarunt botri*: Juxta illud *Mich.* VII. 1. *Non superest batrus ad comedeudum. Botri* i. e. sapientes אשלול i. e. איש שכל בו. *Vir in quo omnia sunt*. Huic successit annis sexaginta post Joma ben Perachin, & Nittæus Arbelita. Rursus post annos sexaginta successit Jehuda ben Jabbai, & Simeon ben Schetach: *Sub hoc* scribit autor *Cosri* התחילה דעת הקראים *initium accepit opinio Caræorum propter historiam, quæ accidit cum rege. Jannæo*, de qua in lib. Kiddhusin cap. 3. fol. 66. וכבר השרישו הקראים שורש עם אנשים שהיו דוחים את התורה שבעל פה ומתחכמים בטענות כאשר אתה רואה שעושין היום אבל הארוקים והבייתוסים אינם כי אם אפיקורוסים מכחישים העולם הבא אך הקראים הם בשתרלים בשרשים מתחכמים בתולדות. *Et jam radices egerunt Caræi cum hominibus rejicientibus legem oralem, & sapientes se ostentabant cectionibus sive argumentationibus, sicut vides eos adhuc hodio facere: At Sadducæi & Baithusæi non sunt nisi hæretici negantes seculum futurum, sed Caræi occupati sunt in radicibus, sive fundamentis, & sapientes se præstant in rebus*] *naturalibus*. Et sect. 23. *Peto ut de Caræis quantum tibi de illus constat, me nonnihil instruos* כי אני רואה אותם משתדלים בעבודה יותר מהר בנים ואני שומעטעיותם יותר מכיעות ויותר מפיקות לפשט התורה. *Nam video illos studiosiores esse in cultu, quam Rabbinos* (qui sc. Pharisæos sequebantur) *auditque ipsorum rationes magis esse ponderosas, propriusque adducere ad simplicem sensum scripturæ*. Hinc apparet Caræos multis annis post Sadducæos ortos esse, & hos quidem simpliciter hæreticos dici, quod negent seculum futurum, & resurrectionem mortuorum, illos vero Caræos non item, sed in eo tantum differe, quod negent traditiones. At vero apparet hunc autorem non totum loqui de priscis Caræis, sed de hodiernis, qui in eo differunt a priscis, quod confiteantur; resurrectionem, & seculum futurum. Id innuit commentatur in librum *Cosri* Orat. 3. sect. 65. ולפי דעתם הוצרכנו לומר שאם היות הקראים בלתי מכחישים היום העה״ב כבר היתה ראשיתם שרש פורה ראש לענה הדעת הנפסד הזה. *Juxta sententiam ipsorum*

rum cogimur dicere, quod etsi Caræinon negent hodie seculum futurum, invaluerat tamen ista & pestifera opinio inter ipsos, nisi quod non fuerit inter tam multos propagata & disseminata, ut secta Pharisæorum: ut docet *Maimonides* in *Aboth* de Antigono והיו לזה החכם שני תלמידים שם האחו צדוק ושם השני ביתוס וכאשר שמעו זה המאמר יצאו מלפניו וכו' והניחו התורה וכו': *Et fuerunt ipsi* (Antigono) *duo discipuli nomen unius Sadoc, alterius Baithos. Cum autem audirent ab ipso hanc doctrinam* (quæ ibi in Misna traditur) *digressi sunt ab ipso &c. Et reliquerunt legem, & adhæsit uni secta una, & alteri secta altera, vocaruntque eos Sapientes nostri Sadducæos & Baithusæos. Cum autem non possent congregare Ecclesias magnas in fide & in religione hac* (quod religio falsa dissipat Ecclesias, quanto minus colligit discipulos) *inclinarunt credere rem, quam non poterant coram plebe negare: Si enim protulissent eam ex ore suo* (i. e. si publice professi fuissent eam falsam religionem) *occidissent ipsos. Unde quisque dicebat socio suo se credere verba legis, & dissentire a Kabala* (traditionibus seniorum) *quæ non est vera. Idque propterea ut se liberos facerent a præceptis ex Kabala, aliisque decretis & commentationibus, posteaquam non possent rejicere omne quod scriptum & acceptatum esset*. Periculosum ergo antiquitus fuit negationem seculi futuri publice docere, unde & pauciores approbatores ea pars doctrinæ invenire, & tandem plana evanuisse, & intercidisse videtur; unde factum ut Caræi hodierni seculum faturum, præmia bonorum, & pœnas malorum in seculo futuro credant: Quod aperte docet *R. Abraham* in *Juchasin* in titulo libri: ומשם מתבאר כי הצדוקים אינם הקראים שבזמנינו כי אלו מודים בשכר ועונש ותחיה מה שאין כן הצדוקים. *Inde etiam putabit quod Sadducæis non sunt Caræi isti nostri temporis; hi enim confitentur præmium, & pœnas & resurrectionem, quod non faciunt Sadducæi*. At priscos illos Sadducæos etiam Caræos fuisse vocatos idem hic autor tradit lib. 15. Hactenus *Buxtorfius* in Lexico in voce קרא. Alio significatu קראי i. e. Caræus vocatus est R. Elieser filius Simeonis, in Scriptura, quæ קרא dicitur, optime versatus: *Juchasin* fol. 69. 2. Rab & Samuel, & R. Jochanan Caræi, quia verba eorum similia verbis Scripturæ, i. e. מקרא.

III. Num prophetas rejecerint est dubitandi locus. Nam Hebræi meminerunt tantum traditionum, quas πατροπαραδότους ἐντολὰς indigitant. Ad hæc unus ex eis qui commentati sunt super *Aboth* ait eos inniti Scripturæ; sub qua voce etiam prophetas comprehendunt: Præterea in templo sacrificarunt cum Pharisæis, quotidie cum illis versantes & cibum sumentes: Nec in novo fœdere prophetarum ulla mentio, ubi angelum & Spiritum & resurrectionum negare perhibentur. Certe hoc non debuisset retinere *Lucas*: Alia dubitationem moveat, quæ nunc non commemoro. *Scaliger Elench.* Trihær. cap. XVI. probat his rationibus Sadducæos prophetas non rejecisse: Hoc sane (*inquit*) *Hieronymus* & alii crediderunt, atque nescio unde causam nacti. Nam & ratio & *Josephus* manifesto adversantur: Prius quod eundem pene honorem prophetis, ac legi habebant, ut qui unum ex prophetis rejiceret, contra legem facere videretur: neque impune cuiquam licuisset prophetas rejicere, quin a populo lapidaretur; idque magno emtum voluissent Pharisæi, ut ipsorum hostes incurrerent causam aliquam, propter quam Hierosolymis tuto illis esse non liceret. Præterea quod Sadducei sacrificarent in templo, ex eo constat eos credidisse montem Sion esse locum a Deo delectum, in quo solo sacrificare liceret. At libri *Samuelis*, *Regum*, *Paralipomenon*, *Prophetarum*, *Psalmorum*, quid aliud continent, quam Hierusalem esse locum, in quo Deus elegit sedem Sanctuarii sui? Posterior ratio, cui nullo modo contradici potest, quod *Josephus* Sadducæos πάντα τὰ γεγραμμένα amplexos esse dicit; τὰς δὲ παραδόσεις ἀγράφους rejecisse. Quæ sunt τὰ γεγραμμένα? an aliud quam quæ dicitur מקרא? Verba *Josephi* 404. νῦν δὲ δηλῶσαι βούλομαι, ὅτι νόμιμά πολλά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ φαρισαῖοι ἐκ πατέρων διαδοχῆς ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις. Καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα τὸ Σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγον ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δὲ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν. *Nunc vero ostendere est animus Pharisæos multa legitima tradidisse populo ex patrum continuata traditione, quæ in legibus Mosaicis scripta non sint, quæque proinde Sadducæorum genus rejiciat, asserens ea demum censenda legitima esse, quæ scripta sunt, quæ vero ex traditione patrum sunt, omnino non servandum*. Manifesto solas τὰς παραδόσεις rejiciunt: Et nihil verius est, quam eos totam Scripturam retinuisse, sola πατροπαράδοτα aspernatos esse. Quod si quis *Josephum* de sola lege intellexisse contendat, ostendat mihi quomodo omnes libri Scripturæ præter solum Pentateuchum sint παραδόσεις ἄγραφοι.

φοι. Certe ridiculus erit, qui ita pertendet. Rursus *Tertullianus* ait Dosithæum prophetas rejecisse. Quum igitur ille a Judæis ad Samaritas transierit, ea de causa videtur fecisse quia & Samaritæ prophetas rejiciebant. Hactenus *Scaliger*. Rabban Gamaliel ut probaret Sadducæis resurrectionem mortuorum adduxit argumenta ex lege, ex prophetis, & ex Hagiographis; *Sanhedrin* fol. 90. 2. *Interrogabant Sadducæi Rabban Gamaliel; unde probatur Deum suscitaturum mortuos? Ex lege inquit ille, & ex prophetis, & ex hagiographis. Probatur ex lege, sicut dicitur*: Et dixit Jehovah Mosi הנך שוכב עם אבותיך וקם Ecce tu dormiens cum patribus tuis, & exurgens: *Deut.* XXXI. 16. *Dicunt ei: At forte sensus est*: וקם העם הזה וזנה: Et exurget populus hic, & mœchabitur. *Probatur ex Prophetis, sicut scribitur*: Vivent mortui tui, cum cadavere meo resurgent; expergiscimini, & jubilate, qui habitatis in pulvere. *Isai.* XXVI. 20. *At forte* inquiunt illi; *hi sunt mortui illi, quos resuscitavit Ezechiel. Probatur ex Hagiographis; sicut scribitur*: Palatum tuum est, ficut vinum optimum, vadens ad dilectum meum ad rectitudines, loqui faciens labia dormientium. *At forte* inquiunt illi, *motant labia sua in mundo*. Jam vero absurdissimum foret Gamalieli argumenta ex libris Propheticis & Hagiographis adducere contra Sadducæos, si libri isti apud eos nullius fuissent autoritatis; & vides non spretos aut rejectos ab iis libros ab illo citatos, sed verba allata in alium sensum, quam voluit Gamaliel torqueri. Quinetiam *Cholim* fol. 87. legimus Sadducæum citantem prophetas: *Ille qui creavit ventos, non creavit* רוח *Spiritum, atque ille qui creavit ventum, non creavit montes. Nam scribitur*: Nam ecce qui format montes, & qui creat ventum: *Amos* IV. 13. *Dixit ei Rabbi: O stulte. Perge ad finem commatis*. Dominus exercituum est nomen ejus. Tamen *Hieronymus*. *Quinque tantum* (inquit) *libros Moysi recipiebant Sadducæi, prophetarum vaticinia respuentes*. Et *Zacharias* Chrysopolitanus Episcopus. *Quinque libros Moysi recipiunt, prophetas respuunt*. *Tertullianus* lib. I. de præscript. *Taceo Judaismi hæreticos: Dosithæum* (inquam) *Samaritanum, qui primus ausus est prophetas, quasi non in Spiritu Sancto locutos, repudiare: Taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc hæresin etiam resurrectionem carnis negare*. *Gorionides* cap. 29. *Ecce Sadducæi dicunt ne credamus, & ne audiamus ullam traditionem, aut ullam expositionem, nisi legem Mosis solum*. Quum solum Moren reciperent, ideo Christus cum eorum errorem de resurrectione refelleret, ex ejus libris petiit testimonium. *Matth.* XXII. 32. *Stultum enim fuisset* (inquit Hieronymus) *inde proferre testimonia cujus autoritatem non recipiebant*. Cum Sadducæorum alii degerent in Judæa, & alii in Samaria, fieri potest, ut qui apud Judæos erant, prophetas receperint, qui apud Samaritanos habitabant, rejecerint. In his erant apostatæ gentis Judaicæ, qui Sicimis commorabantur, qui dicebant prophetis, & Hagiographos non esse legem. Quod illis commune cum Samaritanis. Dosithæus enim qui hos primus instituit prophetas repudiabat; Idem ergo Samaritæ faciebant, tantum Mosen recipientes. Samaritani etiam negabant resurrectionem, animam una cum corpore mori credentes: *Iccar.* Serm. IV. cap. 31. Qui a nobis dicuntur Samaritani, eos Hebræi plerunque quem כותים vel כותיים i. e. Cuthæos, cum plerique ex Cutha oriundi essent, appellant. Dicuntur etiam שומרונים. *Somronim*: *Tanchuma*. *In illa hora venerunt contra eos Somronim ad bellum, videlicet* 180. *millia. Et quomodo Somronim? nonne Cuthæi erant? Scire licet de nomine urbis Samariæ vocatos fuisse Somronim*, i. e. *Samaritanos*. Per nomen hammephoras, seu tetragrammaton excommunicati sunt a Judæis. *Tanchuma* fol. 17. 4. sect. Et sedit Jacob. *Tunc impeditum fuit opus templi usque ad annum secundum Darii regis Persarum. Quid fecerunt Ezra, Zorobabel, & Josue? Congregaverunt omnem Ecclesiam in templum Domini, adduxeruntque* 300. *Sacerdotes &* 300. *buccinas, &* 300. *libros legis, totidemque pueros, & clauserunt. Levitæ autem canentes psallentesque omnibus generibus anathematam devoverunt Chuthæos in arcano nominis tetragrammati, & in scriptura scripta super tabulas, & anathemate domus judicii superioris, & anathemato domus judicii inferioris, ut comederet ullus ex Israel, panem Cuthæi* (*unde dictum est: Qui comedit carnem Samariticum, ac si comederet panem Svillam*) *& ne proselytus fieret Cuthæus in Israel, neve illi pars esset in resurrectione mortuorum. Et scripserunt, & consignarunt, & miserunt ad omnem Israelem, qui erant in Babylonia, qui accumularunt contra eos anathema super anathema*. Orabant & immolabant victimas in monte Garizin: *Beræschith Rabba* sect. 32. *R. Jochanan proficiscens* Hie-

Hierosolymam ut oraret עכר כהרין פלטאנוס *transiit per illum montem* (Gerizin) *videns eum Samaritanus quidam : Dixit ei : Quo tendis? De precatum Hierosolymis : Et alter : Nonne præstat tibi orare in hoc monte benedicto, quam in domo ista maledicta? Unde autem hic mons benedictus? Cui Samarita :* דלא טף במיי דמבולא : *Quia non inundatus fuit aquis diluvii*. Ibid. Sect. 81. *R. Ismael filius R. Joseph proficiscens Hierosolymam ut oraret, transiit per istum montem : Videns eum Samaritanus quidam, dixit ei : Quonam tu? Et ille : Eo precatum Hierosolymis. Cui alter : Nonne præstaret orare in monte hac benedicto, quam in illo maledicto? At ille : Ego dicam cui rei vos similes estis; cani sc. cupido cadaveris; vos pariter cum sciatis idola esse sub hoc monte occultata, sicut dicitur* Genes. xxxv. 4. Et Jacob abscondit ea : *Omni aviditate post ea efferimini. Dixerunt inter se : Iste cum jam noverit idola esse in monte hoc occultata, nocte veniet & suffurabitur. Consilium ergo inierunt de eo occidendo : At ille nocte surgens essugit.*

CAPUT X.

I. *Dogmata Sadducæorum de Deo*. II. *De Fato?* III. *De Spiritu Sancto :* IV. *De anima :* V. *De Angelis*. VI. *De resurrectione mortuorum*. VII. *De præmio ac pœna.*

I. DEum nec mali patratorem, nec inspectorum credunt teste *Josepho* Judaic. lib. II. cap. 3. ϗ τὸν θεὸν ἔξω τῦ δρᾷν ἢ ἐφορᾷν τίθενται.

II. Fatum negant : *Josephus* ibid. Σαδδυκαῖοι δὲ τὸ δεύτερον τάγμα τὴν μὲν εἱμαρμένην παντάπασιν ἀναιρῦσι. *Sadducæi vero secundus ordo fatum omnino tollant*. Idem Orig. lib. XIII. cap. 9. *At Sadducæi fatum omnino negant, & e rebus tollunt, dicentes nihil fataliter evenire hominibus, & omnia in nostra ipsorum potestate esse, ut tam felicitatis nobis ipsi autores simus, quam infortunii, si deteriora consilia secuti fuerimus*. Et lib. II. capt. Jud. cap. 12. φασὶ δ' ἐπ' ἀνθρώπων ἐκλογῇ τότε καλὸν, ϗ τὸ κακὸν προκεῖσθαι. *Ajunt autem in hominum electione & bonum & malum situm esse*. Sunt qui fati vocabulo providentiam significari putant, quam Sadducæi negabant; unde merito Sadoc & Baithos principes Epicuræorum appellantur : *Abraham Zachuth* in *Juchasin*. *Sadducæi contraria sentiunt Pharisæis. Negant enim Creatorem curare res humanas, & providentiam sive dispositionem præponderare*. Dispositionem voco, quam Hebræi מערכה dicunt; ut cum legimus : *Homo proponit, Deus disponit*. מערכה quod verti *præponderat* significat inclinationem proprie lancium in alterutram partem.

III. *Act.* XXIII. 8. Σαδδυκαῖοι μὲν γὰρ λέγυσι μὴ εἶναι πνεῦμα : *Sadducæi enim dicunt non esse Spiritum*. Hic quidam Spiritum Sanctum, alii animum intelligunt. Prior sententia confirmatur vers. 9. εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος. *Si Spiritus locutus est ei aut Angelus*. In quem locum sic commentatur *Theophylactus* : δῆλον ἐστιν ἢ διὰ πνεύματος ἁγίυ, ἢ δι' ἀγγέλου κατηχηθεὶς τῆς ἀναστάσεως λόγον. *Certum est quod aut per Spiritum Sanctum aut per Angelum de resurrectione edoctus sit*. Epiphanius hæres. 14. de Sadducæis Loquens : πνεῦμα δὲ ἅγιον ὐκ ἴσασιν ὐ γὰρ εἰσὶ ἠξιωμένοι. *Spiritum autem Sanctum ignorant, non enim hoc digni sunt*. Forsitan inquit idem *Theophilactus* ne Deum quidam norunt. ὐκ ἴσασι Σαδδυκαῖοι τάχα ὐ δὲ τὸν θεὸν, παχεῖς τινες ὄντες. *Nicolaus Act.* 13. *Negabant Spiritum generaliter; Nam & ipsum Deum dicebant esse corporeum :* Et mox. *Negabant creaturam spiritualem.*

IV. Animæ immortalitatem negant. *Josephus* Judaic. lib. II. cap. 12. ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν ἀναιρῦσιν. *Animæ autem permanentiam negant*. Idem Orig. lib. XVIII. cap. 2. Σαδδυκαῖοι δὲ τὰς ψυχὰς ὁ λογος συναφανίζει τοῖς σώμασι. *Sadducæorum autem opinio animas simul cum corporibus demolitur*. *Abraham Zachuth*. *Ajunt animam mori cum corpore*. *Hieronymus* vocat interitum, cum ait Sadducæos quoque animarum interitum prædicasse; Hoc dicit in comment. ad *Matth.* XII. ubi & illud : *Corporis & animæ resurrectionem denegabant*. Et mox : *Qui resurrectionem corporis non credebant, & animam putabant interire cum corporibus, recte hujusmodi fingunt fabulam, quæ deliramenti arguat eos, qui resurrectionem negant mortuorum*. *Zonaras* de Sadducæis 189. *Mortales esse animos arbitrantur, atque una cum corporibus interire*. Rabbanitæ quoque, i. e. Pharisæi asserebant impiorum animas interire. *Kimchi* ad *Psal.* I. הרשעים לא תהיה לכם תקומה אלא תאבד נפשם עם גופם ביום המיתה. *Impii non resurgent; sed peribit anima eorum cum corpore in die mortis*. Idem *Psal.* 115. 17. הנה ימותו ולא יהללויה כי תאבד נפשם במתים. *Ecce morientur, nec laudabunt Dominum; quoniam peribit anima illorum inter mortuos*. Idem *Isai.* XXVI. 4. תחיית המתים לצדיקים ולא רשעים. *Vivificatio mortuorum piorum est, at non impiorum*. *Abarbanel* in נחלת אבות fol. 94. col. 2. הנה התורה האלהית תנחה אותו ברי שלא יטעה מן הדרך ותניחהו בדרך ישר

ישר ללכת אל מחוז חפצו עוד דרש בשכבך תשמור עליך בקבר וראה בזה שהתורה תשמור והציל את האדם מרדת נפשו שחת כי הנה הרשעים תמות נפשם בגופם על עפר ישכבון והעוסק בתורה בעת המות שגופו לקברית יובל הנה תורתו עליך שנפשו לא תרד שאול כמו הגוף ולא יפסד בהפסדו ע״ד פרעהו מרדת שחת. *Ecce lex divina ducet eum, ita ut non deviaturus sit, & ducet illum in via sancta, ut collimet ad terminum quo tendit. Porro ait:* Cum mortuus cubabis, custodiet te in sepulcro*: Et innuit, quod lex custodiat, atque eripiat hominem a descensu animæ ejus in foveam. Ecce enim impiorum anima morietur cum corpore ipsorum; redigentur simul in pulverem. Et qui operam navat legi in tempore mortis, quando corpus ejus sepulturæ traditur, ecce lex ejus custodiet ipsum, ne anima ejus descendat in foveam, quemadmodum corpus, nec peribit in perditione hujus. Propterea redimit eam a descensu in foveam.* Vid. *Menasse ben Israel.* lib. II. cap. 12. de resurrect. Extorquent id e multis Script. locis præsertim e voc. רבים *Dan.* XII. 2. Ex *Isai.* XXVI. 14. *Mortui non vivent, manes non resurgent.* Quanto rectius *Maimonides* in *Sanh.* fol. 17. וכן הוא לשון בראשית רבא גבורת גשמים לצדיקים ותחיית המתים לצדיקים כלבד ואיך יחיו הרשעים והם המתים אפילו בחייהם וכן אמרו רשעים אפילו בחייהם קרואים מתים צדיקים אפילו במיתתן קרואים חיים. *Et sic loqui solet glossa in Genesin. Corroborata sunt corpora justorum, & vivent mortui ex justis soli: Qualiter autem vivent impii? Illi quidem habentur pro mortuis etiam in vita sua: Unde dicunt. Impii etiam dum vivunt, vocantur mortui, veluti justi etiam in morte sua dicuntur vivere.*

V. *Act.* l. c. *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem* μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα *neque Angelum neque Spiritum.* Negant esse quosvis spiritus. Nam negabant Deum esse Spiritum, atque esse Spiritum Dei, de quo *Genes.* I. 2.? Num forte negarunt esse Angelos, eo quod non fiat mentio a Mose in Pentateucho de creatione Angelorum, aut spirituum? Atqui ibi frequens est mentio de apparitione Angelorum. Si Sadducæi fuerunt Samaritani; atqui apud interpretem Samaritanum vox אלהים plerumque redditur per מלאכיה. *Genes.* III. 5. *Eritis sicut Elohim Samar.* תהיו כמלאכיה *Eritis sicut Angeli.* Cap. V. I. *In similitudine Dei. Samar.* בתשבית מלאכיה *In similitudine Angelorum.* Cap. IX. 6. *In imagine Dei. Samar.* בצורת מלאכיה *In similitudine Angelorum.*

VI. *Act.* l. c. *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem. Matth.* XXII. 23. *In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem. Marc.* XII. 18. *Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse. Luc.* XX. 27. *Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem. Tertullianus* de præscript. *Taceo Sadducæos, qui ausi sunt ad hanc hæresin etiam resurrectionem carnis negare. Tanchum* fol. 3. I. *Sadducæi negant, dicuntque: Deficit nubes, atque abit. Sic descendens in sepulcrum non redit. Joseph Albo* in lib. fundament. serm. 4. cap. 31. *Sadducæi dicunt non est resurrectionem mortuorum ex lege Babyl. Sanhedrin* cap. Cheleck. *Dixit R. Eliezer ben R. Jose: Hac in re ego falsitatis incusavi scribas Samaritanorum, qui dicunt, resurrectionem mortuorum non probandam esse e lege: Dixi illis: Vos falsificastis legem vestram, nec quicquam reportastis in manibus vestris; Nam dicitis: Resurrectio mortuorum non est ex lege, cum dicat:* Excidendo, excidetur anima ista, iniquitas ejus super eum: *Num.* XV. 31. Excidendo excidetur; *nempe in mundo hoc*: Iniquitas ejus super eum: *Quando? Nonne in mundo futuro. Tanchum* fol. 13. 3. *Dicit R. Simeon ben Jochai: Deus Sanctus benedictus nomen suum justis non adjungit, sicut dicitur:* Sanctis qui in terra sunt. *Psal.* XVI. 3. *Quandonam sunt sancti? Cum in terra reponuntur; Nam dum vivunt, nomen suum Deus non adjungit; eo quod de iis non certum habeat, malum affectum eos non abducturum; at cum mortui sunt, nomen suum iis adjungit. Ast invenimus Deum nomen suum adjunxisse Isaco dum viveret: Genes.* XXVIII. 13. Ego sum Deus Abraham & Deus Isach. *Respondent sapientes: Pulverem ejus respexit ac si collectum super altare. R. Berachiah dixit. Ex quo cæcus factus est, fuit sicut mortuus.* Vide etiam R. *Menahem* in legem fol. 62. I. *Gemara Hierosolymitana* Berachot fol. 5. 4. *Justi etiam in morte dicuntur vivere, atque impii etiam in vita dicuntur mortui. Ex eo quod dicitur*: לא אחפוץ במות המת. Non delectatus suum morte mortui. *Num ille qui dicitur* מת *jam est mortuus? Atque unde probatur, quod justi etiam in morte sua dicantur vivi? Ex eo quod scribitur.* Hæc est terra de qua juravi Abrahamo, Isaacho, & Jacobo לאמר *Quid sibi vult vox* לאמר? *Dicit ei: Abi & dic patribus, quodcunque promisi vobis præstiti filiis vestris. Babyl. Beracoth* fol. 18. I. *Viventes norunt quod morientur. Ita sunt justi, qui in morte sua dicun-*

cuntur vivi; *ſicut dicitur* : Et Benajah filius Johojadæ filii איש חי viri viventis. Et paulo poſt. Mortui nec quicquam noſcent. *Iſti ſunt impii*, *etiam in vita eorum dicuntur mortui*, *ſicut dicitur*. ואתה חלל רשע נשיא ישראל. Et tu mortue impie princeps Iſrael. *Sanhedrin* fol. 90. 2. *Interrogarunt Sadducæi Rabban Gamalielem*: *Unde probatur Deum ſuſcitaturum mortuos*? *Ex lege*, *inquit ille*, & *ex Prophetis*, & *ex Hagiographis*. *Probatur ex lege*, *ſicut dicitur*: Et dixit Jehova Moſi הנך שוכב עם אבותיך. Ecce tu dormiens cum patribus tuis, & exurgens: *Deut.* XXXI. 16. *Dicunt ei*: *At forte ſenſus eſt* וקם העם הזה וזנה. Et exurget populus hic & mœchabitur. *Probatur ex Prophetis ſicut ſcribitur*: Vivent mortui tui, cum cadavere meo reſurgent, expergiſcimini, & jubilate qui habitatis in pulvere. *Iſai.* XXVI. 20. *At forte*, *inquiunt illi*, *hi ſunt mortui illi quos reſuſcitavit Ezechiel*. *Probatur ex Hagiographis ſicut ſcribitur*. Palatum tuum eſt ſicut vinum optimum, vadens ad dilectum meum ad rectitudines, loqui faciens labia dormientium. *Cant.* VII. 9. *At forte inquiunt illi*, *motant labia ſua in mundo*.

VII. *Act.* XXIII. 6. περὶ ἐλπίδος ϗ ἀναστάσεως ἐγὼ κρίνομαι. *De ſpe* & *reſurrectione mortuorum ego in judicio vocor*. Senſus eſt de ſpe præmii, quod accepturi ſunt juſti altero ſeculo; quod negabant Sadducæi, cum pœnas omnes ſcelerum & flagitiorum abolerent. *Joſephus* in Judaic. lib. II. cap. 12. τὰς κατ᾽ ᾅδου τιμωρίας ϗ τιμὰς ἀναιρῶσι. Idem ibid. *Credunt præmium* & *pœnam eſſe corporalem tantum*, *quæ in hoc mundo tribuitur negant autem mercedem ſpiritualem*, *h. e. ipſius animæ*, *licet credant in legem Moſis*, & *providentiam*. Origigenes fragmento in *Matth*. *Definiunt Phariſæi mortuorum reſurrectionem*, *ſperantes aliquod futurum ſeculum*: *Sadducæi contra cenſent poſt hanc vitam nihil homini repoſitum præmii*, *ſive ad virtutem profecerit*, *ſive nunquam vel ſtuduerit a vitiorum terminis excedere*. *Joſeph Albo ſerm.* 4: *cap.* 29. *Credunt præmium* & *pœnam eſſe corporalem tantum*, *quæ in hoc mundo tribuitur*, *negant autem mercedem ſpiritualem*, *h. e. iſtius animæ licet credant in legem Moſis* & *providentiam*. *Abraham Zachuth*. *Opinio Sadducæorum eſt non eſſe mercedem aut pœnam Aruch*. *Traditio in manu Phariſæorum qua ſeipſos affligunt in hoc ſeculo*, *vel in ſeculo venturo non ſit illis merces*. Et paulo poſt. *Si patres noſtri ſciviſſent reſurrectionem mortuorum eſſe*, & *præmio affici juſtos in altero ſeculo*, *non ita docuiſſent*: Derivata eſt hæreſis ex male intellecta ſententia Antigoni Sochæi, qui dicebat ſerviendum eſſe Deo ſine ulla ſpe mercedis. *Maimonides ad Sanhedr.* cap. x. פרס יקרא הגמול שאשר יגמל האדם מי שאין לו טובה עליו אבל יעשה זה על דרך החסד כמו שיאמר אדם לעבדו או לבנו הקטן או לאשתו עשה לי כך וכך ואתן לך דינר או שנים זהו האפשר אשר בין פרס לשכר כי השכר הוא שינתן בדין ואמר זה החסיד שאתם לא תעבדו השם יתברך על מנת שיטיב לכם ונמלכם חסד ותקרא לגמול ותעברוהו בעבורם ואמר עברוהו בעבורת שאינם מקוים להטבה ולא לגמילות חסר רבה בזה שיהו עוברין מאהבה כמו שאמר בפרק עשירי מסנהדרין Id eſt פרס *dicitur retributio quam dat quis alicui non propter bonitatem ipſius*, *ſed accidit id ex mera beneficentia* & *clementia*. *Velut ſiquis diceret ſervo ſuo*, *aut uxori ſuæ*, *præſta mihi hoc vel illud*, & *dabo tibi denarium unum*, *atque duos*. *Itaque poſſibile eſt eſſe differentiam inter* פרס & שכר, *quia* שכר *datur in judicio* (ſive de jure) *Ait igitur pientiſſimus* (Antigonus) *Ne ſervite Deo benedicto propterea ut is vobis benefaciat*, *ac pietatem computet*, *neque expectate retributionem*, *ut propterea ſerviatis ei*. *Verum ſervite ei quemadmodum ſervi*, *qui non expectant beneficium aut compenſationem*: *Summa pietas in hoc conſiſtit*, *ſicubi eum colant ex amore*, *q. d.* cap. x. Sanhedrin. *Maimonides* item l. c. והיו לזה החכם שני תלמידים שם האחד צדוק ושם השני ביתוס וכאשר שמעו שאמר זה המאמר יצאו מלפניו ואמר האחד לקבירו הנה הרב אמר בפירוש שאין לאדם לא גמול ולא עונש ואין תקוה כלל כי לא הבינו כונתו וסמך האחד ידי חברו ויצאו מן הכלל הניחו התורה התחברה לאחר כת אחרת ולחברו כת אחרת נקראים חכמים צדוקים וביתוסים *Fuere autem illi ſapienti diſcipuli duo*, *quorum alter vocatus Sadoch*, *alter Baithos*; & *ut audiere quod protuliſſet ſententiam iſtam*, *digreſſi fuerunt ab eo*, *locutuſque primus ſocio ſuo*. *Ecce doctor noſter dixit in explicatione*, *quod homini nullum plane præmium*, *aut pœna*, *nec quicquam ſit expectandum*. *Nec enim intellexerunt intentionem ejus*: *Et nixus alter altero receſſerunt a communi illo*, & *reliquerunt legem*. *Junxit ſe priori ſecta una*, & *ſocio ejus ſecta altera*. & *nuncupati ſunt a ſapientibus Sadducæi* & *Baithuſæi*. *Aruch* אנטיגנוס איש סוכו היו לו שני תלמידים שהיו שונין בדבריו שונין היו לתלמידים ותלמידים לתלמידים עמדו ודקדקו אחריהם ואמרו מה ראו אבותינו לומר אשר שיעשה פועל מלאכה כל היום

ולא

ולא יטול שכרו ערבית אלא אילו יורעים אבותינו שיש העולם ויש חחיית המתים לא היו אומרים כך עמדו ופירשו מן התורה ונפרצו מהם שתי פרצות צדוקים וביתוסים צדוקים על שום צדוק ביתוסים על שום ביתוס. *Antigonus Sochæus duos habuit discipulos, qui didicerunt verba ejus, & tradidere discipulis, & discipuli discipulis suis: Steterunt & subtilissime disputarunt post eos, & dixerunt. Quid visum est patribus nostris quod dixerint fieri etiam posse, ut aliquis laboret quotidie, nec tamen auferat mercedem suam vesperi? Quod si vero scivissent patres nostri, quod esset seculum futurum, & revivifatio mortuorum, non sic locuti essent. Steterunt & explicarunt legem, & divisi sunt in duas partes, Sadducæorum, & Baithusæorum; Sadducæi vocati sunt a Sadoch, Baithosæi a nomine Baithos.* *Abarbenel* in Nachalas afos cap. I. fol. 11. col. 2. scribit quod Antigonus Sochæus nimis perplexe locutns fuerit. האמנם בדברי אנטיגנוס יראה ספק גדול באמרו שלא יעבור האדם את בוראו על מנת לקבל פרס וכו' *Profecto nimis quam perplexe loquitur Antigonus, dum perhibet non colendum homini creatorem suum propterea ut velit accipere mercedem* &c. *Maimonides* probat *Sanhedrin* XI. fol. 18. Deum daturum mercedem justis, & pœnam impiis. כי השם יתברך נותן שכר למי שעושה מצות התורה ויענש למי שעובר על הרותי' וכי השכר הגדול העולם הבא והעונש החזק הכרת וכבר אמרנו בזה הענין מה שיספיק זה מקרא המורה על היסוד הזה מה שנאמר ועתה אם תשא חטאתם ואם אין ממני נא והשיב לא השם יתברך אשר חטא לי אמחנו מספרי ראיה שיודע העובר והחוטא לתת שכר לזה ועונש לזה. *Quod Deus cujus nomen sit benedictum, daturus sit mercedem ei, qui facit præceptum legis, & puniturus illum, qui transgreditur monita ipsius: & quod merces magna in seculo futuro, & pœna ingens ac immensa damnationis: Sed jam sufficienter hac de re egimus, & porro Scriptura hunc; articulum explanat quando dicit*: Et nunc si auferes peccatum illorum, & si non dele me nunc. *Et respondit Deus Benedictus*. Quis qui peccavit mihi, delebo eum e libro meo. *Exod.* XXXII. 12. *Unde manifesto constat, quod noverit transgredientem, & peccantem ut conferat mercedem illi, & pœnam isti.*

CAPUT XI.

I. *Sadducæi Jesu-Christo, & ejus discipulis molesti.* II. *Pauci, Infames. Populo intolerabiles.* III. *Duri & agrestes, & crudeles.* IV. *An Sadducæi Samaritani?* V. *Summi Sacerdctis Sadducæi.* VI. *Sadducæi in his præcipue dissentiebant a Pharisæi, sc. in adolenda suffitum in die expiationum in comburenda vacca rufa, & in statuenda neomenia.*

I. Sadducæi Christo molesti *Matth.* XVI. 1. *Et accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi tentantes, & rogaverunt enm, ut signum de cœlo ostenderet eis.* Captiosis quæstionibus eum tentarunt, ibid. XII. 23. *In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogarunt eum dicentes* &c. *Marc.* XII. 18. *Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurectionem non esse, & interrogabant eum dicentes* &c. *Luc.* XX. 27. *Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, & interrogaverunt eum dicentes* &c. Ægre ferebant ejus discipulos docere populum *Act.* IV. 1. *Loquentibus autem illis ad populum supervenerunt Sacerdotes, & magistratus templi, & Sadducæi, dicentes quod docerent populum & annunciarent in Jesu resurrectionem ex mortuis, & injecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum.* Ibid. cap. V. 17. *Exurgens autem, princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo, & injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica.* Ibid. XXIII. 6. *Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamavit in coucilio: Viri fratres ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego judicor: Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo. Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum; Pharisæi autem utraque confitentur.*

II. *Gorionidis* cap. XXIX. 22. ועל אלה המחלוקות נגרו מלחמות ונשפכו דמים רבים בעם יהוה כי דלת העם היתה ידם עם הפרושים ויהיו לעזרתם מלבד עשיריו וגבוריו כי היו עם המלך והצדוקים ולמלך ולהם היו עוזרים. *Et ob ipsam dissensionem prævaluerunt bella, & effusi sunt sanguines multi in populo Domini; nam tenuis plebecula manum socabat cum Pha-*

Pharisæis, *erantque eis auxilio*; *præter divitas ejus & potentes ejus*, *qui erant cum Rege*; *& Sadducæis*, *& adjuvabat eos*. *Josephus* lib. XVIII. cap. 2. ἐς ὀλίγους τε ἄνδρας οὗτος (τῶν Σαδδουκαίων) ὁ λόγος ἀφίκετο, τοὺς μέν τοι πρώτους τοῖς ἀξιώμασι. πράσσεταί τε ἀπ' αὐτῶν οὐδὲν ὡς εἰπεῖν. ὁπότε γὰρ ἐπ' ἀρχὰς παρέλθοιεν, ἀκουσίως μὲν καὶ κατ' ἀνάγκας, προχωροῦσι δ' οὖν οἷς ὁ φαρισαῖος λέγει, διὰ τὸ μὴ ἄλλως ἀνεκτοὺς γενέσθαι τοῖς πλήθεσιν. *Abraham Zachuth*. *Multitudo populi oderat eos*.

III. Erant duri, & agrestes, & crudeles. *Josephus* lib. II. Capt. cap. 12. Σαδδουκαίων καὶ πρὸς ἀλλήλους τὸ ἦθος ἀγριώτατον, αἵ τε ἐπιμιξίαι πρὸς τοὺς ὁμοίους ἀπηνεῖς ὡς πρὸς ἀλλοτρίους. *Sadducæorum genus etiam erga se invicem moribus ferum est*, *& in conversatione erga socios crudeles sunt quasi erga exteros*.

IV. Duplices inveniuntur Samaritani, alii alienigenæ, de quibus fit mentio 2. *Reg*. cap. XVII. 24. & 41. & constabat e quatuor fere gentibus, sc. *Cuthæis*, *Emathæis*, *Avæis*, & *Sepherveimitis* quos hæres. 8. vocat Epiphanius χουθαίους, κουθαίους, σεπφαρουραίους, καὶ ἀναγωγαναίους. Alii sunt, qui ducebant originem ex Judæis, qui apertam Idololatriam excusserunt, per ignorantiam tamen, ut scribit Epiphanius hæres. 9. aliquid retinebant, cumque ad eum montem, in quo quatuor illorum gentium idola abscondita erant, orantes se converterent qui Gerizim appellabatur. Isti sunt Samaritani, de quibus mentio est in Evangelio, & in prophanis Scriptoribus, quorum dogmata, & mores describit *S. Epiphanius* hæres. 9. Cur Judæi non commiscerentur Samaritanis, indicat *Josephus* lib. XIII. cap. ultimo. *Manasses* (*inquit*) *frater Jadduæ Summi Pontificis duxerat Nicasso Sanballati filiam*. *Quod ægre ferentes Judæorum seniores*, *utpote legum eorum violationem*, *& nuptiarum cum Allophytis introductionem postulabant ut vel ille divortium ab uxore pateretur*, *vel ab ipso sacerdotio*. *Imo ipse Jaddua frater pellabat eum ab altari*, *ut ne sacrificaret*. *Quamobrem Manasses socero Sanballato se applicans*, *ait verum quidem esse se ardentissime filiam ipsius amare*, *sed illius gratia officio suo privari nolle*, *nempe sibi successione hæreditario*, *& apud populares suos valde honorifico*. *Ad hæc Sanballatus*, *se quidam illam ei viam exquirere*, *qua non solum sacerdotium etiamnum sibi retineret*, *verum etiam supremum sacerdotii ordinem adscenderet*, *fieretque primas & metropolitanus totius gentis*, *modo adhuc filiam ejus secum haberet*, *nec nuntium ei mitteret*; *se enim in monte Gerizim super Sichem templum velle ædificare*, *templo Hierosolymitano non dissimile*, *idque ex Darii consensu*, *qui nunc rerum apud Persas potiebatur*. *Manasses hac spe*, *& his promissis retentus*, *cum socero manebat*, *expectans a rege summum sacerdotium*; *& quamplurimi ex sacerdotibus*, *& Laicis Hierosolymorum similibus nuptiis fuerint irretiti*, *deficiebant ad Manassem*, *& Sanballatus illis fundum*, *& domos*, *& substantias providebat*. *Sed devicto ab Alexandro magno Dario*, *Sanballatus ad Alexandrum deficiebat*, *& homagium fecit*, *se suaque omnia suis manibus committens*. *Jamque opportunitatem nactus*, *petebat ab eo*, *quod etiam obtinuit*, *ut templum hoc extruere liceret*. *Quod vero facilem huic petitioni viam*, *parabat*, *erat hoc*, *nempe Jadduam nuper Alexandro valde displicuisse*, *quod in obsidione Syri opem illi ferre negasset*. *Sanballatus itaque dixit*, *se generum habere Manassem fratrem Jadduæ*, *cui multi Judæorum optime erant affecti*, *& partes ejus sequebantur*; *quod si venia ei concedatur*, *templum in monte Gerizim extruendi*, *magna hæc esset Jadduæ debilitatio*; *ista enim occasione pateret populo magna invitatio ab eo deficiendi*. *Alexander haud ita difficulter huic petitioni annuit*; *atque ita templi ædificationem pro viribus aggressus est*. *Cum illud jam perfectum erat*, *causa fuit magnæ apud Hierusalam apostasiæ*. *Plurimi enim eorum qui in jus vocabantur ob carnium probibitarum esum*, *ob Sabbathi violationem*, *aut alia crimina*, *avolarunt ab Hierusalem confestim ad Sichem*, *& montem Gerizim*; *& ibi commune sibi statuebant asylum*, *quicunque legum terrori subjacebant*. Hactenus *Josephus*. *Abraham Zachuth Juchasin* fol. 14. col. 2. *Alexandro magno* (*inquit*) *ab Hierusalem proficiscente*, *Sanballatus Horonita exivit ad eum una cum nonnullis Israelis*, *& aliquibus ex filiis Josuæ summi sacerdotis qui cum Samaritanis nuptias inierant*, *quosque Ezra & Nehemias a domo Domini abegerant*, *& ille ab Alexandro flagitabat*, *ut ejus generi sacerdotes templum extruerent in monte Gerizim*; *& rex ita fieri in mandatis dedit*, *atque ita templum extruebant*: *Hoc modo divisus erat Israel*, *dimidio populi Simeoni justo adhærente*, *& Antigono ejusdem discipulo*, *eorumque societati*, *qui omnes amplectabantur quæ ex ore Ezræ & prophetarum acceperant*; *& dimidio Sanballatum generosque ejus sequente*, *atque holocautomata & sacrificia extra domum Domini offerente*, *statutaque ut*

quid

quid cuique visum fuerat, ordinante. Et Manasses Sanballati gener, & filius Josuæ filii Jozedecæ summi sacerdotis, erat in hoc templo sacerdos. Sadducæi ergo a prioris generis Samaritanis diversi erant; Sadoch & Baithos, facta secessione a magistro suo Antigono ad posteriores sese aggregarunt, ita ut omnino non essent Samaritani; in quibusdam cum illis consenserunt, sc. de fide tantum habenda Pentateucho, rejicientes traditiones, & negantes resurrectionem mortuorum; In nonnullis dissenserunt: nam Samaritani in solo templo Garizin sacrificia offerebant, Sadducæi vero in Hierosolymitano sacrificabant, οὐκ ἦσαν inquit *S. Epiphanius* Σαδδουκαῖοι Σαμαρεῖται, ἀλλὰ Ἰουδαῖοι: ἐν Ἱεροσολύμοις γὰρ ἐθυσίαζον. Samaritani præterea nullam cum Judæis consuetudinem, ac congressum habebant; *Joh.* IX. 4. At Sadducæi Hierosolymis habitabant, Judæorum regibus familiares; *Josephus* lib. XVIII. cap. 2. Cum Sacerdotibus & Pharisæis in eodem considebant senatu. *Act.* IV. 5. 23. Unde S. *Epiphanius* l. c. τὰ πάντα ἴσα τοῖς Σαμαρείταις φυλάττουσιν, τὰ δὲ ἄλλα πάντα Ἰουδαίοις συνέπραττον. Unde aliquando iidem Sadducæi vocantur Samaritani, aliquando ab iis distinguuntur; In iis, in quibus dissentiebant a Pharisæis, consentiebant cum Samaritanis teste *Gorionide* lib. IV. cap. 29. והנה הצדוקים אומרים לא נאמין ולא נשמע לכל מסורת ולכל פרוש כי אם לתורת משה לבד והכותים היו באותם הימים אחרי הצדוקים: *Et ecce Sadducæi dicebant; ne credamus, & ne audiamus ullam traditionem, aut ullam expositionem, nisi legem Mosis solam; porro Cuthæi sequebantur illis diebus Sadducæos.*

V. Nonnullos summos sacerdotes Hebræorum constat Sadducæos fuisse. De Hyrcano, qui regno simul & summo sacerdotio perfunctus est, testatur *Josephus* lib. XIII. cap. 18. μάλιστα τὸν Ὑρκανὸν ἐπιπαροξύνοντος Ἰωνάθης, καὶ διέθηκεν οὕτως, ὥστε τῇ Σαδδουκαίων ποιεῖσθαι προσθέσθαι μοίρᾳ, τῶν Φαρισαίων ἀποστάντα καὶ τά τε ὑπ' αὐτῶν κατασταθέντα νόμιμα τῷ δήμῳ καταλῦσαι, καὶ τοὺς φυλάττοντας αὐτὰ κολάσαι. Et *Gorionides*. *In crastinum jussione regis divulgatum est per omnes urbes regni sui, quod staretur ordinatione Sadoch, & Baithos. Qui vero ori eorum rebellaret, & observaret traditionem sapientum, aut obediret voluntati eorum, interficeretur gladio. Ille itaque est Johannes sacerdos magnus, qui functus est sacerdotio magno quadraginta annis; & in fine factus est Sadducæus, sed non obedierunt Israelitæ præcepto regis, quin potius obtemperarunt clanculam regimini sapientum. Rex vero cum omnibus servis suis sequebatur traditionem Sadducæorum. Proinde rex investigabat istos, & quicunque sibi revelatus esset, qui sapientum acquiesceret constitutioni, hunc interficiebat; & sic traxit magnum populum de Israel in hanc opinionem.* Eum imitati sunt filii Aristobulus & Alexander, qui faventes Sadducæis summo odio prosecuti sunt Pharisæos. De Alexandro scribit *Josephus* lib. XIII. cap. 21. quod tum paternis inimicitiis, tum proprio odio, quod contra se Pharisæi finitimorum regum arma concitassent, seque Tabernaculorum solennitate sacrificantem, & ad altare sistentem citriis pomis petissent incitatus in populum universum Israeliticum, & præsertim in Pharisæos sævierit. Ananus junior summus sacerdos teste *Josepho* lib. XII. cap. 23. & *Eusebio* lib. II. cap. 23. Histor. fuit Sadducæus. *Babyl.* Joma 19. 2. fit mentio de summo sacerdote Sadducæo. תנו רבנן מעשה בצדוקי אחד שהתקין מבחוץ והכניס ביצ יאתו היה שמח שמחה גדולה פגע בו אביו אמר לו אעפ שצדוקין אנו מתיראין אנו מן הפרושין אמר לו כל ימי הייתי מצטער על המקרא הזה כי בענן אראה על הכפורת אמרתי מתי יבוא לידי ואקיימנו ועשיו שבא לידי לא אקיימנו אמרו לו לא היו ימים מועטין עד שמת והוטל באשפה והיו תולעין יוצאין מחוטמו ויש אומרים ביציאתו ניגף דתניא ר' חייא כמין קול נשמע בעזרה שבא מלאך וחבטו על פניו ונכנסו אחיו הכהנים ומצאו בו רגל עגל בין כתפיו שנאמר ורגליהם רגל ישרא וכף רגליהם ככף רגל עגל. *Tradiderunt sapientes: Narratur de quodam Sadducæo, qui foris præparavit, & introduxit in egressu suo; lætatus est gaudio magno; occurrens ei pater dixit; licet nos simus Sadducæi, tamen reveremur Pharisæos; Respondit illi: Cunctis diebus vitæ meæ solicitus fui de hoc textu.* Quando in nube apparebo super propitiatorio. *Dixi: Quando erit mihi facultas, ut illum confirmem? Nunc cum mihi sit facultas, nonne confirmabo? Dixerunt: Nonne erunt pauci dies ejus? Donec mortuus est: Et projectus fuit in sterquilinium; Et vermes egrediebantur ex ejus naribus. Et nonnulli dicunt; quod in suo egressu fuerit vulneratus: Etenim extat traditio R. Chijah. Quasi vox exaudita est in atrio, quod ingressus Angelus percusserit ejus faciem, & ingredientes fratres ejus sacerdotes, invenerint in eo pedem vituli inter ejus humeros; Dictum est enim:* Et pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli. *Hierosol. Joma*, 39. 1. מעשה

באחד

באחר שהקטיר מבחוץ והכניס מפנים וכשיצא אמר לאביו אע״פ שהיתם דורשין כל ימיכם לא עשיתם עד שעמד אותו האיש ועשה אמר לו אף על פי שהיינו דורשין כל ימינו אבל כרצון חכמים היינו עושין תמיה אני אם יאריך אותו האיש ימים בעילם אמרו לו לא באו ימים קלין עד שמת *Narratur de quodam, qui incendit thimiama foris, & introduxit, & egrediens dixit patri ſuo; licet vos quotidie inquiratis, non facitis; donec ſtetit hic vir, & fecit. Reſpondit illi: Licet nos inquiramus quotidie, tamen operamur juxta voluntatem ſapientum: Mirarer ego, ſi iſte diu vixerit in mundo: Reſponderunt illi: Pauci præteriere dies, & mortuus eſt.* Qua de cauſa in vigilia diei expiationum adjurabant ſummos ſacerdotes ne quicquam immutarent, propter ſuſpicionem Sadducæiſmi. *Babyl. Joma* ibid. הוא פורש ובוכה חשרוהו צחקי והם פורשין ובוכין אמר ר׳ יהושע בן לוי כל החישר בכשרין לוקה בגופו וכל כך למה שלא יתקן מבחוץ ויכניס כדרך שהצדוקין עושין. *Iſte abibat & flebat, eo quod ſuſpicionem de eo haberent, quod eſſet Sadducæus, illi abibant & flebant. Dixit R. Jehoſua ben Levi. Qui ſuſpicionem habet de rectis, vapulat in corpore ſuo; & hæc omnia qua de cauſa? Ne præpararet ſuffitum foris, & inferret, ſicut Sadducæi faciebant. Hieroſol. Joma ibid.* הוא פורש ובוכה נחשר והן פורשין ובוכין שצרכו לכך ולמה משביעין אותו מפני הבייתוסין שהיו אומרין יקטיר מבחוץ ויכנ׳ס מבפנים וכו׳ שלא יתקן מבחוץ ויכניס מבפנים שהרי הצדוקין אומרים יתקן מבחוץ ויכניס אם לפני בשר ודם עושין כך קל וחומר לפני המקום ואומר כי בענן אראה על הכפורת אמרי להן חכמים והלא כבר נאמר ונתן את הקטורת על האש לפני ה׳ אינו נותן אלא מבפנים אם כן למה נאמר כי בענן אראה על הכפורת מלמד שהוא נותן בה מעלה עשן ומניין שהיא נותן בה מעלה עשן ת״ל וכסה ענן הקטורה את הכפורת אשר על הארון ולא ימות. *Iſte abibat, & flebat eo quod ſuſpicio de eo habita eſſet: Illi abibant, & flebant eo quod hoc facere coacti eſſent. Et cur ipſum adjurabant? Propter Baithuſæos, qui dicebant; adobit foris & inferet &c. Ne præparet foris & inferat; quia Sadducæi dicebant: Præparet foris, & inferat: Si coram carne & ſanguine ita faciunt; nonne multo magis coram Deo? Atqui dictum eſt:* Quia in nube apparebo ſuper propitiatorio. *Reſponderunt illis ſapientes: Nonne dictum eſt:* Et dabit ſuffitum ſuper ignem coram Domino? *Non dabit niſi intus: Si ita eſt, cur dictum eſt:* Quia in nube apparebo ſuper propitiatorio? *Ut in illum indat herbam fumum adſcendere facientem; Et unde probatur, quod debeat in illum indere herbam fumum adſcendere facientem? Ex eo quod dictum eſt?* Et teget nubes ſuffitus propitiatorium, quod ſuper arca, ne moriatur. *Siphra* 40. 4. והביא אל מבירה לפרכת ונתן את הקטרת על האש לפני יהוה שלא יתקן מבחוץ ויכנים מבפנים שהרי הצדוקים אומרים יתקן מבחוץ ויכניס מבפנים אם לפני בשר ודם עושים כן קל וחומר לפני המקום ואומר כי בענן אראה על הכפורת אמרו להם חכמים והלא כבר נאמר ונתן את הקטרת על האש לפני יהוה אינו נותן אלא בפנים אם כן למה נאמר כי בענן אראה על הכפורת מלמד שהיה נותן בה מעלה עשן ומנין שהוא נותן בה מעלה עשן תלמוד לומר וכסה ענן הקטרת את הכפורת אשר על הערות ולא ימות Et adducet intra velum, & dabit ſuffitum ſuper ignem coram Domino. *Ne præparet foris, & inferat, quia Sadducæi dicebant, quod præparet foris, & inferat; Si coram carne & ſanguine ita faciunt, nonne multo magis coram Deo? Atqui dictum eſt:* Quia in nube apparebo ſuper propitiatorio. *Reſponderunt illis ſapientes: Nonne dictum eſt:* Et dabit ſuffitum ſuper ignem coram Domino? *Non dabit niſi intus. Si ita eſt; cur dictum eſt;* Quia in nube apparebo ſuper propitiatorio? *Docet, quod debeat in illum indere herbam fumum adſcendere facientem. Et unde probatur, quod in illum indere debeat fumum adſcendere facientem? Ex eo quod dictum eſt.* Et teget nubes ſuffitus propitiatorium, quod ſuper teſtimonio, ne moriatur.

VI. In tribus præcipue diſſenſerunt a Phariſæis, ſc. in libanda aqua in feſto Tabernaculorum, in ſtatuendo novilunio & in comburenda vacca rufa. *Succah* 48. 1. *R. Jehuda dicit: Libant unum logum omnibus octo diebus; & libanti dicunt: Eleva manum tuam; Nam tempore quodam quidam libavit ſuper pedes ſuos* Gemara: *Sadducæus erat:* Gloſſa: *Sadducæi autem non approbant libationem aquæ & totus cœtus impetiit eum citris ſuis: Iſto die fractum eſt cornu unum altaris. Maimonides* in h. l. אותן שאין מאמינין בתורה שבעל פה אינו מאמינין בניסוך המים ולפיכך כשנסך המים על רגליהם רגמוהו כל העם באתרוניהם *Qui non credebant legi orali, non etiam credebant libationem aquarum. Proinde cum ille effudit ante ſuos pedes, ipſum univerſus populus ſuis citreis impetivit:* Præterea Sadducæi contra Phariſæos contendebant vaccam rufam in occaſu ſolis fuiſſe comburendam. *Babyl. Joma* 2. 1. תנן התם שבעת ימים קודם שריפת הפרה היו מפרישין כהן השורף את הפרה מביתו ללשכת

ללשכת שעל פני הבירה צפונה מזרחה ולשכת בית האבן היתה נקראת ולמה נקרא שמה לשכת בית האבן שכל מעשה בכלי גללים בכלי אבנים ובכלי אדמה מאי טעמא כיון דטבול יום כשר בפרה דתנן מטמאין היו הכהן השורף את הפרה ומטבלין אותו להוציא מלבן של צדוקים שהיו אומרים במעורבי השמש היתה נעשית תקינו לה רבנן כלי גללים כלי אבנים וכלי אדמה ולא ליקבלו טומאה. *Ibi legimus. Septem diebus ante combustionem vaccæ separabant sacerdotem combusturum vaccam ex domo sua in conclave, quod erat super Abiram, aquilonare orientale & conclave domus lapidis appellabatur, & cur vocabatur conclave domus lapidis? Quia omnia ejus opera fiebant in vasis stercoreis, lapideis, & terreis. Qua de causa? Quia eadem die lavandus erat legitimus ad comburendam vaccam: Etenim legimus Immundabant sacerdotem combusturum vaccam, & immergebant, ad rejiciendam opinionem Sadducæorum, qui dicebant in occasu solis fuisse comburendam: Statuerunt illi sapientes nostri vasa stercorea, lapidea, & terrea, quia non recipiunt immunditiem*: Demum Sadducæi sæpe conati sunt decipere Pharisæos, qui ex testium fide, qui recentem lunam vidissent, neomenias statuere consuevere. *Hieros. Ros-Hasanah* 57.4. מעשה ששכרו בייתוסין שני עידי שקר להעיד על החדש שנתקדש ובא אחד והעיד עדותו והלך לו ובא אחר ואמר עולה הייתי במעלה ארומים וראיתיו רבוץ בין שני סלעים ראשו דומה לעגל אזניו דומות לגדי וראיתיו ונבהלתי ונרתעתי לאחוריו והרי מאתים זוז קשורים באפונדתי אמרו לו הרי מאתים זוז נתונין לך במתנה אתה למה הכנסתה למפסק אמר להם ראיתי אותם מבקשים להטעות את חכמים אמרתי מוטב שאלך אני ונודיע לחכמים. *Narratur, quod mercede conduxerint Baithusæi duos testes falsos, ut testificarentur de novilunio, quod erat sanctificandum: Venit alter, & testificatus K testimonium suum & abiit; Venit alter, & dixit: Ascendi in locum excelsum ædomæorum, & vidi illam (sc. lunam) cubantem inter duo saxa; ejus caput erat simile vitulo, ejus aures erant similes hædo, & timui, & conturbatus sum, & me averti retrorsum; & ecce 200. Zusæ colligati in meo cingulo. Dixerunt illi sapientes: ecce 200. Zusæ dono tibi dati sunt. Cur te induxisti in dubium? Respondit illis: Vidi, quod illi quærerent decipere sapientes. Dixi: Melius est, ut ego veniam, & indicem sapientibus. Rosh homine* cap. II. 1. *Antiquitus receperunt testimonium de novilunio a quovis hacuisse*. משקלקלו המינים *postea vero cum fallaciter agerent hæretici* &c. *Gemara Babyl.* legit משקלקלו הביתוסין *postquam fallaciter agerent Baithusæi. Et in Misna* Amstelodami edita משקלקלו האפיקורוסים *postquam fallaciter agerent Epicuræi*. Ubi *Gemara*. *Conati sunt Baithusæi in errorem duoere sapientes, & conduxerunt quadrigentis Zusis unum de nostris, & alterum de suis, ut falso testarentur de novilunio*. Ubi Glossatores. *Incidit dies tricesimus Adar in Sabbathum & non apparuit novilunium in tempore suo, & ambierunt Baithusæi, ut primus dies Paschatis incideret in Sabbathum ut oblatio manipuli incideret in diem primum hebdomadis, & sic dies Pentecostes in diem primum hebdomadis*.

CAPUT XII.

I. *De etymo*: II. *De scriptura*. III. *De origine Hessæorum*.

I. SErarius lib. XIII. Trihæres varias Essæorum etymologias deducit 1.° ab urbe Essa de qua *Josephus* lib. XIII. cap. 23. & *Suidas*, ut inde Essæi vocati sint, quemadmodum ab Emissa Emisseni, ab Edessa Edesseni. 2.° ab Judaicorum Pontificum pectorali, a *Josepho* lib. III. Antiq. cap. 8. dicto ἐσσὴν, lenita voce Hebræa *Chosen* cum asperior videretur 3.° ex Chaldaica voce *Chesin* si pariter detrahatur asperitas significat fortem ac robustum. 4.° ab Syriaco Assan, i. e. calceos indui: Hasidæi nec vestes, nec calceos, nec soleas mutant nisi aut omnino consciffis prioribus, aut longi temporis usu consumtis; uti testatur *Josephus* capt. lib. II. cap. 12. *Marc*. V. De eorum calceis infra, vel ab *Asana*, id est *rubus*, vel asna id est *palma*, *dactylus*. Esseni enim gens *palmarum socia*, inquit *Plinius* lib. V. cap. 17. 5.° Ab Hebræa voce אסא *asa* quod designat curare, mederi, ac sanare. *Philo* de vita contemplativa. Θεραπευυταὶ, παρὰ τὸ τὰς ψυχὰς τῶν προσιόντων αὐτοῖς, τῶν ἀπὸ κακίας παθῶν δίκην ἀπαλλάττοντας ἀκέσασθαι καὶ θεραπεύειν. Idem in principio lib. *Profitentur Esseni medicinam præstantiorem, quam sit ista vulgata per opida omnia: Hæc autem medetur solis corporibus; illa & animas liberat morbis gravibus, & adversus medelas contumacibus, quos irruere fecerunt voluptates, concupiscentiæ, dolores, timores, avaritiæ insipientiæ, injustitiæ, & ceteræ perturbationes, vitiorumque agmen intolerabile*. Apud Diodorum Bibl. lib. I. memoratur τῆς ψυχῆς ἰατρεῖον; *officina medicamentorum animæ*. Vid. *Euseb*. lib. II. Histor. cap. 16. 6.° ab Hebræo עשה hasah,

ſah, quod eſt facio, quaſi Haſeni, aut adſpiratione ſublata Eſeni. Sextam hanc etymologiam ſequi videtur Photius, quando *Eſſenos theoreticos* vocat θεραπευτὰς, Practicos vero ſimplices *Eſſenos* ubi de *Philone* agit, eamdemque originationem indicat in onomoſtico ſuo Theologico *David Chytræus*, quaſi legem accurate hi obſervarint, neque eam verbo magis, quam opere fecerint: *Eſſeni* (inquit) *ſeu Eſſei factores legis, ſecta Judæorum, fore monaſticam vitæ imaginem referens:* Syriacus ſane textus *Rom.* 2. *Legis factores* appellat ſemi-Græce *boſeje nomuſo*. *Phil. Melanchton lib.* 2. Chronici: *Eſſæi* (inquit) *id eſt operarii ab Aſa, quos ſic dictos apparet, quia oſtenderunt ſe bonis operibus, non rixis velle Deo ſervire*. *Druſius* vero in præfatione, dum etymon hoc improbat inde hoc oriri videtur putare, quod *manuum opere victum ſibi parare ſoliti ſint*. 7.° ab Jeſu Salvatore. 8.° ab Jeſſe Davidicæ ſtirpis autore ex qua Jeſus Salvator. Utraque autoritate *Epiphanii* probatur hæreſ 29. Σαμαρεῖς φύλακες, ϗ ἀπὸ Σωμώρ. Ιεσσαῖοι ἀπὸ τȣ̃ Ιησȣ̃, ϗ Ιεσσαί. Ιησȣ̃ς ἀπὸ τȣ̃ ἰάσασθαι, ὅτι ἰατρὸς, ϗ ὅτι σωτήρ. Ιεσσαῖοι, ἤτοι ἐκ τȣ̃ Ιεσσαὶ, ἤτοι ἐκ τȣ̃ ὀνόματος κυρίȣ ἡμῶν ἐπεκλήθησαν Ιεσσαῖοι, διὰ τὸ ἐξ Ιησȣ̃ ὁρμᾶσθαι μαθηταὶ ὄντες αὐτȣ̃. *Samaritæ cuſtodes, & a Somor. Jeſſæi a Jeſu, & a Jeſſe. Jeſus a ſanando, quod medicus ſit, & quod ſalvator. Jeſſæi ſive a Jeſſe ſive a nomine Domini noſtri cognominati ſunt Jeſſæi, eo quod a Jeſu ortum trahant diſcipuli ejus exiſtentes*. *Epiphanii* hæc eſt opinio, ſed ita, ut cum a Jeſu Jeſſæos dicit, duplicem ob cauſam fieri hoc potuiſſe aſſerat, vel quia nimirum illius erant diſcipuli, vel quia nominis Jeſu Hebraica ſit ſpectata etymologia, ex qua illa intelligitur ſignificare θεραπευτὴς ἤτοι ἰατρὸς ϗ σωτὴρ. Nam *jaſchach*, & *Hoſchiah* unde Jeſu *Matth.* I. 21. valet *ſalvare*, *ſalutem dare*. Et quemadmodum tam corporis quam animi ratione poteſt quis ſalvus eſſe, ita etiam θεραπευταὶ ϗ ἰατροὶ, ſunt & corporales & ſpirituales: Jeſus vero perfectiſſimus utroque modo medicus & ſalvator erat, ſed ſpiritualis maxime, cum ut loquitur *Matth.* cap. I. Angelus; *ſalvum faceret a peccatis populum* &c. Sed quia θεραπεύειν etiam divina curare, ſeu curam & ſolicitudinem illam, quæ in divinas res conferatur, *ſuſpicere*, denotat, ideo adjungit *Philo* vocatos Eſſæos, quod ἐκ φύσεως ϗ τῶν ἱερῶν νόμων ἐπαιδεύθησαν θεραπεύειν τὸ ὂν ὃ τȣ̃ ἀγαθȣ̃ κρεῖττόν ἐστι ϗ ἑνὸς εἰλικρινέστερον, ϗ μονάδος ἀρχεγονώτερον, quod *a natura ſacriſque legibus inſtituti eſſent colere illum Ens, quod bono ipſo melius eſt, quod uno ſimpliciter, quod unitate antiquius, magiſque primigenium*. In *Philonis* veſtigia penitus ingreditur *Euſebius*, ita ut ex his duo liceat inſignia *Joſephi Scaligeri* lib. VI. de emendat. temporum, errata perſpicere. Unum eſt cum ait *Epiphanium* dicere *Jeſum* παρὰ τὸ ἰάσασθαι *aut Jonice* ἰήσασθαι, *non autem* a ſalvando *Jeſchuah vocatum, ut Angelus præceperat Mariæ*. Nuſquam autem hoc dicit *Epiphanius*, ſed potius monſtratam ab Angelo etymologiam reſpicit, & ſupra expoſitum eſt, eaque propter non σωτῆρα tantummodo vocavit, ſed θεωρητικὸς etiam adjunxit. Alterum *Euſebium* ſine ullo autore dicere, *Eſſeos in nomine Chriſti morbos depuliſſe*. Nuſquam hoc ſcripſit *Euſebius*, cum *Philonem* ut dictum eſt ſecutus ſit, qui nominis Chriſti mentionem nullam fecit, & cum morborum depulſionem ſignificat, iis utitur verbis, quæ non corporis ſed animi morbos ſignificant, ut ex *Philonis* verbis, quæ idem hic expoſuit, paulo ante poſuit. 9.° *Suidas* Θεωρίᾳ δὲ τὰ πολλὰ παραμένȣσιν ἔνθεν ϗ Εσσαῖοι καλȣ̃νται, τȣ̃το δηλȣ̃ντος τȣ̃ ὀνόματος, τȣ̃τέστι θεωρητικοὶ ὅτι Εσσαῖοι ὑπέρτεροι σφόδρα, ϗ λίαν ὑπερκειμένοι τῶν φαρισαίων κατὰ τὴν πολιτείαν. *In contemplatione plurimum permanent, unde & Eſſæi vocati ſunt, illud ipſo nomine indicantes, q. e. contemplativi. Quia Eſſæi longe præſtantiores ſunt, multiumque antecellunt Phariſæos ratione inſtituti*. Verbum autem a quo contemplatores vocentur Heſſæi, eſſe poteſt vel שעה *Schahah*, vel חזה *chaza*: Utrumque ſiquidem valet adſpicere, videre, ſed poſterius maxime a quo propterea *chazon* vel *Hazon Iſai.* I. I. Prophetæ *chozin* vel *hozin* 2. *Paral.* XXIX. 25. *Ezech.* XII. 20. I. *Reg.* XXIV. 2. *Ezech.* XIII. 16. X.° ab Hebræo *Schanah*, aut levius *Sanah*, quod eſt vel ſecundas partes tenere, vel ab aliis ſecedere, ſeu ἀναχωρεῖν ut *Luc.* V. 16. *Job.* XIII. I. vel denique ſtudere, iterum iterumque aliquid repetendo, ſeu in ſcientiam, & doctrinam ſtudioſe incumbere, ut cum in apophtegmate ſupra citato dicebat Hillel. *Ne dicas cum otium natus fuero diſcam*, ſive *ad doctrinæ ſtudium incumbam*: in Hebræo eſt *eſchneh* ſive levius eſneh: Hujuſque etymologiæ ratio eſt, non facilius tantum ſignificationum iſtarum ad Eſſenos accommodatio, ſed quia etiam *Gorionides Joſephus* lib. V. cap. 23. ſub finem in editione Baſileenſi bis ita id nominis accipit, dum qui ab *Joſepho Flavio* lib. XV. cap. 13. *Eſſeni* vocantur,

tur, vocat *hasschonim*, seu suavius *Hassonim*, prout vertit ibid. *Munsterus*, & notavit in lib. IV. cap 6. Decima fuit a me loco in *Machabæos* citato proposita quam admordet, prout paulo post cap. 2. audiemus, *Drusius*. XI. est a Græco ὅσιος, id est sanctus quasi Essæi sint ὀοσαῖοι, seu potius ὁσαῖοι, vel ὅσιοι. *Philoni* lib. de probi viri libertate, ac libro de vita contemplativa, *Eusebio* lib. VIII. Præparat. Evangel. cap. 4. tribui assolet, sed ille profecto in libro de vita contemplativa tantum dicit Essæos vocari *therapevtas*, neque exprimit Essæi nominis hanc esse potius significationem, quam nomen esse, quo in Ægypto Græce, tunc illi vocarentur, non habita Essææ originis ratione. In libro autem altero de libertate dicit quidem Essæos παρωνύμως ὁσιότητος, sed quod in Latino textu fere omiserunt Interpretes diserte admonet, non a Græca voce notationem hanc petendam: Hæc enim ejus verba sunt: λέγονται ἐοσαῖοι, κατ' ἐμὴν δόξαν, ἐκ ἀκριβεῖ τύπῳ, διαλέκτῳ ἑλληνικῇ παρώνυμοι ὁσιότητος. Cur vero Græcam vocem hanc se non adspicere moneat, putant aliqui causam esse, quod inter Essæum & ὅσιον magna literarum sonique videatur dissimilitudo. At vero causa potius est, quod ὅσιος apud Græcos maxime tum diceretur, quod hostiis, ac sacrificiis numen deprecaretur quamplurimis: Hinc ὁσιωτὴρ, cum quo & ὅσιοι aderant plusculi, dicebatur, *qui victimam immolabat*, *Plutarcho* teste lib. de defectu oraculorum, & in quæstionum Græcarum initio, idque patet ex verbis, quæ confestim subdit *Philo*: ἐπειδὴ κἀν τοῖς μάλιστα θεραπευταὶ θεοῦ γεγόνασιν, ἐ ζῷα καταθύοντες, ἀλλὰ ἱεροπρεπεῖς τὰς ἑαυτῶν διανοίας κατασκευάζειν ἀξιοῦντες. XII. ab Hebræo חסיד *Chasid* a quo Syriacum חסי *Chasi* & *Chosio* i. e. ὅσιος *Sanctus*, ita ut duritate vocis mollita, sit *Asæus* vel *Essæus*, maxime cum quæ nomina Hebraice per jod cum chirec terminantur, ea per idem jod cum præposito patach efferri non raro soleant, ut *Mitsri Mitsrai*, *Jehudi Jehudai*, *Peruschi Peruschai*, *Mini Minai*, ideoque *Chasi Chasai*, *aut Chæsai*; unde proclivi flexu *Hesæus*, aut leviter *Essæus* sicut ab aliis illis Misræus, Jehudæus, Pharisæus, Minæos. Duodecima originatio est ipsius Philonis, dum Essæos a sanctitate ducit, non quoad vocem Græcam, ut jam probatum, sed quoad aliam. Quænam vero hæc præter Hebræam *Chasid* & Syriacam *chesi*, seu *hesi*? eamque ob causam, alibi simpliciter, ex animi sui sententia, eos a Sanctitate nuncupatos asserit; Nam in Judæorum apologia: Καλοῦνται μὲν (ait) ἐοσαῖοι παρὰ τὴν ὁσιότητά μοι δοκῶ προσηγορίας ἀξιωθέντες. De quinque primis cum patronum adhuc nullum habeant, vel ampliandum, vel omnino potius tacendum. *Sexta*, *septima*, *octava*, *& nona* partim ex aliqua vocum affinitate, partim ex autorum dignitate probabilitatis mutuari aliquid possint; decimam vero, quia loco citato probabilem judicavi, labefacere connititur *Drusius*. Antequam igitur de postremis originationibus dicam, hanc non quasi optimam, & verissimam, sed quasi non improbabilem tuebor. Et quidam recitatis ipsius Drusii verbis: *Pergam* (ait pag. 52.) *bene mereri de Serario, qui ut multa bene legit* (*est enim certe vir eruditus & plurimæ lectionis*) *ita aliqua quædam male cuncoxit*. Novi pridem, mi *Drusi*, κακοστομαχίαν meam, & ut video illud est, in quo de me vis mereri bene: *Assedisse* (inquit *Seneca*) *ægro cunque valetudo ejus ac salus momentis constaret, excepisse idonea cibo tempora, & cadentes venas vino refecisse, & medicum adduxisse, hæc quis æstimabit? In pretio habe* (inquit *Bensira*) *medicum, antequam tibi necessarius sit*: Quanto magis si necessarius sit, si ad ægrum sponte ac invocatus accurrerit? Jam ea mihi o bone stomachorum medice, talis δυσπεψίαν curatum meam ultro advenis. Languebat stomachus, sumtos non concoquebat cibos, & ecce, cum per ne somnium quidem, de te cogitarem, ex ultimis Caucorum ac Batavorum oris advolas, & ventriculum adjutare vis meum. Quantum erga me isthoc meritum! Incipe igitur, monstra quam male aliqua quædam concoxerim. *In iis est illud, quod scribit Essæos apud* Gorionidem *etiam Hassonim appellari, quasi secundantes, inquit, id est, qui secundi essent ab Hasidæis, vel secedentes a communi aliorum vita, & in solitudinem se conferentes, vel denique devterotas*. Si verba mea dominus citasset medicus, prout characteris mutatione præsefert, tam mala non videretur concoctio. Nam & singulorum probationes adjunxeram, & paulo aliter nonnulla, præsertim tertium, explicaram. Quia tamen aliquod ei tantummodo sententiæ meæ catapotium conficere libuit, hoc ipsum deglutiam, & quid catharticorum deinceps offerat, considerabo. Primo igitur; *Deuterotæ* (inquit) *erant Pharisæi quod plane pro me facit*. At si verba mea integra attulisset, jam medicinam hanc suam omittere potuisset. Omnes enim Pharisæi

ſæi deuterotæ quidem erant, ſed non omnes deuterotæ Phariſæi, ac idcirco δευτέρωσιν ſeu Miſchnam, a qua Eſſæi poſſent deuterotæ appellari, dicebam illic, eſſe *ſecundariam divinarum rerum doctrinam*, quæ non ſcripta a Moyſe, ſed ore communicata, & per ſeniorum, prophetarum, domus magnæ, aliorumque deinceps ſapientum manus, tradita & propagata fuit. Alioqui generatim primo dixi *Haſſonim* vocatos *quaſi ſtudioſos*; deinde ut rationem nominis explicarem, oſtendi doctrinam interdum vocari Miſchnah, quæ Græcis δευτέρωσις. *Deinde ſi Heſſæi* (ait) *ſecundi ab Haſidæis, ergo diſcrimen erat inter hæc nomina, nec plane iidem Haſſonim, ſive Heſſæi cum Haſidæis*. At ego non ſcripſi *eoſdem plane* Heſſæos cum Haſidæis, ſed *eoſdem* tantum, & quidem cum adjuncta modificatione, quadamque veluti correctione. Hæc enim verba mea ſunt *Aſidæi cum Eſſenis iidem fuerunt, vel certe horum illi pars quædam, aut illorum hi*. Quo poſteriori loquendi modo ſignificatur, aut Eſſenos fuiſſe quoddam quaſi totum, quod ex partibus pluribus conſtaret, quarum una eſſent Aſidæi, vel contra, fuiſſe Haſidæos totum quoddam, cujus pars Eſſeni. An hoc non eſt aliquod inter hæc nomina diſcrimen facere? Quamvis vero caute modificateque adeo non eſſem locutus, dixeram tamen poſtea fol. 174. ex *Joſepho* ac *Philone*, quod hic poſtea repetam, quodque ipſemet agnoſcit *Druſius* cap. 3. Appendicis, duplex Eſſæorum genus eſſe, ut alii ab aliis *ſecundantes* ſeu *ſecundi* eſſe potuerint. Tertio. *Locus* (ait) *quem adducit huic rei probandæ unicus eſt; Is habetur in Codice Venet.* fol. 78. col. 2. *ſed longe aliter quam eum Serarius laudat. Nam pro Haſſonim, in eo eſt abſque ulla litura Haſſarim, id ſonat principes ſive primores*. Hic ſi vel negligentiæ, vel cruditatis vel languoris, quod male iſtam *Gorionidæ* eſcam concoxerit, meum accuſari ſtomachum ſinerem, dignus utique eſſem, in cujus ille, cum membris aliis omnibus caput conjuraret. Nam diſerte Baſileenſis, quam citavi, editio, pro Eſſenis habet *Haſſonim* & quidem bis eodem illo capite, quod jam ſupra ſignavi. Quid bonus aliud faciat ſtomachus, quam ut qui ei porrigitur, cibum concoquat? Baſileenſis Hebræus *Gorionidæ* textus ei *Haſſonim* objecit; & hos concoxit. Baſileenſis Latinus textus pro Haſſonim Eſſenos dedit, & hoc concoxit. E *Druſii* ſociis ſeculi noſtri novatoribus *Sebaſtianus Munſterus* in illius capitis notationibus planiſſime ſcripſit: *Haſſonim Eſſeni, ſeu ut quidam Hebræorum vocant, Chaſidim haſidæi, i. e. pii*. Et hoc totum confecit, belliſſimeque concoxit idem ſtomachus. Quæ in eo culpa? Quod vitium? At Venetus codex longe aliter habet, *Haſſarim* ſcilicet, pro *Haſſonim*. Credo equidem, ſed mihi ille viſus nunquam. Quæ ſtomachi pravitas, ſi quæ ei nunquam opponuntur, gallinas, gallinagines, & perdices non concoquat? Concoxit quem fortiter eſurienti dedere Baſileenſes, panem hordeaceum, vel fabaceum, ad Venetum artolagan, & ſaccariten, quo caruit, vim exerere concoctricem non potuit. Quo circa non concoctor hic accuſandus, ſed dolendum cibo ejus famem non placatam meliore: neque ei tantum eſſe opum, ut omnes omnium librorum editiones poſſit emere. Sane id mihi merito reſponderet *Druſius*, ſi eum culparem, quod fol. 33. dicat. *Munſteri Gorionidem non habeo*, quod *Haſſorim* legat, non *Haſſonim*, cum ipſius Veneta editio illos det, non iſtos; ſicut e contrario Baſileenſis mea non *Haſſarim* ſed *Haſſonim*. Objicit tamen, non in citato capite, ſed in libelli præfatione, quartum veluti argumentum. *Vox Haſſonim in vitio ponitur*. Prover. XXIV. 21. *Sunt enim certe Sonim, qui res novas moliuntur*. Quaſi vero non ſit apud Hebræos uſitatiſſimum, ut vocabula & prolyſema, & media ſint. In eodem *Proverbiorum* libro c. VIII. 15. nonne malam in partem pro faſtu & ſuperbia *Gaon* ſumitur? Et tamen nonne honorificentiſſimum poſtea fuit, ut *Elias*, *Genebrardus*, *Scaliger* explicant? adeo ut ſupra viderimus, qui ad Sadducæos tranſmigrarit, quod *Gaon* eſſe non poſſet. Vidimus etiam ſupra ſumi bonam in partem *Schoneh*. Sanctitatis illa index vox *Cadoſch* quam Sacerdotum Epitheton ſcribit *Druſius*, nonne *Deut.* XXIII. 17. ſpurciſſimis accommodatur, & meretricibus, & catamithis? Sed cum lectionis in hiſce libris varietas hinc intelligatur, & utraque tolerari utcunque poſſit, illud in quæſtionem vocari nunc poteſt; Utri potius hac in re lectioni adhærendum Baſileenſi an Venetæ? Qua in re videor præjudicium jam feciſſe aliquod, dum Baſileenſem cum hordeaceo vel fabaceo fruſto, Venetam cum artolagano, & ſaccarite, perdicibus & ſimilibus comparavi. At id feci, ut oſtenderem, etiamſi concederetur multo eſſe melior Veneta lectio, non tamen ideo culpæ affinem me, qui quod legere licuit, expendi & examinavi. Nunc de Veneta illa cum credam *Druſio*, & ei videam con-

congruere Gracoviensem fol. 67. mea vero vulgatissima sit Basileensis, seposita tantisper omni concoctionis lite, quæramus; utra in hoc quidem negotio melior lectio sit. Et *Drusius* quidam suæ statim primas tribuit, & quidem præfidenter admodum. *Quam lectionem* (inquit) *germanam esse nemo paulo humanior negabit. Ideo rex* (magnum Herodem intelligit) *non adegit eos* (Pharisæos) *ad juramentum. Quin primores Hasidæorum, & sapientes honoravit honore magno, etiam principem Manahemum collegam Samæi. Nam Manahemus, siquis alius præterea vir justus & sapiens erat in diebus illis*. Verba Hebræa sunt. לכן לא הביאם המלך בשבועה וגם השרים אשר לחסידים והחכמיים ככר כבוד נרול וגם השר מנחם החבר לשמאי כי מנחם אהר ולתו איש צריק וחכם היה בימים התם. Quæ *Serarius* citat ex lib. v. cap. 23. *Et ita in latinum convertit. Et etiam Haschonim, qui* לחסידים *non adduxit Herodes ad juramentum propter Manahem Haschone, qui* לחסידים *ad Hasidæos spectabat, quia ipse Menahem vir justus & sapiens fuit in diebus illis*. Judicent nunc, qui hæc intelligunt, & simul judicio valent. Ego vero in eosdem libentissimus consentio Judices, & quo ii plures, judicio acriores, ad causam attentiores, eo mihi, vel veritati potius victoria certior. Etenim *Gorionidem* constat eandem referre narrationem, quam retulerat *Flavius* lib. xv. cap. 13. quemadmodum sc. Herodes templum Cæsari pulcherrimum ad Jordanis fontes ut Panium (unde & Cæsarea Panias nominata) exædificarit, & conservarit; indeque Judæorum varii sermones ad indignationes, quod contra Dei legem ista Tyrannus ille faceret, extiterint, quas ut iste compriment, cum alia quædam fecerit, tum vero in suam fidem jurare omnes voluerit; cunque id recusarent plerique, & in his Pharisæis, & Esseni, ceteros quidem pœnis gravissimis affecerit, Pharisæos vero qui Pollionis, & Sameæ (de quibus supra) discipuli erant, eorumque familiares hac jurandi necessitate propter Pollionem absolverit, simulque etiam Essæos, sed aliam ob causam, quod majus quid videlicet de iis augustiusque sentiret, quam mortalium ferat natura, propter exploratam Manahemi Esseni virtutem, experientiaque comprobatam rerum futurarum prænoscendarum, ac prædicendarum vim: Atque ut Judices hic *Josephum* hic utrunque facilius inter se componere, sententiamque de varia *Gorionidæ* lectione, imo & postea de Pharisæorum & Essenorum distinctione, ferte possint certius, recitabo eam *Flavianæ* narrationis partem, quæ de Pharisæis & Essenis est. Συνεπείθε ἡρώδης τοὺς περὶ πολλίωνα τὸν Φαρισαῖον καὶ σαμέαν, καὶ τῶν ἐκείνοις συνδιατριβόντων τοὺς πλείστους ὀμνύειν, οἱ δὲ οὔτε συνεχώρησαν, οὐθ' ὁμοίως τοῖς ἀρνησαμένοις ἐκολάσθησαν, ἐντροπῆς διὰ τὸν πολλίωνα τυχόντες, ἀφείθησαν δὲ ταύτης τῆς ἀνάγκης καὶ οἱ παρ' ὑμῖν ἐσσαῖοι καλούμενοι· γένος δὲ τοῦτ' ἐστὶ διαίτῃ χρώμενον τῇ παρ' ἕλλησιν ὑπὸ πυθαγόρου καταδεδειγμένῃ· περὶ τούτων μὲν οὖν ἐν ἄλλοις σαφέστερον διέξειμι· τοὺς καὶ ἐσσηνοὺς ἀφ' οἵας αἰτίας ἐτίμα, μεῖζόν τι φρονῶν ἐπ' αὐτοῖς ἢ κατὰ τὴν θνητὴν φύσιν, εἰπεῖν ἄξιον, οὐ γὰρ ἀπρεπὴς ὁ λόγος φανεῖται τῷ τῆς ἱστορίας γένει, παραδηλῶν καὶ τὴν ὑπὲρ τούτων ὑπόληψιν· ἦν τις τῶν ἐσσηνῶν μανάημος ὄνομα, καὶ τἄλλα κατὰ τὴν προαίρεσιν τοῦ βίου, καλοκαγαθίᾳ μαρτυρούμενος, καὶ πρόγνωσιν ἐκ θεοῦ τῶν μελλόντων ἔχων. Hæc *Flavius Josephus* in quo notant sapientes hæc duo tantum. Primo nusquam in ejus hisce verbis extare *principum*, aut *primorum* qui Hebraice Hassarim, quosque vult Drusius, vocabulum. Secundo e contrario signatissime hic aliquoties *Essenos*, quos Hassonim cum aliis Interpretibus dixi, nominari. Propius igitur ad *Josephum* hunc accedit *Gorionides* Basileensis, quam Venetus. Deinde dixit Venetus sacramento non adactos senes, qui erant Pharisæorum Hillel & Sammai, & eadem phrasi subdit, non adactos Essenos seu *Hassonim*, qui erant Hasidæorum. Tertio Basileensis *Gorjonides* primo de Pharisæi ait: *Eos non adduxit rex ad jus jurandum*; deinde similiter de Essenis aperte subdit. *Et etiam Esseni* (Hassonim) *qui erant Hasidæorum, non adduxit ad jus jurandum propter Menahem Essenum* (hasseneh) *qui Hassidæorum erat, quia Menahem vir justus, & sapiens fuit in diebus illis*. Venetus vero cum prius de Pharisæis membrum recte ponat, in posterioribus, ut quidem ejus a *Drusio* citata Hebræa sonant, turbat dicens. *Et etiam principes, honoravit qui erant Hasidæorum, & ipsos sapientes honore magno, & etiam Menahem socium Samæi, quia Menahem alius præter eum, vir justus & sapiens fuit in diebus illis*. Quid in secundo membro, cum de Hasidæis agit, opus fuit ipsos sapientes, quos esse Pharisæos lib. iv. cap. 29. idem Venetus, & cum eo *Drusius* fol. 41. dixerat, infarcire, cum de iis in priori membro actum jam esset? Deinde ille Samai socius Menahem unde? Nam certe *Flavius Josephus* Essenum tantummodo nominat, eundemque esse fatetur *Drusius* fol. 58. quem Venetus iste *Gorionides* subdit alium esse.

Præ-

Præterea vero, quæ connexio: *Honoravit Esſæorum principes ac ſapientes, & Samai ſocium Menahem, quia fuit alius Menahem?* Cur *quia fuit alius*, ideo priorem illum Menahemum honore affecit? Et ille Samai ſocius, vel Phariſæus erit vel Eſſenus. Si Phariſæus erit præ aliis tam multis Hillelis & Samai Sociis nominatim recenſetur? cur ſi nominatim recenſeri debuit, non eſt autem cum Hillel & Samai recenſitus, ſed nunc extra ordinem nominatur? Cur idem etiam *Gorionides* ſeniores tribuit Phariſæis, non Eſſenis? his vero principes, non illis? Ex his merito colliget quilibet hunc in Germanica editione locum emendatiorem quam in Italica videri. Accedit quod Germanica noſtra editio prior ac vetuſtior ſit, quam Veneta cum illa anno 1541. exierit, hæc 1544. Refert ipſemet *Druſius* fol. 36. quod eam probet, ac explicet, e novatoribus non *Munſterus* tantum ſed & *Bonaventura Cornelius Bertramus* cap. 19. lib. de politia Judaica, quod idem *Druſius* in una unius capitis, quod attulit ſectiuncula, duo ineſſe menda teſtatur eodem fol. 36. quod idem *Druſius*, cum Hebræa e Veneto ſuo *Gorionide* verba citaſſet lepide vel potius (quod bona ejus venia veritatis ergo dictum ſit) fraudolente, ut ab illis verſionem meam diſcrepare oſtendat, ſubjungit. *Quæ Serarius citat, & ita in Latinum convertit.* Nam quomodo verba citari, & in Latinum converti, qui Venetum *Gorionidæ* typum nuſquam legi, vidi, habui? Quæ citavi, ac verti, e Baſileenſii fuerunt codice. Accedit demum, quod in pauculis de quibus diſſeritur, verbis a Veneto, exemplari transferendis, non ut opinor, inſcripta, ſed conſilio, fraudem fecerint idem *Druſius* triplicem: Prima eſt cum vertit. *Quia primores Haſidæorum*, cum Hebraice in Veneto ſit. *Et etiam primores, qui Haſidæorum.* Nam illud *& etiam* clare Haſidæos a Phariſæis, quorum prægreſſa mentio, contra *Druſium* ipſum diſtinguit. Altera cum vertit. *Manahemus ſiquis alius.* Nam ut ſupra jam monui, Hebræus Venetus ait, *quia Menahemus alius.* Tertia cum addit, *præterea*, cum idem Hebræus ajat, *præter eum.* Fiat igitur nunc, quod petebat *Druſius*. *Judicent qui hæc intelligunt, & ſimul judicio valent.* Ne tamen afficiat mœrore *Druſium* triſtior judicum litera, volo quædam ultro ei concedere, ac primo quidem me propter editionum iſtarum diſſonantiam, velle ab hac Eſſenorum etymologia diſcedere, illamque potius amplecti, quæ duodecimo ante loco expoſita. Primo quia utralibet poſitarum lectionum ſincerior ſit, ea tamen minus certa videtur notatio, cujus fundamentum in firma, certa, & ab omnibus probata lectione fixum, depoctumque non ſit. Deinde quia vera hæc & germana *Philonis* & *Euſebii* ſententia eſt locis antea indicatis prout ſupra concluſum. Tertio eandem notationem literis etiam conſignarunt D. *Chryſoſtomus* hom. 44. in Acta Apoſtolorum, *Theophylactus*, & Œcumenius in eundem Actuum cap. 22. alii. Quarto videtur vero admodum ſimile eſſe Græcum ὅσιοι ab eodem Syriaco profectum, ut alia exinde nonnulla. Concedo præterea *Druſio* me illorum, quæ legi, nonnulla non plene ſatis concoquere, in quibus prima occurrit ea, quam mihi tribuit laus, tum quia novi, quam ſit mihi curta ſupellex; tum quia me multa bene pronunciat legere, aliqua tamen quædam male concoquere. Mihi enim haud videtur bene multa eſſe, qui quæ eſt, male concoquit. Non concoquo *etiam*, quomodo ex citatis *Joſephorum* verbis non colligatur Eſſenorum a Phariſæis diverſitas; ſed de ea poſtea. Tertio non concoquo, cum tres attulerim, & quidem cum disjunctiva particula *vel*, cauſas, ob quas viderentur Eſſeni poſſe vocari Haſſonim, omnes reſpuat, neque ſecundam tamen ullo modo etiam levi (cujuſmodi ſunt quibus alias duas rejicit) argumentulo motitet; Sed tandem, Eſſæi ſunt ab Hebræo *chesid*, a quo Syriacum *heſi* ſeu *cheſi*, id eſt ὅσιος ſanctus & pius: Hactenus *Serarius*.

Hæc ſedulo e *Serario* deſcribenda curavi, ut melius confutationes *Scaligeri* innoteſcant, qui cap. XVII. Elench. Trihæres ejus etymologias, acrioribus maledictis, & contumeliis, quam æquitas & humanitas poſtulabat improbavit Toto hoc capite (inquit *Scaliger*.) valde luſit de otio ſuo. Nam quo tot pompæ circenſis fercula? *νȣ̃ μὲν ϛαλαγμὸς, ῥημάτων δὲ νάματα. Mentis quidam gutulæ, at verborum rivi.* Quid fatilius his, quid inutilius? Quanto melius erat & tempus & chartam lucrifacere? Adfert etyma diverſa nominis Eſſenorum, ex quibus vix unum reperias, quod analogiæ congruat; quam pædagogica, quam aretalogica ſunt? Primum illud potuiſſe dici a pectorali quod Hebraice *ὁσσὴν*, apud *Joſephum ἐσσὴν* dicitur. Atqui hoc modo ſecundum Hebræos dicerentur *ὁσσηναῖοι* ſecundum *Joſephum ἐσσηναῖοι*; rurſus a Chaldaico Heſin dicerentur *ἐσηναῖοι*. Quarto ab Aſan, eſſent Aſanæi. Et

quis

quis sanus אסאן a congiugatione Aphel? Quid stolidius? Et hoc modo dicerentur calceatores. Ab Asana *rubo*, eo modo essent Asanæi. Illud stolidum, hoc asininum. Quinto ab Asa *curare*, essent Assæi, ut postea suo loco dicetur. Sexto ab Hebræo עשה, dicerentur ἐσσαῖοι simplici S. Deinde verbum עשה est Hebræum, non Judaicum, quod nullus Judæus intelligebat, nisi Hebraice doctus. Ab Jesu essent Ἰησσαῖοι. Ab Jesse essent Ἰεσσαῖοι, ut non satis prudenter *Epiphanius*. Decima a שנה dicerentur שנאי Σαννᾶιοι, quid commune cum *Essæis*? Sed stupor merus ab אשנה *discam*, In editione Basileensi השונים perperam pro השרים editum, & ridicule interpretatum a *Munstero*, alibi demonstratum a nobis. Hoc modo dicerentur שונים *Schonim*, non *Haschonim*; quia nulla appellatio gentis cum articulo; non enim dicimus Happeruschim, sed Peruschim, neque Hassaddukim, sed Saddukim; & quod caput est Hebraice vocati non sunt, sed Judaice. In Judaismo articulus He locum non habet, qui Hebraismi proprius est. Hæc inscitiam meram aperiunt tam Hebraismi quam Judaismi. Undecima a Græco ὅσιος. Quid? Judaismus est Hellenismus? Deinde ab ὅσιος quomodo deduci potest? Hoc castigent flagra, *ferulæque tristes, sceptra pædagogorum*. Duodecima ab Hebræo חסיד, a quo Syriacum חסי; omnes stupores vincit. חסי merum Syriacum ut ab origine חסא εὐσεβεῖν. Nullæ ferulæ possint castigare. Sed hoc etymon infra eludetur. Hactenus Circensis pompa. Sequitur: *Syriacus sane textus* Rom. 2. *Legis factores appellat semi-Græce* hoseje nomuso: Libet exclamare: Porro Quirites, nam quis erit modus confidentiæ? Textus Rom. 2. 13. Græce habet οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου, Syriacus עברוהי הנמוסא: *Hoseje* quid sit ego nescio; nullus Syrus agnoscet. Verbum עשה omni Syriasmo ignotum; pro quo omnes dialecti Syriacæ utuntur verbo עבד. Siquis novator, ut ipse vocat, hæc dixisset, insultationi unum caput satis non fuisset; integer liber impendendus esset. Hæc non simplici genere castigari possunt. Nam in iis est inscitia, est confidentia, est mendacium, est contemtus eruditorum. Sed omnia sanctissimorum patrum sunt propria. Majus portentum sequitur. θεραπευταὶ Essæos vocatos a verbo ישע qui merus est κορυβαντιασμός. Nam a verbo deduci non potest, cujus nullus usus nisi in Hiphil. Posset autem a ישע nomine, quod merum Hebraicum est, non Judaicum; & ab eo ישעי (si modo posset tale deduci) esset σωτηριώδης non ἰατρός. Nam quis stuporem non animadvertit? & illa quæ adhibet de medicis corporalibus, & spiritualibus plane suphistica sunt, pædagogica, alazonica. Pag. 176. (hujus editionis pag. 108.) *Duo insignia* Josephis Scaligeri *errata*. Jam *Scaliger* nominatur ubi reprehendendus. Superius ubi ex Geographo Arabe de Judæis Samaritis testimonium producitur nefas nominasse. *Unum est quod ait* Epiphanium *dicere Jesum* παρὰ τοῦ ἰάσασθαι *aut Jonice* Ἰήσασθαι. Ego profecto dixi, & dico adhuc. Addo etiam *Serarium* quatenus Zelotes est, sycophantam esse, qui neget quod verum est; quatenus *Serarius*, imperitum, qui ignoravit *Epiphanium* sæpe unius nominis duo etyma proferre. Σαμαρεῖς φύλακες, καὶ ἀπὸ Σωμὼρ: Ἰεσσαῖοι ἀπὸ τοῦ Ἰησοῦ καὶ Ἰεσσαί. Ἰησοῦς ἀπὸ τοῦ ἰάσασθαι, ὅτι ἰατρός. *Samaritæ custodes & a Somor; Jessæi a Jesu & a Jesse. Jesus a sanando, quod medicus sit, & quod salvator*, ut ipse ait, καὶ ὅτι σωτήρ, ex Hebræo: An non duo etyma illa conjungit? Ἰεσσαῖοι, ἤτοι ἐκ τοῦ Ἰεσσαί, ἤτοι ἐκ τοῦ ὀνόματος κυρίου ἡμῶν ἐπεκλήθησαν Ἰεσσαῖοι, διὰ τὸ ἐξ Ἰησοῦ ὁρμᾶσθαι μαθηταὶ ὄντες αὐτοῦ. *Jessæi sive a Jesse, sive a nomine Domini nostri cognominati sunt Jessæi, eo quod a Jesu ortum trahant, discipuli ejus existentes*. Quid Ἰεσσαὶ commune habet cum Ἰησοῦς? Cur non potius Ἰεσαῖοι dicti. Non sunt indigna *Epiphanio* (nam mille talium rerum passim in eo reperias) sed accurato scriptore. Deinde cum dicit Jesum vocatum Hebraice ἰατρὸν καὶ σωτῆρα, in priore habebat in animo Græcum ἔτυμον, in posteriore Hebraicum. Nam ut dixi, longe plura παραδοξότερα sunt apud eum scriptorem. Sic duas sectas fecit diversas Νασαραίων καὶ Ναζωραίων; quum idem nomen sit: Nam נצרי quod Judæi libentius scribunt נוצרי vel Νασαραῖος Græce dici potest, vel Ναζωραῖος. At ipse in Judaismo ponit decimam octavam hæresin τῶν Νασαραίων, ut vigesimam nonam in Christianismo τῶν Ναζωραίων, tanquam non unum, sed diversum nomen sit, & ideo diversas sectas esse. Sic ἐσσηνοὺς ponit sectam Samaritarum, Ἰεσσαίους (quod nomen ipse excogitavit) Christianorum, & post eos ὀσσηνούς. At Jessæi perperam, ut dixi, pro Essæis ab eo exceptum est. Esseni male inter Sanaritas relati. Ossenorum nominis origo eadem est cum Essenorum nomine; sola pronunciatione differunt, ut de Nasaræis & Nazoræis diximus. *Rursus error insignis* Josephi Scaligeri, *quod dicat præceptum fuisse Ma-*

riæ

riæ Virgini ab Angelo, ut vocaret nomen filii Jeſum; *Nuſquam enim* (inquit) *hoc dicit* Epiphanius. Hæc quoque vis eſt. Nam ſi dicit me ſcripſiſſe hoc dictum ab *Epiphanium*, mendacium eſt calidiſſimum. Ego neque hoc dixi, neque in mentem venit mihi. Sin ab Angelo dictum, quid reprendit? Producantur verba Evangeliſtæ *Matthæi*. I. 21. Tantum ibi eſt, quod *Joſepho* viro *Mariæ*, non Mariæ dictum. *Sed* (inquit) *monſtratam ab Angelo Etymologiam reſpicit*. Ego profecto idem dixi; non potuiſſe Ἰησῦν vocatum eſſe παρὰ τὸ ἰάσασθαι, ſed ab origine ישע, quemadmodum inquiebam, ab Angelo præceptum fuit. Hoc ita a nobis dictum eſſe res ipſa indicat. Hoc quoque dictum fuiſſe ab Angelo *Serarius* fatetur. Et tamen *Scaliger in* jus vocatur. Os hominis. Tertius error, quem ipſe alterum errorem vocavit, quod ſcribam *Euſebium* ſine ullo autore dicere Eſſæos in nomine Chriſti morbos depuliſſe: Hoc certe quendam, non quidem *Euſebium*, dicere memini, & quum hoc haberem in animo, & multa, quæ tum ſcribebam memoriter, non ex ſcripto depromerem, hoc quod apud *Euſebium* non extare fatemur, excidit nobis. Et hic hactenus *Serarius* non calumniatur, atque ut nobis falſo pronunciare, ita illi juſte reprehendere, utrique utrunque præter morem ſuum contigit. *Nova conjectura eſt, non* Euſebii, *ut inconſiderate citato loco ſcripſit* Melanchton, *ſed* Suidæ. Ita non ſolum nobis, ſed & ſummo viro *Melanchtoni* memoria fraudi fuit. Sed unde ἐσσαῖοι θεωρητικοὶ vocati ſint, ejus rei cauſam inveſtigare puerile, & ineptiſſimum eſt. Nam inſigniter hic hariolatus eſt *Suidas*, aut quiſquis ille autor, unde *Suidas* accepit, quod *Serarii* intererat monere, ſiquid in eo judicii eſſet, præſertim cum in alienos errores libentius animadvertat, quam ſuos reprehendi patiatur. Verba *Suidæ*. Θεωρίᾳ δὲ τὰ πολλὰ παραμένουσιν ἔνθεν καὶ ἐσσαῖοι καλοῦνται, τοῦτο δηλοῦντος τοῦ ὀνόματος, τουτέστι θεωρητικοὶ, ὅτι ἐσσαῖοι ὑπέρτεροι σφόδρα, καὶ λίαν ὑπερκείμενοι τῶν φαρισαίων κατὰ τὴν πολιτείαν. *In contemplatione plurimum permanent, unde & Eſſæi vocati ſunt, illud ipſo nomine indicant, q. d. contemplativi. Quia Eſſæi longe præſtantiores ſunt, multumque antecellunt Phariſæos ratione inſtituti*. Quod eſt purum putum delirium. Nam Eſſæi non ἀπὸ τῆς θεωρίας dicti ſunt, ſed quia duo genera Eſſæorum erant, τῶν μὲν πρακτικῶν, τῶν δὲ θεωρητικῶν, propterea τοὺς ἐσσαίους θεωρητικοὺς vocatos eſſe putavit *Suidas*. In quo non major culpa eſt *Suidæ*, qui tam pueriliter lapſus ſit, quam *Serarii*, qui non animadvertit, neque hoc contentus, ſtultiſſime ab Hebræo שעה derivavit, quod non eſt θεωρεῖν *contemplari*, ſed προσβλέπειν *intueri*. Θεωροῦμεν autem νῷ, βλέπομεν ὀφθαλμοῖς; *Contemplamur mente, videmus oculis*. Et certe mira eſt Theologi doctoris φλυαρία, quam auxit verbo Germanico *Schavven*, dum putat illud ab illo Hebraico deductum. Sed nec unum illud peccatum eſt. Nam quamvis prima ſyllaba verbi Germanici pronunciatur per ש Hebraicum, tamen *ſch* Germanicum non una litera, ſed duæ ſunt ſemper, quæ in Teutoniſmo inferiore pronunciantur per duo elementa σχ. Idem enim verbum eodem modo Belgis ſcribitur, ſed pronunciatur σχαύεν, non שוין. Sic *Schelm* tam Germanice, quam Belgice ſcribitur, ſed Germanice pronunciatur per unicum ſchin Hebraicum שלם, Belgicum per duo σχ Græce σχέλμ. Itaque duæ literæ latent in *Sch* Germanico; & ſic Becceſclenicæ licentia inſaniæ omnia a verbo שכה Hebraico, vel potius a Syriaco *ſcha* סכא, quod idem verbum eſt, felicius *Schavven* deduxerim, quam a שעה. Eſt autem סכא plane θεωρεῖν quod volebat *Serarius*. Sed non magis ab eo τὸ *Schavven* Germanicum deducitur, quam ἐσσαῖοι ἀπὸ τῆς θεωρίας, ut hariolatur *Suidas*; poſtea corrigens ſe a חזה mavult: Ergo dicti Hazzæi: λῆρος Ζηλωτικός. In eodem capite: verba *Philonis* λέγονται ἐσσαῖοι κατ᾽ ἐμὴν δόξαν οὐκ ἀκριβεῖ τύπῳ διαλέκτου ἑλληνικῆς παρώνυμοι ὁσιότητος. *Dicuntur Eſſæi ex mea opinione licet non adeo exacta Græcanicæ dialecti norma, derivatione a pietate facta. His verbis* (inquit *Serarius*) *diſerte admonet non a Græca voce notationem hanc petendam*. Hoc ego certe idem putavi, & *Serario* perſuaſi, quamvis, ut in aliis, diſſimulat. Ideo ex Syriaca lingua, originem petere coactus ſuum, quam bene, infra videbimus. Sed culpam meam fateor, & ſuplicium ultro do, quod crediderim *Philoni*, homini Græce tantum loquenti, Hebraiſmi autem adeo imperito, ut dubitem, an etiam legere ſciret Hebraice. Denique *Philo* neque ab Hebraiſmo, neque a Syriaſmo hoc verbum deducere potuit, qui utriuſque dialecti imperitior fuerit, quam ullus Gallus aut Scytha. Hoc omnia ejus ſcripta paſſim loquuntur. Atqui duplex culpa noſtra fuit, tum quod putavimus *Philonem* o Syriaco Eſſæorum originem petere, tum quod ei credidimus, quem ſciebamus Hebraice & Syriace neſcire.

Tertium adde, quod *Philonis* hic nulla est, sed nostra. Manifesto enim ipse a Græco Essæos dictos vult, ἀπὸ τῆς nimirum διαλέκτου ἑλληνικῆς μὲν οὐκ ἀκριβοῦς δέ. In sequentibus aperit etymon suum, quod παρωνύμους τῆς ὁσιότητος dicit. A Græco enim deducit, οὐκ ἀκριβῶς δέ: ὅτι κατὰ διαστροφὴν ἀπὸ τῆς ὁσιότητος. Sed non accurate vel exacte, nam per contortionem dicti sunt ἐσσαῖοι, quasi ὁσιαῖοι. Imo alibi eosdem ὀσσαίους dictos fuisse demonstrabimus. A Græco igitur ὅσιοι deducit non a Syriaco, nimirum ἐκ διαστροφῆς, καὶ οὐκ ἐξ ἀκριβοῦς διαλέκτου. Hæc non intelligebamus prius. Itaque excusandi non sumus. *Serarius*, cui ego hoc persuasi, nec ut, ego, vapulet, absolvit eum privilegium societatis, ex qua nunquam prodiit mendacium. Clarius *Philo* in legatione: καλοῦνται μὲν ἐσσαῖοι παρὰ τὴν ὁσιότητά μοι δοκῶ τῆς προσηγορίας ἀξιωθέντες. *Vocantur Essæi, ut ego quidem opinor, appellatione hac insigniti*; i. e. ut ejus prioribus verbis loquar, ἀκριβῶς μὲν ὁσιαῖοι, κατὰ δὲ τὴν οὐκ ἀκριβῆ διάλεκτον, ἐσσαῖοι. Sed falso eum nomen Syriacum, aut Judaicum a Græco derivare non solum ridicula ejus originario aperit, sed ex aliis quæ infra disputabuntur, constabit. Cap. 2. pag. 180. (hujus edit. pag. 110.) *Decimam labefacere conatur* Drusius. Aparge, asinina est. Satis explosa a nobis supra. Quæcumque hic dicuntur, ejusmodi sunt, ut mirari subeat, aut otium hominis, qui tam futilia persequitur, aut ἀδιατρεψίαν, quam non pudet iterum sese traducere facto suo, cujus eum & pudere & pœnitere intererat potius, quam illa iterare, ex quibus nihil aliud, quam tibi infamisiam, lectori autem fastidium pariat. Sed hæc confutare *Drusii* partes sunt, quod hæc omnia ad eum pertinent. Quid est ineptius quam Essenos δευτερωτὰς vocare, quum hoc solum Pharisæorum sit? Quid stultius, vanius, futilius, quam illud השונים ex השרים depravatum a *Munstero* recoquere? Quid denique impudentius quam hæc defendere? Pag. 184. (hujus edit. pag. 113.) *Quasi vero non sit apud Hebræos usitatissimum, ut vocabula, & prolysema, & media sint*. Media vocabula sunt ea tantum, quæ in bonam, aut malam partem sumuntur, ut *valetudo*, ut *fama*, ut verbum *imprecari*, quæ non per se, sed per adjunctum, aut expressum nomen intelliguntur, bona, mala valetudo, aut fama, bonum, malum imprecari. Alia sunt, quæ ἐκ διαμέτρου pugnantia significant per se, & sine attributo, ut κῦδος tam honorem quam dedecus significat; ἀλύω tam gaudere quam mœrere. Apud Syros סכלא tam φρόνιμον, quam ἄφρονα, sed non est hujus classis. Dialectus enim Syriaca ab Hebræa matrice, ut Italica a Latina, propagata est. In Hebraico סכל ἀφρονεῖν שכל εὐφρονεῖν omnino contraria eodem sono pronunciantur, quia ס & ש cum puncto smol ejusdem soni sunt, & ab eo סכלא Syriacum utrumque significat. Quare, ut dixi, non est ejusdem classis, quia non est eadem origo. Sic Hebraice צרח *clamavit* צריח *turris*, quia inquiunt Critici Hebræi vigiles ex ea clamant. Sed falsi convincit Arabismus in quo צרח, item צרחא est turris cum leni Cheth, hoc est sine puncto. Ideo צריח Hebraicum non est a צרח. Rursus idem thema verbi potest esse, vel potius eædem literæ thematis, quum tamen diversi sint apices vocales. Tunc non erit eadem origo, quia diversi apices diversam originem arguunt. קרוש *sanctus* קרש *Cinædus* nihil habent comune ut in significatu, sic neque in origine. Quare fallitur *Serarius*, dum קרוש & קרש eandem originem, idem thema, & ut Hebræi Medakdekim dicunt, eandem radicem putat. Rursus שונים *discentes*, & שונים *mutantes* aut *iterantes*. *Prov.* XXIV. 21. neque origine differunt, neque significatione, nisi per secundam intentionem. Nam שנה proprie mutationem, & iterationem per primam intentionem significat, quam autem pro *discere* ponitur, quid aliud est, quam iteratio ejusdem rei in meditando, & mutatio, donec omnia memoriæ hæreant? Itaque שנה non est medium vocabulum, quod imprudenter excidit *Serario*. Non enim contraria significat. Sunt & alia, quæ omnes linguæ, sed Judaica præcipue κατ' ἀντίφρασιν usurpant. מכוער est μεμολυσμένος, tamen ponunt ἀντὶ τοῦ καθαροῦ, כוש αἰθίοψ pro albo, נפחא *faber* fuligine nimirum infectus, pro pulchro. סני נהור πολυφεγγὴς *luminosus* pro cæco, & qui lumen non habet. Inde magistri quum aliquid κατ' ἀντίφρασιν dictum volunt, hoc vocant על דרך סני נהור. Sic Græci: *Photius* 84. 10. ὅτι τὸ μὴ λέγειν δύσφημα πᾶσι τοῖς παλαιοῖς μελ' φροντὶς ἦν, μάλιστα δὲ τοῖς Ἀθηναίοις, διὸ καὶ τὸ δεσμωτήριον οἴκημα ἐκάλουν, καὶ τὸν δήμιον κοινὸν, τὰς δὲ Ἐριννύας Εὐμενίδας, ἢ σεμνὰς θεὰς, τὸ δὲ μύσος ἄγος, τὸ δὲ ὄξος μέλι, καὶ τὴν σχολὴν γλυκεῖαν, τὸν δὲ βόρβορον ὀχετόν. οἱ δὲ γραμματικοὶ τὰ τοιαῦτα κατ' ἀντίφρασιν ὀνομάζουσιν. Οἶδα δὲ τινας, φησὶ, τῶν φιλολόγων καὶ τὸν πίθηκον ὀνομάζοντων Καλλίαν. *Ea quæ funesta vel minus*

boni

boni ominis videbantur, *non exprimere omnibus veteribus curæ fuit*, *maxime Athenienſibus*. *Itaque carcerem domicilium nuncupaverunt*, *& tortorem*, *publicum*, *Erynnes*, *Eumenides*, *aut ſerias deas*, *ſcelus*, *abominandum*, *Agos*, *acetum*, *mel*, *fel dulce*, *cloacam*, *canalem*. *Grammatici talia per antiphraſin dicta appellant*. *Novi autem quoſdam*, *inquit*, *Philologorum*, *qui Simiam appellare conſueverunt pulchram*. De Simio, quod ait, confirmatur ab *Heſychio* apud quam καλλίαρ eſt πίθηκος παρὰ Λάκωσι. Sic denique ברך εὐλογεῖν καὶ βλασφημεῖν in ſcriptura. Sunt & alia quæ non contraria, ſed diverſa ſonant, ut *jus legitimum*, & *jus culinarium*, & ſiquæ ſunt apud exoticos, quam apud Hebræos: Quod huc גאון conjicit *Serarius*, quod faſtum ſignificat & magnificum, minus prudenter facit. Nam gloria, quando illud vitium ſignificat, ex quo Pyrgopolynices Miles glorioſus dictus eſt, non diſcedit a ſua notione, ſed gradum facit ad aliud per figuram κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ κατὰ τὸ ἔλαττον *juxta majus & minus*. Idem de *Gaon* dicas. Eſt id magnificentia; ſed quando facit gradum ad extremum, eſt faſtus, ut apud Latinos gloria; aut contra, in Scriptura eſt faſtus, ab eo ad melius extremum gradu facto, eſt magnificentia. Itaque nulla mutatio eſt. Hoc tantum in eo verbo mutavit, quod cum eſſet nomen ſubſtantivum, factum eſt adjectivum; unde *Gaonim* dicti illa ſapientum claſſis eadem ſignificatione, qua Veneti ſuos Senatores vocant. Sequitur eadem pagina. *An vitioſior lectio* Gorionidæ *in editione Baſileenſi*, *quam in Veneta*? Hoc eſt quærere, utrum melius τὸ δόκιμον κόμμα *probus nummus*, an vero τὸ κίβδηλον *adulterinus*; vinum an vappa, artus integri an luxati? Certe ex iis, quæ a nobis de *Pſeudogorionide* diſputata ſunt, potes hoc ſcire *Serari*, & hoc contentus eſſe, ſi aliquid in te judicii eſt aut candoris. Nam hæc in dubium vocare puerile eſt. Adhucne pertendis? Non pudet pertinaciæ? Quæro ex *Serario*, quid eſt השונים אשר לחסירים. Ego ſcio nullum Judæum etiam doctiſſimum hoc intelligere. Sunt enim verba nihili. Sed השרים אשר לחסירים ἄρχοντες τῶν ἁγίων, *principes ſanctorum*, id eſt, ut *Pſeudogorionides* intellexit, *Phariſæorum*. Nam & paulo poſt dicit השר מנחם *princeps Menahem*. Erat enim & is princeps, ut putat idem *Pſeudogorionides*, qualis Johannes ille Eſſæus. *Joſephus*: θαμνᾶ δὲ τοπαρχίας Ἰωάννης ὁ Ἐσσαῖος στρατηγίσων ἐπέμφθη. *Thamnam vero Toparchiam adminiſtraturus Jo: Eſſæus miſſus eſt*. Principes enim trium ſectarum reſidebant Hieroſolymis, ut hodie principes ordinum Monachalium, quos Generales ordinum vocant, Romæ manere tenentur. Inde illa οἱ πρῶτοι τῶν φαρισαίων quanquam in ea hiſtoria *Joſephus* non meminit τῶν πρωτευόντων, & impoſtor *Pſeudegurionides* hæc divinavit, tamen verum eſſe, quod diximus περὶ τῶν πρωτευόντων in illis ſectis ex iis quæ adduximus, perſpicuum eſt. Quare ita vertendum ex editione caſtigata. *Idcirco non adegit eos ad jusjurandum*. *Quia etiam principes ſanctorum*, *& ſapientes honore ſummo honoravit*: *Præterea princeps Manahem diſcipulus Sammai* (*fuit enim & alius quoque Manahem*) *erat illo tempore vir juſtus*, *& ſapiens*. Hæc omnia ridicule in editione *Munſteri* depravata, interpolata, obſcurata ſunt. Æſtuet quantum volet *Serarius*, neque unquam editionem *Munſteri*, in qua hic locus multa habet, quæ nullam ſententiam efficiunt, ulli Hebraice perito probabit, neque a nobis aliud judicium exprimet, quam quod de pertinacibus pronunciari ſolet. Nauſeam mihi movent hominis verba, culpam iis defenſionibus diluentis, in quibus plus peccatur, quam in eo, quod defendendum ſuſcepit. Non magis השונים pro השרים probari poteſt quam חכושים pro הכותים. Utrunque enim *Munſterus* ſuppoſuit, quum morboſam ſcripturam ſui Codicis aſſequi non poſſet: Pag. 188. (hujus edit. pag. 115.) *Munſterus*; *& etiam Eſſenos*, *qui erant Haſidæorum*. Quid hoc eſt? Nam ſi Eſſeni & Haſidæi idem ſunt, quomodo hæc convenire poſſint non video, niſi concedamus recte dici, Franciſcanos Minoritarum, Dominicanos Prædicatorum, Lojolitas Jeſuitarum, Academicos Platonicorum. Nobis non licet eſſe tam acutis. Atqui *Pſeudogorionides* חסרים ſemper pro Phariſæis uſurpat. Quid erit igitur hoc? *Eſſeni qui erant Phariſæi*. Acumen *Serarii* qui tam ineptam lectionem non animadvertit, modeſtiam, qui defendit, quod idem fuerit ac ſi dicamus, Franciſcani, qui ſunt Dominicanorum. Eadem pagina ineptiſſime Venetam editionem lancinat. Certe ſi eſſem *Martinus Delrio*, hic oportune evomuiſſem, *obſcæna linguæ probra cicalatricis*. Pag. 191. (hujus edit. pag. 117.) *Eſſæi ſint ab Hebræo Cheſid*, imo *Chaſid*, Eſt enim Kametz, non hateph patach, a quo *cheſi*, ſive *heſi* i. e. ὅσιος, חסי ab Hebræo חסיר deduci nemo credet, niſi puer & tiro in Hebraiſmo. Jam illam craſſam incitiam ſupra caſtiga-

gavimus. Ubique peritiam Hebraismi ostentat *Serarius*, & *aliquando ut perdat ludit assidue aleam*. Quanta est pertinacia, quanta inverecundia, quanta ἀναισχυντία, toto hoc capite, quod vix tandem ita concludit. *Sed tandem Essæi sint* ab Hebræo chesid (imo *chasid* חסיד non חסיר ad eundem lapidem offendit) *a quo Syriacum chesi, seu hesi* i.e. ὅσιος *Sanctus & pius*. Syriacum ab Hebraico deductum esse eliso ד quod *Serarius* somniat, jam confutavimus, quod tamen tertio iteratur. Pag. 193. (hujus edit. pag. 118.) quæ est stolida insitia. Nam חסי merum Syriacum est a quiescentibus Lamed per חסא. At חסיד Hebraicum est a themate חסד, neque unquam factum in iis, quæ Syri acceperunt ab Hebræis pepoal eliserint. Nam קטי pro קטיע & similia non sunt dialecti, sed διαστροφαὶ sermonis Judaici, non Syriaci. Nihil potest magis arguere imperitiam Hebraismi & Syriasmi, quam si dicam חסי a חסד Hebraico natum esse. Itaque totum caput tertium, & hoc & velitatio de adspiratione nihil est, nisi tempus, rem caram perdere. Hoc umquam vindicabit *Serarium* a culpa quam in se admisit. Sed quare dissimulat de nomine חסי Essæos deduci, quum id primi omnium nos dixerimus, & multos adversantes sententiæ nostræ experti sumus, in quam tamen dissimulato nomine nostro pedibus discesserunt? Certe numquam non dicam illi, qui est harum rerum imperitus, sed ne peritioribus quidem in mentem hujus nominibus venisset, nisi a nobis indicatum esto, sed quia publicavimus, publicum esse; potest quivis sui juris facere; atqui publica non sunt unius; & propterea alii quoque fecerunt suum. Age non querimur. Non alia enim ratione id omnium fecimus, nisi ut non esset nostrum. At novam *Scaliger*, cum hujus pœnituerit, cap. XXVI. proponit etymologiam de *Hasidæis*. Antequam (inquit) navem ad portum confero, de Essenorum etymo hactenus ignorato breviter dicam. Jam ostendimus *Philonem* non bene intellectum nobis imposuisse. *Philo* enim dixit ἐσσαίους a Græco verbo depravato dictos nimirum quasi ὁσιαίους. Ideo pag. 602. ita scribit τὸν ὅμιλον τῶν ἐσσαίων, ἤτοι ὁσίων, tanquam distorte ἐσσαῖοι pro ὅσιοι quasi ὁσιαῖοι. Itaque hariolati sumus, quam a Syriaco חסיא deduximus triplici errore, primo quia *Philonem* non assecuti sumus, secundo quia Essæos a חסיא deduci nullo modo potest. Aliquid esset si חסיא scriberetur, quod neque ita scribitur, neque si ita scriberetur, voti tamen compotes essemus; tunc enim essent Esæi per simplex S. Tertio quia Judæi non utebantur mera dialecto Syriaca, cujus proprium est nomen illud חסי, Judæis omnino ignoratum, quod a quiescentibus Lamed poal deducitur, חסא non ut ridicule *Serarius*, quod per extrisionem ד ab Hebraico חסיד quod neque verum est, neque a mediocriter docto profici sci potuit. Jam vero θεραπευταὶ dicebantur. *Philo* ignoravit causam; ideo confugit ad conjecturas, aut quod animas a vitiis curabant, aut quod τὸ θεῖον ἐθεράπευον. Utrunque ut longe petitum, ita falsissimum. Nomen illis ab Hellenistis Ægypti impositum. Ibi enim tantum hoc nomen habebant, & quidem Græcum, non in Palæstina. Ideo hoc prorsus *Josephus* ignoravit, causa tamen ab eo petenda. Revera enim θεραπευταὶ erant, non quod vitia animi, ut hariolatur ex *Eusebio* & *Philone Serarius*, & nos quoque hanc insaniam insanivimus, sed corporis morbos curabant, & peritiam ὕλης ἰατρικῆς summam tenebrat, ὅθεν αὐτοῖς πρὸς θεραπείαν παθῶν ῥίζαι τε ἀλεξιτήριοι καὶ λίθων ἰδιότητες ἀνερευνῶνται. *Hinc ipsis ad medelam morborum radices medicæ, & lapidum proprietates investigantur*, inquit *Josephus*. Hinc igitur quidam eorum etymon investigarunt, & a verbo אסא θεραπεύειν dictos suspicati sunt, אסיא enim est medicus; sed est formæ ejusdem cum חסיא a quo ἐσσαῖος formari non potest. Reliquum igitur ab בני אסי ut dictos fuisse; sed nunc dicerentur *Assæi* propter daghes, non *Essæi*, & jam diximis a solis Ægyptiensibus Hellenistis, non a Palæstinis θεραπευταὶ vocatos. Itaque si a Græcis Græce nominati, ergo nullum nomen Hebræum aut Syriacum illis fuit. Sane Ἰεσσαίους inter alia, quasi ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι dictos voluisse *Epiphanium* nobis constat; *Serario* autem sol meridie non lucet. Tria in originatione hujus nominis concurrunt: Primum literam principem esse cum spiritu aspero ostendit etymon illi, quanquam falso a *Philone* attributum, ὁσιαῖοι. Secundum primæ literæ vocalem ex præceptis Hebraismi esse scheva, vel quod idem est propter gutturalem, est raptum patah. Tertio propter scheva, vel raptum patah mediam non recipere daghes; atqui media geminata est; scribitur enim ἐσσαῖος aut ἐσσηνός; sunt autem tres literæ in Hebraismo, quæ per Σ redduntur, Samech, Tzade, Schin; quarum ultima tantum sine daghes duplicari potest, quanquam id rarissime factum; sed usus non analo-

logia in loquendo regnum obtinet. Id manifesto apparet in Μεσσίας Ιεσσαί, ἐσσὼ pro ὀσσὼ apud *Josephum*, quod in Hebraico est חשן Sic קישון Κεισὼν *Judic.* IV. 7. נשור & נשורי γεσσυεὶ *Deut.* III. 14. מישא Μασσῆ. *Messa Gen.* x. 30. & alia perpaucissima. Corollarium. *Omnis litera Hebraici nominis, quæ recipit daghes geminatur Latine & Grece, sed omne σσ ex Hebraico nomine quod non recipit daghes est* ש *Schin dumtaxat*. Quum igitur nominis ἐσσαῖος prima litera aspirata sit, secunda autem debeat esse ש Schin per ea quæ demonstrata sunt, omnino השאי est aut חשאי. Prius non est in rerum natura; ergo חשאי est vera & indubitata orrigo nominis Essæorum. His animadversis nunc videndum, quid significet; fortasse est ab autore instituti, cujus hoc nomen proprium fuerit, ita frustra quæreretur origo. Rursus חשאי significat, qui seorsim a strepitu degit: Hoc valde convenit illi generi hominum, qui aut vicatim ab aliis seorsim κοινόβιοι vivebant, aut in desertis μονάζοντες, חשאי enim significat tranquillitatem, & privationem omnis impedimenti, quod Græci vocant ἀνενοχλησίαν: item *silentium*, quod & ipsum quoque valde accommodum esse illi genti nemo negaverit, quum illis dicatur silentium, ut Pythagoræis maxime observatum fuisse. Ergo Hessæi sunt ἡσύχιοι, ἡσυχάζοντες, ἡσυχασαί. *Justinianus* Novel. 5. ἐμφῆνες αὐτῶν τὸν ἐν θεωρίᾳ τε καὶ τελειότητι διαζῶντες βίον ἡσυχασὰς ἐώθασιν. *Nisi quidam eorum in contemplatione & perfectione vitam agentes a turba semotam habeant domunculam, quos Anachoretas & requiescentes vocare consueverunt*. Notent vero studiosi nomina substantiva apud Judæos frequentissime in adjectiva transire. Sic ננאי *turpitudo*, & *turpe*, sic נאון *magnificantia* & *magnificus*, חנא *doctrina*, *doctor*, quod non est novum Latinis, *crimen* pro *reo*, *carcer* pro *conjecto in carcerem*, aut *carcere digno*. *Custodia*, *carcer*, & *carceri mancipatus*; *scelus* pro *scelesto*; *mille hominum*, *mille homines*; *Novatiani* a *Novato*, *Dosithæi* a *Dositheo*, *Tatiani* a *Tatiano*, *Ptolomæi* a *Ptolomæo* hæresiarcha; Hispani dicunt *Franciscos*, *Dominicos*, pro *Franciscanis* & *Dominicanis*. Quare quemadmodum turpitudo & turpe, sic חשאי ἡσυχία, ἡσυχόβιος vel σιωπὴ σιωπηλός, quam etymologiam veram esse cur dubitemus, causa non est. Convenit enim & nominis analogiæ & gentis cui attribuitur, instituto. Sed tamen alia potest adferri non deterior illa. חשאי enim significat στιβάδα *mattam*, *stoream* ad incumbandum. Autor *Aruch* חבילי קש קורנירה חשאי פירוש בלעז סטורייא *Manipuli stipulæ sive straminis Cyreniaci* חשאי *h. e. Italice storea*. Glossaria. *Stramentum* στιβάδες, χορτόστρωμα. *Stramenta* χορτόστρωτοι στιβάδες. *Philo* de Hessæis 616. στιβάδες εἴσω ἐκ λιτοτέρας ὕλης, ἀφ᾽ ὧν εὐτελῆ πάνυ χαμαίστρωτα παρύρα τῆς ἐγχωρίας &c. *Stamenta sunt vulgarioris materiæ, ex quibus viles admodum quasi thori humistrati ex papyro indigena*. *Cassianus* Monachus vocat *Embrimia*, id quod Baal *Aruch* Fasciculos stipulæ collat. I. cap. ult. *Iis ipsis, quibus insidebamus, psiathiis admones incubare, embrimiis pariter capiti nostro cervicalium vice suppositis, quæ crassioribus papyris in longos gracilesque fasciculos coaptatis sesquipedali intervallo molliter nexa nunc quidem humillimum sedile ad scabelli vicem fratribus in Synaxi considentibus* &c. Cujus vocis ἔτυμον ingenue fateor me nescire, quamvis de lecticis συσσιτίων ἐν ταῖς πεντηκονταῖς *conviviorum in quinquagesimis* loquitu, tamen in illis, non in stratis mollibus cabasse nemo dubitare debet. χαμαιευνεῦνται. & χαμαιεῦναι reddi possunt. Igitur quod in χαμαιεύναις & storeis dormirent, ab eo χαμαιεῦναι dicti. Hoc enim השאי etiam significat; ut illi Selli Dodonæi orac. Ὀδυσσ. π.

Ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ

Σοὶ ναίεσι ὑποφῆται, ἀνιπτόποδες χαμεῦναι.

Circum autem Selli

Habitant, subnati, illoti pedes, humi cubantes.

Non igitur Hessæi a חסיא quod prius hariolabamur, & *Serario* quanquam zelotice dissimulanti persuaseramus, dicti sunt, neque ab אסיא quod fanaticus quidam quum primum opinatus esset, postquam in nostros libros incidit, sententiam mutavit, & pedibus in nostram discessit, dissimulato etiam nomine nostro. Quod autem Ιεσσαίοις solus omnium *Epiphanius* vocaverit, idque ejus unius commentum esse, minime dubium esse debet. Ait enim, qui Nazoræi prius vocati sunt, eosdem postea Ιεσσαίους vocatos antequam Antiochię Christiani vocarentur. Quod certe nemini paulo intellegentiori probari potest. Cur ita sentiret, causa fuit *Eusebii* de Esseis opinio eos fuisse Monachos pri-

primos Christianorum. Nequis dubitare posset, postquam de Jessæis quæ neque ratione ulla, neque testimoniis veterum nituntur, disputavit, addit: εὕροις δ' ἂν ὦ φιλόλογε καὶ τούτου τὴν ὑπόθεσιν ἐντυχὼν τοῖς τοῦ φίλωνος ὑπομνήμασιν ἐν τῇ περὶ Ἰεσσαίων αὐτοῦ ἐπιγραφομένῃ βίβλῳ. *Invenias autem Philologe & hujus hypothesim, ubi legeris Philonis commentarios in libro, quæ de Jessæis inscripsit.* Quem librum sine dubio non legit, sed ex 2. Histor. Ecclesiast. *Eusebii* omnia accepit, quemadmodum & *Eusebius* ipse, quum *Porphyrium* citat ex *Josepho* ad verbum de Essenis differentem, satis eo ostendit se *Jesephum*, ubi de Essenis loquitur, nunquam legisse; & tamen neque *Philo*, neque *Eusebius*, qui *Philonis* verba producit, Ἰεσσαίους, sed ἐσσαίους vocant. Ipse vero *Epiphanius* διὰ τὸν Ἰεσσαὶ dictos ait, quod ἡ θεοτόκος ἐκ Δαυὶδ τοῦ Ἰεσσαὶ κατὰ διαδοχὴν τοῦ σπέρματος. *Deipara ex David Filio Jessai juxta successionem seminis*. Cujus sententiæ, fulciendæ multa ettexuantur, quæ & ipsa non minus, quam nomen τῶν Ἰεσσαίων patrocinium quærunt. Postquam satis illa firmasse visus est, adjicit Ἰησσαίους ἀπὸ Ἰησοῦ dictos. Nimirum sentit quasi Ἰησσαίους dictos; ut huic disputationi accederet fultura ruenti, postremo Ἰεσσῶν vel ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, vel ab Hebraico, quod significat σωτῆρα, dictum scribit. In fine disputationis regressus ad duos Nazoræos subjicit: ἄλλοι δὲ Νασσαραίους ἑαυτοὺς ἐκάλεσαν, ἦν γὰρ ἡ αἵρεσις τῶν Νασαραίων πρὸ Χριστοῦ, καὶ Χριστὸν οὐκ ᾔδει. *Alii autem seipsos Næsaræos appellarunt. Fuit enim hæc Nazaræorum hæresis ante Christum, Christumque non novit.* Nimirum quos collocavit hæres. 18. Certe sive Νασαραῖοι, sive Ναζωραῖοι ambo omnino iidem sunt נצראי hoc tantum natum ex discrimine pronunciationum, quarum altera per σ altera per ζ Hebraicum Tzade reddit. Nazoræi vero, quorum Evangelium se interpretatum fuisse scribit *Hieronymus*, erant puri puti Karraim Christum & Evangelium amplectentes, una cum textu Biblico, & quia primi Christiani ex Judaismo fuerunt, multi ex illis Karraim erant, & a Judaismo divelli non potuerant. Propter eos Nazoræos prima Synodus Apostolorum convocata *Act.* xv. propter eosdem Epistola *Pauli* ad *Galatas* scripta. De quibus sæpe *Hieronymus*, sed præsertim ad *Augustinum* Epistola. *Usque hodie* (inquit) *per totas orientis Synagogas inter Judæos hæresis, quæ dicitur Minæorum, & Pharisæis nunc usque damnatur, quos vulgo Nazaræos nuncupant: qui credunt in Christum filium Dei natum de Virgine Maria, & eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit, in quem nos credimus; sed dum volunt & Judæi esse & Christiani, nec Judæi sunt, nec Christiani*. Ex hoc *Hieronymi* luculento testimonio colligimus istas Minæos Nazaræos non solum legem retinuisse, sed etiam quamvis in Christum crederent, in Synagogis Judæorum locum habuisse, neque propter nomen Christi ἀποσυναγώγους fuisse, quod hodie non paterentur Judæi. Porro מין est hæreticus, מנאי *Minæus* de corpore & secta hæreticorum. Idem *Epiphanius* ἐσσηνοὺς, ἐσσαίους (Ἰεσσαίους vocat ipse) & ὀσσαίους, sive ὀσσηνοὺς diversos facit. Nos testamur ὀσσαίους eosdem & ἐσσηνοὺς, sive ἐσσαίους esse. Non enim ὀσσηνοὶ ab Hebraico עושן, ut ipse putavit, dicti sunt, quum N non sit in Græco nisi κατὰ παραγωγὴν, ut alibi demonstravimus, quod ὀσσαῖοι & ὀσσηνοὶ iidem sint, ut ἐσσαῖοι καὶ ἐσσηνοί. Apud eum enim hæres. 30. pag. 59. legimus. Ἰουδαίων δὲ τὸ ὄνομα ἐσσαίων δὲ καὶ ναζωραίων τὴν γνώμην. *Judæorum nomen, Osseorum vero, Nazoræorum, & Nasaræorum opinionem*. Idem hæres. 53. κέχρηνται δὲ τῇ βίβλῳ ταύτῃ ὀσσαῖοι. καὶ Ἐβιωναῖοι καὶ ναζωραῖοι. *Usi sunt libro hoc Ossæi, Ebionæi, & Nazoræi*. Atqui ὀσσαῖοι & ἐσσαῖοι non differunt scriptura sed pronunciatione, utrique enim sunt חשאי; Holem autem pro Scheva, & contra Scheva pro holem usurpasse Judæos olim, vel unus testis satis fuerit *Josephus*, qui חשן ὀσσὴν vocat ἐσσήν. Quinetiam Abissinorum alii *Ossrael Coristos* dicunt, quod alii *Israel, Christos*. Rursus istius sectæ Ossæorum quidam exortus est in Arabia nomine ἠλξαί; quod profecto Arabice nihil aliud sonat, quam ὁ ὀσσαῖος אלחשאי, sive ejus nomen proprium id fuerit, sive quod non dubito, κατ' ἐξοχὴν ita vocatus fuerit, ideo additus articulus אל. Confirmatur eo quod adjicit *Epiphanius*, fuisse fratrem ejus ἰεξαῖον. Sane ἰεξαῖος pro ἐξαῖος ab *Epiphanio* dictum, ut ἰεσσαῖος pro ἐσσαῖος. Quod autem ξ pro σσ positum mirum non est, quia si Jod nomini חשאי præponatur, omnino erit ἰεξαί, neque aliter exprimi potest. Non igitur fuerunt nomina propria eorum, sed sectæ ipsius appellatio. At, inquies, non convenit secta Ossenorum cum illa Essenorum. Hoc quidam verum est. Sed est veterum Essenorum tradux quædam, quæ multa ab illis antiquis Ossenis retinuit, ut ἁγίους τοὺς ἀγγέλους τῆς προσευχῆς. Hoc enim plane e schola Essenorum. *Josephus* 729. de formula jusjurandi quod ἀπὸ τῶν ἐγκρινομένων exigebatur: καὶ συντηρήσειν

ρήσειν ὁμοίως τά τε τῆς αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία, καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα. *Et conservaturos se similiter sectæ suæ libros, & Angelorum nomina*. Ad quos allusit Apostolus ad *Colossenses* II. 17. 18. μὴ οὖν τὶς ὑμᾶς κρινέτω ἐν βρώσει, ἢ ἐν πόσει, ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς, ἢ νεμηνίας, ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα Χριστοῦ. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν Ἀγγέλων. *Nequis vos ergo judicet in cibo, aut potu, aut parte festi, aut neomeniæ, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Nemo vobis jam partum palmarium præripiat, spontanuds in humilitate, & religione Angelorum*. Omnia hæc quæ interdicit Apostolus, sunt Essenorum; θρησκεία ἀγγέλων, βρῶσις nimirum ἅλας μόνον, καὶ ἄρτον, *nimirum salem & panem tantum*: πόσις nempe ὕδωρ *aquam*, & propterea Osseni qui nomine iidem, supestitione autem in multis consentiebant, ut jurare per salem panem & aquam. Quod sequitur apud Apostolum ἐν μέρει ἑορτῆς, ibi μέρος significat tractatum; quod Perek aut Helek, i. e. μέρος Talmudistis dicitur. Sequitur: Μήτις καταβραβευέτω ὑμᾶς i. e. *præripiat vobis jam partum palmarium*. Καταβραβεύειν est προλαβεῖν τὸ βραβεῖον, προλαβεῖν τὸν κότινον, *præripere palmarium, præripere coronam*. *Pausanias* Arcadicis de Arrichione; ὡς γὰρ δὴ πρὸς τὸν καταλειπόμενον ἔτι τῶν ἀνταγωνιστῶν ἐμάχετο ὑπὲρ τοῦ κοτίνου, ὁ μὲν προέλαβεν, ὅστις δὴ ὁ ἀνταγωνιζόμενος &c. *Cum autem cum uno adversariorum adhuc relicto pugnaret de oleastro, hic quidem præripuit; is autem qui adversus pugnabat* &c. Ideo recte a *Chrysostomo* omnium Interpretem optimo exponitur: καταβραβευθῆναι γάρ ἐστιν, ὅταν παρ' ἑτέρων μὲν ἡ νίκη ᾖ, παρ' ἑτέρων δὲ τὸ βραβεῖον. *Katabrabeuthær eai enim est, cum penes alium quidem est victoria, penes alium brabium, sive palmarium*. Rursus apud Apostolum: Θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ id est ἐθελοταπεινόφρων, καὶ ἐθελόθρησκος, *voluntarie seu spontanee humilis, spontanee religiosus*. Nam ἐθελοταπεινοφροσύνην καὶ ἐθελοθρησκείαν vocat ἀφειδίαν σώματος ut ipse postea vocat, hoc est μηδὲ γεύσῃς μηδὲ θίγῃς *neque gustaveris, neque tetigeris*. Hoc est quod Hebræis dicitur החמיר בעצמו *sibi sponte indixit austeritatem victus*, quando quis studet ברבית התורה *auctario legis* quod vocant super erogationem. θέλων igitur apud Apostolum absolute ponitur tamquam nomen ἐθελοντὴς, ἐκουσιαζόμενος המתנדב ברבית התורה ὁ ἐκουσιαζόμενος ἐν τῷ ἐπιμέτρῳ τοῦ νόμου, *voluntarius, sponte aperam dans auctario legis*. Quæ omnia plane sunt Essenica; ut & Ἀγγέλων ὀνόματα, quæ retenta ab istis Elxai & Jesai, dum veterem Essenorum regulam novis ritibus interpolant, in quibus μὴ ἐγκρατεύεσθαι, & alia quæ *Epiphanius* memorat, sunt veteri Essenorum instituto ἐκ διαμέτρου pugnantia. Sed & illa Essenorum propria τὸν ἥλιον ἀνίσχοντα ἱκετεύειν *soli orienti supplicare*. *Josephus* 728. πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι. *Ante exortum solis nihil profani loquuntur sed patrias quasdam ad ipsum preces celebrant quasi supplicantes ut oriatur*. Sic *Philo* 6. 2. ἡλίου δὲ ἀνίσχοντος εὐημερίας αἰτούμενοι τὴν ὄντως εὐημερίαν. *Sole autem oriente petentes diem vere felicem, utque mentes eorum cœlesti repleantur lumine*. Hoc quoque isti Esseni retinuernnt, unde ut alibi diximus Σαμψαῖοι vocati idest ἡλιακοί. Osseni enim sive Esseni antiqua est τοῦ Ἰουδαϊσμοῦ αἵρεσις. Quum isti Elxai, & Jexai in eam cooptati essent, multa nova in eam introduxerunt, multa retinuerunt τὸν ἥλιον ἱκετεύειν, & propterea שמשאי ἡλιακοί, antiquitus dicti. *Epiphanius* de Elxai. οὗτος μὲν οὖν συνῆπται τῇ προειρημένῃ αἱρέσει τῶν Οσσηνῶν καλουμένῃ, ἧς ἔτι λείψανα δεῦρο ὑπάρχει ἐν τῇ αὐτῇ Ναβατίδι γῇ τῇ καὶ Περαίᾳ πρὸς τῇ Μωαβίτιδι, ὅπερ γένος νυνὶ Σαμψαίων καλεῖται. *Hic itaque rursus associatus fuit prædictæ sectæ, Ossenorum dictæ, cujus adhuc reliquiæ extant in eadem terra Nabatide, & Peræa ultra Moabitidem, quorum genus nunc Sampsæorum vocatur*. Et isti Sampsæi rursus privatam hæresim constituerunt, quam quinquagesimam ordine ponit *Epiphanius*, qui ut & Esseni, erant ἡμεροβαπτισταί. Θεὸν δὲ ἕνα λέγουσι, καὶ δῆθεν αὐτὸν σέβουσι βαπτισμοῖς τισὶ χρώμενοι. πρόσκεινται δὲ Ἰουδαίοις ἐν ἅπασιν. Ἀπέχονται δὲ καὶ ἐμψύχων τινὲς ἐξ αὐτῶν. *Deum autem unum dicunt, & colunt ipsum lotionibus quibusdam utentes; Judæis autem in omnibus adstipulantur. Quidam ex iis etiam ab animatis abstinent*. Imo a Judæis erant oriundi; sed multi proselyti ad eam sectam applicabant sese. De appellatione Σαμψαίων subjicit. ἄξιον γάρ ἐστιν ᾧ ὀνόματι ἑαυτοὺς καὶ οὗτοι ὠνόμασαν, τῷ αὐτῷ κεχρῆσθαι ὀνόματι εἰς φράσιν τῆς αὐτῶν παραπεποιημένης ἐπωνυμίας. Σαμψαῖοι γὰρ ἑρμηνεύονται ἡλιακοί. *Justum enim est quo nomine seipsos hi vppellaverunt, eodem nomine & nos utamur ad exprimendam adulteratam ipsorum appellationem*. Σαμψαῖοι *interpretantur* ἡλιακοί. Nequis putaret ab urbe Sampsa Arabiæ Sampsæos dictos, ipse dicit eos sibi nomen hoc imposuisse, nimirum quia ab Essenis essent, qui so-

ſolem colebant. Itaque in Oſſenis, qui nihil aliud quam Eſſeni ſunt, vides vetera veſtigia Eſſenorum. Quæ vero contraria ut μὴ ἐγκρατεύεσθαι ἀναγκάζειν γάμον & ſi quæ ſunt alia, ab iſto novatore Elxai inducta, ut & illud, quod plane Eſſenorum conſtantiæ contrarium, tempore perſecutionis, integra conſcientia, poſſe aliquem idola adorare, addacto exemplo cujuſdam Phinees ſacerdotis, qni in deportatione Babylonica tempore Darii Dianam in urbe Suſis adoraverit, atque eo facta capitis periculum, intentatum declinaverit. ὑποκριτὰς δὲ διδάσκει φήσας μὴ εἶναι ἁμαρτίαν, εἰ καὶ παρατύχοι, εἴδωλα προσκυνῆσαι καιρῷ ἐνστάντος διωγμοῦ ἐὰν μόνον ἐν τῇ συνειδήσει μὴ προσκυνήσῃ. Καὶ ὅτι δὴ ἂν ὁμολογήσῃ ἐν στόματι, ἐν δὲ τῇ καρδίᾳ μή. Μάρτυρα δέ τινα παρεισφέρων οὐκ αἰσχύνεται ὁ ἀπατεών, λέγων φινέες τινα ἱερέα τῶν ἀπὸ γένους Λευὶ τε καὶ Ααρὼν καὶ τοῦ ἀρχαίου φινέες, ἐν τῇ Βαβυλῶνι ἐπὶ τῆς Βαβυλωνίας προσκυνήσαντα τὴς Ἄρτεμιν ἐν Σούσοις διαπεφευγέναι ὄλεθρον θανάτου ἐπὶ Δαρείου τοῦ βασιλέως. *Hypocritas autem docet inquiens peccatum non eſſe, ſi ita fors tulerit, idola adorare tempore perſecutionis inſtante, dummodo in conſcientia non adorent; Eandemque rationem eſſe ſiquid confitentur ore, non autem corde. Non pudet autem impoſtorem & teſtem quendam adducere; dicit enim Phiueam, quendam Sacerdotem ex genere Levi & Aharonis vetuſtique iſtius Phineæ Babylone in deportatione adoraſſe Dianam in urbe Suſis, atque ita effugiſſe periculum mortis quod Darius rex intentabat.* Hoc plane, ut diximus conſtantiſſimo Eſſenorum inſtituto adverſatur. Teſtis *Joſephus* 729. διήλεγξε δὲ αὐτῶν ἐν ἅπασι τὰς ψυχὰς ὁ πρὸς Ῥωμαίους πόλεμος ἐν ᾧ στρεβλούμενοι, καὶ λυγιζόμενοι, καιόμενοί τε καὶ κλώμενοι καὶ διὰ πάντων ὁδεύοντες τῶν βασανιστηρίων ὀργάνων, ἵνα ἢ βλασφημήσωσι τὸν νομοθέτην, ἢ φάγωσί τι τῶν ἀθεμίτων, οὐδέτερον τι ὑπέμειναν παθεῖν &c. Vide reliqua. Veteres doctores ſive Tannæi. *In præcepto affirmativo cum coegerint eum gentes tranſgredi ſive clam, ſive palam, occidetur*, i. e. occidi ſe patietur. *Neque tranſgredietur hoc præceptum affirmativum etiam in corrigia calceamenti* על ערקתא דמסנא *id eſt quod non incurvabit ſe ad aptandum calceum ſuum coram Idolo, etiamſi non talis eſt intentio ejus omnino ad idolum adorandum, quemadmodum hoc interpretatus eſt R. Aha Gaon in quæſtionibus.* Quæ omnia illuſtrant locum tam *Epiphanii* quam *Joſephi*. Veteribus enim Judæis, ut duo genera Martyrum, ita duo Apoſtatarum; voluntarii Apoſtatæ, & coacti Apoſtatæ; *αὐτόκλητοι μάρτυρες, καὶ κλητοὶ μάρτυρες*. Αὐτόκλητοι μάρτυρες, dicuntur ipſis אנשי מעשה ἄνδρες ἔργου, i. e. patratores, qui ſponte ac nullo incitante in medio Idololatrarum Idolis maledicunt, aut ipſa frangunt; ut ſiquis Chriſtianus ſponte ac nulla neceſſitate coactus Conſtantinopoli in foro & in corona Muhammedi malediceret, ut ex eo facto martyrium conſequeretur. Martyres κλητοὶ qui non niſi appellati a Judice & Magiſtratu pro religione nullum capitis periculum deprecantur. Ii dicuntur המקדשים את השם ἁγιάζοντες τὸ ὄνομα *Sanctificantes nomen* i. e. Deum; & eorum confeſſio dicitur קדושה *Santificatio*. Item הנפטרים קבלת עול השמים *mortui in receptione jugi cœli, & in uno*. ἀποθανόντες ἐν ζυγῷ οὐρανίῳ καὶ ἐν τῷ ἑνὶ, de quibus hoc dicebatur זו תורה וזו שכרה τοῦτο ὁ νόμος καὶ τοῦτο ἀνταπόδοσις αὐτοῦ. Martyrium ſc. eſſe ὀψώνια & ſtipendium veri cultus. Jugum cœlorum, item unum intelligunt de ſolo Deo, & de vera religione. Apoſtatæ voluntarii dicuntur, qui non coacti verum cultum abdicant. Ii dicuntur ממרים & ſingulare זקן ממרה γέρων ἀποστάτης. Apoſtata coactus qui perſecutionis tempore a fide deficit ſuppliciorum & mortis metu; is dicitur משומד; nam שמד eſt διώκειν & שמד διωγμός. Iſte igitur Elxai veram Eſſenorum πολιτείαν & ſidem vitiavit, & aliquod nomen hoc facto ſibi comparavit, & a ſectariis ſuis adoratus eſt. *Epiphanius*: φαντάζονται δὲ δῆθεν καλεῖν τοῦτον δύναμιν ἀποκεκαλυμμένην διὰ τὸ Ιηλ καλεῖσθαι δύναμιν, ξαὶ δὲ κεκαλυμμένον. *Imaginantur hunc vocari virtutem ſeu potentiam opertam. Jel enim vocatur potentia*, ξαὶ *vero opertum*. Videmus hic libenter *Epiphanium*, Jod literam barbaris vocabulis a vocali incipientibus præponere ſolitum: Εσσαῖοι, Ιεσσαῖοι. Xæus h. e. Eſſenus; Jexæus Ηλξαῖος h. e. אל חשאי ὁ ἐσσαῖος Ιηλξαῖος. Ipſe putavit eſſe אל כסי δύναμιν κεκαλυμμένην. Sed impoſuit illi Judæus, quem ſuper hujus nominis interpretatione conſaluit quum id nomen Arabice propter articulum El interpolatum ſit ex Judaico. Nam in Nabathæis, ubi illi Oſſeni, ſive Oſſæi erant, Arabice & tunc loquebantur, & nunc loquuntur hactenus. Atqui non tantum in eo nomine illi impoſuerunt, ſed etiam in verbis Hebraicis, quæ ex libro illius Elxai producit, aut ipſi Judæi decepti ſunt, aut *Epiphanium* deceperunt, qui illi perſuaſerunt eſſe εὐχήν. Mihi non εὐχὴ ſed γνώμη videtur, [ut revera eſt, quamquam quædam non vere explicata eſſe confido]. Tamen res ma-

manifesta est. Verba Hebraica Græcis characteribus concepta sunt hæc: Αβάρ, αὐίδ, Νωΐβ, νωχιλέ, δαασίμ, αὐίδ, δαασίμ, νωχιλε, νωχιλέ, Μωΐβ, αὐίδ, ἀβάρ, σελάμ. Ego hic esse nullam εὐχὴν colligere possum. Sed statim ut oculos in ea conjeci, tres γνώμας agnovi: עבר ענות מובא נבילה ταπεινοφροσύνης παρελθούσης ὑπεισάγεται δολιότης: *Qui humilitatem abdicavit, sæpe fit fraudolentus*. Judaice concepta sunt, quandoquidem genera non observantur, quod tritissimum in scholasticorum Judæorum libris, adjectivum masculinum cum substantivo fœminino, & vice versa. ראשים עני ראשים נבילה καταπατῶντες πενίαν καταπατοῦσι δολιότητα. *Qui conculcant paupertatem, conculcant fraudem*: Hoc est qui industria sua ab egestate se vindicaverit, satis tutus est adversas insidias exteriores, quasi dicat: Divites non ita expositos fraudolentorum laqueis, quia timentur, ut pauperes, quia contenuntur. Hic עני Judaice, quod per holem Hebraice עוני. Rursus מובא ענות עבר שלם ὑπεισελθούσης ταπεινότητος ὤλετο ἀσπασμός. *Qui ea divite pauper factus est, non salutatur ut antea*: contra ille senex Plautinus propter suspicionem auri, quod videbatur possidere, ait. *Eunt, salutant, copulantur dexteras*. Aliud sonat illud proverbiale: בחר עניא אזלא עניותא τῇ πενίᾳ ταπεινοφροσύνη ἀκολουθεῖ. Mediocriter in Hebraicis versati præsertim in proverbiis Salomonis, & sententiis sapientum, statim deprehendent stilum γνωμικόν. Fortasse alii interpretabuntur quædam aliter, ut ego possem, si aretalogus essem. Sed satis sunt ea, quæ huc attulimus ad hunc locum illustrandum. Etiam עוניה prout legi, ut magis Græco congruat αὐίδ. Non confutabo interpretationem, quam Judæi *Epiphanio* suggesserunt. Nam triumphabo de syllabis; sat est mendum deprehendisse, quod est initium veri adspiciendi. Vide quid discrepancia pronunciandi facit Assuerus ille in libro *Esdræ*, & volumine *Esther* pro diversitate lectionis est: Assuerus, Ahasvveros, Oxyares, Axersvves, i. e. Xerxes, & alios vultus assumere potest. Sic hoc nomen in plures formas abit חשאי ἐσσαῖος, Ιεξαῖος cum articulo Arabico ἠλξαῖος, aut ἐλξαῖος, aut ἐλκεσαῖος. Nam si cheth duriuscule pronuncietur, ut solent facere Arabes, qui lene cheth Hebræorum & Syrorum in durum cheth convertere non raro solent, hoc nomen אל חשאי erit ἐλκεσαῖος. Scribit igitur hæresi 53. *Epiphanius*. Σαμψαῖοί τινες ἐν τῇ Περαίᾳ περὶ ὧν ἤδη ἐν ταῖς ἄλλαις αἱρέσεσιν ἐπεμνήσθημεν τῶν δὴ Ελκεσαίων καλουμένων. *Sempsæi quidem in Peræa quorum jam in aliis sectis meminimus, qui & Elcasæi vocantur*. Totidem verbis scribebat hæresi 19. quæ τῶν ὀσσηνῶν quos Sampsæos ait vocatos, eorumque autorem facit ἠλξαί. Ergo ὀσσηνοί, Σαμψαῖοι, Ηλξαῖοι, & Ελκεσαῖοι, idem sunt non solum secta, sed nomine. Sed ut dixi, Elxæus quædam in veteribus Ossenis, sive Essenis interpolavit, ita privata secta ab eo nata est tradux quædam Essenorum. Non igitur interest quomodo articulus Arabicus אל ἤλ ac ἔλ scribatur. Omnino quædam ex vetere instituto retinebant, quod ait *Epiphanius*. Θεὸν ἕνα λέγουσι, καὶ δῆθεν αὐτὸν σέβουσι βαπτισμοῖς τισι χρώμενοι πρόσκεινται δὲ Ιουδαίοις ἐν ἅπασιν. ἀπέχονται δὲ καὶ ἐμψύχων τινὲς ἐξ αὐτῶν. *Deum autem dicunt, & colunt ipsum lotionibus quibusdam utentes. Judæis autem in omnibus adstipulantur. Quidam ex ipsis etiam ab animatis abstinent*. Et de sole quod adjicit ab ipsis culto, quod supra tetigimus. Atque de Sampsæis hactenus, quæ fuit lacinia quædam sectæ Essenorum. Est & aliud ἀπόσπασμα τῶν Εσσηνῶν ἡ τῶν Μασσαλιανῶν αἵρεσις. Quemadmodum enim Elxæi vel Osseni eodem nomine censentur, quo Essæi vel Osseni, & Massaliani idem nomen, quo Essæi vocabantur, retinuerunt. Essæis enim præter θεραπευτῶν nomen (quo apud Græcos Judæos Ægyptienses non erant) etiam alio nomine vocabantur, & ipso quoque Græco apud eosdem Ελληνιστὰς Ægyptienses, & Syriacos in Palæstina. Apud Ellenistas enim ἱκέται vocabantur, quod omnium Angelorum pervestigator, *Serarius* nondum odoratus est, vel potius oculis omnium objectum non animadvertit. Nam apud *Philonem* est: περὶ βίου θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν. Quod repetens *Eusebius* ita scribit da *Philone*: ἐν ᾧ ἐπέγραψε λόγῳ: περὶ βίου θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν. Quare ἱκέται vocarentur illi ὠάζοντες, non dubitabit, qui inter ortum solis & occasum nihil aliud orationi intentos fuisse ex *Philone* discere potuit. Id Judaice est מצליין id est ἱκέτης, εὐχίτης, προσευχόμενος, προσλιπαρῶν τῇ εὐχῇ: Inde aliud παραγωγικόν מצלייני superstitiosus, proprie Italice *Pizzochero*, Gallice *Bigot*. Hinc proverbium Judaicum: אלמנה משובבית ובתולה מצליינית הן אלו מבלוס χήρα καταστρηνιῶσα, καὶ κόρη ἄγαν εὐχομένη ἀμφότεραι καταναλίσκονται. Gallice: *Vesve desbauchee, & fille bigette ne dureront pas*. Unde etiam exponitur loccus 1. *Timot*. v. 11. Massaliani igitur dicti sunt Essæi, & ab illis hæresis Massilianorum profecta, quæ non solum nomen autorum, sed etiam majorem partem

tem superstitionum retinuit. Ea est octogesima hæresis in Thesauro *Epiphanii*, de quorum nomine ita scribit: Μασσαλιανοὶ δὲ οὗτοι καλοῦνται ἑρμηνευόμενοι εὐχόμενοι. *Massaliani hi vocantur, quod est si interpreteris, precantes*. Infra etiam eleganter εὐφημίτας. Et post: ἐπὶ τῷ εὔχεσθαι καὶ ὑμνεῖν ἐσχολάκασιν. *Precibus & hymnis vacaverunt*. Judæos negat fuisse *Epiphanius*, quod partim verum, partium contrarium. Nam primi hujus sectæ mere Judæi erant, & propago quædam Essenorum. Judæos fuisse ex eo manifestum, quod Proseuchas, ut Judæi, habebant. τινὰς οἴκους ἑαυτοῖς κατασκευάζοντες, ἢ τόπους πλατεῖς φόρων δίκην προσευχὰς ταύτας ἐκάλουν, *quasdam domos sibi ipsis construxerunt aut locos amplos instar fororum, atque adoraxoria vocarunt*. Sed quia quidam Pseudochristiani illis sese applicarunt, & matrimonia inter se contraxerunt, omnem fere castimoniam Essenorum exuerunt, hoc tamen retinuerunt, quod quemadmodum Osseni, ipsi quoque bonis omnibus & patrimoniis sese abdicabant: ἀποταξάμενοι τῷ κόσμῳ καὶ τῶν ἰδίων ἀνακεχωρηκότες, *qui renunciarint mundo, & de propriis bonis secesserint*. Præterea instar Essenorum mane & vespere in proseucham orationis causa conveniebant: *Epiphanius*: ἐν ἄλλοις δὲ τόποις, φασὶ, καὶ ἐκκλησίας ὁμοιώματι ἑαυτοῖς ποιήσαντες καθ' ἑσπέραν καὶ κατὰ τὴν ἕω μετὰ πολλῆς λυχναψίας καὶ φώτων συναθροιζόμενοι ἐπὶ πολύ τε καταλεγμάτια τινὰ ὑπὸ τῶν παρ' αὐτοῖς σπουδαίων καὶ εὐφημίας τινὰς δῆθεν εἰς τὸν θεὸν ποιούμενοι, ὡς διὰ καταλεγματίων καὶ εὐφημιῶν ὥσπερ θεὸν ἐξιλεούμενοι ἑαυτοὺς ἐξαπατῶσι. *In aliis vero locis, inquiunt, etiam Ecclesias ad similitudinem quamdam sibi ipsis fecerunt, & ad vesperam & mane multis lucernis ac luminibus insencis congregantur, ut diu & per longum tempus lectiones quasdam per doctos suos, & laudes quasdam in Deum facientes, velut per lectiones, & laudes Deum placantes se ipsos decipiunt*. Nam & Esseni habebant ἀντίφωνα sua, καὶ ᾠδὰς &c. Cetera non conveniunt præter τὸ φιλάλληλον καὶ φιλοκοίνωνον. Erant autem & mendici, & vix verberibus a contumacia mendicandi absterreri poterant: ἀκώλυτοι δὲ εἰσὶ καὶ ἐκτείνουσι χεῖρας μεταιτεῖν. Deest aliquid in his verbis. Ideo quum mendicos *Juvenalis* decignare dixit: *Ex qua te quæso proseucha?* Et: *A matre doctus nos rogare Judæus*. Veri enim Judæi non mendicabant, neque mendicant hodie, propter τὸ φιλάλληλον eorum quod divites non patiuntur tenuiores mendicare, aut esurire; & multa præcepta de eleemosynis etiam antiquissimis habent. Hæc de Massilianis. Esseni vero κωμηδὸν habitabant aut & Massiliani. *Philo* περὶ θεωρητικῶν scribit; οὐ ζῶα καταθύοντες· ἀλλ' ἱεροπρεπεῖς τὰς ἑαυτῶν διανοίας κατασκευάζειν ἀξιοῦντες. *Non sacrificantes animalia, sed operam dantes ut proprias mentes sanctitate ornant*. Nihil immolabant. Hoc valde conveniebat Christianismo, nisi illi θεωρητικοὶ hoc potius ex superstitione facerent, in quo legi Mosis adversabantur, quæ nec Nazyræos quidem absolvit necessitate immolandi *Num.* VI. At alteri Essæi contra, de quibus scribit *Josephus*: εἰς τὸ ἱερὸν ἀναθήματα στέλλοντες θυσίας, οὐκ ἐπιτελοῦσι διαφορότητι ἁγνειῶν ἃς νομίζοιεν, καὶ δι' αὐτὸ εἰργόμενοι τοῦ κοινοῦ τεμενίσματος ἐφ' αὐτῶν τὰς θυσίας ἐπιτελοῦσι. *Ad templum donariæ mittentes, sana ibi non perficiunt, quod sanctioribus ceremoniis, ut putant, utantur, quapropter exclusi a communi fano sacrificant*. Immolabant victimas in locis, in quibus degebant, quod de ritu immolationis non illis cum Judæis reliquis conveniret. In quo duo hæretica erant, prius quod alios ritus ab iis, quos sanxit Moses, haberent; alterum quod alibi, quam ubi Moses præcepit, victimas suas immolarent. Itaque non mirum, si tanquam ἐξαγεῖς & piaculares aditu templi prohibebantur. Deinde & illud superstitiosum, quod eos, quos in suorum cœtum recipiebant, tanquam gentiles & profanos baptizabant; quod non fiebat nisi Ethnicis, quum proselyti essent faciendi, ut de muliere gentili, quæ Judæa facta est, legimus: ויצו ר' חייא להטבילה ולגיירה. *Præcepit R. Chijah tingere eam & proselytam facere*. Idem. πρὸ γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς, ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι. Hoc etiam obiter tangit *Philo*: quod plane Ethnicum, & ut alibi diximus, legis præscripto contrarium. Ibi enim duplex ἐθνισμὸς, prior ad solem orientem adorare, alter soli preces concipere; πατρίους εὐχὰς φθέγγονται εἰς ἥλιον. Sane φθέγγεσθαι ὕμνους εἰς θεὸν, est in laudem Dei carmina canere, εἰς ἥλιον igitur εὔχεσθαι, est in eum preces fundere. Quis hæc probabit, nisi is qui *Josephum* indigna est ab surda de istis scripsisse ait, qui illorum tamen cœtibus interfuit? Coloniæ Monachiorum hinc deducendæ erant. Ideo verba εὔφημα omnia de Essenis concipienda, non autem דברים שאינם כבוד כלפי מעלה *verba quæ non sunt de Deo contraria esse Deo excellentiæ ipsius*. Tamen quod negare non possum, risi, quum illud oraculum a *Serario* produci animadverti. *Josephus*:

τοῖς

τοῖς πρεσβυτέροις ὑπακȣ́ειν κ̀ τοῖς πλείοσιν ἐν καλῷ τίθενται. δέκα γȣ̃ν συγκαθεζομένων, ȣ̓κ ἂν λαλήσειέ τις ἀκόντων τῶν ἐννέα. *Senioribus vero obedire, & plurium quorumque decreto pro re pulchra habent. Ubi decem simul consederint, nullus invitis novem loquitur.* Nam frustra δέκα dixit. Aliud enim in verbis Domini *Matth.* XVIII. 20. οἱ γάρ εἰσι δύο, ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν. *Ubi duo vel tres in nomine meo fuerint congregati, ibi in medio eorum ero.* At in Judaismo decem, ut nimirum opus est ad justum coetum orantium constituendum, trium autem ad convivium, aut coetum. שלשה לסעודה עשר לתפילה *tres ad epulum, decem ad orationem, Josepus* τὰς δὲ λαλιὰς ἐν τάξει παραχωρȣ̃σιν ἀλλήλοις. *Loquendi autem vices sibi invicem tradunt.* Nemo præripit loquendi partes alii. Judæi dicunt. דולג על מפתן חבירו *transiliens limen socii sui. Entraprenant sur son Compagnon. Josephus:* κ̀ γεύσασθαί τινα πρὶν τῆς εὐχῆς ἀθέμιτον. *Et gustare quicquam ante preces nefas.* Sententia votus. הטועם ואינו מברך נקרא גזלן *qui edit & non benedicit, vocatur prædo.* Supra omnem Judaismum non exonerare ventrem in Sabbatho: τὸ πτύσαι εἰς μέσȣς ἢ τὸ δεξιὸν μέρος φυλάσσονται, κ̀ ταῖς ἑβδομάσιν ἔργων ἅπτεσθαι διαφορώτατα Ιȣδαίων ἁπάντων. *Spuere in medios vel in dextrum latus, cavent & Sabbathis opus aliquod attingere diligentius omnibus Judæis. sc. cavent.* Post quædam. ἀλλ' ȣ̓δὲ σκεῦος τι μετακινῆσαι θαῤῥȣ̃σιν, ȣ̓ δὲ ἐπιπατεῖν. Ratio cur alvum non levarent in Sabbatho, quia sarculum, sive σκαλίδα gestabant, qua scrobiculam deprimerent, in quam egererent. At in Sabbatho nullum σκεῦος tollere aut transferre licet, quale est sarculum, sed tantum id quod portari per traditiones licet, quod diximus vocari כלי נטל, ut annulum, clavim, cultellum. Certe qui tam studiosi Sabbatismi essent, non potuerunt minus quam alii Sabbatum observare. Alii non audent tollere Sabbatho nisi כלי נטל, quanto minus auderent superstitiosissimi omnium Essæi? Aliis non interdicebatur ventrem Sabbatho exonerare, neque ullum præceptum joculare tam apud Essenos, quam apud reliquos Judæos de hac re extabat. Sed in Essæorum præceptus, ut regulæ canonibus illud præceptim *Deut.* XXIII. 12. 13. paxillo de strobicula fodienda continebatur. Quare non poterant alvum levare, nisi opus facerent, quod non licet in Sabbatho.

Descendat nunc in arenam *Drusius*, suas contra *Serarium* ulturus injurias. Hesseos (inquit lib. III. cap. 2. de tribus sectis Judæorum) Hassonim dici contendit pertinaciter *Serarius*. Ad hoc probandum utitur testimonio nimis controverso, cum etiam exemplaria inter se varient. Veneti codicis lectio *Hassarim* a me ante laudata fuit, quam etiam puto verum esse. Da altera nihil habeo quod dicam, cum editiones illæ ad manum non sunt, nisi השונים posse ibi accipi pro Deuterotis, ut dicat *deuterotæ* אשר לחסידים, quod latine non male reddas; *Hasidæorum*, ut *Cant.* I. I. שיר השירים אשר לשלמה *canticum canticorum Salomonis.* שונים deuterotæ qui est תנאים unde in *Avoth* שנו הכמים δευτέρωσαν οἱ σοφοὶ *tradiderunt sapientes*, quod Chaldaice dicunt תנו. Ut עשר significat *decimas do & accipio*, ita שנה *traditiones do & accipio*. Qui dat, docet, qui accipit discit. Unde etiam discere significat in illo dicto Hillelis. *Cum otiosus ero* אשנה *discam* fol. 20. col. 2. Licet etiam vertere *doctores Hasidæorum*. Nam שונים *docentes* ut in commentario super *Avoth*. *Admoniti estote in verbis vestris, ut sciatis quem doceatis* למי אתם שונים nisi mavis ut vertatur, *cui tradatis*, nempe traditiones seniorum. Ut ut sit, non video cur Hassonim ibi Hessæos, vel Hessenos denotet. Nam ut omittam quæ de N diximus, constat He in Hassonim articulum esse: Hoc primo deinde quis sensus; *Hessei Hassidæorum?* An eos designat, qui ex Hessæis Hasidæ erant? Deuterotæ sive doctores cum poi pulo præessent, non male se in alia editione principes nuncupatur. Sane רב principem & præceptorum notat, ut in illo dicto: *Esto timor principis tui* (alias *præceptoris tui*) *ut timor Dei*. Robur accedit huic sententiæ ex *Hieronymo*, qui *Dosithæum* doctorem & præceptorum Samaritanorum appellat principem eorum adversus Luciferianos, cum ita scribit, *Dosithæus Samaritanorum princeps prophetas repudiavit*. Sed veniamus ad argumenta *Serarii*. Scripseram deuterotas esse Pharisæos; quid ad hæc *Serarius? Omnes* (inquit) *Pharisæi deuterotæ quidem erant, sed non omnes deuterotæ Pharisæi.* Quis ait? Etiam scribæ deuterotæ erant? non opinor. Nam vocantur peculiariter בעלי מקרא quod textum legis enarrarent: Ita vocantur in commentario super *Avoth*. Hoc dato, corruit illud: *Omnes Pharisæi deuterotæ erant.* Nam Scribæ Pharisæi. Jam vero sapientes, qui & Pharisæi, peculiariter deuterotæ vocantur, id est תנאים vel בעלי משנה vel etiam בעלי תלמוד id est Tal-

Thalmudistæ. Vide commentarium illum quem modo citavi fol. 80. Vocantur etiam חכמי משנה, οἱ σοφοὶ δευτερώσεως. Pag. 184. (hujus edit. 113.) ait. *Sanctitas illa index vox Cados, quam sacerdotum epitheton scribit Drusius Deut.* XXIII. 17. *spurcissimis accommodatur, & meretricibus, & catamitis.* Hic pedagogis ludibrium debet: Nam aliud est קדוש *sanctus* aliud קדש, & קדשה. Ut illud nunqum significat meretricem, ita hæc nunquam sanctum, aut sanctam; quanquam utriusque eadem radix. Aliorum ergo hoc exemplum, καὶ οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον, *& nihil ad Bacchum*. Pag. 186. & 187. implet collatione utriusque exemplaris, ut doceat Basileensem scripturam meliorem esse, quasi vero Veneta editio, neget ibi sermonem esse de Hessæis, aut periculum sit ne, si Hassonim Hessenos non significaret, locus intelligendus sit de Pharisæis. Si ex Hasidæis etiam Hessæi fuerunt, quid ostat quominus principes Hassidæorum potuerint Hessæi esse? Sed in verbis *Flavii* non extat vox principum aut primorum: Quid tum postea? Neque ibi etiam extat vox ἀσιδαίων, quæ tamen legitur in omnibus codicibus *Gorionidis*, etiam in Basileensi. Pergit suo more *Serarius*. *Quid in secundo membro, cum de Hasidæis agit, opus fuit ipsos sapientes, quos esse Pharisæos lib. 4. cap. 29. idem Venetus, & cum eo* Drusius *fol. 41. dixerat, infarcire, cum de iis in priori membro actum jam esset.* Cur ex cap. 29. Venetum peculiariter laudas? An ab eo dissident ceteri? Sapientes esse Pharisæos diffiteri non potes. Et sunt multa loca, si neges, quæ te convincant. Non tamen ubique significat Pharisæos. Nam hic sapientes intelligit Hasidæorum inter quos Manahem collega Sammai, qui & princeps erat & sapiens. Ausim dicere omnes Hasidæos sapientes fuisse, sed non omnes sapientes Hasidæos: Notum illud: *Populus terræ non est hasid.* Hujus & antea meminimus. *Deinde ille Sammai socius unde?* Si nescis docebo te quamvis indocilem. Hillel princeps erat, & Manahem pater domus judicii: Huic successit Sammai, cum Manahem assumtus esset in aulam Herodis: Si autorem quæris, en tibi ἀξιόπιστον. Salmaticensis fol. 19. *Hillel & Sammai acceperunt ab eis. Initio erat Hillel & Manahem: Post exit Manahem ad ministerium regis cum 80. viris indutis aureo amictu, ut habetur in Hagiga. Quæ res memoratur in libro* ben Gorion, *qui scribit Manahemum fuisse sapientem magnum, quasi prophetam, quia dixit multas prophetias, & ipse prædixit Herodi, cum adhuc parvus esset fore ut regnaret. Qui postquam ad regnum pervenit, misit qui accerserent eum ad se, cui etiam prædixit quod regnaturus esset plusquam 30. annos. Regnavit autem 37. annis. Tunc dedit ei Herodes divitias magnas. Similiter Herodes honoravit valde Hillel senem, quia favebat regno ipsius, & dicitur ibi quod Sammai fuerit discipulus Hillelis: Forte hoc fuit in diebus Manahem. Nam postea fuit discipulus socius vel collega Hillelis. Etiam Sammai senex prophetavit de Herode quod regnaturus esset, cum venisset in judicium coram judicibus Sanhedrin, & susciperent personam ejus, quum occidisset virum illum; tunc dixit eum regnaturum: Herodes autem occidit judices, sed in Hillel, & Sammai, & Manahemum & societatem eorum non immisit manum, sed honoravit eos.* Redeo ad *Serarium*. *Nam certe* (inquit) Flavius Josephus *Essenum tantumodo nominat, eundenque esse fatetur.* Drusius *fol. 58. quem Venetus iste* Gorionides *subdit alium esse*. Nego, tu probas: Si Venetum intelligeres, non hoc scribues. Miseret me tui. *Præterea vero quæ connexio, honoravit Hessæorum principes ac sapientes, & Sammai socium Manahem, quia fuit alius Manahem? Cur quia fuit alius, ideo priorem illum honore affecit?* Jam aperte prodis imperitiam tuam; אחר זולתו non significat *alium*, sed *alium præter eum*: Id illustravi vertendo; *si quis alius præterea*. Sed moneo verti etiam posse. *Nam Manahem alius præter eum erat in diebus illis*: ut ratio sit ejus quod dixerat; *Etiam Manahemum socium Sammai*. Nam ideo adjecit *socium Sammai*, quiat erat alius in illis diebus ejusdem nominis: Uterque sapiens erat. Proinde additum aliquid διακρίσεως ἕνεκα. Hoc novum non est. Sed tu carpis, quæ non capis, non intelligis. *Sed ille Sammai socius vel Pharisæus erat, vel Essenus.* Quid nodum in scirpo nectis? Res clara est; historia notissima. Hessæus erat collega Sammai in cousessu Sanhedrin; *Si Pharisæus cur præ aliis* &c. Hæc indigna sunt, quibus respondeatur. Sæpe plus quærit unus stultus, quam decem sapientes respondere possent. Nam etiam principes erant Pharisæorum Hillel & Sammai senes, quorum hic pater erat judicii. Pag. 189. objicit mihi fraudolentiam quod scripserim. *Quæ* Serarius *citat, & ita in Latinum convertit*. Obsecro lector, quæ hic est fraudolentia? Non dixi, *quæ ex codice Veneto citat*. Imo adjeci ex lib. 5. cap. 23. quod omisit non optima fide *Serarius*. Nam locus ille in codice Vene-

neto habetur lib. *6.* cap. 55. *Accedit demum quod in pauculis, de quibus disseritur, verbis in Veneto exemplari transferendis, non uti opinor, inscitia, sed concilio fraudem fecerit idem* Drusius *triplicem. Prima est cum vertit*; quia primores Hasidæorum; *cum Hebraice in Veneta sit*; & etiam primores Hasidæorum: *Nam illud* & etiam *clare Hasidæos a Pharisæis, quorum prægressa mentio, contra* Drusium *ipsum distinguit*. Ut scopulus assilientes undas sine motu ullo suo frangit, sic nos debemus hujusmodi homines sine acerbitate ulla aut ira. Quin pro quinetiam accipi notum est ipsis pueris. Id Hebraice dicitur וגם, quod e verbo sonat *& etiam*: Hoc primum; deinde השרים אשר לחסידים diximus commode verti posse *principes Hasidæorum*, adduximusque ibi simile exemplum e Salomom. Quæ ergo hic fraus consilio admissa, cum in sensu nulla sit discrepantia? *Altera cum vertit*; *Manahemus siquis alius; nam ut supra monui, Hebræus Venetus ait; quia Manahemus alius*. Notum ut אם aliquando desideretur. Id nunc adjeci. Quid culpas? Sensus ita poscebat. Nam quæ sententia in verbis illis, *Manahemus alius præter eum?* Nisi dicamus duos illo tempore Manahemos fuisse, quorum alterum differentiæ causa vocet *Socium*, sive *collegam Sammai. Nam erat alius* (inquit) *præter eum vir justus, & sapiens in illis diebus*. Puto hanc sententiam veram esse. Male autem *Serarius* particulam כי ad verbum *honorabat* refert, cum referri debeat ad *socium Sammai*, quemadmodum antea monuimus. *Tertia, cum addit* præterea, *cum idem Hebræus ajat* præter eum. Non addidi præterea, sed ita verti זולתו. Nam *præter eum* & *præterea* eodem recidunt. Fides interpres non debet semper verbum verbo reddere. Miror hoc nescire tantum Theologum. Ex his perspicuum & Venetam editionem hoc loco sinceram esse, & me in ea reddenda nullam fraudem fecisse. Pag. 190. *Ne tamen afficiat mœrore* Drusium *tristior judicum litera volo quædam ultro ei concedere; ac primo quidem me propter editionum istarum dissonantiam velle ab hac Essenorum etymologia discedere*. Quod veritati locum dat *Serarius*, laudem meretur. Nam pertinacia mater est omnium hæreson. Quanquam in his nulla hæresis. Quod aurem tantopere mihi metuit, causa nulla est; jam libero eum illa cura. Ut tela quædam in cœleum emissa ire eo videntur, non eunt; sic nos argutiæ istæ petunt, non tangant. Periculum *Serario* ab æquis judicibus, non mihi. Sint modo docti & harum rerum intelligentes. De voce שונים scripsi eam in vitio poni *Proverb.* XXIV. 21. Nam ibi significat eos, qui res novas moliuntur. Alibi שונה בדבר est is qui rem iterat, h. e. ab uno ad alium defert, & שונה באולתו qui iterat stultitiam suam, & vasa שונים id est varia, & leges שונות mutantes id est variæ *Esth.* III. 8. Alium usum quod sciam non habet hoc vox in lingua Mosis. Quid in lingua sapientum significat dicam alias, aut potius jam dixi cap. 2. גאון quod *Serarius* adducit, medium est, in ipso textu. Nam in bonam partem sumitur tum alibi, tum *Amos* VI. 8. *Neh.* II. 2. & *Psalm.* XLVII. 5. Interpretes nuperi excellentiam reddunt, veteres δόξαν καὶ καλλονήν. Sapientes usurpant etiam in concreto, ut cum certos quosdam doctores suos גאונים vocant, de quibus *Abraham Levites* in cabbala sua. In his fuit *Saadias*, qui propterea per excellentiam הגאון nuncupatur, ut *Aben-Ezra* החכם id est ὁ σοφὸς propter variam eruditionem.

II. De scriptura nominis Essænorum hæc habet *Serarius* cap. 3. Trihæres. Quod in *S. Matthæi* caput primum, & sæpe alias facit S. *Hieronymus*, ut de literis, quibus vocabula quædam scribi debeant, moneat, sed hoc loco facere cogor a *Drusio*, qui & Essenis & Hasidæis adspirationem non modo ipse adhibet, sed ab omnibus qui emendate aut loqui aut scribere volunt, necessariam adhibendam vult. Sunt igitur in Essenis *syllabæ tres*. Percurro singulas. Prima fit a Syriaco nominis *chasi* prima, quod potest etiam scribi *chesi*, cum quæ apud Hebræos longis efferuntur punctis, ea Chaldæi ac Syri non raro corripiant, ut pro cathub *cethib*, pro Karon *Keri*, pro barach *berich*, quemadmodum e contrario *Academia* pro *Ecademia* extitit. Sed Latine vel Græce an aspirate Essenus vel Hessus dicendum? Quod ait c. 2. Append. *Drusius*: *Vulgo aspiratio neglecta, non est mirum, cum id fiat in aliis vocibus quamplurimis, quæ nunc a doctis omnibus aspirantur. Sic* Hasidæus *scribimus, licet in libris sit Asideus absque aspiratione*. Et paulo post. *Similiter peccatum est in* ἐσσηνὸς *quod aspirandum, ut sit* Hessenos. Similia fol. 12. Quia vero in quæstionum suarum lib. 1. pag. 47. ut qui a Græcis & Latinis *Asidæi* vocantur, *Hasidæi* vocarentur, Grammatico veluti flagello flagitarat. Scripseram in *Macchabæorum* commentario sic. *Cur Hebraicam aspirationem in hoc nomine tantopere flagitet miror*: Et plures id

cur

cur id mirarer, subdidi rationes, quas, ut quæ contra futiliter differit *Drusius*, eluceant, necesse est hic repetam; si duas tamen prio animi mei de hisce vel scriptionibus, vel pronunciationibus notiones, eodem alioqui loco indicatas, rursum indicaro. Una est: In certarum dictionum quas aliter & aliter docti quidam scribunt, & pronunciant, scriptione ac pronunciatione multum haud laborandum, vel contendendum, utroquis modo scribat & pronunciet. Altera. Recte quidem scribuntur & pronunciantur *Asidæi* & *Hasidæi*, *Essæi* & *Hessæi*, sed non necessarius scribendi, & pronunciandi modus uterlibet. Sic enim loco ipso scripsi. *Ego vero varios scribendi pronunciandique modos cognosco, & cui libet quem volet, in hoc aliisque similibus libenter concedo, ut supra in* Asamonæis Hasemonæis, Hasmoniis, & Chasamonæis, Machabæis, Macabæis, *aliisque pluribus etiam Latinis, qnia &* Esæos, *vel* Chasæos *istos vocari posse arbitror; Cum Syris usitatum sit* Asi, Hasi Chasi, *ut in Syriacis* Apostolorum actis *patet cap.* 3. *& ad* Romanos *postrema de litera extrita*. Quid clarius? Et tamen ut re ipsa meam hanc sententiam magis adhuc patefacerem, scripsi illic, & data opera, hic iterum scribo modo *Essenos*, & *Asidæos*, modo *Hæssæos*, *Chasidæos*, & *Hasidæos*. *Plinium* anno 1518. Hagenoæ impressum nidi, in quo lib. v. cap. 17. *gens Hessænorum*, sicut & in illo, qui ab *Alexandro Benedicto* correctus est. Ac non satis hæc indicant me non mirari, quod *Hasidæos* vel *Hessæos* scribat anteferat *Drusius*, sed quod hunc unum scribendi aut efferendi modum necessarium faciat, damnet alterum. Mirandi vero causas illi attuli quatuor, quas uti paulo ante cepi paucis denoto, & explico. Prima est, quia Hebræam & in hoc & in aliis plurimis Græci Latinique aspirationem tamen solent omittere, adeo ut unum cum nomen huic, de quo disputo, cognatum, planeque germanum ex Hebræo retinere vellent Græci LXX. *Jeram.* VIII. 7. non dicerent adspirate *Chesida*, sed leviter ἡ ἀσιδα. Ad hoc quid respondes? Ne verbulum quidem. Præter hosce igitur nostros, quos Græci leviter *Asidæos* vocant, alia hæc accipe *Anna* & *Alphæus*, *Agabus*, *Aceldama*, *Bethleem*, *Isaac*, *Esron*, *Esebon*, *Tharca*. Latinæ linguæ audi patentem. Ego (ait) *ipse cum scirem ita majores locutos esse, & nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic ut pulcros*, & *Cetegos*, *triumpos*, *Kartaginem dicerem aliquando, idque sero, convicio aurium cum mihi extorta veritas esset, cusum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi*. Quo de Tullii loco ita lib. de Grammatica *S. Augustinus*. *Observemus ut nec euphoniam applicemus ad regulam, aut euphoniam rejiciamus. Nam euphonia, id est suavitas bene sonandi admissa est ad Latinum sermonem ut aspera temperet & ab arte ex ratione recessum est, ubi asperitas offendebat auditum*. Sic Cicero ait. *Impetratua est a ratione, ut peccare suavitatis causa liceret*. Atque huc, qui aspiratores nimios ridet vocari posset *Catullus*, cum ait.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & insidias Arrius hinsidias

Altera mea causa. *Ebræum* scribit *Drusius* cum aspirationem tamen habeat prima ejus Hebræa litera. Si ab eo in *Hebræo* potest illa ommitti, cur non est in *Asidæo*? Respondet: *Alia ratio nominis* Ebræus, *ubi in Ain in capite, quam sæpius per nudam vocalem exprimebant*. Quinam exprimebant? Latini & Græci, ut in *Arabia*, *Elamitis*, *Emmuavel*, & similibus patet. At iidem sæpissime non aspirarunt, quæ a ח inchoantur, ut jamjam planum factum. Et nonne vanitas, & quædam veluti ostentatio est, quem omnes alii *Hebræum* dicunt, *Ebræum* dicere, quem vero *Asidæum* alii, eundem Hasidæum effare? Multo istud videtur ferula dignus, quam illa D. *Augustini* culpa, cum *ominem* pro homine puerulus pronunciaret, ac vapularet, ut apud eum est in 1. *Confessionum* cap. 8. Tertia causa: Si aspiratio in *Hasidæis* necessario adhibenda, uti Grammaticus vult *Drusius*, ea nunquid esset adhibenda, quam in quæstionibus Hebraicis Græca litera χ exprimendam monet S. *Hieronymus*? Respondet *Drusius*. *Græca litera* χ *non est nuda expiratio*. Cur ita? *Quia præter aspirationem includit literam c, ita ut* ἰσοδυναμῶντα χ *& ch notent Grammatici*. Ast de ח Hebræo eadem ratio. Includit enim tam c quam aspirationem. Hinc apud septuaginta & Latinos *Chelanne*, *Chalach*, *Chara*, *Chabrata*, *Cham*. Unde S. *Hieronymus* lib. de locis Hebraicis. *Hucusque (ait) per c literam, id est* κ *Græcum legere debemus, exinde per elementum* χ *quod aspirationem in se continet, & a Latinis minime habetur, scribendum pariter ac legendum*. Et lib. de nominibus Hebraicis. *Hucusque per c literam simplicem legimus, exin aspiratione addita legendum est*: Idque crebro postea repetit: Etiam in quæstionibus

He-

Hebraicis, ipseque adeo *Drusius* lib. 3. q. 83. Verum is jam excipit sic: *Quod autem quædam nomina ab heth incipientia per χ apud Græcos scribantur, ideo fit, quia elemento illo destituuntur*. Nego destitui, sed ipsum χ etsi paulo suavius, aio Hebræo ח respondere. Unde & in appellativo חלק i. e. *pars* dicunt septuaginta χελχά Josuæ cap. XI. Arabes vero solent Hebræorum chet in caph permutare, sicut a Samaritanis alias permutari literas dictum in Sadducæis. Concludit tamen *Drusius*. *Sic ergo recte scribimus* Hermon, *&* Chermon, Hebron *&* Chebron, *quia in antiquis libris hæc ita scripta inveniuntur*. Unde istud *ergo* conficitur? At eodem ago modo. Recte *Asidæus*, *Hasidæus*, & *Chasidæus* quia primum in antiquis libris est Græcis & Latinis, idque contra *Drusianam* legem satis; duo reliqua rationem habent aliquam: Sed *Chasidæus* nusquam extat. Extare non dixi, sed ex analogica ceterorum nominam ratione, quam *S. Augustinus* l. c. in Gramatica locupletem esse testatur, quanque ipsemet in exemplis jam positis agnoscit *Drusius*, ita potius quam *Hasidæus* dicendum dixi. Nam neque Hasidæus (quod quidem legerim) usquam extat. *Si recte* (inquit) *adjecta a viris doctis aspiratio in* Havila, *in* Hesebon, *& in aliis sexcentis, cur non liceat nobis idem facere in* Hasidæus? *præsertim cum constet pro arbitrio exscribentium eam sæpenumero omissam fuisse*? Quid βαττολογεῖν est si hoc non est? Ultro affirmavi non male *Hasidæos* dici, sed eos aspirandi nullam esse, quam imponebas bone *Drusi* legem, recteque dici *Asidæos*; & tu quasi me oppugnares, fingis, cum propugnes. Hoc aerem verberare, ac imperitis nebulas offundere est. Novam tamen addit conclusionem. Asidæus *ergo mendum est scribarum*, Hasidæus *veritas scripturæ*, Chasidæus *commentum* Serarii. Obsecro, mi *Drusi*, quia Grammaticus es, Grammatice responde. In hisce scribendis vel veterem usum servari vis; si rationem, *Hasidæi* quidem dici poterunt, sed verius, uti probatum est, *Chasidæi*. Si veterum usum, non dicetur quidem *Chasidæus*, sed neque ut vis, *Hasidæus*, neque *Habel*, sed *Asidæus*, & *Abel*. Quia vero *Serarii commentum* vocas *Chasidæum*, ecce tibi e Calviniano vestro tripode, quibus semper *chet* per *ch* exprimatur, *Junius*, *Tremellius*, *Beza*, longum foret tota illorum decurrere Biblia. Unum tantummodo citatum antea *Josuæ* cap. XI. ista quatuor suppeditat, *Charzor*, *Chittæus*, *Chivvæus*, *Chermon*. Unum *Matth*. XXVII. caput, quatuor item hæc in *Bezæ* notationibus. *Chebel Num*. XXVII. *Chala Num*. XXXIV. *Chomets* ibid. *Chaphets Num*. XLIII. Quarta causa ex ipso erat *Drusio* contra ipsum lib. 3. q. 83. ubi. *Cheth* (ait) *efferri debet perpetuo cur aspiratione geminata. Quod autem Græci interdum pro ea scribant* χ, *eam consuetudinem secuti sumus in* Malluach *lib*. 1. *q*. 17. Hic autem respondet duo. Primo in Malluacic *exprimi aliter aspiratio Hebræa non poterat*. Si aliter exprimi non potest aspiratio illa ח cum ab nominis illius fine transferamus ad *Asidæorum* principium, & fiunt, ipso invito Chasidæi. Secundo *si tamen scripsissem* Mallach, *tueri me possem ex illo nomine & similibus*. Ita est. Sed hæc illius, quod primo loco dicebam, confirmatio est; posse videlicet cum Græcis & Latinis absque aspiratione scribi *Asidæos*; quod unum maxime contra eos, qui uti rebus, ita & novis student vocabulis, eorumque novis pronunciationibus, & scriptionibus, ut in Lutheranorum, Calvinianorum, aliorumque consimilium Biblicis versionibus videre est. Esto igitur clausula, recte tam *Asidæos & Essenos*, quam *Chasidæos*, *Hasidæos*, & *Hessæos* scribi ac pronunciari; liberam tamen utriuslibet modi tam aspirati quam leniti opitionem esse, priscosque asperitatem ex iisdem vocabulis evellisse libentius. Atque hæc de prima *Essenorum* syllaba contra *Drusianum* asperius imperium satis multa. Reliquæ duæ syllabæ faciliores. Nam in secunda syllaba posset quidem ex Hebræo & Syriaco unum S esse satis, sed alteram jampridem loquendi magister addidit usus, ut cum ex *Meschiah* seu *Messia* factus Græcis & Latinis *Messias*, & *Deborah Debbora*, & in quibusdam libris φαρισσαῖος. In tertia est terminatio Syriacæ proxima, ut supra dictum, *Essæus*, & Græca Latinaque *Essenus*, ut *Tubiæus*, & *Tubienus*, *Nazaræus*, & *Nazarenus*. Notant Byzantinum *Stephanum* in voce Ἄβαρνος *Scaliger* & *Drusius* quod terminationem in *enus*, seu *ηνος* barbaram potius quam Græcam dicat. Non id tamen dicit: sed ex *Apollonio* dicit ea potius Asiatica esse quam Europæa, ut *Medabenus*, *Abilenus*, *Arindelenus*, *Gebalenus*, licet se in *Abydenus* & κυζικηνός vix extricet.

Hactenus *Serarius*; nunc audiendus *Drusius*. Dixi (inquit lib. III. cap. V. de tribus sectis Judæorum) *Hessæus* scribendum esse cum aspiratione, hac tamen

men lege & conditione, ſi verum ejus etymon, quod *Philo* Judæus innuere videtur ex Syriaco חסי quod nunc quidem ſcriberetur חסי ad exemplum רמי *impoſtor* קני *Zelotes* זכי *purus*; ſed antiqui legerunt חסי inmutatione unius puncti, unde Heſſæus. Sic pro מלכי צדק iidem legerunt Melchiſedec. Nam a & e de facili permutantur; habent enim communem familiam; Aut ex חסי factum eſt Heſſæus, ut pro דנים in *Epiphanio* legitur δεγγίμ *piſces*. Aut חסי *Heſſæus* ut דבורה *Debbora* חבקוק *Habbacuc* משיחא Meſſias. Tantum de *Heſſæus*. De voce *Haſidæus* aliud eſt: Nam non dubito quin ſcribendum ſit aſpirate, & peccant meo judicio, qui exiliter ſcribunt; cum in ſcriptura Hebraica ſit H, Heth, h. e. gemina ſive duplex aſpiratio. Hac quia carent Latini, ſimplici utuntur. Cum ergo in Codicibus Græcis Machabæorum occurreret ἀσιδαίων ſine aſpiratione, monui eam adjiciendam eſſe. Omiſſa enim fuit non ab autore libri aut interprete, ſed a ſcribis librariiſve. Jam vero nomina Hebraica corrigenda ſunt ad conſuetudinem ejus linguæ. Quod a doctoribus Lovanienſibus factum in multis nominibus editionis vulgatæ, quam *Plantinus* excudit, & in octavo folium complicat. Quid ad hæc *Serarius*? Ut ſententiam hanc meam labefaceret fingit duas regulas, quas nunc examinabo. *In certarum dictionum* (inquit) *quas aliter, & aliter docti quidam ſcribunt, & pronunciant, ſcriptione aut pronunciatione multum haud laborandum vel contendendum eſt utro quis modo ſcribat & pronunciet.* Hæc regula locum habere poteſt in dictionibus, de quibus inter doctos non per omnia convenit, ut ſunt *Virgilius*, & *benivolentia*, cum alii ſcribant *Vergilius*, & *benevolentia*: Aut quorum etymon incertum eſt, ut *cœlum* quod a κοῖλον dictum exiſtimant alii, & alii a *cælando*, qui propterea *cælum* ſcribunt. Similiter *Heſſæorum* nomen quidam a עשה *facio*, *operor*, deducunt, alii ab אסא *ſano*, *medeor*, derivant; & ideo ſemper *Eſſæus* leniter ſcribunt. De aliis quorum certa orthographia ſcribendum aliter. Nam peccat qui ſcribit *Jeronymus*, ita peccat quoque qui ſcribit *Hieruſalam*: Quapropter? Quia in nominibus Hebraicis Hebraica conſuetudo ſequenda eſt, ut in Græcis Græca. Certum eſt ut Græcos ſcribere ἱερόνυμος cum ſpiritu aſpero; Contra Hebræi ſcribunt ירושלם abſque ulla omnino aſpiratione; nec aliter hodie ſcribunt docti. Ego ſi alicubi Græcam conſuetudinem ſecutus ſum, non excuſo. Occaſionem ei dediſſe videtur prava nominis originatio; nam exiſtimarunt compoſitum eſſe ex Græco ἱερον vel ἱερὸς quo nihil abſurdius, nihil ineptius. *Moſchopulus* περὶ σχεδῶν pag. 88. Ἱεροσόλυμα πόθεν γίνεται; ἀπὸ ἱερὸς καὶ τοῦ σόλυμα δὲ ἐστιν ὄνομα τοπικὸν, οἱ ἀπὸ τοῦτο δὲ λέγονται σολυμῖται. *Jeroſolyma unde componitur? Ab hieros, ſacer & Solyma: Solyma autem eſt nomen loci; qui hinc oriundi Solymitæ dicuntur.* Et mox pag. 89. Ἱερουσαλὴμ πόθεν γίνεται; ἀπὸ τοῦ ἱερὸς καὶ σαλὴμ, σαλὴμ δὲ ἑρμηνεύεται εἰρήνη. *Jeruſalem unde fit? Ab hieros & Salem. Salem autem interpretatur pax.* Et quanquam ob hæc nolim contendere, tamen intereſſe puto utrum quis ſcibat *Abel* an *Habel*; nam hoc *vanitatem*, illud *luctum* denotat. Poteſtne igitur quiſquam dicere inter luctum & vanitatem nihil intereſſe? aut ita qui ſentiat, non apertiſſime inſaniat? Sed in libris eſt ἀβελ: quæ ſcriptura impoſuit patribus, etiam *Joſepho*, qui הבל πένθος interpretatur, i. e. אבל. Non quæritur quid in libris ſit, ſed quomodo voces Hebraicæ ſcribendæ ſint a Latinis. Nam in libris οὐδὲν ὑγιές. Scripti enim ſunt a librariis imperitis qui vixerunt ævo plane barbaro, cum linguarum ſtudium prorſus jaceret; illis tum licuit quod libuit; nunc aliter eſt in hac luce literarum; Nam quæ in Aleph incipiunt, ea ſemper exiliter ſcribimus, ut *Abraham*, *Eſther*, *Elias*; quæ ab He vel Heth inchoantur, aſpiramus, ut *Haceldama*, *Havila*, *Haſidæus*: Quod poſtremum Lovanienſes doctores non emendarunt, quia ejus veram originem ignorarunt. *Recte quidem ſcribuntur, & pronunciantur* Aſidei & Haſidæi, Eſſæi, & Heſſæi, *ſed non neceſſarius ſcribendi modus uterlibet*. Nego recte ſcribi aut pronunciari *Aſidæus*. Nam id nihil ſignificat. Præterea firmat etymon ab אשר *diffundo*, quod etiam *Serarius* damnat. Dico etiam ortographiam hoc eſt rectam ſcribendi rationem imponere nobis neceſſitatem ſcribendi *Haſidæus* cum aſpiratione. Quæ ratio cum in Græcis & Latinis vocibus diligenter obſervetur, cur in ſolis Hebraicis eam negligemus? An hic licebit cuilibet quidlibet? Memini theologum quendam magni nominis, quod Aharon ſepultus fuerit in monte Hor, ad allegoriam traxiſſe, & per Hor Chriſtum intellexiſſe, in quo ſepultæ ſint omnes ceremoniæ legis, voce Hebræa lucem denotante; quod profecto non feciſſet, ſi uſus fuiſſet codice, in quo ſcriptum Hor & non Or. Nam *lumen* אור dicitur, non Hor

Hor i. e. חר. Talibus mendis ſcatet liber de nominibus Hebraicis, quem *Philoni* attribuunt; diceres eſſe Augiæ ſtabulum: O felicem allegoriam quæ tali nititur fundamento. Apagite igitur, qui nihil referre putatis *Habel* an *Abel* ſcribatur, *Hor* an *Or*, *Haſidæus* an *Aſidæus*. *Serarius* cum dixiſſet ſe mirari cur in hoc nomine aſpirationem tantopere flagitarem, ejus dicti ſui cauſas attulit quatuor: Prima eſt: *Quia Hebræam & in hoc & in aliis plurimis Græci Latinique aſpirationem omnem ſolent omittere, adeo ut cum nomen huic de quo diſputo, cognatum planeque germanum ex Hebræo retinere vellent Græci* LXX. *Jer.* VIII. 7. *non dicerent aſpirate* Chaſida, *ſed leniter ἡ ἀσιδα. Ad hoc quid reſpondes? Ne verbulum quidem*. Nimis es præfidens Serari. *Ne verbulum quidem*, inquis, *reſpondes*. Imo reſpondeo corruptam illam ſcripturam, quæ in codicibus Græcis ſcribis imputandam eſſe, non interpretibus. Par judicium de aliis, ut cum ἀβραάμ ſcribitur pro ἁβραάμ. Scire liquet antiquitus accentiunculos hos adſcriptos non fuiſſe; vide *Politiani* miſcellanea cap. 80. Ergo Librarii cum accentus adderent, in ceteris quidem minus peccarunt, in Hebraicis quod eorum nominum orthographiam ignorarent, hallucinati ſunt fere ſemper. Nam & *Anna* ſcripſerunt pro *Hanna* & *Abel* pro *Habel* & *Eſebon* pro *Heſebon* aliaque ſexcenta. Quid vis dicam *Serari*? *Eſebon* eſt nomen viri, *Heſebon* urbis, & tamen nihil referre putas virum an urbem dicamus *Eſebon* an *Heſebon* ſcribamus. *Abel* nomen loci luctum ſignificat, *Habel* nomen viri vanitatem. An nihil intereſſe putas inter virum & urbem? *Anna* particula eſt ſignificans *obſecro*: *Hanna* nomen mulieris, in quo ſignificatio *gratiæ*. Quis ſane mentis hæc nihil differre autumat? Quis confundenda dicit præter unum *Serarium*? Profecto non mirandum ſi magnos errores defendunt, qui in minimis tam ſunt pertinaces. Quid levius corrupta ſcriptura? tamen eam ita tuetur *Serarius* ut integras paginas impleat ad docendum nihil intereſſe *Haſidæus* an *Aſidæus* ſcribatur. Qui ſane, *quia in in tenui labor eſt, tenuis quoque gloria Chriſti*, videretur negligendus, niſi & ipſius & aliorum intereſſet imperitiæ compeſci arrogantiam. *Reſponde ſtulto*, inquit ſophus, *ſecundum ſtultitiam ipſius, ne ſibi ſolus ſapere videatur*. Ceterum *Heſebon* nomen urbis lectum *Num.* XXI. 26. & *Eſebon* nomen viri *Geneſ.* XLVI. 16. quod in principio habet literam Aleph. *Beth-leem* Græcæ conſuetudinis eſt qui voces in medio raro aſpirant. Sic enim *Iſaac* quod ſcribendum Iſahac. De *Alphæus* & *Agabus* viderit *Serarius*. Nam ſi eſt חלפי debet aſpirari *Halphæus* ſi אלפי debet leniter ſcribi *Alphæus*. Sic dico; non debent variare in ſcriptura Latina, quæ non variant in Hebræa. Eandem literam modo leniter modo aſpirate pronunciare imperitiæ eſt *Serarianæ*. Si ergo Heth eſt aſpiratio, & quidem duplex, cur eam leni ſpiritu proferemus? Secunda cauſa: Ebræum *ſcribit* Druſius, *cum aſpirationem tamen habeat prima ejus nominis litera*. Fateor me *Ebræum* ſcribere ſecutum analogiam; ſed neſciebam Ain aſpirationem eſſe. Duæ ſunt tantummodo apud Hebræos aſpirationes, una ſimplex, altera duplex; de tertia nunquam audieram. Scio multos cum *Serario* in ea hæreſi eſſe; ſed tamen profecto litera eſt gutturalis, ut Aleph, non aſpirata: Quod ſi gutturales omnes aſpiratæ ſunt, an etiam Aleph, cui reſpondet ſpiritus lenis apud Græcos, aſpiratio erit? quod quam ſit abſurdum, nemo non videt. Sed fuerit vel ſit aſpiratio Ain, tamen eam ſæpe veteres exprimebant per nudam vocalem; ideo *Hieronymus* vocalem appellat. Vide Alphabetum meum vetus. In *Nicolao* & Gloſſa ordinaria ſcriptum Ein *Geneſ.* XIV. & XVII. *Paulus* Epiſcopus Burgenſis in addit. *Exod. Eiin maxime gutturalis eſt, & ideo non profertur a Latinis*; h. c. per nudam vocalem exprimitur. Hodie Judæi Germani, quando Germanica characteribus Hebraicis ſcribunt, ea utuntur pro vocali E ut in עמבדא *Embda*. Similiter expreſſa fuit a veteribus per e in הושע *Hoſee* ישוע *ſue* & ſimilibus. Sic עמנואל in antiquitate *Emmanuel*; Id ſi ego quoque feci, quid culpas? An mihi non licet idem quod *Hieronymo* quod aliis interpretibus omnibus? *At iidem ſæpiſſime non aſpirarunt quæ a* ח inchoantur. Si Græci & Latini ſcripſerunt aliter quam ſcribi debeat, non debemus eos in eo imitari. Non quid alii faciunt, ſed quid recte factum ſit, videndum eſt. Modo dixi ſcripturam corruptam a ſcribis & librariis eſſe. Confirmat hoc *Hieronymus* præfat. in lib. *Paral.* quæ extat inter Epiſtolas ipſius Epiſt. 108. per hæc verba. *Ita in Græcis & Latinis Codicibus hic nominum liber vitioſus eſt, ut non tam Hebræa quam barbara quædam, & Sarmatica nomina conjecta arbitrandum ſit. Nec hoc* LXX. *interpretibus, qui ſpiritu ſancto pleni ea quæ vera fuerunt tranſtulerant; ſed ſcriptorum culpæ adſcri-*

ſcribendum , dum de emendatis immendata ſcripſitant , & ſæpe tria nomina , ſubtractis e medio ſyllabis , in unum vocabulum cogunt , vel e regione unum nomen propter latitudinem ſuam in duo vel tria vocabula dividunt . Hucuſque *Hieronymus* . Horum imperitia non debet nobis præjudicio eſſe . Nam ſunt qui etiam *Harabia* ſcribant & *Hemmanuel* , & *Helam* , unde Helamitæ. Certa ratio & analogia , non incoſtantia exſcribentium ſequenda eſt: *Et nonne vanitas & quædam velut oſtentatio eſt , quem omnes alii* Hebræum *dicunt* , Ebræum *dicere* , *quem vero* Aſidæum *alii* , *eundem* Haſidæum *effari* ? Non omnes ſcribunt *Hebræum* , & qui ſic ſcribunt ſecuti ſunt Græcam conſuetudinem ; nos Ebræam libentius ſequimur ex analogia ſimilium nominum , quæ ab Ain incipiunt : Novi qui aliter hoc nomen non ſcribant quam ego , & in libro nominum apud *Hieronymum* eſt *Eber* & *Ebri* , tranſitor , itemque *Ebræus* abſque aſpiratione . *Aſidæum* nemo ſcribit , niſi qui ejus etymon adhuc neſcivit , quibus addo *Nicolaum Serarium* ferula digniorem puerulo illo apud *Auguſtinum* qui *ominem* dicebat pro *hominem* , & propterea vapulabat . *Tertia cauſa , ſi aſpiratio adhibenda in* Haſidæus *eſt* , *uti Grammaticus vult Druſius* , *ea nunquid eſſet adhibenda* , *quam in quæſtionibus Hobraicis Græca litera* χ *exprimendam monet* S. Hieronymus? Si eam adhibere voluiſſet autor vel interpres *Machabæorum* ſcripſiſſet χασιδαῖοι . Id quia non fecit , nec nos debemus novam ſcripturam ei affingere. *Aſt de* ח *Ebræo eadem ratio* . *Includit enim tam c quam aſpirationem* . Imperite Jeſuita , quis te docuit Heth includere literam c ? Ego ex *Hieronymi* libris didici aſpirationem duplicem eſſe. Græco χ reſpondet apud Ebræos elementum כ Chaph quod *Hieronymus* ideo ſcribit ſemper per c aſpiratum . Eo pertinent loca quæ ex illo citas . Scripſeram Græcos deſtitui elemento ח Heth . Nam eſt duplex aſpiratio , qua carent etiam Latini . Quid *Serarius* ? *Nego* (inquit) *deſtitui* , *ſed ipſum* χ *etſi paulo ſuavius* , *ajo Hebræo Heth reſpondere ; unde in appellativo* חלק , *i. e.* pars *dicunt* LXX. χελχὰ Jeſ. XI. Ut veritas veritatem ſequitur , ſic error errorem trahit . O bone *Hieronyme* cur numero es mortuus? Ais Heth aſpirationem duplicem eſſe : *Serarius* negat : Si recte , tum præceptores tui male te docuerunt; ſed ſi Heth τῷ χ reſpondet , quid fiet de Caph ? quid de Coph , quem etiam Græci in χελχὰ exprimunt per eandem literam ? An Græco χ reſpondent tres literæ apud Ebræos ? Melius ſentiunt qui cum *Hieronimo* aſpirationem geminatam arbitrantur , & literæ Caph reſpondere putant χ Græcum , & τῷ Coph C ſimplex . Unde idem *Hieronymus* . Carmelus *Ebraice dicitur* Chermel i. e. כרמל in quo nomine & e pro a legebant veteres . Scripſi pro arbitrio exſcribentium aſpirationem ſæpenumero omiſſam fuiſſe. Id *Serarius* vocat βαττολογεῖν & aerem verberare , & imperitis nebulam offundere. Bellum hominem , qui vitia ſua culpat in me . Nam ſi quis eſt , qui βαττολογεῖ , qui aerem verberat , qui imperitis nebulam offendit , is eſt *Nicolaus Serarius* S. S. Theologiæ doctor , & in Academia Moguntina profeſſor . Ex arbitrio exſcribentium non pendet orthographia . Quæ recte ſcripſerunt , ea amplectimur , quæ male , rejicimus . Omnia ad certam rationem & analogiam . Quæ autem certior , quam ea *Hieronymus* nos docuit ? Vides Sodes Alphabetum meum vetus . *Obſecro mi* Druſi , *qui Gramaticus es* , *grammatice reſponde* . *In hiſce ſcribendis vel rationem* , *vel veterum uſum ſervari vis* ; *ſi rvtionem:* Haſidæi *quidem dici poterunt* , *ſed verius* , *uti probatum* , Chaſidæi . *Si veterum uſum* , *non dicetur quidem* Chaſidæus , *ſed neque ut vis* , Haſidæus , *neque* Habel , *ſed* Aſidæus & Abel . Viciſſim te obſecro mi *Serari* ; ſi Theologus es , theologice reſponde ; ſi rationem ſervari vis , cur non eam ſequeris , quam theologus *Hieronymus* doctor Eccleſiæ ſecutus eſt? Si uſum veterum, cur non ſcribis *Aſidæus* cum duplici S? Nam ita ſcriptum hoc nomen in omnibus fere libris antiquis editionis Vulgatæ . חסידי *Haſſidæus* ut חסי *Haſſæus* ; quod & חסי ; aut forte cauſa hujus ſcriptionis ab etymo Latino ; nam exiſtimabant ita dictos quod aſſidue vocarent rebus divinis . Hic valet illud · *Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt* . Addo & *ſine ratione* . Ceterum non quæritur inter nos an poſſit ſcribi *Chaſidæus* , ſed an in libris *Machabæorum* nomen hoc ita ſcribendum ſit. Tu ais , ego nego . Judicium eſto penes eruditum lectorem ; nequa hic locum habet analogia . Nam eo modo ſcribi etiam deberet in Actis *Chaceldama* , & in Evangelio *Channa* , & alia ſexcenta . Quis hodie ita corrigit Biblia Lina ? Sit ergo hoc ratrum , ubi veterum accedit autoritas , ut in *Chermon* , & *Chebron* , & *Rachel* poſſe ita ſcribi ; in ceteris non item ; De Bibliis loquor editionis vulgatæ ; Nam ſiquis extra Biblia ſcripſerit *Chaſi-*

Chasidæus non peccat. Demus hoc *Serario*, ut inter novatores, quos tantopere amat, numerari possit. Vos valete & plaudite. *Quarta caasa ex ipso erat* Drusio *contra ipsum* &c. Scripseram *Malluach*; *ergo* (inquit) *scribi etiam potest* Chasidæus. Quis hoc negat? Sed siquis *Noe* in Vulgata corrigeret *Noach*, an non se tueri posset exemplo & autoritate *Serarii*, qui *Machabæorum* lectionem ἀσιδαίων mutat in χασιδαίων? Hoc non est corrigere Sacra, sed corrumpere ac depravare. Tandem perperam citat verba mea; *tueri me possem ex illo nomine*, & *similibus*. Dicet non sua culpa id factum, sed operarum typographicarum. Concedo, si mihi concenerit scripturam Græcam, quæ in antiquis codicibus, non interpretum esse, sed librariorum. In fine capitis hujus ait. *Notant Byzantinum* Stephanum Scaliger, & Drusius, *quod terminationem in ηνὸς barbarum potius, quam Græcam dicant*. Ubi hoc notat *Drusius*? Verba ejus sunt: *Quamquam gentilia in ηνὸς quidam barbara esse ait, non ἑλληνικά*. Nulla hic mentio *Stephani*. Quocirca non debet mihi fraudi esse, si *Stephanus* hoc non dicit. Sed de *Stephano* alias. Mihi nunc non vacat eum consulere. Respondeat *Scaliger*, cujus res nunc agitur. Nam is nisi fallor, hoc scriptum reliquit. Non eget ille meo patrocinio. Et certe non eget *Scaliger* qui cap. XIX. Elench. Trihær. ita se tuetur. In fine capitis tertii insignem pertinaciam profitetur de terminatione Gentilitiorum nominum in αῖος & in ηνὸς. Nos id ostendimus in lib. de emendatione temporum, atque adeo audemus profiteri nos primos indicasse illarum terminationum differentiam, quarum αῖος propria Syrorum, ηνὸς propria Arabum. Exemplum נצרה Nazareth patria Domini producit gentilitium נצרי Syriace, Ναζραῖος, נצראן Ναζαρανὸς, vel Ναζαρηνὸς Arabice. Unde nos vocant נצראני quasi dicas Ναζαρηνικὸς. Quod hæc terminatio Arabica sit, declaravit *Stephanus*, Ἀβασηνὸς post alia; ὁ τύπος ὀξὺς, καὶ ἐπιχώριος τοῖς Ἄραψιν, ὡς Μηδαβηνοὶ, ὀβοδηνοὶ, Ἀδρηνοὶ, ἀλλὰ καὶ τοῖς Ἀσιανοῖς ἅπασιν, ὡς Ἀπολλώνιος ὁ τεχνικὸς ἐν τῷ περὶ παρωνύμων φησὶ, διὰ ἔθους ἐστὶ ταῦτα τοῖς ἐπὶ τῆς Ἀσίας κατοικοῦσιν, ἀλλότρια δὲ τῶν Εὐρωπαίων· οὐ γὰρ ἀπὸ πόλεως, καὶ δήμου, κατὰ τοῦτον ὠνόμασται τὸν τύπον. Idem Νίσιβις· καὶ ἔδει Νισιβίτης, ἀλλ᾽ ὁ τύπος Αἰγύπτιος, καὶ Λιβύης οὐδὲ διὰ τοῦ ηνος, παρὰ τὸν Εὐφράτην, καὶ τὴν ἕω, ὡς Σωφηνὸς, Ταβηνὸς, Καμβυσηνὸς. *Forma acuta & propria Arabum, ut Medabeni, Obodeni, Adrieni, imo & omnium Asianorum, quemadmodum* Appollonius *in libro de derivativis inquit. Consueta sunt iis qui Asiam habitant, peregrina vero Europæis, nec enim ab urbe vel populo juxta hanc formam denominant. Et oportebat dicere Nisibitis, sed forma Ægyptia est, & Lybica, eaque desinit in Enos, quod Euphratenses, & Orientales, ut Sophenus, Tabenus, Kambysenus*. Vide Ἀγβάτανα, ubi plura. Nemo hæc notaverat ante nos. *Notant Byzantinum* Stephanum *in voce* Ἄβαρνος Scaliger & Drusius. Ego citavi in voce Ἀβασηνός. In voce Ἄβαρνος tale nihil Sequitur oraculum *Serarii* ex adytis societatis. *Terminationem in Enus seu ηνος barbaram potius quam Græcam dicat. Non id tamen dicit, sed ex* Apollonio *dicit ea potius Asiatica esse quam Europæa*. Dic mihi *Serari* columen Theulogiæ, & Critices, Arabes Græcine an barbari? Alterutrum esse oportet. Grecos non dices; non enim ita insanis; ergo barbari. Eorum autem propriam hanc terminationem dicit *Stephanus*, & nos jam ostendimus ex eorum lingua, quod nemo sciebat. Ergo & barbara, & Arabum propria ea terminatio: Persarum etiam, & Euphratensium, & Orientalium propriam esse dicit. Quid vis tibi? Quibus verbis vis exorari? prei nobis, ut te placemus, ne nobis diu iniquior sit, ne veritatem in genere hominum, quos odisti capitaliter, ex instituto familie vestre oppugnes. Certe qui te hic defendere volet, autor illi sum, ut in sociorum corpus cooptetur.

III. Refutatur optime a *Drusio* cap. 8. de tribus sectis Judeorum *Abraham Zachuth* qui scribit Hesseos originem habuisse a Juda Galileo, qui autor fuit Judeis rebellandi contra Romanos. *Judas* (inquit) *innovavit sectam tertiam eorum, qui Hesseni vocantur*. Et mox. *Opinio Nazyræorum, qui vocantur Hesseni; Hi sunt sancti sive pii, & inceptor fuit Judas Galilæus. Hi etiam fuerunt cavsa Judæis rebellandi contra Romanos, quia dicebant. Non convenit ut dominetur super hominem alius, quam Dominus solus, neque debet vocari Dominus, nisi Deus benedicendus*. Hanc opinionem (inquit *Drusius*) confutare facile est. Nam constat ex historia Hessenos fuisse diu ante Judam Galileum. Hoc primum; deinde *Josephus* diserte scribit Judam illum fuisse autorem quarte secte, que a reliquis tribus, in queis Hesseni, diversa erat. Scribit hoc Orig. lib. XVIII. cap. 2. *Quartæ autem studium sapientiæ sectantium viæ, primus autor fuit Judas Galilæus. Hi cetera cum Pharisæis consentiunt; nisi quod constantissime libertatis*

tis amore flagrant, credentes solum Deum Dominum habendum, ac principem, & facilius vel exquisitissima pœnarum genera laturi una cum cognatis suis, & carissimis, quam mortalem aliquem appellaturi dominum.

CAPUT XIII.

I. *Num Hessæi Pharisæi?* II. *Num Hasidæi?* III. *Quid significet Hasid?* IV. *Quinam Hasidæi, quorum mentio in libris Machabæorum?* V. *An Hessæi Nasyræi?* VI. *An Jacobus Apostolus Hessenus fuerit?*

I. SErarius pag. 147. contendit *Drusium* affirmasse Hessæos fuisse Pharisæos, quod ille negat. *Essænos* (inquit *Drusius* lib. III. cap. 9.) *Esse Pharisæos* affirmat in Hasidaico suo libello *Drusius*. Ubi hoc affirmo? An pag. 5.? ubi dico: *Ex his orti Hesseni*? Acumen hominis. Ita ne ei idem est si dicas Hesseni sunt Pharisæi, & Hesseni orti sunt ex Pharisæis, ex Romano-Catholicis orti sunt Lutherani, & Romano-Catholici sunt Lutherani? Hoc argumento possem probare, si Deo placet, *Serarium* hæreticum esse, h. e. Lutheranum, aut Calvinianum; nam tales ei tunc hæretici. Qui si dixero: Sadducæi orti sunt ex Pharisæis, an inde sequeretur me dicere Sadducæos Pharisæos esse, quod aperte falsum? Quocirca serpentem, aut anguem quemdam hic tegit *Serarius*, quo me sic invisum reddat apud suos. Affirmare me dicit, quæ per somnium non affirmavi; imo ne cogitavi quidem. O hominem veteratorie acutum, & callidum: o viperam: *Sed ais* (inquit) *Hasidæos, & Pharisæos eosdem esse*. Non hoc simpliciter ajo, sed tantum apud *Gorionidem* cap. 29. eosdem esse, quos ibi nominat, Pharisæos, sapientes Israel, & Hasidæos. Quod non revoco: Hoc tamen addo, non omnes Pharisæos fuisse Hasidæos, sed tantum aliquos & quidem præcipuos: Unde dicuntur *primi Judæorum*: Judæorum inquam, non Pharisæorum, quia etiam Hessæorum nonnulli erant Hasidæi, ut Judas & Manahemus Hessæi. Hoc tunc nesciebam. Quod si scivissem, non scripsissem: *postea in sectæ nomen transiit*. Nam profecto non est nomen sectæ, sed ordinis, societatisve, aut sodatilitii cujusdam, vel certe professionis, ac pietatis. Quod non sit nomen sectæ patet ex eo quod plurimi Pharisæi etiam Hasidæi fuerint; in queis nobilis ille Pharisæus Hillel, quem *Josephus* Pollionem appellat. Qua de re diximus lib. 1. quæ non itero: vide si placet. *Scaliger* cap. XXI. Elench. Trihæres. *An Esseni Pharisæi?* Quid hoc moustri est? Tres sectæ sunt, Pharisæi, Sadducæi, Esseni. Si Pharisæi Esseni, ergo duæ tantum. Sed hæc, non quod ita credat, sed quia hoc problemate, tamquam pugione jugulum *Drusii* petit. Quæ igitur hæc stultitia est, tam avile problema, tam absurdum in medium jacere, & tam frivolo argumento integrum caput occupare? Tantum otii Patribus ab re sua? Pag. 231. (hujus edit. pag. 141.) *Suidas*: Εσσαῖοι Ἰουδαῖοι ἀσκηταί, φαρισαίων, καὶ γραμματέων τὴν ἄσκησιν ἐξ ἐπιμέτρου διεστηκότες: Eadem repetuntur in *Cedreni* forragine 163. 34. ἥτις γε (ἄσκησις τῶν Εσσαίων) τῶν γραμματέων καὶ φαρισαίων τὴν δικαιοσύνην ἐξ ἐπιμέτρου διενέστηκεν, & quæ sequuntur ad verbum ex *Suida* desumta. Unde apparet, si mendosus est locus, errorem vetustissimum esse ἐξ ἐπιμέτρου διέστηκε, ἀντὶ τοῦ ἐκ διαμέτρου. Nam ridiculum est *ex auctario distare*, aut *opponi*, quod non sine risu dici potest. Itaque vel primis literis Græcis imbutus errorem deprehendet, & emendabit, quod & fecit vir doctrina singulari prælitus *Hieronymus Wolfius*, qui quum vertit *ex diametro*, locum ita, ut oportebat emendavit. Neque quærendus erat tam eruditus vir ad levem errorem tollendum, quum hoc, ut dixi, quivis mediocriter Græce doctus fecerit: At *Serarius* non quod pueri in faba, se invenisse putans, si occasionem nancisceretur qua tanto viro insultaret, non solum temere illnm super interpretatione reprehendit, sed etiam zelotice, & veteratorie eo nomine appellavit, quo illi contumeliam fieri putavit. Non potuit in eodem loco neque incivilitatem suam, neque imperitiam literarum Græcarum opportunius ostendere. Quantum hæc duo τὸ ἐξ ἐπιμέτρου, καὶ τὸ διαμέτρου inter se differant, & quæ verba utrique accommoda, & quæ ab utroque aliena, inter quæ διεστηκέναι alienissimum τῷ ἐξ ἐπιμέτρου ostenderem, nisi & pueri scirent. Quo magis *Serarium* pudere debuerit, cui pueri silentium imponerent, si illi aliquis se usus pudoris esset. Alia temeritas est, quod putaverit *Wolfium* ignorasse quæ differentia esset inter τὸ ἐκ διαμέτρου καὶ τὸ ἐξ ἐπιμέτρου. *Ita* igitur defendimus *Wolfium*, & merito siquidem διέστηκεν legamus. Sed aliter legit idem *Suidas* alibi: ἐξ ἐπιμέτρου, ἡ τῶν ἐσσαίων αἵρεσις, οἱ εἰσιν Ἰουδαῖοι, τῶν φαρισαίων καὶ γραμματέων τὴν δικαιοσύνην ἐξ ἐπιμέτρου διανέστηκεν. Ubi legitur, ut in quis-

quisquiliis *Cedreni* διανένηκεν, sed in *Cedreno* perperam una litera tantum aliter διενένηκεν. Jam alia lectio aliam interpretationem postulat. *Phavorinus* errat, qui τὸ ἐξ ἐπιμέτρου in illis verbis *Suidæ* interpretatur ἐκ διαμέτρου. Hoc locum habebat, si ut in altera lectione διέστηκεν, non διανένηκεν legeretur, quamvis ἐξ ἐπιμέτρου numquam faciet, ut sit ἐκ διαμέτρου. Vertendum igitur: *Essæorum hæresis (sunt autem Judæi) Pharisæorum, & Scribarum justitiam supra modum evexit*, aut *extulit*. Vult enim scriptor apud *Suidam* quisquis ille fuit, Essæos Pharisæorum justitiam imitantes eam in sublime extulisse, hoc est ἐξακριβῶσαι, ac longe majorem eorum, quam Pharisæorum, a quibus acceperant, justitiam fuisse. Ita videtur ille scriptor Essæos Pharisæis posteriores facere; quod verissimum est.

II. *Drusius* lib. III. cap. 10. Inter Hasidæos (inquit) quos Hasidim appellant, recensent Judæi Davidem & Ezram. Ex quo sequitur Hasidæos sectis antiquiores esse. Nam sectæ cœperunt altera demum ætate post Simeonem justum. Cui firmando, quod habetur pag. 35. hæc adfert *Zachuth*. *Lex profecta est a Mose domino prophetarum. Inde pervenit a sapiente & sancto (Hasid) ad sapientem & sanctum usque ad lumen mundi, qui est Rabbenu Haccados.* Locus iste docet omni tempore fuisse, qui Hasidim, id est sancti aut pii dicebantur. *Abraham Zachuth* præfatione in librum *Juchasin*. *Veritus sum dicere liber Hasidæorum propter sapientes Hasidæos, qui memorantur hoc nomine, Jose filius Joazari, & David rex, & Simeon Hasidæus cujus mentio in Thalmud, & similes ejus; veritus, inquam, sum dicere, liber Hasidim, ne comburerent me halitu oris sui, quos decet silentium laus. Idem vocavi eum librum* Juchasin, *quemadmodum ipsi eum appellant in* פסחים *cap.* חסיד נשחט. In historia Hebraica סיעת חסידים *cœtus Hasidæorum*, vel si mavis, *collegium*, ut in *Juchasin* עזרא וסיעתי *Ezra & ejus collegium*. Sed hic sapientes innuuntur, & societas proprie חברה dicitur. Unde de societate dubitatio aliqua. Videtur fuisse τάγμα vel σύστημα quodpiam. Quod ut facile mihi persuaderi patior, ita non possum assentiri *Serario* scribenti satis confidenter Essenos Pharisæis antiquiores fuisse; Nempe Rechabitas arbitratur Hessenos fuisse. Quod nondum ab eo clare probatum. Temerarium dictum temere negari potest. Sapientes, qui post Pharisæi dicti sunt, ab omni ævo fuerunt. Unde probabilius, Hessenos ex Pharisæis ortos, quam contra Pharisæos ex Hessenis originem habere. Quod audacter nimis affirmat *Serarius*; Credat Judæus apella. Mihi non persuadet. Plura de hac re in sequentibus. *Scaliger* Elench. Trihæres. cap. XXII. (inquit) *Esseni an Hasidæi*? Venimus ad caput fontis, unda tot rivi disputationum deducti & pugnæ magnæ pugnatæ. Quum ostenderimus, qui sint Hasidæi, neque æquo lectori dubitandi, neque pertinaci contendendi locus erit. Hasidæi igitur erant corpus τάγμα, σύστημα, vel ut Constitutiones loquuntur, corporati, qui sponte sese addicebant functionibus legis, unde dicuntur ἐκουσιαζόμενοι τῷ νόμῳ 1. *Mach.* 11. 42. ubi etiam vocantur συναγωγὴ Ασιδαίων h. e. *corporati Hasidæorum*. Eorum origo jam inde a temporibus Esdræ, ut paulo post videbimus, autoribus instituti sanctis prophetis, in quibus familiam ducebant Haggæus, & Zacharias nepos Addo filius Barachiæ. Unde quemadmodum ipsi prophetæ, ita & corporati dicti חסידים Hasidim, ἅγιοι *Sancti*, quatenus quidem ad institutum, quatenus autem corpus constituunt, Hasidæi חסידאי Judaice, חסידיא Syriace. Quemadmodum liberti dicuntur quatenus manumissi, quamvis genus aliquod hominum constituunt *liberorum quidem, sed non ingenuorum*, libertini dicuntur. Erant enim Hasidæi φράτορες quidam, qui vulgo dicuntur *confratres*, ἑκουσιαζόμενοι τῷ νόμῳ המתנדבים בתורה, qui præter ea, quæ tenebantur ex lege facere, etiam sponte impendia quædam in templum, & in sacrificia faciebant. Quod ex lege quis tenetur facere id vocatur חיוב *debitum*, quod ultro & sponte, quis præter debitum fungitur, id dicitur רבית, h. e. ut vulgo loquuntur *Supererogatio*. Unde & dicebatur רבית לתורה ἐπίμετρον τῷ νόμῳ *Auctarium legi*. Jam ante tempora Hasmonæorum duo genera δογματιστῶν erant apud Judæos, עושקים בתורה *Studentes legi* duntaxat, & עושקים ברבית לתורה *studentes auctario legis*. Atque hanc legis divisionem ignoravit *Eusebius* qui VIII. lib. προπα. pag. 222. prius genus φιλοσοφίαν κατὰ τὴν ῥητὴν διάνοιαν, alterum θεωρητικὴν φιλοσοφίαν vocat: Ex priore genere orti Karraim, e quibus Sadducæi, ex posteriore Pharisæi. Nam proculdubio Pharisæi sunt propago Hasidæorum, ἐκουσιασμὸς τῶν Ασιδαίων in hoc versabatur, non solum ut ex præscripto legis viverent, sed etiam siquid ex verbis legis per consequentias, & interpretationes erui posset, id ei satis-

tisfacere teneri, & quum omnia fecerint, nihil fecisse videri, sive ad eleemosynas & officia pia, quæ Hebraice dicuntur נמילות חסידים, item ad sarta tecta templi, & ad sacrificia הוציא מעות לנמילת חסידים ונתן שלו עם כל זה כהבעי ליה לא עבד *Impendit stipem in opera sua pia & largitus est de suo* (ὤικοδόμησε ἠλεήσατο, ὤκοδόμησε ἀνήλωκε Chryf.) *tamen id quod tenebatur facere, non fecit*. Eadem sententia, sed inversa *Lucæ* XVII. 10. οὕτω καὶ ὑμεῖς ὅταν ποιήσητε πάντα τὰ διαταχθέντα ὑμῖν, λέγετε ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοι ἐσμὲν, ὅτι ὃ ὠφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν. *Sic & vos ubi feceritis omnia injuncta vobis, dicite; servi inutiles sumus, quia quod debuimus, id fecimus*. Nam quamvis fecerint quod præceptum est, tamen adhuc ἀχρεῖοι εἰσὶν quasi nihil fecerint. Præter נמילות חסדים sarta tecta templi majore ex parte curabant, & voluntarios sumtus faciebant, hoc institutum mordicus tenentes a Sanctis Dei Prophetis *Esdræ* v. 2. Unusquisque pendebat vectigal ad sarta tecta templi jam a temporibus Esdræ & Nehemiæ *Neh.* x. 32. Præter illud constitutum tributum sponte Hasidæi plura erogabant tam ad ipsum Sanctuarium, quam ad ejus muros & porticus, nunquam fere recedentes a templo, ita ut quasi illud peculiare habere viderentur, & nunquam temere per aliud, quam per templum jurarent, המעון הזה item המלון הזה *per hoc habitaculum* vel *per hanc domum*. Quare eorum propago Pharisæi idem faciebant *Matth.* XXIII. 16. ὃς ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ ναῷ *qui juraverit per templum*. Et ab illis quoque Hasidæis didicerunt construere sepulcras prophetarum ibid. XXIX. Merito igitur vocati חסידים vel quia a sanctis prophetis eorum collegium institutum, vel potius a piis operibus, & ab ædificiis sacris ab illis instauratis, a fundamentis excitatis. Quasi cum sexaginta viros ex illis Corporatis postremus & nequissimus bibendum Alcimus necasset, vulgus putavit eorum mortem in *Psal.* 79. 2. prædictam fuisse. *Effuderunt in circuitu Jerusalem carnem Sanctorum suorum*; tantam opinionem sanctitatis apud plebem consecuti erant. Nam in lectione Hebraica est *haSidecha* τῶν ἁγίων σου, τῶν ὁσίων σου. Alcimi sævitia non potuit expleri cæde eorum, nisi etiam murum templi ab eorum veteri corpore sive collegio constructum dirueret. *Josephus* lib. II. cap. 17. 378. τῷ δὲ Ἀρχιερεῖ τῷ Ἀλκίμῳ βουληθέντι καθελεῖν τὸ τεῖχος τοῦ ἁγίου ὂν παλαιὸν καὶ κατεσκευασμένον ὑπὸ τῶν ἁγίων προφητῶν πληγή τις αἰφνίδιος ἐκ τοῦ Θεοῦ προσέπεσεν. *Alcimum autem Summum Pontificem volentem murum templi veterem & a Sanctis prophetis constructum diruere plaga quædam repentina a Deo immissa invasit*. Intelligit constructum ab ipsis Hasidæis, & autoribus eorum corporis Sanctis prophetis. *Esdræ* v. 2. Tandiu putavimus illud verbum apud *Josephum*, nempe τὸ προφητῶν additum ab illis, qui hoc τάγμα τῶν Ἁγίων ignorarunt, quia tamen *Ruffinus* agnoscit illam lectionem, interpretabimur illam, ut fecimus ex *Esdræ* 2. Sed tamen non dubitamus τὸ προφητῶν abundare. In qua sententia magis confirmati sumus, postquam illa verba in chronicis *Eusebii* legimus, ubi de eadem re mentio fit. Ἄλκιμος ὁ ἀνίερος καθελὼν τὸ τεῖχος τῆς αὐλῆς τῶν Ἁγίων δίκας ἔδωκε πικρῶς θανών. *Profanus iste Alcimus destructurus parietem atrii Sanctorum pœnas dedit amare moriens*. Quanta lux infertur conjecturæ nostræ ex illo loco τῶν Ἁγίων? igitur tam *Josepho*, quam *Eusebio* qui a *Josepho* hæc hausit, intelligendum τῶν Ἀσιδαίων. Ex istis, ut dixi, Hasidæis profecta est hæresis Pharisæorum. Nam Hasidæi proprie non erat secta, sed σύστημα ὁσίων *corporati devoti* instar eorum, quos Græci φρατερίας vocabant, atque in templum quotidie conveniebant (quod Atheniensibus est φρατερίζειν, item συνομνύειν, καὶ φρατριάζειν Concil. Chalc. Canon. 19.) & Sacrificiis operabantur, agnum quotidie immolantes, qui dicebatur אשם לחסידים *Oblatio Hasidim pro delicto*. Unum tantum diem excipiebant, in quo illud sacrificium omittebatur, undecimum Tieri postridie diei Kippurim. Sed justum volumen exigebant omnia, quæ de illis dici possunt: Nos tamen necessaria excerpsimus. Hasidæorum mentio 1. *Macch.* II. 42. & VII. 13. & 2. *Mach.* 14. 6. Quandiu igitur רבית תורה i. e. *supererogatio* usu tantum observabatur, nulla secta fuit in populo Dei. Sed postquam supererogationis præcepta in Canones redacta sunt, & scripto mandata, tunc multa dubia oriri, disputationes, velitationes, altercationes quotidie succrescere, unde duæ sectæ diversa sentientes natæ, altera quæ legem tantum, altera quæ רבית & interpretationes ejus amplectebantur. Prior in duo genera procedente tempore scissa est. Nam ab initio Karraim tantum dicebantur, secta, quæ legem, prophetas, & hagiographa observabat, usque ad tempora Sadok, & Baithos, qui primi de pœna peccatorum, & remuneratione benefactorum dubitarunt, a quibus nata est hæresis Sadducæorum. Karraim igitur priores tem-

tempore sunt, quam Sadducæi. Nam olim Karraim & Hasidim ab initio non erant sectæ, ut diximus. Karraim quod ex lege præcipitur, faciebant. Nemo autem exigitur plus facere, quam quod præcipitur. Hasidim præter præcepta legis, supererogationes, & voluntarias functiones nullo cogente obibant. At nemo vituperatur, si quum tantum bene facere teneatur melius faciat: aut si ab eo mediocre exigitur, multum præstet. Sed postquam iste ἐκουσιασμός in præcepta cogi, & scripto mandari cœptus, tunc ex istis Hasidim processerunt δογματισταὶ qui se פרושים Sanctos, & tam ab Hasidim, quam a vulgo segregatos dixerunt, qui τῶν ἐκουσιασμῶν ἀνάγκην fecerunt, & quæ quis sponte faciebat, ex necessitate facienda præcipiebant. Hoc genus hominum in duo sectum est, in ipsos פרושים φαρισαίους & Εσσηνοὺς. Nam Essenorum ἀκριβεστέρα πολιτεία quam Pharisæorum; & utraque gens scripta ab autoribus sectæ suæ habebat. Ideo recte *Philo* 612. ἔστι δὲ καὶ αὐτοῖς συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν οἳ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέται γενόμενοι πολλὰ μνημεῖα ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπέλιπον. *Habent autem & scripta antiquorum, qui sectæ ipsorum duces existentes complura monumenta in allegorico commentandi genere reliquerunt*. Rursus Pharisæi in plura genera divisi; septem enumerarunt Judæi, ut ex quodam libro Venetiis excuso didicimus, & ex eo *Osiander*, ex *Osiandro Serarius* supra. Essenorum vero prior divisio εἰς κοινοβίους, καὶ μονάζοντας *in eos qui una vivebant, & qui soli*. Posterior τῶν κοινοβίων εἰς γαμοῦντας καὶ ἀγάμους *in conjuges, & in cælibes*. Hæc est vera origo harum sectarum. At Hasidæi non erant secta, ut dixi, sed corporati devoti, & ab illis Pharisæi, a Pharisæis autem Esseni orti. Quia vero eorum præcipua erat functio a templo non recedere, & ejus sarta tecta curare, illi ad excidium usque templi permanserunt. Nam templo non stante neque ipsi stare potuerunt. Quod nihil horum *Serario* oboluerit, & in toto cap. 7. nihil aliud quam se doctorem demonstrarit, ornatum virtutibus Societatis sanctissimis, maledicentiæ, Zelotypiæ, & invidiæ, lectoris, non nostrum erit judicium. Itaque in toto capite nihil est, quod non dignum sit reprehensione, sive maledicentiam spectes, sive inscitiam. Jam quartum iterat suum ineptissimum illud חסי a חסיד quem errorem ter antea confutavimus. Nos in causa fuimus illius חסי, quod tamen castigandum, ut infra disputabitur, quod quum ipse velit a חסיד Hebraico deductum, longe a vero discedit. Nam tam Judaismus quam Hebraismus חסיד retinet, & non semel in *Targum* חסידא legitur. At חסי omnino Syriacum est, ignotum Judaismo. Quomodo igitur Esseni, qui Judæi erant, vocari potuerunt nomine, quod Judaicum non est, & quod Judæum vulgus non intelligit? οὐδὲν ὑγιὲς prorsus in toto capite, & nulla laus, nullum operæ pretium est illa confutare: in quibus tamen illud non est prætereundum, in quo apparet, ut alias, Hellenismi tyrocinium, quum scribit pag. 241. (hujus edit. pag. 147.) *Quod si vero lib.* 1. Macch. *sive Haridæi restricte accipiuntur, uti accipi confectum jam satis, idem profecto de Hosiis apud* Josephum lib. XII. cap. 16. &c. Mera imperitia est. Nam Hasidæi est nomen corporis, collegii, gentis, Systematis, corporatorum, & tanquam substantia: Hasidim est attributum ex instituto vitæ, tanquam accidens: Quare si aliquod collegium, aut Secta dicti sunt Ἀσιδαῖοι, illi sine articulo dicti ostendunt ex forma nominis, se esse corpus quoddam, & cum articulo eos vocari nihil prohibet. Itaque & cum articulo & sine articulo eos nominant *Macchabæorum* libri. Sed articulus necessarius non est: & sine detrimento significati abesse & adesse potest. At accidentalia quum migrant in substantiva, accipiunt articulum necessario, ne pro accidentalibus & attributis accipiantur. Nam Ἀσιδαῖοι possunt dici Ἀσιδίμ, sive potius ἅγιοι, sed cum articulo, neque id satis est cum adjectione λεγόμενοι. Quod igitur ex *Josepho* tangit *Serarius*, illius verba hæc sunt: πολλοὺς διεφθαρκότα τῶν ἀγαθῶν καὶ ὁσίων τοῦ ἔθνους. *Cum multos ex bonis & Hosiis gentis intere misset*. Putat homo acutissimus, si de Hasidæis restricte dictum est, idem de Hosiis dici. Atqui ut diximus, longe differunt Hasidæi & Hosii: quod Hasidæi est nomen Substantiæ, & ὅσιος est accidens, quod accidit Hasidæis, & si restricte vult accipi ὁσίους, h. e. ex adiectivo substantivum fieri, hoc non poterit nisi cum adjectione, οἱ μεγόμενοι ὅσιοι. Tunc ὅσιοι οἱ λεγόμενοι distinguuntur ab Hosiis adjectivo. Quare *Luth.* accutior & peritior quovis *Serario*, recte percepit non sufficere eos *Frommen* vocari, nisi cum adjectione *die sich die Frommen nennen*. Nam id plane est, Judæi qui nominantur probi sancti, pii. At quod concludit *Serarius* in verbis *Josephi*, plane puerile, ridiculum, ineptum. Nam non solum *Josephus* scribere debuisset τῶν λεγομένων ὁσίων, aut saltem τῶν ὁσίων, sed

etiam

etiam illud τῦ ἔθνυς adjiciendum non erat. Nunc quum dicit ὁσίων ἔθνυς, non corpus, sectam, aut collegium intelligit, sed omnes pios, qui partes Judæ Macchabæi, non factionem nequissimi hominum Alcimi sequebantur, sive Pharisæi, sive Essæi, sive δημοτικοὶ essent. Præterea si apud *Josephum* ὅσιοι restricte, ut *Serarius* loquitur, h. e. substantialiter, non accidentaliter caperentur, necessario ἀγαθοὶ quoque aliam sectam constituerent. Quis non animadvertit hominis cæcitatem, qui nihil nisi hæreticos, novatores, & alia Societatis auttoramenta crepat?

III. Pergit *Drusius* lib. III. c. 9. *Sed illud* (ait Serarius) *in* Drusio *ridiculum* II. *quod si* חסיד, *inquit*, *eum qui plus facit*, *quam lege teneatur*, *significat*, *tum melius redditur a nuperis interpretibus* benignus, *quam* pius, *aut* Sanctus. Hic percommode venit in mentem mihi: *Homine imperito nihil quicquam iniquius*, *qui nisi quod ipse probat*, *nihil rectum putat*. Salomo ait. *Ludus est stulto designare scelus*: Et *Serario* ludus est ridere bonam sententiam: *Grammaticum est* (inquit) *explicare cur* חסיד *melius vertatur* benignus, *quam* pius *aut* sanctus. LXX. *hoc interpretes non credunt*, *qui* חסידים *ὁσίυς vertunt*. Imo ad theologum hoc proprie pertinet. Nam ejus est interpretari ex originali lingua sacras literas. Dicat ergo *Serarius* Alpha theologorum, cur Hasid potius pium denotet aut Sanctum, quam benignum? An quia senes reddunt ὅσιον? Sed iidem חסד interpretantur ἔλεος i. e. misericordiam. *Jerem.* III. כי חסיד אני LXX. reddunt: ὅτι ἐλεήμων ἐγώ. Quid differant חסיד & צדק & משפט docet autor *More* part. 3. cap. 53. Ergo חסיד quoque misericors. Sunt interpretes qui eandem vocem transferant benignitatem. Ergo חסיד benignus, sive ut est apud *Santem*, beneficus. *Quamdiu præstamus* (inquit *Seneca*) *quod a nobis exigi solet*, *officium est*; *ubi plus quam debemus*, *beneficium*. *Beneficentia ex voluntate præstatur*, *non ex officio*, *aut imperio*. Sic dico: Beneficentia sive benignitas dicitur cum is dat, qui potuit sine reprehensione non dare; sive quod quis dedit, cum illi liceret & non dare. Nam quædam sunt quæ leges nec jubent, nec vetant facere. In his est materia beneficii. Quid aliud חסד si credimus Hebræis? In sententia Patrum: *Qui dat* & *curat*, *aut vult ut alii etiam dent*, *vocatur* Hasid. Quid hic חסיד aliud quam benignus? Nam pius esse potest, etiam, qui hoc non facit. Nam qui pietatem ac religionem colit, proprie ὅσιος id est pius dicitur. Commentatorum unus ad hunc locum. *Justus accuratam curam gerit suorum factorum bonorum*. *Qui de aliis etiam talem curam habet*, *vocatur* Hasid. Aliter: *vocatur* Hasid, *qui stabilit retributionem beneficiorum*. & *etiam vult ut dent alii*: *similiter stabilit illud*: Diliges proximum tuum sicut te ipsum; *quod est mandatum universale magnum in lege*, *quo quis stabilit legem totam*. Rursum in *Aboth* cap. 5. *Qui dicit meum*, *tuum est*, & *tuum tuum estt*, *vocatur* Hasid. Ibidem habetur. *Qui vult esse* Hasid, *debet rata habere verba patrum*, *quamquam hoc ex definitione justi*· *Nam* Hasid *sibi cavet magis*, & *accuratius observat præcepta*, & *facit plusquam oportet*, *aut quam æquum est*. In prologo libri *Juchasin*. *Non vocatur* Hasid *nisi qui liberaliter confert*, & *quasi prodigus est de suo*. Et Hasid *non debet parcere bonis suis*. Hæc clare ostendunt veritatem sententiæ meę, & simul arguunt vanissimę vanitatis *Serarium*. Deus quoque *Hasid* dicitur, non tantum quia clemens & misericors est, sed etiam quia benignitatem exercet in omnes creaturas suas. Vide *Psal.* 145. 17. Vocatur etiam in abstracto חסד quia fons est omnis benignitatis, quam eos, qui Deos falsos colunt, *Jonas* propheta deserere ait II. 8. *Qui observant vanitates vanissimas*, *benignitatem suam deserunt*.

IV. Dubitavi aliquando (inquit *Drusius*) de Hasidæis Machabæorum. Nam fuit tempus, cum existimarem significari peculiariter Pharisæos, quorum summa erat inter Judæos auctoritas. Post mutavi sententiam, & scripsi eo loco in genere significari omnes pios, nempe quos Ebræi חסידים appellant, & *Josephus* ὁσίυς τοῦ ἔθνυς. Hi omnes sapientès erant, & in his summi Pontifices, ut Ismael Phabi filius qui in *Juchasin* magnus Sacerdos, & Hasid, i. e. Hasidæus aut pius fuisse dicitur. Similiter Eleazar filius Harsum Hasidæus erat & Pontifex undecim annis, qui vixit Antigoni Sochei tempore. *Juchasin* fol. 15. pag. 1. *Hasid* etiam vocatur Hyrcanus rex is, quem Herodes occidit, & Mariamne Herodis uxor vocatur patur Hasida, i. e. Sancta, vel pia, vel certe Hasidea. Sunt qui dicant Sedekiam regem fuisse חסיד גדול Hasidæum magnum. Pesiktha fol. 46. col. 2. In summa primi erant Judæorum. Hanc sententiam ita impugnat *Serarius*, ut dicat Haridæos non universum pios Israelitas omnes qui Hierosolymis tunc erant

erant appellari; ſed certos tantum quibus proprius tunc præ aliis nomen: Recte: Nec ego dixi omnes Iſraelitas pios, qui tunc Hieroſolymis erant: ſed adjeci: *Quos in hiſtoria Hebraica* חסידים & in *libro Machabæorum* Haſidæos *vocari diximus*, nempe quos *Joſephus* appellat ὁσίους τοῦ ἔθνους. His verbis excludo primum plebejos, juxta dictum illud: *Populus terræ non eſt Haſid* i. e. pius aut Haſidæus. Deinde inter ſectas excludo eos, quibus hoc nomen non tribuitur. Nam non tribuitur omnibus. Non ergo nomen eſt peculiare alicujus ſectæ. Quamquam dubito an ex Sadducæis aliqui Haſidæi fuerint, & magis inclino in negantem ſententiam. Qua de re dicam alias. Viderit nunc *Serarius* utrum ego in magno errore ſim, an ipſe, qui mentem meam non intellexit, ac proinde aerem verberat dum me oppugnat. *Aſtuce vero* Druſius τοὺς *in* Joſepho ἁγίους *diſſimulavit ſolorumque* τῶν ὁσίων *meminit*, *ut iis generatim viderentur impii opponi*, ſicque *generatim pii omnes intelligerentur*. Quomodo diſſimulavi τοὺς ἁγίους, qui in *Joſepho* nuſquam extant comparent? Unica tantum editio Græca mihi viſa, quam *Frobenius* excudit. In eo habetur ἀγαθῶν, non ἁγίων. Adducam ipſamet nulla fidei meæ cauſa. Ὁρῶν δὲ τὸν Ἄλκιμον ἤδη μέγαν ὁ Ἰούδας γενόμενος καὶ πολλοὺς διεφθαρότα τῶν ἀγαθῶν, καὶ ὁσίων τοῦ ἔθνους. Si ea mihi mens fuiſſet, quam vult *Serarius*, tum profecto nomen ἀγαθῶν omittere non debuiſſem. Contrarium teſtabitur me ſenſiſſe unus liber Haſamonæorum a me in Latinum ſermonem olim converſus. Coger eadem ſæpe repetere. Cogit me *Sorarii* loquacitas καὶ πολυλογία. Pag. 243. ait: *Ideoque nihil ſupereſt jam aliud*, *quam ut complexionem hanc inſtituam*: *Haſidæi fuerunt cum eſſent Machabæi*: *Et ii neque erant in genere pii*, *neque in ſpecie Phariſæi*, *multo minus Sadducæi*: *Eſſeni ergo fuerunt*. Antea probavi Phariſæis ex fuiſſe qui Haſidæi, i. e. חסירים vocarentur. In his Aquiba præceptor Aquilæ Pontici: Poſſem ergo hujuſmodi complexionem contra inſtituere: Haſidæi fuerunt cum eſſent Machabæi; & ſi neque peculiariter Heſſæi erant, neque Phariſæi: Ergo in genere Haſidæi erant, qui pietate præſtabant, & excellebant inter ſapientes certis quibuſdam ritibus, & ceremoniis inter ſe devincti. Subnectit *Serarius* Hyrcanum vocari Haſid Generali notione, quemadmodum ibidem vocatur Saddic, i. e. juſtus: *Ita ut male* (inquit) pag. 34. *a* Druſio *vertatur Haſidæus*, *nec bene grandiuſcule ſcribatur Pius Serarium* non novi: Forte ſenex perſpiccillo uſus eſt, cum mea legeret, ex eo genere quod literas grandiores facit. Nam nulla ibi jus *pius* litera grandiuſcula, ne quidem pag. 41. ubi verba *Gorionidis* ex Hebræo in Latinum converti: Aut forte libido mentiendi eum coegit hoc ſcribere: O auguis, o vipera. Sed unde ſcit, aut quis ei dixit, Hyrcanum non fuiſſe Haſidæum? Nam vocatur חסיד & id nomen non tribuitur promiſcue omnibus. Multi juſti ſunt, qui tamen non ſunt pii, i. e. Haſidæi. Jam vero plus eſt pium eſſe quam timentem Domini, licet per timorem Domini ipſa pietas innuatur. Quæro num a *Serario*, qui me tam multa interrogavit, qua notione putet accipi debere hoc nomen in *Juchaſin*, quo in loco auctor ait: *Tunc Judas circumcidit Haſidæos* i. e. החסידים? Et an ibi non poſſit verti *pios*? Et an ſolos Heſſæos circumciderat? Vide ſupra, quæ dixit *Scaliger* de Haſidæis in libro *Macchabeorum* memoratis.

V. Cap. 14. lib. III. pergit *Druſius*. *Aſſerit hiſtoricus unus Hebræorum liber*, *qui* Juchaſin *nominatur Heſſenos Nazaræos eſſe*. Verba ſunt *Serarii* lib. 3. cap. 8. Autor libri illius eſt *Abraham Zachuth* Salmaticenſis a me ſæpe nominatus. Is non aſſerit Heſſenos Nazaræos eſſe, ſed vocat eos נזירים i. e. Naziræos, vel Nazaræos, quæ vox ſignificat ſeparatos, ac ſanctos, ſive ut interpretantur LXX. ἡγιασμένους. Quo ſenſu vocari etiam poſſent פרושים i. e. Phariſæi. Nam & ea vox ſanctum aliquando denotat. Quod non aſſerat Naziræos eſſe vel ex eo liquet, quod eorum parentem faciat Judam Galilæum. *Primus* (inquit) *autor & inceptor Heſſenorum erat Judas Galilæus*. Deinde ſubnectit. *Et iſti fuerunt cauſa rebellionis Judæorum contra Romanos*. Quomodo ergo Naziræi eſſe potuerunt, ſi tam recens eorum initium? Nos ſcimus antiquiores eſſe, nec dubitamus quin alii fuerint Heſſeni a Naziræis, cum amborum diſtinctis nominibus mentio fiat apud autores. *Scaliger* cap. XXIII. Elenchi Trihęres. Cap. 8. (inquit) Eſſenos Naziręos fuiſſe *Abraham* quidem *Zacuth* autor libri *Juchaſin* ſcribit in lemmate operis ſui. והנזירים הנקראים אשינוס & *Naziræi*, *qui dicti ſunt Eſſenos*. Ubi duo inſignia errata in nominibus. Primum illo Eſſenorum quod a Latinis accepit, deinde Naziręorum, quod nequaquam Eſſenis attribui poteſt, quum Naziręis neceſſitas ex lege incumberet templum ingredi, a quo

quo Esseni excludebantur. Sed nullus Judęus scriptor pręter hunc *Abraham Zachuth* Essenorum meminit; & omnino ejus sectę ignoratio, aut saltem silentium magnum est in eorum omnium libris. Sed librum illum *Juchasin* non legit *Serarius*, neque profecto intelligeret, si in manus sumeret. Aliter ab Ebraismo paratum esse oportet, quam *Serarium*, qui illum librum se postulet totum intelligeret.

VI. An Jacobus Apostolus Hessenus fuerit inquirit cap. xv. *Drusius*. Ridiculum est (inquit) quod scribit *Serarius* pag. 252. Verisimile videri S. Jacobum, antequam Apostolus esset, Hessenum fuisse, idcircoque κατ᾽ ἐξοχὴν vocatum fuisse justum (Chasid) ut eodem loco refert *Eusebius*. Agnoscis opinor, tua verba, *Serari*, in quibus *justum Chasid* interpretaris, ut etiam pag. 246. *Horum alteruter vel ex iis certe fuit Rechab, qui a* Suida ὁ δίκαιος *dicitur, Hebraice Hasid*. Id tibi explicandum relinquo; ego certe non capio; Davus suum non Oedipus. Nam Hasid non significat justum, sed sanctum ac pium. Si tantopere delectaris vino veteri, quare nunc præfers novum? Nam ante te nemo ita interpretatus est Hasid, & Hebræi aperte distinguunt, ut alibi docuimus. Cui firmando *Abraham Zachuth*, quam supra nominavi. *Si libri titulum fecissem* liber justorum, *minuissem gloriam Sanctorum*, i. e. Hasidim, *qui sunt pro certo sapientes. Nam populus terræ non est Hasid*. Ecce haud obscure innuit duo. Primum Sanctos, vel Hasidæos omnes sapientes esse: deinde plus esse si quis alium Hasid, id est Sanctum aut pium appellet, quam si dicat eum Saddic, id est justum esse. Atque hæc sunt illa magna & gravia, de quibus in principio libri tertii. *Sed quia de his* (inquit) *non minutiora tantum, cujusmodi fere sunt, quæ a* Drusio *perstringuntur: sed magna etiam & gravia, quæ ad Christianæ religionis decus, & ornamentum spectant, quæri solent, bipartita mihi eorum erit explicatio*. *Scaliger* cap. XXXI. Et quid non illi suasit *Eusebius*, aut quid non ipse somniavit, Jacobum Christi Apostolum Essenorum principem fuisse? Dolet mihi ab aliquo novatore non dictum. Quæ non cruces, quæ non fidiculæ illi temerario dicto castigando adhibitæ fuissent? Jacobus Christi Apostolus princeps Essenorum? Itane o *Serari*? Cur non etiam Christus Essenus, siquidem ὑπὸ τῆς ἁγνείας Jacobus Essenus judicatus? An Jacobi ἁγνεία major quam Christi? Ubi sunt indices expurgatorii, qui hanc hæresin expungant? Cujus ἁγνεία maxima est, ille princeps est Essenorum. Jacobi ἁγνεία maxima est: Ergo Jacobus princeps Essenorum. Cujus major est ἁγνεία, quam alterius, ille potius Essenus dici debet quam ille; Christi major ἁγνεία fuit, quam Jacobi. Ergo Christus potius Essenus dici debet quam Jacobus. Quod felix faustumque sit, & Jacobus & Christus Esseni fuerunt. Hoc profecto ego nesciebam, quæ est incitia mea. Et cur non potius Simon Zelotes Christi discipulus fuerit Essenus, quam Jacobus? Nam sine dubio fuit τάγμα corpus quoddam ζηλωτῶν ἁγνείᾳ τινὶ προσκειμένων: *Zelotarum sanctimoniæ cuidam incumbentium:* Quod quidam τῶν ζηλωτῶν nomen indicat.

CAPUT XIV.

I. *An Hesseni Rechabitæ?* II. *An Samaritæ?* III. *An Cœlicolæ?* IV. *An Sicarii?* V. *An Monachi?*

I. HEssenos (inquit *Drusius* lib. III. cap. 17.) Rechabitas esse, & post Ægyptiacum exodum cœpisse scribit *Serarius*, nihil de eo etiam dubitans. Testes pro se adducit duos. Prior est *Suidas*; posterior *Nilus*, qui Ascetici principio scribit Judæos a Jonadab oriundos Hessæos appellari: Suidæ verba sunt: ἐσσαῖοι Ἰουδαῖοι ἀσκηταί, πρόγονοι Ἰωναδὰβ υἱοῦ ῥιχὰβ τοῦ δικαίου. Quæ si vera tunc majores sive decessores Jonadabi fuerunt Hessæi. Hoc primum: deinde secta illa fuit antiquissima, cum ante Simeonem justum nullæ sectæ memorentur. De Rechabitis *Jerem.* XXXV. 5. *Posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum: Qui responderunt. Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos & filii vestri usque in sempiternum: & domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis; sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris*. An hæc omnia Hessenis conveniant, viderit *Serarius*. Primum enim Hesseni non habitabant in tabernaculis; deinde agriculturæ operam dabant; postremo Rechabitarum certæ familiæ nomen erat, non sectæ. Quocirca ἐπέχω. Præstat suspendere judicium, quam temere assentiri aliis. *Scaliger* cap. XXIII. Cap. 9. *Esseni an Rechabitæ? Suidas*: ἐσσαῖοι πρόγονοι Ἰωναδὰβ υἱοῦ Ριχὰβ τοῦ δικαίου. Hic iterum pædagogulus cum contumelia virum

rum omni exceptione majorem appellat, quo neque probiorem, neque Græce eruditiorem sua ætas tulit, in cujus libris nullum maledicentiæ, aut æruginis Zeloticæ vestigium impressum extat, qui tam bene de literis meritus est, ut si nullo alio nomine, eo tamen, quod ejus beneficio tot scriptores Græcos habemus, dignus erat, cujus ratio quędam haberetur. Sed quid hoc exigimus ab iis, qui summam laudem in maledicentia posuerunt? Eadem Sycophantia hęc in eundem præstantissimum virum, quæ supra de loco ejusdem *Suidæ* ἐκ διαμέτρου pro τῆς ἐπιμέτρου. Non hic quoque pro πρόγονοι, quod ridiculum est, *Wolfius* legit ἀπόγονι. Nam enim aliter debuit. Nam omnes veteres scriptores Ecclesiastici ἀπογόνους Ἰωναδὰβ τοῦ Ῥιχαβίτου dixerunt, non προγόνους, quod uno flagro castigarii non potest & mirum est doctorem Theologum tantam absurditatem in verbis *Suidæ* non animadvertisse. Vide quid facit δοκησισοφία quid τῦφος ζηλωτικός, quid aliorum contemtus. Non potest dici quantum temporis dispendium toto hoc capite factum sit, in quo inscitiam magis mirer an temeritatem, nescio. Quæ enim major inscitia, quam ex eo loco *Suidæ* depravato adversus omnes veteres Ecclesiasticos velle colligere Rechabitas ab Essenis ortas esse? Quid hoc est nisi φρενῖτις, aut παράπληξις? Certe pater prior est filio; ideo dicendum foret πρόγονοι Ῥιχὰβ πατρὸς Ἰωναδὰβ non autem πρόγονοι Ἰωναδὰβ υἱοῦ Ῥιχὰβ. Quis aliter loquitur? Sequitur: *Probatum est Essæos Hasidæos esse*. Non potuit probare: Et præterea hæc somnia eluduntur iis, quæ proximo capite de Hasidæis disputavimus, ubi probamus Pharisæos esse patriarchas Essenorum. Ambo sunt פרושים. Sed ἀκριβέστεροι οἱ ἐσσηνοί. Sic de Carthusianis, & Cistercienfibus dici potest, qui profitentur se esse Benedictinos. Tamen quum in historiis legimus mentionem Benedictorum fieri, per eos intelligi semper aut Cistercienses, aut Carthusianos, hoc esset delirare. Eodem modo Pharisæi ab Hasidæis orti, Esseni a Pharisæis, propterea Hasidæos pro Essenis intelligendos esse nunquam concedet, nisi qui ea, quæ genere distincta sunt, inter se permiscere velit. Essenos vero Rechabitas esse, quod commentus est *Serarius*, satis eluditur iis, quæ diximus; eludentur illis quæ dicentur postea. Pag. 246. (hujus edit. pag. 150.) *Rechabitas cœpisse jam inde ab Exodo, eosdemque esse, qui* Judicum *cap. primo* Cinæi *vocantur, orti a Moysis socero Jetrone, ipsiusque filio Hobab, de quo* Num. x. Hæc *Serarius*. Cenæi sunt vetustissimi populi. Cenæi est familia in tribu Juda, progenita quodam Keni de posteritate Mosis soceri Madianitæ, qui Hobab & Jethre dictus est: Populus semper numero singulari cum articulo הקיני Kenæus *Genes.* xv. 19. *Num.* XXIV. VI. I. Samuel. xv. 6. Quum significat familiam, pluraliter enumerari debet הקינים. Unus vero ex ea familia, in singulari הקיני quemadmodum & quum populum denotat. Sed sine articulo significat קיני autorem generis, quod habet formam nominis Gentilitii potius, quam proprii. Et certe non קיני sed קין proprie vocabatur *Judic.* IV. II. & dicitur esse de posteritate soceri Morte Judic. I. 16. ita intelligendum: *Filii Keni* (*de filiis*) *soceri Mosis*. Mosis enim socer non dicebatur Keni, sed Jecthro, & Hobab. Proprium igitur nomen ejus erat Ken, vel Kain, scriptura vero etiam, ut diximus, Keni vocat. Sed mirum populum הקיני verti a Paraphraste Chaldaico שלמאי *Salmæi;* nomen autem proprium Ken, aut Keni שלמאה *Salmæum*. Sic enim *Judic.* I. 16. ובני קיני *Thargum* ובני שלמאה *& filii Salmæi* καὶ υἱοὶ τοῦ Σαλμαίου. Eodem IV. II. וחבר הקיני נפרד מקין. *Thargum* וחבר שלמאה אתפרש משלמאי χέβερ Σαλμαῖος ἀφωρίσθη ἀπὸ τῶν Σαλμαίων. *Et Heber Salmæus separatus est a Salmæis*; quasi קיני aut קין sint nomina loci, non autem propria. Certe קיני habet formam & desinentiam nominis paragogici, non proprii. Propterea recte Salmæus verteretur. Sed Kain est mere proprium. Quare igitur pro Gentilitio sumitur. *Genes.* xv. 19. pro populo הקיני, *Targum* שלמאה Salmæus. Non possum satis mirari. Nam de populo non puto erratum, de nomine proprio, & de familia ab eo deducta major admiratio incessit, quomodo nomen proprium eodem nomine exponatur, quo populus. Sed quia nunquam efficies, ut nomen proprium sit nomen populi, propterea ego non dubito, errare Paraphrasten Chaldæum uti in multis aliis. De ista igitur Kenæorum familia, de quibus *Judic.* I. 16. ita scribit *Salomo*. Ab urbe Palmarum. Urbs *palmarum est* Jericht. *Quia illis* (Kenæis) *data est pinguedo, siveuber ut vescerentur ea, donec ædificaretur domus Sanctuarii; & quicunque ædificaturus esset domum electionis* (Sanctuarium) *in partem suam acciperet eam, ut omnis Israel partem haberet in domo electionis. Quare dederunt eam filiis Jethro quadringentos & quadraginta annos.*

Discipuli vero, qui inter eos erant, reliquerunt eam, & iverunt ad Othoniel filium Kenez, qui & Jabets, in desertum Judæ, quod est ad meridiem ad discendum legem. Rursus. *Et habitavit populus cum discipulis, qui habitabant ante eum. Ipse postulavit a Deo benedicto uti præpararet sibi discipulos commodos; quia dictum est*; Et clamavit Jabets ad Dominum &c. & præparavit illi Sanctos (חסידים) illos, *nimirum Kenæos, de quibus institutus erat sermo*. Sed quod ait Rabinus ille de Othoniel cognominato *Jabets* fateor me nescire. Nam 1. *Paral.* IV. 9. 10. nihil tale de eo. De Kessæis autem uno verbo dicam, nihil certi postea pronunciari ex scriptura præter ea, quæ Judai ex sua Kabbala afferunt, cujusmodi sunt quæ ex Salomone adduximus. Et frustra hic æstuat *Serarius* in origine Rechabitarum, quam repetit ab Essenis ipsis, ab exodi usque temporibus, cujus rei ne tenuis quidem suspicio in scriptura extat. Nam conjecturas omnes rejicimus. Ridiculum vero quod in verbis *Suidæ* Ριχὰβ δίκαιον interpretatur חסיד, quasi Hasid sit δίκαιος, quod est falso falsius. Sed nugatur *Suidas* cum quibusdam veteribus, qui Rechabitas a Rechab, non autem ab ejus filio institutos volunt. Cap. XXXV. *Jeremiæ* perspicue dicitur Jonadab Rechabitem præcepisse filiis suis vinum non bibere, urbes ac hominum coetus aversari, in tentoriis habitare. Itaque Jonadab non Rechab autor ut illius instituti, ut etiam quidam veterum Ecclesiasticorum recte monuerunt pag. 246. (hujus edit. pag. 150.) *Kinæos 6. pietatis ac virtutis studia insigniter excoluisse patet ex* Judic. 1. & IV. Negamus ullum illius rei vestigium extare, sed tantum interpretationes & somnia Salomonis, & aliorum recentiorum Rabbinornm. Locum 1. *Paral.* II. 55. cum malit citare ex Latino lnterprete, non aliam causam video, nisi propter argumentum susceptum, quod quum si falsum, non potest nisi per falsa probari. Recte illum locum Græcus interpres reddidit, nisi quia כופרים retinuit, & nomen familiæ putavit: κὴ υἱοὶ Σωφηρὲν τῶν κατοικούντων Ιαβὶς, θαραθὲμ, Σαμαθὲμ, Σουχαθὲμ· οὗτοι οἱ κιναῖοι οἱ ἐλθόντες ἐξ Αιμὰθ πατρὸς οἴκου Ρηχὰβ. *Et filii Sepherim habitantium Jabis, Tharathæi, Samathæi, Suchathæi. Hi sunt Kinæi, qui descendere ex Æmath patre domus Rechab*. Kinęi igitur progeniti sunt ab Amath autore familiæ Rechab. Ergo Amath est progenitor utriusque familiæ, & Kinæorum & Rechabitarum. Quod si Rechabitæ abstemii, & ἀσκηταὶ erant, non ideo sequitur abstemies & ἀσκητὰς Kinæos fuisse. Quin nec omnes Rechabitæ ἀσκηταὶ, sed progenies tantum Jonadabi Rechabitę. Nam Rechabitæ est gens in qua multæ familiæ, in quibus Jonadabitæ, ut in gente Cornelia erant plusquam 30. familiæ, quarum si una aliquod sacrum faceret, illi totam gentem obligatam fuisse non sequitur. Erant enim Sacra gentilitia communia gentis familiaritia propria unius familiæ, ut Jonadabitarum proprium fuit abstemios esse, & in tentoriis vivere, non reliquarum familiarum gentis Rechabitarum. Quare insignis error est putare omnem gentem Rechabitarum idem quod Jonadabitas fecisse. Quare vero asininum & vere Judaicum illud ex libro traditionum, quam non vidit, sed a *Genebrando* citat *Serarius*, homine tam modesto, quam ipse, & minime maledico, in loco proxime citato Ιαβὶς, sive *Jabets* esse nomen Doctoris; ut hoc modo οἱ οἰκοῦντες Ιαβὶς sint οἱ οἰκοῦντες ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Ιαβὶς: & non pudet eum hæc citare potius, quam reprehendere, quum sint Judaica & anilia tam mehercule quam Othonielem cognominatum fuisse Jabes, quod supra ex *Salomone* adducimus. Quis sanus dixerit; Ego habito Jabetz, pro eo quod est in ædibus Jabetz? Neque enim hic locum habet locutio illa. *Cænavi in Crassipedis Martialis*.

Hanc in lautorum mandere sæpe soles.

Major asinitas est pro Tirathæis, Simathæis, Suchatæis, quæ sunt nomina familiarum e locis derivata, *canentes, in tabernaculis commorantes* interpretari; quasi תרעתים sint tanquam תרועתים, quo quid stolidius est? Certe neque a סוכה quod est tabernaculum, ullus fecerit שוכתי, tum quod alia prorsus radix est, quæ cum altera nullam cognationem habet, nam magis quam arbor cum equo, tum etiam quia a סוכה fieret Hebraice סוכי ut a כותה fit כותי. Quod compendium Rhetorices Societatis eum a sibilis Grammaticorum tueri potest? Itane שוכה est סוכה dic flagellum horridum novatorum, scopulus hæreticorum? Hoc solum satis est ad indicandam Hebraismi peritiam. Ab illo tam stulto mendacio tabernaculorum astruit suos Essenos aut Hasidæos in tentoriis habitantes. Jam minum instruxit, nihil deest præter scenam, ubi histrio agat. Pag. 249. (hujus edit. pag. 152.) *Videtur Hammath esse Rechab*. In Hebraico est מחמת אבי בית-רכב *Ab Hammath patre familiæ Rechab*. Si ut *Serarius* argute colligit, Hammath est idem cum Re-

Rechab, quia familia Rechab eſt a Rechab, & Hammath eſt pater ejuſdem familiæ, ergo Maon pater familiæ Sur erit idem cum Sur, quia familia Sur eſt a Sur, & Maon eſt pater ejuſdem familiæ. Eodem 45. ומעון אבי בית צור *& Maon pater familiæ Sur*. Quid aliud prædicare debemus de doctore Theologo, quam ſummum Logicum eſſe, ſummum Grammaticum unicum magiſtrum? Rurſus: *Cujus pater proximus ſit Jonadab, de quo* 4. Reg. x. 15. *remotus Rechab, qui Jonadabi pater*. Atqui is Rechab pater Jonadabi vivebat tempore Athaliæ, aut Ochoziæ regis Jeuda, a quo ad excidium templi anni ſunt 298. Apud *Jeremiam* verſ. 35. diſerte Rechabitæ loquuntur de Jonadab tamquam patre ſuo, qui præſens præſentibus auſteram, nuperam, & novitiam victus regulam præceperit. Neque vero quis dicat ibi patrem more Hebræorum pre octavo, aut quovis vetuſto autore generis capi, quemadmodum dicitur ipſe Jonadab filius Rechab, id eſt pronepos, aut progenitus. Nam ipſimet dicunt patrem ſuum Jonadab ſibi ipſi hanc auſteritatem victus præcepiſſe. Præterea ille Jonadab qui 2. *Reg.* x. 15. occurrit regi, neque in tentoriis habitabat, quum obviam venerit regi, neque homo quieti inſtituti videtur fuiſſe, quum rex ab eo quærat, an ejus cor ſit rectum & pacificum erga ſe; ut homo militaris ſine dubio fuerit, & ideo propter ejus dignitatem collocaverit eum in curru ſuo. Sane hæc non conveniunt ἀσκητικῷ βίῳ. Sed ita eſt: Iſte Jonadab filius Rechab dicitur, tanquam pronepos, & ille cujus mentio apud *Jeremiam*, autor caſtimoniæ victus, eſt ab eodem progenitore Rechab. Sed in eadem gente quis dubitat multos ejuſdem nominis fuiſſe apud Hebræos, ut apud Græcos & Romanos? Nepos Aharonis eſt Phinees, in ejus poſteritate eſt alius Phinees filius Eli. 1. *Sam.* 1: in eadem poſteritate alius Phinees hypocrita. *Epiphanius* pag. 23. in Oſſenis. De hoc nemo dubitat. Igitur ille Jonadab Rechabita apud *Jeremiam* verus pater erat eorum, quos ad ſe vocavit *Jeremias*, & illi pocula vino plena antepoſuit. Temporibus ergo *Jeremiæ* illa ſevera regula inſtituta, de qua an intra filios conſtiterit, an & poſteri in exilio Babylonico, quod ex *Jerem.* xxxv. 19. quis colligere poſſit, eam obſervarint, infra dicetur. Concidit ergo, concidit vanitas vetuſtatis Kinæorum, & Rachabitarum, & quod abſurdiſſimum omnium eſt, Eſſenorum, quos acumen *Serarii* patriarchas fecit tam Kinæorum quam Rechabitarum. Kinæorum fuiſſe inſtitutum auſterum, ex ſomniis tantum Rabinorum colligi poteſt, ex Scriptura ne minimum quidem. Rechabitas vero fere eodem tempore cæpiſſe, & deſiiſſe, veriſimile eſſe, quia in exilium deportati ſunt poſt caſum Sedekiæ. Tamen de hoc amplius infra dicetur. Sane eorum originem non antiquiorem repeti poſſe, quam a Joſiæ, aut Manaſſis ultimis regni annis, certo certius eſt. Jam profecto valde timere vetuſtati Monachiſmi incipio, quem ab Exodo uſque acerrimus ejus vindex *Serarius* deducit, & pro cujus dignitate a Novatorum oppoſitionibus aſſerenda tanti fecit mentiri, ut nullum non riſum ex Novatoribus a ſe deprecetur, modo id Cercopithecis, aut Cercopibus perſuadere poſſit. Ibid. *Legitur in* 70. Ρηχὰβ *pro curru* Judic. 1. 19. Hebraica lectio. כי רכב ברזל להם: Septuaginta: καὶ ἅρματα σιδηρᾶ αὐτοῖς: Et alia lectio ſpuria ibi infarcta: ὅτι Ρηχὰβ διεστείλατο αὐτοῖς. Eſt ergo duplex lectio, genuina, & ſuppoſitia, quam *Theodoritus* agnoſcit, ἐν τοῖς ἀπόρεις, in eum locum: τοῦ Ρηχὰβ ὡς εὐσεβοῦς ἄγαν πολλαχοῦ ἡ θεία μνημονεύει γραφή. *Rechabi ut religioſi admodum frequenter ſacra Scriptura meminit*. Μνημονεύει quidem, ſed non ὡς εὐσεβοῦς. Pronepotis ſane ejus Ἰωναδὰβου meminit ὡς εὐσεβοῦς, non autem Ρηχάβου. Quod ſtulte quidam Rechab ſocerum Moſis eſſe putarunt id ut facerent, perſuaſi ſunt loco 1. *Paral.* 11. 55. quia ibi Kinæorum & Rechabitarum mentio. Kini autem eſt ſocer Moſis. Omnia fatilia & nugatoria. Nam neque Keni vocatum eſſe ſocerum Moſis oſtendimus quamvis colligant ex *Judic.* 1. 16. Pag. 251. (hujus Edit. pag. 153.) Conatur verba *Plinii* cum verbis Dei apud *Jerem.* xxxv. 19. conciliare, & alterum per alterum confirmare: *Per ſeculorum millia gens Eſſenorum æterna eſt*. Verba Dei: *Non deficiet vir de ſtirpe Jonadab &c.* Jam probavimus tunc primum illam ſectam ortam, & nihil magis novitios ejus ortus oſtenderit, quam verba ipſa Dei. Nam dicit in ea ſtirpe ſemper aliquem fore, qui coram ſe miniſtrabit, tanquam antea hoc non fuerit. Nam illud עומד לפני *Stans coram me*, interpretatus eſt Chaldaicus Paraphraſtes משמש *miniſtrans*. Hoc non poteſt dici niſi περὶ τῶν ἐν τῷ ναῷ λειτουργούντων. Ibi *David Kimchi* citat ex *Rabbi* Juda. *Rabbi Juda dicit; numquid legitur*, congregantur in templo? *Atqui Iſraelitæ nonne etiam ipſi congregantur? Sed hac dictum, quia ſedebant*

in

in Synedrio , & docentes verba legis . Sunt etiam qui dicunt. Filiæ corum nubunt ſacerdotio (ſacerdotibus) & erunt ex nepotibus eorum offerentes ſuper altare. Utraque expoſitio ridicula : Prior , quia ſtare coram Deo, quod de templo dictum eſſe manifeſtiſſimum , eſt non eſt, ſedere in Synedrio , & legem docere ; ut taceam plumbeum ſtuporem , ſtare & ſedere eſſe contraria. Puerile & nugatorium. Altera, quod tametſi poſteritas ex filiabus Rechabitarum , & filiis Sacerdotum ſint Sacerdotes, tamen hoc non pertinet ad Rechabitas. Non enim offerent qua Rechabitæ, ſed qua Levitæ & filii Sacerdotum, quia genus maternum habetur pro nullo . Sic *Abraham Zachuth* משפחה אם אינה קרויה משפחה *familia matris non vocatur familia*. Quid ergo ? Ceſſabit verbum Dei ? Abſit ut putemus . Locus eſt inſignis. Significat ab eo tempore inſtituta fuiſſe primordia corporis Haſidæorum, qui quotidie offerebant in templo, & ab eo unquam recedebant . Per ſe autem non offerebant (non enim erant Sacerdotes) ſed Sacerdotes eorum nomine & quotidie victimas immolabant, ut in Miſna ſcriptum eſt in fine כריתות his verbis citante *Abraham ben Zachuth* היה מתנדב בבא בן בוטא בכל הים אשם תלוי חוץ אחד אחר יום הכפורים וזה נקרא אשם חסידים המעון הזה : ἦν ἐκουσιαζόμενος Βαβᾶς Βυτᾶ ὁσημέραι κριὸν περὶ ἁμαρτίας ἀγνωμένης πλὴν μιᾶς τῆς μετὰ τὸν ἐξιλασμόν· καὶ τοῦτο κέκληται ὁ κριὸς περὶ πλημμελείας τῶν Ἁγίων, καὶ ὤμνυε κατὰ τούτου οἰκητηρίου (τοῦ ναοῦ). *Baba filius Butæ quotidie ſponte ſe damnabat ariete pro paccato ignorato præter diem unam, nempe poſtridie expiationum : Et hoc vocabatur victima Sanctorum pro peccato, & jurabat. Per hoc habitaculum, i. e. Templum*. Non ſolum iſte Baba offerebat , ſed μετὰ τῶν φρατόρων cum toto corpore Haſidæorum, quam confratriam vulgo vocant, Teutones inferiores *Gilde Broederſchap*. Hoc enim ſoli Haſidæi faciebant . Niſi enim iſte Baba fuiſſet ex illo Haſidæorum corpore non contribuiſſes ſumtus ad victimam ordinariam Haſidæorum . Ille erat ex ſtirpe Haſmunai, de quo nequis ſupereſſet, filios ejus extinxit Herodes, ut eſt apud J*oſephum* 475. Idem tamen Rabbinus non filios Babę interfectos, ſed Babam ipſum ait excęcatum ab Herode. Igitur filii Jonadab ſunt ii, qui Haſidęi poſtea vocati, neque a templo recedebant, & alia quę ſupra diximus de Haſidęis , faciebant : ut merito dictum ſit : *Non deficiet vir de ſtirpe* Jonadab *ſtans coram me* . Stare coram Deo nihil aliud eſt, quam miniſtrare & offerre Deo , & ſanctimonię operari in Templo, ut faciebat illa Anna προφῆτισσα apud *Lucam* , quæ ſpectabat regnum Dei . Hæc eſt vera origo Haſidæorum abſtermierum , qui vino carebant , quandiu a templo non recedebant , quemadmodum & Sacerdotes ipſi uſum vini abdicabant, donec in templo operabantur. Hoc ſi vocatur ſecta, omnes igitur , qui vino carebant , & omnem auſterum victum, caſtimoniam , ſanctimoniam , & coatus aliquos ſibi indicebant, erunt Sectarii. Quod hęc omnia non intellexerit *Serarius* , fidem faciunt illa ab eo collecta argumenta in quibus & tempus perdidit, & ſe deridendum lectori propinavit , pręſertim ubi dicit : *Quia non Jonadabitæ , ſed Rechabitæ vocantur, videtur Chammath eſſe ipſe Rechab*. Ineptam conjecturam de Hammath jam diluimus . Quare autem Rechabitę potius , quam Jonadabitę dicebantur , idem eſt quęrere , quare miniſtri templi Levitę potius, quam Kahatitę vocabantur. Et quid non impedit περιεργία, ubi mendacio latebra quęritur? Pag. 251. (hujus edit. pag. 153.) *Quid quod in S.* J*acobi Apoſtoli, qui Juſtus etiam appellatus eſt, nec patronus ei ſacerdos affuit Rechabita , uti refert ex* Hegiſippi lib. v. *Euſebius*. Non magis verum dixit ille *Hegeſippus*, quum hominem de tribu Juda ſacerdotem vocat, quam reliqua omnia, quę in actis paſſionis illius Sancti Apoſtoli exequitur: Quę a nobis diſcutiuntur in *Euſebianis*, ubi hoc temerarium dictum confutatur; quale illud ejuſdem : ἐς τῶν ἱερέων τῶν υἱῶν Ρηχάβ υἱοῦ χαράβεὶμ. (Ραχαβεὶμ) *Filius Rachab , filii Rechabitarum*. Hęc ſunt ad palatum *Serarii*. Rechab ergo aut filius Rechabtarum , δότε κρότον . Sic Levi erit filius Levitarum , Seleucus filius Seleucidarum. Pręterea quam ipſe *Hegeſiæ opus* dicat Jacobum fuiſſe Sacerdotem , & ingreſſum in Sancta Sanctorum , ab eo *Epiphanius* ſuſpicatur eum τὸ πέταλον geſtaſſe pag. 56. ἔτι δὲ καὶ ἱερατεύσαντα αὐτὸν κατὰ τὴν παλαιὰν ἱερωσύνην ἔρομεν. διὸ καὶ ἠφίετο αὐτῷ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, εἰσιέναι, ὡς, τοῖς Ἀρχιερεῦσιν ἐκέλευσε ὁ νόμος κατὰ τὸ γεγραμμένον . οὕτω γὰρ ἱστόρησαν πολλοὶ πρὸ ἡμῶν περὶ αὐτοῦ , Εὐσέβιος , καὶ Κλήμης, καὶ ἄλλοι (nempe Hegeſippus) ἀλλὰ καὶ τὸ πέταλον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξῆν αὐτῷ φέρειν, καθὼς οἱ προειρημένοι ἀξιόπιστοι ἄνδρες ἐν τοῖς ὑπ᾽ αὐτῶν ὑπομνηματισμοῖς ἐμαρτύρησαν . *Amplius etiam eum priſcum Sacerdotium adminiſtraſſe invenimus . Propterea etiam permiſſum ei fuit ſemel quotannis ſancta ſanctorum ingredi , quemadmodum ſummis*

Sacerdotibus lex injunxerat. Sic enim & ante nos de eo multi prodidere, ut Eusebius, Clemens, *& alii. Sed & laminam in capite gestare ei licuit, veluti prædicti fide dignissimi viri in suis commentariis testati sunt.* Quod Jacobus cognomine Justus Domini discipulus Sacerdos fuerit & illi non aliter, quam summo Sacerdoti in Adyta ingredi liceret, neque difficile est confutatu & nos in *Eusebianis* satis discussimus. Quod vero ait ab iisdem viris scriptum Jacobum τὸ πέταλον gestasse in fronte (quale summus Pontifex *Exod.* XXVIII. 36.) est σφάλμα μνημονικόν. Hoc enim de Johanne Apostolo, non de Jacobo ab eodem *Eusebio* relatum ex Epistola *Polycarpi* Christi Martyris: ἔτι καὶ Ιωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ κυρίου ἀναπεσὼν, ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς, τὸ πέταλον πεφορηκὼς, καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος. *Et quoque Johannes is qui in pectus Domini recubuerat Sacerdos fuit, laminamque gestavit, & testis, & doctor.* Neutrum concedet, qui sciverit nullum Christi Apostolum Sacerdotem fuisse, & nulli præterquam summo Sacerdoti πέταλον gestare licuisse. Et tamen vetustissimus, & Johannis Discipulus, & sanctissimus Episcopus & Martyr Christi fuit, qui hoc scribit. Quin impii & novatores vocabuntur, qui non credent. *Serarius* etiam absurditatem odoratus, qui mos est Societatis, ita defendit, ut quia in Rechabitarum disciplinam se tradiderit, Rechabita dictus fuit, quæ profecto ineptissima sunt, neque digna quæ confutentur. Infra Jacobum quoque δίκαιον appellatum dicit, quod δίκαιος sit *Chasid* eodem errore quo Rechab δίκαιον a *Suida* dictum legerat. De Essenis, quod pag. 258. (hujus edit. 157.) quæritur, quare eorum mentio nulla in Evangelio, aut Apostolicis scriptis, causam eam puto, quam alibi quoque attulimus, nisi quis meliorem afferat; quod in vicis a celebritate locorum remotissimis habitabant, solos tantum principes suos Hierosolymis habebant, in quibus fuit ille Ιωάννης Εσσαῖος apud *Josephum* Thamnæ præpositus lib. II. cap. 47. Capt. Item ille Ιούδας Εσσηνὸς qui prædixit mortem Antigoni apud eundem lib. III. cap. 19. pag. 405. Deinde quia minime ambitiosum genus erat, neque fraudolentum, ut Pharisæorum, neque impium ut Sadducæorum, propterea non erat Christo negotium cum illis. Pag. 259. (hujus edit. pag. 158.) Notet Lector *Hieronymi* μνημονικὸν σφάλμα, qualia multa apud illum insignem scriptorem. Nusquam enim in libris duobus, neque in priore, quo probatur ἀρχαιολογία Ιουδαϊκὴ neque posteriore, in quo confutantur calumniæ Appionis Grammatici, trium illarum sectarum meminit *Josephus*. Exsibilandum prorsus quod pag. 261. (hujus edit. pag. 159.) duo genera Εσσηνῶν facit τῶν μὲν τὸ γένος, τῶν δὲ τὴν αἵρεσιν. *Alia quidem genere, aliorum vero hæresi;* quia *Josephus* dixit Εσσαῖος ἦν γένος. Est pura puta inscitia. Nam dicitur γένος Εσσηνῶν, γένος φαρισαίων, γένος Σαδδουκαίων. An intelligendum de iis, qui non tantum hæresi, sed etiam natalibus Sadducæi, Esseni, Pharisæi essent? *Plautus* dicit *Cynicam gentem*, *ut Josephus* Σαδδουκαίων γένος. Ideone Cynicorum alios dicemus genere esse, alios instituto? O me cucurbitam, si Credidero. Cap. XI. citat ex *Benjamino* de filiis Rechab. Ego non dubito eosdem esse, quorum meminit *Jeremias*, præsertim cum Benjamin adjicit: הנקראים בני ריכב *ii qui vocantur filii Rechab*. Hoc enim modo indicat notissimos & celeberrimos fuisse. Nulli autem fuerunt præter illos, de quibus *Jeremias*. Sunt igitur ii ipsi. Sed in exilio Babylonico multum mutarunt a castigata illa regula, ut solet accidere iis, qui solum patrium verterunt. Nam profecto puerile est, quod non sine magna Hebraismi inscitia subjicit *Serarius*, non ab antiquo Rechab, sed a curru vocatos esse. רכב cum tzere pro quo in Benjamino Hebraico scriptum est ריכב est nomen proprium, nihil commune habens cum רכב *curru*: quid enim erit בני רכב *filii currus*? Quibus hæc probabit *Serarius*, nisi fungis, aut matulis? Quod ait propter promissum Dei apud *Jeremiam* Rechabitis fufactum oportere aliquot Rechabitas adhuc extare, eosque esse spiritu servientes Deo, id amplectimur; & verum est, atque adeo hactenus desiit nugari; neque enim sumus de illa schola, quæ nihil probare solet, nisi a sociis aut sociorum similis profectum.

II. Hessæos, quos *Epiphanius* hæres. 10. asserit fuisse Sammaritas, recte negat *Scaliger* cap. XXI. Elenc. Trihæres. Pagina (inquit) eadem 227. (hujus edit. pag. 138.) Essenos quare in Samaritis posuerit *Epiphanius*, neque causam scio, neque si sciam probare possim, non magis, quam quod idem scriptor laquens de illis Essenis Hæres. 10. in fine adjicit: ἀλλὰ καὶ ὅτι ᾠκοδόμει Ἔσδρας τὴν Ιερουσαλὴμ μετὰ τὴν ἐκ Βαβυλῶνος ἐπάνοδον, ἀξιωσάν τῶν Σαμαρειτῶν συνεπιδοῦναι, βοήθειαν Ιουδαίοις, καὶ συνοικοδομῆσαι, ἐπετράπησαν ὑπ' αὐτοῦ τε τοῦ Ἔσδρα καὶ τοῦ Νεεμία. *Sed & cum Ezras post reditum ex*

Ba-

Babel civitatem Jerusalem ædificaret, flagitantes Samaritæ sibi etiam ut liceret auxilia sua ædificationi impendere, impediti sunt ab ipso Esdra, & Neemia. Hic primo animadvertendum Esdram ædificasse Hierosolymam. Hoc enim, ut pueri sciunt solius Nehemiæ labor est, qui 72. annis post Esdram profectus est Jerosolymam, & urbis maenia, ac plateas instauravit. Deinde ἀξιωσάντων τῶν Σαμαρειτῶν συνεπιδοῦναι βοήθειαν Ἰουδαίοις: confutatur *Nehem.* II. 4. I. 7. VI. 2. denique ἐπετράπησαν ὑπ' αὐτοῦ τε τοῦ Ἔσδρα, καὶ τοῦ Νεεμία confutatur II. 20. Sed quot ejusmodi sunt in illo thesauro vetustatis rerum Christianarum? Quare cum delectu ille autor tractandus, optime alioqui de literis divinis, deque Ecclesia meritus De Essenis igitur Samaritarum omnino dissentimus ab eo; & præterea quod eos ab Essæis, quos nove Jessæos vocat, diversos facit. Pag. eadem. *A quo forte Sebuorum nomen, quum Sebah Hebraice septem valeat.* De Sebuęis deque eorum etymo satis alibi demonstratum. Sed quomodo Sebuæi a שבעה deduci possint, magno emerim scire. Pag. 228. (hujus edit. pag. 139.) Male Γορθηνοὶ pro Γορθαινοὶ ut recte est apud *Eusebium* pag. 41. Histor. Eccles. Sine dubio enim γορθαῖος fuit נורתאי ut Δοσθαῖος דוסתאי. ibid. Ἰδιαζόντως τοῖς Ἐσσηνοῖς. Jam hoc anile commentum in fine antecedentis capitis confutavimus. Ibid. (*Osseni*) *illi* στιβαρὸν γένος *& nomen a robore acceperunt; quod Hebraice עוז hozh dicitur. Epiphanius* putavit esse radicale, quum tamen oblitus sui, alibi ὀσσαίους vocet: Ab עושן igitur, i. e. στιβαρότητος, τοῦτο τὸ στιβαρὸν τῶν ὀσσηνῶν γένος dictum putavit. Neque de hoc dubitandum hoc in animo habuisse *Epiphanium*. At ab עזי, imo עזי עזי *Uzzi* deducitur. Ergo Uzzæi dicerentur. *Vel ut quidam volunt,* a קשה i. e. durum. Quid tibi animi erat, *Serari*, quum scriberes Ossenos a Kasche dictos esse, perinde ut Germani a Rheno? Si hæc non est tua, sed aliorum deliratio, quare ista digna censes, quæ in medium producantur? Dolet mihi alicujus Novatoris commentum non esse. Cum honore enim eum, quæ tua & sociorum civilitas, ac moderatio est, nominasses. Pergit: *Quia neque in Garizitano sacrificabant.* Neque Sebuæi poterant in templo Garizitano sacrificare, siquidem, quod putavit *Epiphanius*, alieno tempore solemnia celebrabant. Quis enim passus esset eos in templo pentecostem hyeme aut autumno celebrare? Sed quomodo hæc, quę Epiphanius in aliam partem interpretatus est, intelligenda sint, jamdudum exposuimus. Nam non persuadet mihi Sebuæos ideo mutasse tempora & solennia, quia irati fuissent Esdræ: καὶ τότε οἱ Σεβουαῖοι διὰ μῆνιν καὶ ὀργὴν μετέθηκαν τοὺς καιροὺς τῶν ἑορτῶν τῶν προειρημένων τὸ πρῶτον μὲν κατ' ὀργὴν τοῦ Ἔσδρα &c. *Et tunc Sebuæi ira & furore commoti trajecere tempora prædictorum festorum* &c. Si erant Samaritani, quare irati fuerunt Esdræ, quem exortarunt (ut quidem vult persuadere *Epiphanius* (ut sibi liceret cum Judæis Jerosolymam ædificare? Quæ quis probabit, præter *Serarium*, & socios, qui ad ostentationem, qua δὴ ἐθέλουσι omnia talia defendere instituerunt, quemadmodum declamatores quartanam, & calvitium, & ejusmodi ἄδοξα?

III. *Drusius* cap. XX. quærit an Hesseni fuerint cœlicolæ. Hessenorum (inquit) alii erant μονάζοντες, alii κοινόβιοι. Hos existimat quidam cœlicolas vocari in Codice Justinianęo &c. Potest ita esse: tamen alii aliter de his sentiunt, & fortasse cœlicolæ sunt, quos *Benjamin* in Itinerario Samiin vocat, i. e. שאמיין, quorum Synagoga ipsius tempore adhuc erat in Mesraim urbe magna Ægypti. Nam Samaim est cœlum; unde adjectivum, שמיי *cœlestis* vel *cœlicola*, quod absque punctis שאמיי scribebant, cujus pluralis שאמיין Samiin *cœlicolæ*. Verba *Benjamin* apud interpretem. *Inde in Misraim quatuor itinera conficiuntur, urbem magnam juxta Nili ripas sitam, ex qua toti regioni nomen est factum: in qua Judæi bis mille sunt, in duas divisi Synagogas, alteram Irsaelitarum, quæ* Samiin *Synagoga dicitur, altera vero Babylonensium* Irhakiin *Synagogam appellatam*, id est עירחקיין. *Varius alteri atque alteri mos, & ritus in annuarum lectionum distributione observatur. Quippe Babylonienses consuevere singulis hebdomadis Parassas singulas legere ea ratione, quæ toti Hispaniæ solemnis est, itaque singulis annis legem absolvunt. Israelitenses vero singulas Parassas in ternos ordines dividunt, atque in triennio legem perlegunt. Utrique autem solemni ritu bis in anno simul conjuncti preces fundunt die videlicet lætitiæ legis, & die festo datæ legis.* Quæ dixi, ea velim accipi de cœlicolis Judæis, non Christianis, si modo aliqui Christiani cœlicolæ fuerunt, quemadmodum colligere possumus ex *Augustino*. *Scaliger* cap. XXXI. Elen. Trihæres. Sequitur (inquit) cap. 19. de cœlicolis quorum mentionem fieri apud *Rambam* III. parte cap. 30. *More hannebochim* falsissimo dixit pag. 9. 322. Quærit a nobis de cœlicolis. Respon-

pondeo fuiſſe Judæo Chriſtianos, addo etiam Maſſalianos, ipſoſque deductos ab iis Judæis, quorum proſeuchæ erant ἐν ἀέρι, καὶ αἰθρίῳ τόπῳ *in aere & ſubdiali loco* qui proprie cœlicolæ dicebantur, & de quibus manifeſto *Juvenalis* intelligit, & omnes docti Critici ſuffragantur.

Nil præter nubes, & cœli lumen adorant

Petronius in noſtris Catalectis

Judæus licet, & porcinum numen adoret,
Et cœli ſummas advocet articulas.

An non ſatis clare uterque poeta fuiſſe Judæos dicit, qui cœlum adorarent, & ejus aures advocarent? Qui cœlum adorant, quid aliud, quam cœlicolæ? Ipſos Eſſenorum portionem fuiſſe ſuperius a nobis demonſtratum eſt. Ab iſtis profecti Maſſiliani, proſeuchas, & τόπυς ὑπαιθρίυς & alios ritus obſervarunt. Unde merito jungit eos cum Judæis Imperator *Cod. de Judæis & Cœlicolis*. Cœlicolarum Judæorum vetus videtur origo, quamvis nihil de ipſis, niſi ex conjectura adferre poſſumus: quorum ſecta ex eo ſine dubio profecta, quod per השמים id eſt per *cœlum* etiam Deum veteres Judæi intelligebant. Unde illud Matth. xxi. 25. *Baptiſmus Johannis unde erat? ex cœlo, an ex hominibus?* Itaque non mirum illorum a *Juvenale*, & *Petronio*, qui ſub Nerone ſcribebat, mentionem factam fuiſſe. Illi cum ſuis ſuperſtitionibus, & nomine Cœlicolarum, ac Maſſalianorum ad Chriſtianiſmum converſi ſunt. Quia fundebant preces in locis ſub dio, abeo Cœlicolæ Latinis dicti, a Judæis Maſſaliani, qui erant Eſſeni, aut ut diximus, hæreſis ab Eſſenis profecta. Nam Eſſeni ab Helleniſtis ἱκέται vocabantur, quod ſane Judaice eſt Maſſaliani מצליינאי neque aliter poſſunt dici. De illis conſulatur *Epiphanius* hæreſ. 80. & *Theodoretus* Eccl. Hiſt. lib. iv. cap. 10. Iſti igitur Cœlicolæ pſeudo-Chriſtiani lavacro tincti, iterum ad priſcum Judaiſmum deficiebant, & nomine tenus Chriſtiani Cœlicolarum ritus retinebant. Unde ut dixi, merito titulus novus libri primi Codicis conceptus eſt conjunctim: *De Judæis & Cœlicolis*. Hoc neque *Serarius*, neque conditor Annalium intellexit.

IV. Scholia Græca (inquit *Druſius* cap. xxi.) de Sicariis *Act.* 21. Ἄλλοι δὲ αἵρεσίν τινα παρὰ Ἰυδαίοις ἔφασαν εἶναι. *Alii autem hæreſin quandam apud Judæos eſſe prodidere*. Et mox ἄλλοι δὲ Εσσηνὺς σικαρίυς ἐκάλυν, ἤγυν ζηλωτὰς. *Alii autem Eſſenos Sycarioo vocarunt vid Zelotas*. Scribit eadem *Theophilactus*, cujus interpres *Laurentius Siſanus* S. V. doctor divinat legendum σεκταρίυς, id eſt *Sectarios*. Sed non eſt temere diſcedendum a recepta ſcriptura, præſertim cum in eo etiam *Suidas* conſentiat per Sicarios Phariſæos innui putans. Qua de re diximus lib. iii. Sicarios ex Judæ Galilæi ſectatoribus fuiſſe colligimus ex *Joſephi* de bello Judaico lib. vii. cap. 29. Hos etiam Salmaticenſis Judæus cum Heſſenis confundit. Nihil ergo mirum ſi a Græcis idem factum. Proprium dogma horum non agnoſcere alium dominum quam ipſum Deum. Unde quia Cæſarem nolebant fateri dominum, graviſſima paſſi ſunt a Romanis. Heſſeni ergo ſicarii non omnes, ſed qui ex ipſis in ſectam Judæ Galilæi tranſibant; quos etiam a zelo peculiari erga Deum ζηλωτὰς appellarunt.

V. *Scaliger* negat Eſſenos *Philonis* fuiſſe Monachos Chriſtianos. Quum maximus (inquit cap. xxix.) *Hieronymus Euſebii* ſtudioſiſſimus fuerit, merito quis quæſierit, cur ejus de vetuſtate Monachorum ſententiam ſecutus non ſit, adeo ut ne meminerit quidem; qui Eſſenos *Philonis* monachos Chriſtianorum primos eſſe, auſus eſt ſcribere, & invenit quibus perſuaderet. At penitus contraria ſunt, quæ accuratior & melior eo *Hieronimus* initio vitæ Pauli Eremitæ ſcribit: cujus verba omnino huc tranſcribenda. *Inter multos ſæpe dubitatum eſt, a quo potiſſimum Monachorum eremus habitari cœpta ſit. Quidam enim altius repetentes a beato Elia, & Johanne ſumſere principium; quorum & Elias plus nobis videtur fuiſſe, quam manachus, & Johannes ante prophetare quam natus eſt. Alii autem, in quam opinionem vulgus omne conſentit, aſſerunt Antonium hujus propoſiti fuiſſe caput, quod ex parte verum eſt. Non enim tam ipſe ante omnes, quam ab eo omnium incitata ſunt ſtudia. Amathas vero & Macharius diſcipuli Antonii, quorum ſuperior magiſtri corpus ſepelivit, etiam nunc affirmant Paulum quendam Thebæum principem iſtius rei fuiſſe, quod non tam nomine, quam opinione nos quoque comprobamus*. Atque hæc de Paulo primo Monachorum, qui propter perſecutionem ſub Decio & Valeriano in remotiora loca Thebaidos ſeceſſit; atque hoc fuit illi initium ἀσκήσεως, & ille hujus propoſiti exemplum aliis dedit; ita ut breviſſimo tempore multa examina Monachorum Eremum Thebaidis compleverint. Hæc *Hieronimus*. Adverſus quæ pertendere, id veritati eſt præſcribere. Ante Paulum enim nullus Remita fuit, nulli κοινόβιοι μονάζον-

ζοντες in Christianismo. Eos sane non tacuissent quotquot a *Justino Martyre* viri Ecclesiastici ad *Cyprianum* usque scripserunt. Neque tot examina Monachorum posuerunt esse, quin ut *Tertullianus* loquitur, aliquam contesserationem cum Ecclesiis atque Episcopis haberent. Denique multa de illis testimonia apud Scriptores Ecclesiasticos extarent: At nulla extant; & vetustissimus Scriptor *Tertullianus* satis aperit suo ævo nullas eremicolas fuisse. *Non sumus* (inquit) *silvicolæ*, & *exules vitæ*. Monachatus igitur ignotum vitæ propositum prisco Christianismo. *Eusebius*, quo nullus Ecclesiasticorum veterum plura ad historiam Christianismi contulit, nullus plura errata in scriptis suis reliquit, nullius plures hallucinationes extant hodie Ἐσσαίους *Philonis* τοῦ θεωρητικοῦ, καὶ ἱκέτας λεγομένους Monachos Christianos fuisse non dubitat. At o desultoriam judicii levitatem in 8. προπαρασκευῆς non tanquam Christianorum τῶν Ἐσσαίων meminit sed tanquam Judæorum, & quidem antiquissimorum. Postquam enim de lege Mosaica disputavit, ut ostenderet ejus dogmata, dicit ea esse generatim duo, prius κατὰ τὴν ῥητὴν διάνοιαν, alterum κατὰ τὴν θεωρητικήν. Et priori quidam addictam plebem τὴν πληθὺν tantum; posteriorum proceres τοὺς ἐν ἀξίᾳ amplexos fuisse, ex iisque esse quoddam φιλοσοφούντων γένος, qui vocentur Essæi. Denique ibi agitur toto libro de antiquitate Judaismi, non Christianismi. Totius enim libri octavi argumentum est περὶ τοῦ κατὰ μωσέα εὐσεβοῦς πολιτεύματος. De Christianismo nihil omnino. Vides igitur inconstantiam; cui similem licet advertere in plurimis locis, quæ in *Eusebianis* notavimu: at illud in libro primo Hist. Eccles. antequam Christus Cruci affigeretur, auditam vocem ex adytis, *migremus hinc*. Atqui illa vox audita fuit paulo ante bellum Judaicum anno 32. post passionem Domini. Et ipse *Eusebius* in libris Demonstrationis diserte scribit hanc vocem inter prodigia, quæ paulo ante bellum Judaicum exciderant. At *Baronio* placuit hallucinatio *Eusebii*, eamque in suos Annales contulit non sine *Josephi* criminatione, quasi *Josephus* ab *Eusebio* historiam Excidii Hierosolymitani didicerit. Argumenta sane digna, propter quæ *Eusebius* Judaica ad Christianismum conferret; primum quod ἐν μοναστηρίοις Esseni degerent, quod ἀντίφωνα quædam more Christianorum canerent. Atqui historici Societatis idem de Japponensium Bonziis retulerunt, qui per tot secula etiam ante Christianos viderant aute appulsum Classium Lusitanicarum, & nullo a Christianis Monachis differunt præterquam fide, quod illi sint διαβολολάτραι, *diabuli cultores*. Ergo & Bonzii Japponenses justius Monachi Christiani dici possunt, quam Essæi; nam templa, claustra, peristylia more Christianorum habent, & ἀμοιβαίοις στίχοις ψαλμοὺς συνεξηχοῦσιν, *alternis versibus cantiones personant*, ut hic in Europa Monachi, & ante centum annos Christianum nullum viderant. Futile argumentum & τῶν μοναστηρίων, & τῶν ἀντιφώνων. Sed quanta est hæc levitas præ illa quam dicam. Essæi plusquam quadringentis annis ante resurrectionem Christi fuerunt, ubique terrarum, & quidem θεωρητικοὶ, ut ait *Philo*: πολλαχοῦ ἐν τῆς οἰκουμένης ἐστὶ τὸ γένος, ἔδει γὰρ ἀγαθοῦ πλέως μετασχεῖν Ἑλλάδα, καὶ τὴν Βάρβαρον· πλεονάζει δὲ ἐν AIγύπτῳ. *In compluribus autem locis terrarum illud genus hominum est. Oportebat enim perfecti hujus boni participem esse Græciam, aliasque regiones. Abundat autem his Ægyptus*. Igitur erant in Italia, in Gallia. Quomodo ergo in sex aut septem annis plus minus post Resurrectionem Dominicam in tam remotis, tam dissitis locis hoc genus Monachorum Monasteria sua collocant? Qui fieri potuit, ut tam exiguo intervallo temporis in unum hoc Christiani consenserint, ut ex illis aliquot millia non solum μονάζοντες essent sed etiam in remotissimas regiones & in totum orbem disseminarentur? Atquin quod in Ægypto primi monachi fuerunt, & eorum, qui in Ægypto erant *Philo* Ægyptius meminit, eo unico argumento *Eusebius* putavit, ab eo tempore ad Antonium Eremitam, monachismum in Ægypto continuatum fuisse: quum tamen ante Paulum Eremitam neque in Europa ulli Monachi fuerint, utque in Palæstina, in qua primus omnium Monachorum fuit Hilarion, ut *Hieronymus* scribit. Nam ut concedamus illos θεωρητικοὺς Ægyptienses Monachos Christianos fuisse, tamen quia θεωρητικοὶ ubique terrarum erant, cur non & ubique Monachos fuisse concludamus? Nam sæpe plures habuit Palæstina, quam reliquæ orbis regiones. Illa enim propria sedes Essenorum etiam testibus *Josepho* & *Plinio*. Prius ergo fuerunt in Palæstina, quam in Ægypto. Palæstina enim patria Judæorum, & nutricula sectarum Judaicarum. Quod si statim post resurrectionem, quo tempore hæc scribebat *Philo*, in Ægypto erant Monachi Christiani, sine dubio erant in Palæstina, ex qua Judæi Ægyptienses oriundi sunt.

Nam Palæstina est Judæorum metropolis, Ægyptus colonia. Si Monachi statim post resurrectionem fuerunt in Pastina, quare Scribit *Hieronymus* Hilarionem in Syria, Paulum in Ægypto primum omnium Monachos plantasse? An *Hieronymus* novator, qui *Baronio*, *Bellarmino*, & eorum ὑποφήτῃ *Serario* tam districte adversatur? Quid? an θεωρητικοὶ fuerunt? Atqui *Philo* dicit τῶν θεωρητικῶν vetustissimam originem esse: ἔστι δὲ αὐτοῖς συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἳ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν ἀρχηγέται γενόμενοι πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπέλιπον. *Habent autem & scripta antiquorum, qui sectæ ipsorum duces existentes, complura monumento in allegorico commentandi genere reliquerunt.* Vides hic τῶν θεωρητικῶν institutum vetustissimum esse, ejusque vetustissimos libros in manibus τοὺς θεωρητικοὺς habuisse. Ante Christum igitur θεωρητικοὶ erant. Quod si θεωρητικοὶ sunt monachi Christiani, ergo non solum monachi ante Christum, sed etiam Christiani. O vanitatem. Prium igitur mentio μοναστηρίων apud *Philonem* percussit mentem *Eusebio*, deinde ut fit, quæ aliquam speciem similitudinis habere visa cum Monachis Christianis, ea magis hominem in sententia sua confirmarunt, ut illa ἀντίφωνα, ὅτι μέλεσιν ἀντήχοις καὶ ἀντιφώνοις, *quod cantionibus respondentibus, & Antiphonis canebant*: quod faciunt ex antiquo Christiani. Sed ut idem *Philo* ait: πολλοῖς μέτροις καὶ μέλεσι τῇ μὲν συνηχοῦντες, τῇ δὲ καὶ ἀντιφώνοις ἁρμονίαις ἐπιχειρονομοῦντες καὶ ἐπορχούμενοι, *multis metrorum, carminumque generibus nunc simul consonantes, nunc antiphonis concentibus gesticulantes manu & saltantes.* Ecce Theoreticos in suis hymnis saltantes, & digitis gesticulantes. An hoc etiam ad probandum eos Monachos fuisse? *Eusebii* intererat demonstrare. Sed Christiani quidam etiam hodie in Sacris ἐπορχοῦνται & musicis instrumentis, tympanis æneis, & aliis ejuscemodi perstrepunt, ut Bacchantes putes, qui mos a veteri Ecclesiæ ritu alienus. Responso 107. οὐ τὸ ᾆσαι ἁπλῶς ἐστὶ τοῖς νηπίοις ἁρμόδιον, ἀλλὰ τὸ μετὰ τῶν ἀψύχων ὀργάνων ᾆσαι, καὶ μετὰ ὀρχήσεως καὶ κροτάλων, διὸ ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις προαίρεται ἐκ τῶν ᾀσμάτων ἡ χρῆσις τῶν τοιούτων ὀργάνων, καὶ τῶν ἄλλων τῶν νηπίοις ὄντων ἁρμοδίων, καὶ ὑπολέλειπται τὸ ᾆσαι ἁπλῶς. *Simpliciter canere insipientibus non convenit, sed instrumentis canere, idque cum saltatione & crotalis. Quapropter in Ecclesiis sublatus est ex cantibus ejusmodi instrumentorum usus, ut & aliorum quæ insipientibus sunt convenientia, sed simplex cautio relicta est*: Manifesto περιαιρεῖται pro verbo nihili προαίρεται legendum. Proprium Judæorum & legis mortuæ, non vivi Christianismi hæc esse testantur. Sed quid non molitur, ut τοὺς θεωρητικοὺς esse Christianorum Monachos etiam ab invitis exprimat? Sane inter τοὺς θεωρητικοὺς καὶ τοὺς πρακτικοὺς non aliud discrimen est præter illud, quod ἡ θεωρία, καὶ ἡ πρᾶξις constituit. Alios Essenos ab istis separabat κοινοβιότης καὶ ἐργασία: illi enim erant τεχνῖται: isti soli orationi operabantur, unde dicti ἱκέται. Ergo οἱ πρακτικοὶ erant ut λαϊκοί, illi vero ut quoddam ἱεράτευμα. Erant ergo & οἱ πρακτικοὶ Christiani quoque. Nam isti θεωρητικοὶ nihil diversum ab illis habebant, præter τὴν ἀκρίβειαν τῆς πολιτείας. Sane si illi Christiani, & Practici quoque Christiani. *Eusebius* sententiæ suæ argumenta auspicato aggreditur: Post illa *Philonis* verba, ἀρχομένους φιλοσοφεῖν ἐξίστασθαι τοῖς προσήκουσι τῶν ὑπαρχόντων. Qui se tradebant cooptandos in ordinem Theoricorum, cedere omnibus facultatibus, easque proximis suis relinquere. Hoc quoque ἕρμαιον arripit *Eusebius*, quod scriptum esse ait in *Actis Apostolicis*, omnes qui fiebant Christiani, vendere facultates suas, earumque pretium ante pedes Apostolorum ponere. Sane multum differt suis opibus relictis ad Essenos venire, aut pretium suarum opum Christianis communicare: Hæc tam differunt quam abjicere, & retinere. Quis non miretur halucinationem? Et tamen non mirantur οἱ μοναχισμοῦ ἀρχαιολόγοι: qui non minore levitate hæc ab *Eusebio* dicta excipiunt, quam *Eusebius* illa non vidit pugnare cum argumento suo, ut vix ullus puer tam contraria sciscere potuerit. Non satis erat ita de literis ludere, nisi majori absurditate illud cumulasset. Verba sunt *Philonis* paulo ante a nobis producta: ἔστι δὲ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν quæ ut dixi sunt institutiones vetustissimæ τῆς τῶν θεωρητικῶν Ἐσσηνῶν πολιτείας. Ille ita interpretatur, si modo quis patienter legere potest, τάχα δὲ εἰκὸς ἃ φησιν ἀρχαίων παρ' αὐτοῖς εἶναι συγγράμματα, εὐαγγέλια, καὶ τὰς τῶν Ἀποστόλων γραφάς. *Forte autem verisimile, ea quæ dicit penes ipsos esse priscorum scripta, esse Evangelia, & Apostolorum scripta.* Quum illa scriberet *Philo*, nullum adhuc Evangelium publicatum erat. Scribebat enim sub Caligula, & initio Claudii. Certe saltem non omnia quatuor Evangelia scripta erant. Sed age concedamus pertinaciæ jam scripta fuisse. Sane non poterat dici ἀρχαῖα neque τῆς φιλοσοφίας τῶν Ἐσσηνῶν μνημεῖα

μένα ὑπὸ τῶν Ἀρχηγετῶν τῆς αἱρέσεως συγγεγραμμένα. Vetustissimam illam sectam, ait, *Philo*, & ejus vetustissima relicta esse monumenta ab illis, qui Ἀρχηγέται τῆς αἱρέσεως fuerunt quadrigentis annis antequam illa scriberet *Philo*. Et hæc erunt Evangelia, & scripta Apostolica? Quæ potest major futilitas, levitas, ἀπερισκεψία esse, quam Evangelia quæ nondum scripta erant ἀρχαῖα παλαιῶν ἀνδρῶν, & ipsos Evangelistas atque Apostolos, qui tunc omnes vivebant, παλαιοὺς ἄνδρας vocare? Quia vero suspectam habet vim suorum argumentorum: Ne (inquit) quis dubitet, subjicit ex *Philone*, quæ nulli Christiano abstinentissimo magis conveniunt, quam Pharisæo aut cuivis continentissimo Judæo. Sed neque illi argumento satis fidit, & quidem merito: Est enim sublestissimum. Addit quo putat pertinaciæ jugulum peti; Theoreticos convenire ad σεμνεῖον orandi gratia, viros, & mulieres, sed separatim. Ait nulli alii genti quam Christianorum convenire τὰς ἰδίᾳ μὲν ἀνδρῶν, ἰδίᾳ δὲ γυναικῶν ἐν ταυτῷ διατριβάς. Atqui non hoc proprium Christianorum sed Judæorum cum veteribus Christianis commune. Hodieque ita Synagogas Judæorum constructas esse videmus ut viri a fœminis sejuncti sint. Quid dicam de pervigilio Paschali Christianorum, & de hymnis, qui in eo a Christianis canebantur, quæ omnia a *Philone* scripta dicit *Eusebius*, & ab Essæis observata? Καὶ τὰς ἐξ ἔτους εἰσέτι καὶ νῦν πρὸς ἡμῶν ἐπιτελουμένας ἀσκήσεις, ἃς διαφερόντως κατὰ τὴν τοῦ σωτηριώδους πάθους ἑορτὴν ἐν ἀσιτίαις καὶ διανυκτερεύσεσι, προσοχαῖς τε τῶν θείων λόγων ἐκτελεῖν εἰώθαμεν, ἅπερ ἐπ' ἀκριβὲς τὸν αὐτὸν, ὃν καὶ εἰς δεῦρο τε τήρηται παρὰ μόνοις ἡμῖν τρόπον ἐπισημηνάμενος ὁ δηλωθεὶς ἀνὴρ τῇ ἰδίᾳ παραδέδωκε γραφῇ, καὶ μάλιστα τὰς τῆς μεγάλης ἑορτῆς παννυχίδας, καὶ τὰς ἐν ταύταις ἀσκήσεις, τούς τε λέγεσθαι εἰωθότας πρὸς ἡμῶν ὕμνους. *Et ut exercitationes sicut & nunc apud nos fieri moris est, peragant, quas præcipue in Salvatoris nostri passionis solennitate cum jejuniis nec non pervigiliis & divinorum verborum auditu perficere consuevimus. Quæ omnia accurate supradictus vir eo ordine, eademque consequentia qua apud nos solos geruntur propria scriptura expressit. Maxime autem magni festi pervigilia, & quæ in his usitatæ sunt exercitationes seu meditationes, quique a nobis hymni dici soleant narrans.* Atqui *Philo* pag. 616. ἑβδομάδων ἑβδομάδας ab Essæis observari dicit, eas que esse instar Pentecostes, quæ semel tantum a reliquis Judæis sexta Sivvan, ab Essenis vero septies in anno pervigiliis & hymnis instaurabatur, ita ut latus, quadratum, & cubitum septenarii in uno anno celebrarent. Latus est hebdomas, cujus Sabbathum ultima dies lege observatur; quadratum vero 49. dies, aut πεντηκοντὰς, cubus 343. dies, septem πεντηκοντάδες. In quo plus erat, quam רבית בתורה *auctarium in lege*. Moses enim semel in anno quinquagesimum diem a 16. Nisan observare præcipit: Isti hoc septies in anno iterabant. De istis igitur septem Pentecostes, sive pentecontadibus, loquitur *Philo*, non de pervigilio τῆς μεγάλης ἑορτῆς, id est κυριακῆς ἀναστασίμου *Dominicæ resurrectionis diei*. Quod tam absurdum accommodare pentecostis Essenorum, quam superstitionum ab Essæis per auctarium supererogationis observatum esse: quod & hæretici Sebuæi faciebant, quod diximus Hebraice שבועאי ideo dictos, quasi ἑβδομαδῖται, quod ἑβδομάδας ἑβδομάδων anili superstitione observarent; שבוע, enim Σαβύα hebdomas; שבועאי Σεβυαῖοι hebdomaditæ. Qoid meruerunt igitur, qui non ratione sed autoritate hominis omnium scriptorum, quotquot unquam fuerunt, inaccuratissimi, gentem Essenorum superstitiosissimam, & templi aditu ob hæresin prohibitam, nascentis Ecclesiæ primitias facere? Sed non contentus eo, quid designavit? In *Philonis* verba somniavit Ecclesiasticas liturgias, & διακονίας, & Episcopatum. πρὸς τούτοις γράφει τὸν τῆς προστασίας τρόπον τῶν τὰς ἐκκλησιαστικὰς λειτουργίας ἐγκεχειρισμένων, διακονίας τε καὶ τὰς ἐπὶ πᾶσιν ἀνωτάτω τῆς ἐπισκοπῆς προεδρείας. *Addit autem adhuc iis quo modo sacerdotes vel ministri exhibeant officia sua, vel quæ sit supra omnia Episcopalis apicis sedes;* Atqui nullam διακονίαν, nullam ἐπισκοπὴν, nullam ἐκκλησιαστικὴν λειτουργίαν memorat *Philo* pag. 618. sed omnia omnino diversa. Canuntur quoque hymni, antequam inferatur mensa, post hymnum allata mensa anteponitur panis, & sal cum hyssopo: Hæc est quotidiana Essæorum cœna, neque lautior propter τὴν ἑορτάσιμον πεντηκοντάδα. Deinde κατὰ τὸ δεῖπνον τὴν ἱερὰν ἄγουσι παννυχίδα, quam nempe *Eusebius* putavit esse τὴν πρὸ τῆς μεγάλης ἑορτῆς, hoc est κυριακῆς ἀναστασίμου: Quam hallucinationem confutavimus; & paulo ante initio ejusdem pag. 616. mentio fit προέδρου quem putat esse Episcopum: τοὺς νέους autem τοὺς τῆς ἐκκλησίας διακόνους, quasi in monasteriis Christianorum Episcopi & presbyteri Synaxes facerent. At quum mulieres una cum viris accumbere eidem mensæ, osten-

ostendant mihi fautores hujus tam παραδόξε ϗ πιθηκώδες δράματος, an hic mos obtinuerit antiquitus, ut in monasteriis Christianorum fœminæ quoque essent? ut in pervigiliis monasteriorum chorus mulierum cum choro virorum tandem jungeretur, ἐπιθειάζων ἐπορχέμενος, ἐπαχειρονομῶν τῶν βακχευόντων τρόπον, *Deum obtestans saltans, manibus gesticulans bacchamtium in modum*. Itane mulieres in monasteriis virorum? Antonius & Hilarion & illi summi viri tot monachorum patres, mulieres in monasteriis adhibuerunt? Summa summarum, solum nomen μοναστηρίε persuasit *Eusebio* reliqua omnia monachis Christianis, ut nomen monasterii) eorum habitationi convenisse. Nihil est in toto libro *Philonis*, quo non instituto vetustissimorum monachorum pugnans & contrarium sit. Imo monachorum veterum institutum magis convenit disciplinæ τῶν πρακτικῶν, quam τῶν θεωρητικῶν Essæorum. At quanquam ab homine aliud agente, & prius quam cogitaret, pronunciante, dicta hæc sunt, tamen adeo blandita ut hominibus illi simillimis tam puerilis, tam ridicula sententia, ut nunc non minus pro ea, quum pro Sacrosanto Evangelio acria bella, & velitationes pædagogicæ ferveant, & Tartara cœlo misceantur. Sed de erratis *Eusebii*, quæ in omnibus ejus operibus spisse leguntur alibi in *Eusebianis* diximus. Pag. 191. (hujus edit. pag. 177.) *Metra enim reliquerunt ipsis poetæ, & carmina versuum trimetrorum, prosodiorum, hymnorum, paraspondæorum, parabomiorum, stasimorum, choricorum, strophis, polystrophisque accurate perfectorum*. Hæc *Philo* quidem, quæ quum Hebraice concipi non possint (Hebraismus enim, Arabismus, & Syriasmus, hujusmodi metra ignorat, ut in *Eusebianis* ostendimus) manifesto ex hoc constat istos Essæos *Philonis* non Hebraice, sed Græce locutos esse, Græce orasse, Cræce omnia illa, de quibus *Philo* scribit, obivisse. Ostendit præterea nomen τε ἐφημηρευτε pag. *616.* ὑποσημαινοντές τινες τῶν ἐφημερευτῶν, ἔτω γαρ ὀνομάζειν ἔθος τοῖς ἐν ταῖς τοιαύτις ὑπηρεσίαις *subinventes quidam των Ephæmereuteon. Sic enim eos, qui in talibus ministeriis versantur nominare moris est*. Diserte monet, quum ministrum vocarent ἐφημερευτὴν, tum ab illis hoc nomen excogitatum, tum ea lingua eos usos, cujus illud nomen est, hoc est Græca. Denique Essæi Ægyptienses erant ex Judæis Ægyptiensibus. Hoc enim negari non potest: Illi vero tamen Græce loquebantur; vix de centum unus Hebraice legere sciebat. De quo nos alibi. Quare non mirum si Græco vocabulo potius, quam Judaico dicti sunt θεραπευταὶ. Cap. XVII. *Christianos Essenos fuisse, negant novatores pene omnes*. Et sane id facerent veteratores, & Zelotæ siquis in illis pudor judicium, & mica salis esset. Hæc satis confutata sunt superiori capite. Certe miseret me *Serarii*, qui tantum laboris, sumserit, ut se deridendum omnibus traduceret. Nam & mediocriter docti deliria hæc confutaverint, & quamvis in hoc capite multa sint inepta, absurda, adversus historiam & fidem veterum scriptorum dicta, tamen quia ex iis, quæ jam proxime disputavimus, facile refelli possunt, nos ab hac porrigine continebimus ungues. Nam tædet ineptiarum, & tempus est ab his facere. Interea siquid quisquiliarum superest, non pigebit ruspantem eas ventilare. Nam reliqua aliis relinquimus. Pag. 297. (hujus edit. pag. 180.) *Theoritici Esseni videntur omnes Christiani fuisse. Hoc enim primo asseverant vetustissimi, optimique autores*, Eusebius &c. Unus *Eusebius* autor est tam crassi, tam anilis erroris. Ceteri hoc duce errarunt. Nos primi omnium hanc *Eusebii* sententiam confutavimus. Sed proximo capite susius errores alios hujus scriptoris collegimus. Quod dicat alios, quos ipse Novatores vocat, idem sentire, equidem gaudeo, non solum me sapere, & quod sapiam, testes habere, quos neque ego unquam legi, neque ipsi mea legerunt, qui me adolescente de ea re scripserunt. Ibid. *fuisse ipsos genere Judæos:* Quantum ludibrium debet *Serarius*, qui Essenos quosdam genere facit, distinctos ab aliis, libenter refellerem, nisi jam cum cachinno tam stolidum commentum conspuissem. Non pudet vanitatis? Essenos genere, qui nati sunt Esseni. Atqui nullus unquam fuit Essenus, nisi institutus, non genitus. Neque enim unquam aliqui fuere, qui Esseni nascerentur (non enim Esseni connubia jungebant) quemadmodum qui ingenui sunt, oportet eos tales nasci, non fieri. Tunc enim essent libertini; sed hæc supra confutata sunt. Pag. 301. (hujus edit. pag. 183.) *Theoreticos in multis terrarum partibus fuisse, solos practicos circumscriptos Syriæ finibus*. Quamvis ineptissimum hoc sophisma satis eluditur proximo capite, tamen velim *Serarius* respondeat mihi, quare illi quos πανταχε τῆς γῆς *Philo* dicit fuisse, habeant vetustissimos αἱρέσεως suæ ἀρχηγέτας? Quid intra quatuor quinque, aut sex,

ſex, ſeptem annos tantum numerum conficere potuerunt, & per totum orbem colonias, & examina mittere, quomodo ἀρχηγέτας παλαιοὺς ſectæ ſuæ dicantur habuiſſe, *Philone* ſcribente? Quid eſt quod magis tam impudens mendacium obtundat? Sed quid adulandum eſt iis, qui primi pedibus in ſententiam *Euſebii* diſceſſerunt, ἐρρίφθω κύβος *jacta eſt alea*, aliquo nobili facinore expediet ſeſe *Serarius*, priuſquam cauſam prodat. Aliter actum eſt de Monachiſmo, & de Monachis, niſi cum Chriſto reſurgente natos probemus, aut ſaltem ſtultis perſuadeamus. Pag. 302. (hujus edit. pag. 184.) *Exortam vero hanc Eſſæorum iſtorum diſciplinam ſuo tempore, index ipſe* Philo, *dum apud* Euſebium *lib.* II. *Hiſtor.* cap. 7. *ait* ὃν (τὸν τῆς νομοθεσίας ἀόρατον νοῦν) ἤρξατο διαφερόντως ἡ θρησκεία αὐτὴ θεωρεῖν. *Quem (ſemotum ab aſpectu divinæ legis ſenſum) cœpit eximie ipſa hæc religio contemplari*. Nuſquam tam ſimilis ſui fuit *Serarius*, quam hic: ſciens an imprudens, haud temere dixerim. Alterum eſt confidentiæ, alterum inſcitiæ. Ut rem abſurdiſſimam probare poſſit, Theoreticos ſc. ortos eo tempore, quo ſcribebat *Philo*, duobus hiſce aſtruit, verbo ἤρξατο & nomine θρησκεία. Utrunque apud Philonem innuere nuperos novitios τῶν θεωρητικῶν natales. Religio cœpit τὸν τῆς νομοθεσίας ἀόρατον νοῦν contemplari. Ergo, quia cœpit, tunc quum ſcribebat *Philo*, cœpit. Rurſus ἡ θρησκεία non dicitur niſi de Chriſtianiſmo. Hic lector non ſolum Chriſtianus, ſed etiam Criticus hoc oraculo *Serarii* poteſt monitus dicere illud *Ciceronis*. *Namque homines cæci in vita mentibus errant*: utpote qui omnia hæc hactenus ignorarunt, quæ ſola *Serarii* divina mens ἤρξατο θεωρεῖν. Quis enim unquam putabit quoties ſcriptor aliquis utetur Græco ἄρξασθαι, aut Latino incipere ſtatim illud, deque ſermo eſt apud autorem, autoris ipſius tempore cæpiſſe? Fingamus elegantiſſimum, accuratiſſimum autorem *Cenſorinum* ita ſcribere. *Quum omnes ſcriptores diſſentirent de primis Palilibus urbis*, Varro *collatis omnium nationum rationibus cæpit verum eruere*. Hoc certe *Cenſorinus* ſcribit, quanquam verbo incipere non utitur. Sed ut dixi, fingamus enim ita loqui. An tunc primum, *Varronem* ſcripſiſſe dicemus, quum illa commentaretur *Cenſorinus*? Sed acumen Sophiſtices non prodet Sophiſtam neque eum in tam ancipiti lite deſtituet: non verbum ἤρξατο tantum conſiderandum, ſed nomen ἡ θρησκεία: illud enim proprie dicitur de religione Chriſtiana. Teſtis locus *Act.* XXVI. 5: ἡ Ἰσραηλιτικὴ θρησκεία, ἡ θρησκεία inquit, eſt ἡ χριστιανή. Sane non putabam Chriſtianiſmum tam antiquum, ut multis anni centuriis natales Chriſti antecederet. Nam ſæpe vox ἡ θρησκεία occurrit apud autores, qui ante Chriſtum ſcripſerunt, imo adeo vetus eſt ut παρὰ τοὺς Θρᾶκας dictam aſſerant veteres Critici. λέγεται γὰρ, ὡς Ὀρφεὺς Θρᾷξ πρῶτος ἐτεχνολόγησε τὰ Ἑλλήνων μυστήρια. καὶ τὸ τιμᾶν θεὸν, θρησκεύειν ἐκάλεσεν, ὡς Θρηκίας οὔσης τῆς εὑρέσεως. *Dicitur enim quod Orpheus Thrax primus myſteria Græcorum excogitaverit, quodque eo Deum colere* træskevein *appellaverit, quaſi Thracum exiſtente ea inventione*. Ergo religionis Chriſtianæ non ſolum nutales priores ſunt natali Chriſti, ſed etiam notitia ejus apud Gentiles ante Chriſtum. Locus *Act.* XXVI. 5. ὅτι κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα φαρισαῖος. *Quoniam ſecundum exquiſitiſſimam noſtræ religionis ſectam vixi Phariſæus*. Hic ἡμετέρα θρησκεία eſt lex Moſis & Judaimus, quod ſi per illam θρησκείαν intelligitur Chriſtianiſmus, ergo & ἀκριβεστάτη multo magis erit Chriſtianiſmus. Eſt autem φαρισαϊσμός ea θρησκεία quam Apoſtolus vocat ἀκριβεστάτην. Ergo Phariſaiſmus eſt Chriſtianiſmus. Ita enim argumentatur magiſter noſter *Serarius*. Et poſtquam viſus eſt ſatis firma munimenta huic περὶ θρησκείας adeo θαυμασίᾳ καὶ παραδόξῳ ſententiæ quæſiviſſe, peana canit. *Eſtne apex parvus, & non ſublimis potius illuſtriſque columna illud* ἤρξατο? Sed quiſquiliis obruor. Egrediendus hinc ſum aliquo modo. Dic, amabo doctiſſime magiſter noſter quare locum *Philonis* ex *Euſebio* potius citas, quam ex *Philone* ipſo? An eſt ex Novatorum numero *Philo*, cujus tantum nomen nominare, librum tangere aliquis Judex expurgatorius prohibet? Ita eſt: Lectio codicis *Philonis* nihil ad Monachatus originem facit: *Euſebii* depravatiſſimus codex facit. Sed, ſi vacat *Serario*, ſcribat ad ſocios Collegii aut Seminarii Romani, ut Codicem Vaticanum *Euſebii* inſpiciant. In eo, ita hunc locum conceptum reperient. ψυχὴν δὲ τὸν ἐναποκείμενον ταῖς λέξεσιν ἀόρατον νοῦν, ἐν ᾧ ἤρξατο ἡ λογικὴ ψυχὴ διαφερόντως τὰ οἰκεῖα θεωρεῖν. *Animam vero dictionibus inſitam inviſibilem ſenſum, in quo rationalis anima cæpit præcipue propria contemplari*. Ita enim ſine ulla mutatione codex *Philonis* habet pag. 617. in fine. Ubi ergo ut illa θρησκεία, & quum conceſſerimus θρησκείαν ibi legi, quis concedet eam duntaxat Chriſtianiſmum intelligi? Sed infra

tan-

tandem fatetur apud *Philonem* ita legi. Et postquam illum nihil, juvat illa fatalis θρησκεία, saltem inquit, si in *Philone* non est θρησκεία attamen est ἤρξατο: Quid? λογικὴ ψυχὴ οὐκ ἤρξατο θεωρεῖν nisi tempore *Philonis*? *Epicharmi* illud est: νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει. *Mens videt, mens audit*. Nunc scio quare non dixit νοῦς ἤρξατο ὁρᾶν, νοῦς ἤρξατο ἀκούειν. Nondum enim *Philo* natus erat, nondum seculum aureum *Serarium* tulerat, qui hæc doceret. Stultior ne ego, qui has nugas morer, aut confidentior *Serarius*, qui speraverit se fatuos inventurum, quibus hæc persuadeat. Pag. 304. (hujus edit. 185.) concludit τοὺς θεωρητικοὺς esse Christianos, quia ille ὑποβολιμαῖος *supposititius Dionysius Areopagita* scribens Γαΐῳ μοναχῷ vocat eum θεραπευτὴν & in Canone *Synodi in Trullo* 43. τὸν ἀσκητικὸν βίον interpres Latinus vertit *vitam therapeuticam*. Hoc a nobis habet vir εὐγνωμονέστατος *Serarius*, quem pudet profiteri unde acceperit, quod sane adhuc nesciret, nisi ego indicassem. Et tamen quod illa in munimentum sententiæ suæ vafre adducit, hoc nos in confutationem eorum, qui idem cum eo sentiunt, produximus. Nam quia *Eusebius* rem futilissimam, & vanissimam τοὺς θεωρητικοὺς esse Monachos, *Pseudo-Dyonisio* persuaserat, propterea ille, ut affectaret antiquitatem, καὶ συγχρονισμὸν τῶν Ἀποστόλων usus hoc nomine, & inscitiam & fraudem suam detexit. Nemo adhuc ante nos notaverat illum locum *Dionisii*, nemo indicaverat canonem Synodi de Trullo, quum tamen nemo qui aliquem gustum literarum, & veteris Christianismi habet, non animadverterit suppositum esse illum *Dionysium*. Hoc, inquit *Martinus Del-rio*, alii animadverterant. Ego in nullius unquam scripta incidi, qui de illo *Pseudo-Dionysio* tanquam supposititio meminerit. Hoc tantum scio, neminem esse aliquo gustu literarum, qui non fraudem deprehendat, qui autem id non videat; stipitem, bardum, imperitum, & omnis judicii in literis expertem esse. Quamvis multa in illo scriptore notavimus, quæ ipsius simulationem detegant, nullus tamen est illustrior locus illo, quem de Cajo Therapeuta primi aperuimus, & ex Canone 43. τῆς ἐν Τρούλλῳ illustravimus. Igitur συκίνην ἐπικουρίαν *ficulneum præsidium* adducit *Serarius Pseudo-Dionysii* sui testimonium autores veteratorum suffragiis dignissimi, quem ut *Del-rio* probaret esse antiquissimum, ex eo confirmare nititur, quod *Maximus* monachus id credidit, cujus monachi inscitiam nos satis alibi castigavimus. Eadem pagina incipit homo furere. *Sic monachorum nomen est, & τὰ μοναστήρια, Lutheranis, Chalvinianisque ingratis omnibus supersunt*. Certe ingratiis omnium veteratorum & monasteria, & monachi, & hypocritæ Bonzii sunt etiamnum in Jappan & in Sinarum regione, qui ante Christum erant plusquam bis mille annis. Ergo? Nullus scrupulus de vetustate Monachismi superest, quandoquidem & μοναστήρια, & μονάζοντες tot centuriis annorum Christi natalem antecedunt. O inscitiam? Cap. XVIII. omnia vela φιλοψευδίας contrahit, ut doceat meridie non lucere. Hominem insigniter confidentem pudet vaniloquentiæ; quis quæ dicit de *Philone* pag. 306. sine nausea legere possit? quæ voluminum plaustra satis esse possint tam ineptæ disputationi confutandæ? Nam quis non miretur insaniam in illo pag. 307. (hujus edit. pag. 186. *Sed Eusebius* lib. II. Histor. cap. 15.) *Essæorum illorum πᾶσαν ἀγωγὴν, id est totam disciplinam exositam ait: Verum istud πᾶσα seu tota sumendum commode, quoad præcipua morum ipsorum capita, non quoad eorum fidem, aut singula instituta*: Videbat gentem τῶν θεωρητικῶν ex colluvie superstitionum omnium Judaicarum collectam fuisse, neque id facile negari posse. Eos fuisse Monachos ait quoad præcipua eorum capita, non quoad ipsorum fidem, aut singula instituta. Monstra sunt hæc, & insanus sim, si hæc morer, ut & illa, quæ ex *Augustino* de *Philone* adducit, quæ quorsum produxit, nescio. Denique pag. 309. (hujus edit. pag. 188.) quum videat se non posse objectioni occurrere, quod πολιτεία Essenorum nihil aliud esset præterquam quidam ἄκρατος Ἰουδαϊσμὸς, eo tandem confugit, ut dicat simul Christianos, & Judæos fuisse instar illorum *Act.* XXI. *qui crediderunt quidem, sed æmulatores legis erant*. Ego in toto *Philonis* περὶ θεωρητικῶν libro nihil nisi mere Judaicum, superstitiosum, etiam aliquando impium, καὶ περίεργον video. An suos Monachos tales velit esse *Serarius*, ipse viderit. Ego scrio neque Paulum primum omnium μοναζόντων neque τὸν καρτερικώτατον Hilarionem, neque θαυμάσιον Antonium tales fuisse: neque Paulum tantam injuriam instituto suo ab *Eusebio* fieri passurum, si eodem tempore ambo vixissent: imo quæ fuit φιλαλήθεια Pauli primi Eremitæ atque eruditio, si convenisset *Eusebium*, non dubium est, quin αὐτῷ κατὰ πρόσωπον ἂν ἀντέστη *ipsi in faciem restitisset*, quod non veritus fuisset puritatem Christianismi vetustissi-

ſtiſſimorum Eſſenorum ſpurcitiis inquinate. Si igitur credimus *Serario*, a ſpurciſſimis ſordium, ſuperſtitiooum, Judaiſmi fontibus Monachatus derivatus eſt, idque quadringentis annis ante Chriſtum. Tanta pietas eſt hominis in ſuos Monachos, tanta de illorum vetuſtate eruditio. &c. Audi aliud Chriſtiane lector divinam *Serarii* interpretationem. Philonem *Judaica phraſi Chriſtianorum ſabbatha, id eſt dies Dominicas, & quadragintadiale jejunium, quod a quinquageſima plerique inchoarunt olim, & vigilias Chriſtianas, & ſacram Pentecoſten deſcripſiſſe*. Ergo quot erant πεντηκοντάδες in anno, tot in anno quadragintadialia jejunia veteres Chriſtiani celebrarunt. Sunt autem ſeptem in anno Eſſenorum πεντηκοντάδες, ſeptena ergo quadrageſimalia, quinquageſimalia jejunia veteres Monachi obſervarunt. Quid non facit acumen ſocietatis? Montanus tres quadrageſimas obſervandas eſſe ſciſcebat. Adverſus illud dogma Hieronymus ad Marcellam: *Nos autem quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum tempore nobis congruo jejunamus: illi tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint ſervatores, non quod & per totum annum, excepta Pentecoſte, jejunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre*. Quid dicis hic *Serari*? An prius Chriſtianos omnes ſeptena in anno jejunia celebrare dices, & a poſteritate hoc caſtigatum fuiſſe? Dic quidquid in buccam. Nullum ſophiſma te unquam a juſta objurgatione vindicabit: Scis ab omnibus Eccleſiis, præter Latinam, quaterna jejunia obſervari, ſed tria poſteriora recentioris inſtituti eſſe, ſolum vetuſtum eſſe, quod per 40. dies ante Paſcha obſervatur. Pag. 310. (hujus edit. pag. 188.) *Idque c.* 17. *indicat* Euſebius Philoloniana jejunia, *Pentecoſten referens, ad eas exercitationes ἃς κατὰ τὴν τοῦ σωτῆρος* &c. non opus referre, quæ ſupra in illum locum *Euſebii* adduximus, in quibus hoc ejus ſomnium confutavimus. Ibid. Philo *enim τὸν ἡμεροβαπτισμὸν Theoreticis nunquam aſcribit, multo minus* Joſephus, *qui ut ſupra dixi, de ſolis tractavit praticis*. Nuſquam ſubtiliorem ſeſe oſtendit *Serarius*; Quid magiſter noſter, ſiquid ad auſteritatem vitæ, ad ἁγνείαν, καὶ ad ἄσκησιν accurate a practicis obſervatum fuit, idne putas ab illis Theoreticis, qui ſeveriores erant, minime obſervatum fuiſſe? Sane ſiquid ſapis, tuum eſt ſcire, quum quis a ſevera regula, ad ſeveriorem tranſit, eum non mutare quæ recte a priore inſtituta ſunt, ſed potius augere, intendere: & non recte facta alius regulæ damnare, ſed ea ſtrictius obſervare. Et certe hic ſi uſpiam, judicium in te requiro. Carthuſiani ſe Benedictinos dicunt, nec quæ recta ſunt apud Benedictinos mutarunt, ſed potius auxerunt, intenderunt, & ſeverius inſtituerunt. Hoc tu nos non docebis. Nam hoc ſcivimus, antequam te Novatores dormire non ſinerent. Ergo ſi bis in die Eſſæi practici lavabant, quod quidem diſerte *Joſephus* oſtendit, non ſolum quia id ad ἁγνείαν pertineret, Theoreticos feciſſe neceſſe eſt, ſed etiam quia practicis meliores videri volebant, eadem pluries quam Practicos, feciſſe; quod ſane faciebant; nam & quoties alvum egererent, eos id feciſſe non ignoras ex *Philone*. Atque in hoc te nullo judicio fuiſſe, quum hæc ſcriberes nemo niſi malignus eſt, negare poteſt. Ut in hoc judicium, ita in hoc, quod dicam peritiam requiro. Nam cur de quotidiano Baptiſmo teſtes adducimus Eſſenos, quaſi non omnium Judæorum id fuerit proprium, certe qui eorum? רבית בתורה obſervabant. Hodie in Palæſtina multi id non ſemel, ſed crebro in die faciunt. Mahumetani hactenus obſervant, eoque nomine lacus inſtituunt, inſtar piſcinarum, quas veteres Romani faciebant. Item quæ Judæi ad eam rem, quæ in Thalmud vocantur מקואות Arabibus & Syris ברכה. Poſt orationem, cujus carmen legitime conceptum habemus, in illos lacus ſeſe impetu jaculatur, & non prius quam ubi ſatis puri ſibi eſſe viſi ſunt, inde ſeſe proripiunt. Non eſt proprium Eſſænorum ἡμεροβαπτισμὸς ſed omnium veterum Judæorum, qui meliores aliis videri volebant. Qui Phariſæi quotidianarum, illarum ablutionum ſtudioſi erant, & fortaſſe, quæ erat illorum ambitio, pluries quam Eſſeni in die abluebantur. Rurſus tam Phariſæi quam Eſſeni componebant ſe ſe ad caſtimoniam ſacerdotum. Sacerdotes quamdiu in templo in ſtatione ſua ſive ἐφημερίᾳ operabantur, vino carebant, decimas & תרומות non prius edebant, quam totum corpus in illis מקואות abluiſſent. Omnia hæc alii omnes faciebant, qui ſanctimonia præſtare aliis volebant. Nam & major pars Phariſæorum, & omnes Eſſeni, temeto carebant, & utrique in die ſæpius abluebantur, certe ad menſam nuſquam niſi βαπτισθέντες accedebant. Quia multi hæretici multa Judaiſmi, a quo ad Chriſtianiſmum tranſierant, veſtigia retinuerunt, alii alia ex eis οἱ ἡμεροβαπτισταὶ ab illis quotidianam ablutionem didicerunt. Si igitur Eſſeni veri

veri Monachi fuerunt, omnino id quod Eſſeni erant, fuerunt, ἡμεροβαπτισταὶ, διςημεροβαπτισταὶ, τριςημεροβαπτισταὶ, Sabbatarii, Judaiſmi medulla, & alia: ita ut ſecundum *Serarium* & alios, quibus adulatur monachorum prima origo omnium ſuperſtitionum Judaicarum cloaca fuerit. Pro coronide hujus diſputationis accipe verba *Philaſtrii Eſſeni qui monachorum vitam exercent, eſcas delitioſas non ſumentes, nec ſtudium in veſtimentis gerentes, nec poſſidentes aliquid, lectioni autem & bonis operibus inſiſtentes, in locis etiam ſeparatis habitantes, Chriſtum autem Dominum Dei filium non expectantes, neque in lege atque Prophetis eum Dominum agnoſcentes annunciatum, ſed ut Prophetam aut juſtum hominem ſolum.* Hæc divinitus *Philaſtrius*, qui monachos Chriſtianos non agnovit, ſed monachorum tantum vitam exercuiſſe, & in Chriſtum non credidiſſe. Arrige aures *Serari*, qui quum hæc *Philaſtrina* produceres, tam bona fide fuiſti, ut ultima præterires, quia omnia tua argumenta ſuffodiunt; & ut uno verbo dicam, totum hoc teſtimonium adverſus te eſt, ut mirer te tui adeo oblitum, ut & priorem partem adverſus te produceres, quemadmodum illa *Nili* quum citares, quid tibi mentis erat? *Eſſenos habuiſſe quidem mores ſimiles moribus monachorum, ſed quia fide in Chriſtum caruerunt, nihil eis profeciſſe ſanctos mores.* Certe *Philaſtrius* & *Nilus* novatores ſunt, qui *Serario* non ſuffragantur. O jocularem pertinaciam. Pag. 311. (hujus edit pag. 189.) *Ineptiſſime* Scaliger, *quia inquit, erant ἡμεροβαπτισταὶ novi baptiſmi autores Donatiſtis fuerunt* &c. Sed oro te, ſocietatis τὰ πρῶτα quid reprehendis in nobis Negas Eſſenos ἡμεροβαπτιστὰς fuiſſe? Certe niſi prorſus ſtipes & fungus es, hoc ſatis tibi probatum eſt, niſi impudens, hoc negare non potes. Quid igitur reprehendis? Tu nihil hactenus, niſi ſtulta, vana, delira, hæretica effutiviſti, & ego pœnas dem, non tu? Non profecto ita erit: Sed ſi tibi tantum judicii fuiſſet ad aliena ſcripta examinanda, quantum confidentiæ eſt ad bonos infeſtandum, non περὶ ἡμεροβαπτισμοῦ τῶν Θεωρητικῶν quod negare aſininum eſt, nos reprehendiſſes, ſed a nobis majorem cautionem de Donatiſtis exegiſſes, qui nihil pertinent ad Eſſenorum ἡμεροβαπτισμὸν. Non enim Donatiſtæ ἡμεροβαπτισταὶ, ſed ἀναβαπτισταὶ fuerunt; utpote qui fuerint portio aut lacinia Novatianorum, qui baptizatos iterum baptizabant: in qua ſententia primum fuerat *Cyprianus*, quam deinde caſtigatus ab orthodoxis, præſertim ab Eccleſia Romana, damnavit. In hoc debebas inquirere, non in ἡμεροβαπτιστῶν quem non Eſſenis peculiarem, ſed omnium Hebræorum communem fuiſſe oſtendimus, tantum abeſt ut non Eſſeni ἡμεροβαπτισταὶ fuerint. Itaque non mirum ſi dixiſti falſum ſimpliciter *Scaligerum* affirmaſſe. Simpliciter affirmare vocas, quod tot argumentis confirmavimus? & quibus confirmatis omnes illæ mendaciorum machinæ, quas monſtro illi Judaici monachatus adſtruendo comparaſti, ſubruuntur, & tam fluxas ſe eſſe oſtendunt, quam fuit iſtud judicium tuum, ex quo incunabula Chriſtianiſmi ex colluvie Judaiſmi deduxiſti, pro quo ſane magnam gratiam a monachis iniveris, quum ſcirent ſe te autore ſtatim a Chriſti reſurrectione ἡμεροβαπτιστὰς ſuperſtitioſos, Sabbatharios, Sebuæos, & aliud quidvis potius, quam veros Chriſtianos fuiſſe. Præclare meruiſti de *Hieronymo*, quem non expreſſis quidem verbis, ſed ex conſeqnentiis mentitum facis, qui dixit Paulum primum eremitam, patrem monachorum fuiſſe, ante illum nullum in Ægypto, ne alibi quidem extitiſſe. Hoc ſatis diſputatum a nobis alibi, ſi modo ea capere potuiſti. Eadem pag. *Quæ vero patria, & avita Philoſophia niſi Judaica?* Ridiculus homo es. Quis hoc negat? Ergo ſunt veri Judæi. At tu paulo ante negabas alterum Eſſenorum genus eſſe Judæos. Quid vis ergo? Hoc plane contra te facit, quemadmodum illa quæ ſentiebas tibi objectum iri & quæ omnino ſententiam tuam eludunt, τῆς αἱρέσεως αὐτῶν ἀρχηγέται *Sectæ ipſorum antiſtites.* Si verum quod dicis, οἱ ἀρχηγέται τῆς αἱρέσεως αὐτῶν, ii erunt Apoſtoli. Chriſtianiſmus quos ἀρχηγέτας habuit præter Apoſtolos? Cui convenit illud, quod hæc verba antecedit, συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν quæ Evangelia & ſcripta Apoſtolica interpretatur *Euſebius*? Quare non ſequeris hic *Euſebium*, & potius priorum ſeculorum Judaiſmi eſſe commentarios vis, quod veriſſime a te (rarum tibi & ſociis) dictum eſt. Sed non vides contra te productum a te eſſe? Negas eos Judæos veros fuiſſe, ſed novos Chriſtianos; deinde illis attribuis vetuſtiſſima commentaria Judaiſmi. Deum immortalem qualis polypus quot colores induiſti? Illud teſtimonium quod hic citas ex *Philone* manifeſto confidentiam tuam arguit, levitatem *Euſebii* eludit. Antiquitus Θεωρητικοὺς fuiſſe, non oriente Chriſtianiſmo per totum terrarum orbem tanquam fungos ex noctur-

na plavia ortos, tam repente extitisse. Certe risi postquam statim occurrit santentiæ *Eusebii*, & objectionibus aliis, quæ ex verbis *Philonis* educi possunt: quas nudas destituit, & se inermem jugulandum exposuit. Denique quicquid ille pag. 312. & sequenti adducit, omnia contra illum faciunt, & tamen ante victoriam palmarium petit, Illa certe non uno verbo confutari & exibilari possunt, Hoc aliis relinquimus.

CAPUT XV.

I. *Esseni moribus Phythagoreis similes*. II. *Fato & Deo omnia adscribunt, liberum tamen arbitrium concedunt*. III. Φιλάλληλοι. IV. *Pietate*. V. *Continentia, & temperantia*. VI. *Cœlibatu*. VII. *Spontanea paupertate, & bonorum communione*. VIII. *Tolerantia & constantia celebres*.

I. JOsephus lib. xv. cap. 13. asserit Essenos Pythagoreis similes fuisse. οἱ παρ' ἡμῖν ἐσσαῖοι καλούμενοι, γένος ἐστὶ διαίτῃ χρώμενοι, τῇ παρ' ἕλλησιν ὑπὸ Πυθαγόρου κατὰ δεδειγμένῃ. Et lib. XVIII. cap. 2. Ζῶσι οὐδὲν παρηλλαγμένως ἀλλ' ὅτι μαλίστα ἐμφέροντες δακῶν τοῖς πλείστοις λεγομένοις. *Scaliger* cap. xx. *Elench.* Cap. IV. (inquit) pag. 200. (hujus edit. pag. 122. 123.) ἀλλ' ὅτι μάλιστα ἐμφέροντες δακῶν τοῖς πλείστοις λεγομένοις. *Maxime similes iis, qui apud Dacos* Plisti *nominantur*. *Abraham Ortelius* ὁ μακαρίτης vir singulari probitate, primus odoratus est esse Ctistas *Strabonis*. *Ctistas* (inquit) Strabonis *puto ex Abierum genere*. Quo nihil verius est. Sed πλεῖστοι non est nauci. Leguendum igitur apud *Josephum*. Δακῶν τοῖς πολισταῖς λεγομένοις. Idem enim πολισταὶ qui κτίσται. Omnes Scythæ & Thraces antiquitus νομάδες erant, in plaustris degentes. Primi inter illos φιλοσοφοῦντες quiaam vicatim & oppidatim cæperunt habitare, qui ab eo πολισταὶ & κτίσται dicti, quum tamen Ἄβιοι in quorum finibus habitabant, palabundi viverent, quod eorum nomen indicat. Tamen hoc cum Hippomolgis, & Galoctophagis confundi scribit *Strabo*. εἶναι δέ τινας τῶν Θρακῶν, οἳ χωρὶς γυναικὸς ζῶσιν, οὓς κτίστας καλεῖσθαι ἀνιερῶσθαι τε διὰ τιμὴν καὶ μετὰ ἀδείας ζῆν, τούτους δὲ συλλήβδην ἅπαντας τὸν ποιητὴν εἰπεῖν

---- Ἀγαυοὺς Ἱππημολγοὺς
Γλακτοφάγους, Ἀβίους τε δικαιοτάτους ἀνθρώπους.

Tharces qui sine uxore vivant, qui Ctistæ vocantur, eosque consecrari propter gloriam, & secure vivere, atque hos summatim omnes a Poeta dici.

---- *Admirabiles Hippomolgos*
Lactiphagos & Abios, queis non justiores alii.

Ideo *Tertullianus* hæreticos extorres Ecclesiarum ubique terrarum palabundas comparat Abiis istis, Nomadico generi haminum cap. 42. de Præscriptionibus Hæræt. *Plerique nec Ecclesias habent. Sine matre, sine sede, orba fide, extorres, quasi Abii late vagantur*. Ubi ineptissime editum, *quasi sibi late vagantur*. Quid proclivius, quam ex literis Si literam A formare? Quid clarius hac emendatione? Quid præposterius judicio quorumdam ὑωδῶν, qui reprehendunt? Pag. 281. *Esset autem hac adhuc illustrior comparatio, si pro Plistis illis reponeratur Ctistas*. Nimis receditur a vestigiis corruptæ lectionis, si ἀντὶ τοῦ πλείστοις legamus κτίσταις. Igitur πολισταῖς verissimum. Sed *Serarius Ortelii* nomen præterivit, qui primus indicavit. Quod περὶ κτίστου postea disputat, & quod *Suetonius Masgabam* κτίστην ab Augusto dictum ab alia causa, quam ex ratione vulgari, vellem nubis explicasset. Quid enim velit nescio. *Josephus* e præstantissimo historico *Hermippo* refert, quemadmodum cum Judæis versatus sit Pythagoras, ab iisque præclara non pauca didicerit, ad suosque transtulerit: Πυθαγόρας ὁ Σάμιος ἀρχαῖος ὤν, σοφίᾳ δὲ καὶ τῇ περὶ τὸ θεῖον εὐσεβείᾳ πάντων ὑπειλημμένος διενεγκεῖν τῶν φιλοσοφησάντων, οὐ μόνον ἐγνωκὼς τὰ παρ' ἡμῖν, δῆλος ἐστὶν ἀλλὰ καὶ ζηλωτὴς αὐτῶν ἐκ πλείστου γεγενημένος. Et postea. Ταῦτα δὲ ἔπραττε, καὶ ἔλεγε, καὶ Ἰουδαίων καὶ Θρακῶν δόξας μιμούμενος, καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτόν. Idemque testatur in lib. I. de bono Pythagoricus *Numenius*; & ex eo lib. I. contra *Celsum Origenes*.

II. Fato omnia adscribunt teste *Josepho* lib. XIII. cap. 9. τὸ τῶν ἐσσηνῶν γένος, πάντων τὴν εἱμαρμένην κυρίαν ἀποφαίνεται, καὶ μηδὲν ὃ μὴ κατ' ἐκείνης ψῆφον ἀνθρώποις ἀπαντᾷ. *Esseni fatum rerum omnium dominum constituunt, & hominibus omnia fato contingere censent*. Quod cum videatur difficile (inquit *Serarius* cap. 4. lib. III.) duas attuli expositiones in lib. I. *Macch.* cap. 9. fol. 736. quarum posterior, quam præferebam, fuit, *fati nomen* significare perpetuam, constantemque Dei legem, quæ omnia gubernaret, sed secundum naturæ, quam ille rebus indidisset, cujusque conditionem, ita ut nulla hominum libero arbitrio vis inferretur, potestque eadem confirmari expositio, primo ex eo, quod lib. II. Capt. cap. 12. ubi omnium dili-

diligentissime horum institutum percenset, uti paulo post dicam, nullam facit *fati* mentionem; deinde quod eodem loco quædam iis dicit αὐτεξούσια, quæ sc. iis a majoribus libera relinquebatur, multo magis a Deo. Tertio quia lib. XVIII. cap. 2. idem *Josephus*: Ἐσσηνοῖς ἐπὶ μὲν Θεῷ καταλιπεῖν φιλεῖ τὰ πάντα ὁ λόγος. Distinguere autem *Josephum fato & Deo* aliquid adscribere, colligi potest ex lib. II. Capt. cap. 12. ubi Pharisæos ait cuncta fato adscribere & Deo. Quarto quia diserte liber Apostolicarum constitutionum sextus cap. 6. cum Sadducæos, & Masbothæos nominasset, Pharisæisque fatum, ut supra etiam dixi, tribuisset: *Ab his* (inquit) *omnibus segregarunt sese Essæi, qui patrios ritus servant*. Quinto denique, quia sic Pythagorei fatum statuebant, ut ex *Laertio* lib. VIII. potest intelligi. Et in hoc aliqua jam Essenorum, & Pythagoreorum elucet similitudo, quæ pluribus aliis adhuc elucebit.

III. Hesseni φιλάλληλοι. *Josephus* lib. II. Cap. cap. 12. Ἰουδαῖοι μὲν τὸ γένος ὄντες, φιλάλληλοι δὲ καὶ τῶν ἄλλων· οὗτοι τὰς μὲν ἡδονὰς ὡς κακίαν ἀποστρέφονται &c. *Eusebius* lib. IX. Προπαρασκ. hunc locum ex *Porphyrio* laudans eodem modo illum distinguit. Ceterum videtur *Rufinus* usus fuisse codicibus in quibus ille sic distinctus erat: φιλάλληλοι δέ. καὶ τῶν ἄλλων πλέον οὗτοι &c. ut illud πλέον referatur ad sequentia. Verba *Rufini*. *Gente quidem Judæi, verum inter se mutuo amore conjunctissimi; & qui præter cetera voluptates quidam quasi maleficia vitarent*. Hanc distinctionem juvat aliquantum copulans καὶ quæ in textu Græco, ut vidisti. Mihi ea non adspernanda videtur. Sed nihil statuo. Hactenus *Drusius*.

IV. Pietate in Deum maxime celebrantur. *Abraham Zachuth* 227. יש להם ענות ויראת אשם. Præditi sunt mansuetudine, ac timore Nominis, id est Domini. Timor Domini nihil aliud est quam pietas Εὐσέβεια. *Josephus*: πρός γε μὴν τὸ θεῖον ἰδίως εὐσεβεῖς: *præcipue circa Deum religiosi sunt*. Sequitur in *Josepho*: πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι, μετὰ ταῦτα πρὸς ἃς ἕκαστοι τέχνας ἴσασιν ὑπὸ τῶν ἐπιμελητῶν διαφίενται. *Eusebius* ἀφεῖναι. *Namque ante solis ortum nihil profani loquuntur, sed ei patria quædam vota celebrant, quasi ut oriatur precantes. Deinde ad quas venerunt singuli artes a curatoribus dimittuntur*. *Scaliger* cap. XX. Elench. Omnibus (inquit) *Serarii* ambagibus remotis Esseni adorabundi ad Solem orientem convertebantur, & nescio quare hæc fucare nititur Theologus. Luce enim clariora sunt verba *Josephi*. ὡς μὴ τὰς αὐγὰς ὑβρίζοιεν τοῦ Θεοῦ, *ne radios Dei contumelia afficerent*. Quamvis Judæus, tamen loquitur ut Græcis Græce scribens. Græcis enim ἀνίσχοντος Θεοῦ ἐν *Exoriente Deo*, nihil aliud est, quam ἀνίσχοντος ἡλίου, *exoriente sole*. Ea quoque satis confirmant eos preces ad solem concepisse, imo solem ipsum orasse, ὥσπερ ἱκετεύοντες. Quis negabit nisi qui Græce nescit? Quo tot pædagogica argumenta? Quo ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον *in lenticula unguentum?* Hoc quum facerent Essæi, ex illis orti sunt Σαμψαῖοι, qui & ἡλιογνῶσαι. Hoc factum tam Essenorum, quam Sampsæorum est adversus institutum legis divinæ *Ezech.* VIII. 16. Porta enim Tabernaculi spectabat, solem Sancta Sanctorum illi opposita conversa erant ad occidentem. Unde necessario ad occidentem adorabant. Quod ea causa fecit Moses, ne si ad solem conversi adorarent, Solem ipsum potius, quam Deum adorarent, quod etiam diserte divino opere suo Arabico More Hannebochim disputat *Rambam*. Christiani vero ne viderentur judaizare, ad solem orientem orabant, neque tantum ab eam causam, sed quia Christus a prophetis vocatus est ἀνατολή *Luc.* I. 78. ut recte verterunt septuaginta, *Hierem.* XXIII. 5. *Zachar.* III. 8. VI. 11. Ubi Hebraice est צמח. Unde Judæi horoscopum id est locum orientis in themate Genethliaco vocant צומח, hoc est ἀνατέλλοντα. Vox Hebraica duo significat, *Germen*, & per secundam notionem ἀνατολήν. Qui vertunt *germen*, imperite faciunt, audeo dicere, neque mentior contra verbum Dei. τὸ ἀπαύγασμα id est *splendorem* quod est in Epistola ad Hebræos, Syrus Paraphrastes vertit צמחא. Christum ἀνατολὴν vocatum ter aut quater apud *Justinum* leges. *Tertullianus* Apolog. scribit, Gentiles putasse solem a Christianis adorari, quod ad Orientem conversi precarentur. Cap. XVI. *Alii plane humanius & verisimilius solem credunt Deum nostrum. Ad Persas si forte deputabimur (licet solem non linteo depictum non adoremus) habentes ipsum ubique in suo clipeo. Denique inde suspicio, quod innotuerit nos ad orientis regionem precari*. In quæstionibus perperam *Justino* attributis quæst. 118. διὰ τί ὡς σεμνὸν ἔργον τες, καὶ οἰκητήριον Θεοῦ τὸ πρὸς τὸ ἡλιακὸν κλίμα νομίζοντες, ἐν αὐτῷ ἀφορῶντες τὰς ὕμνους καὶ τὰς προσευχὰς τῷ Θεῷ ἀναπέμπομεν. *Cur tanquam opus veneratione dignum, & quasi habitaculum divinum esse existiman-*

mantes Solis clima illud intuentes hymnos procesque Deo offerimus? Vide responsum, ubi causa diversa a nostra redditur. *Clemens* VIII. Strom. πρὸς τὴν ἑωθινὴν ἀνατολὴν αἱ εὐχαί. Frustra vero torquet se in defendendis Essenis *Serarius* quod solem neget eos adorasse. Certe plus videntur adorasse, quam contra, ex verbis *Josephi*. Neque ulla alia causa fuit, quare ad templum non admittebantur, nisi quia quædam hæretica habebant, adorare ad orientem, victimas non mactare, & alia. Ideo hæretici erant. Quod nescio an animadverterit *Serarius*; aut quia hinc Monachorum originem repetit, an propterea illud dissimulaverit, equidem dubito. Certe in sequenti cap. v. ubi id argumentum tractatur, hoc non tangit. In versu *Juvenalis* legendum:

---- *Et cœli lumen adorant.*

Ut recte olim *Canterus* correxit. Nam *Serarius* ridicule citavit, nullo sensu.

V. Ἐγκράτειαν *Xenophon* ait τῆς ἀρετῆς εἶναι κρηπῖδα hoc est *Continentiam virtutis fundamentum esse*. Quid Hessæi? τὴν δὲ ἐγκράτειαν, ait *Josephus* in Judaicis, καὶ τὸ μὴ τοῖς πάθεσιν ὑποπίπτειν ἀρετὴν ὑπολαμβάνουσιν id est interprete *Rufino*. *Continentia vero servare, neque cupiditati sucumbere, virtutem maximam ducerent*. Plus dicit quam *Josephus*. Forte legit ἀρετὴν μεγάλην. Continentiam exercebant etiam a cupiditate lucri. *Abraham Zachuth*. *Moribus erant præditi optimis, odio habentes lucrum & custodientes seipsos a scortatione*. Ceterum odit lucrum, qui dat operam, ne lucro dedita sit mens ejus, sive qui imperat cupiditati lucri. Id Græci dicunt ἐγκράτειαν αὐτῶν κέρδους. Cupiditati non sucumbere, vel potius affectus domare signum est fortitudinis. *Ben Zoma*. *Quis fortis? qui domat affectus suos*. Hebraice: הכובש יצרו *qui subigit figmentum suum*. Posses vertere: *Qui imperat cupiditati*. Hæc *Drusius*. A voluptate vel maxime abhorrebant: τὰς ἡδονὰς ὡς κακίαν ἀποστρέφονται. *Josephus* Capt. lib. II. cap. 12. Hoc idem profitebantur Pythagorici teste *Justino* lib. xx. cap. 4. *Laudabat quotidie virtutem, & vitia luxuriæ contemnebat, casusque civitatum hac peste perditarum enumerabat; tantunque studium ad frugalitatem multitudinis provocavit, ut aliquos ex his luxuriatos in optimem frugam conversos fuisse incredibile videretur*. Et *Cicerone* lib. de senectute, ubi laudatur hæc Pytagorici Architæ Tarentini oratio *Nullam capitaliorem pestem, quam voluptatem corporis, hominibus a natura datam cujus voluptatis avidæ libidines, temere & effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus claudestina colloquia nasci; nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret: Stupra vero & adulteria & omne tale flagitium, nullis aliis ilecebris excitari nisi voluptatis. Cumque homini sive natura, sive quis Deus nihil mente prestabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum quam voluptatem. Nec enim libidine dominante, temperantiæ locum esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere: quod quo magis intelligi posset, fingere animo jubebat, tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta posset maxima, nemini censebat fore dubium, quin tandiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset: quocirca nihil esse tam detestabile, tanque pestiferum quam voluptatem; siquidem ex quum major esset, atque longinquior, omne animi lumen extingueret*.

VI. Hesseni, alii coelibes, alii uxores dicebant. *Abraham Zachuth*. *Divisi sunt Hessæi in duas secta*. (*Josephus* τάγματα vocat, ejus interpres vetus colleggia) quoad conjugium. *Secta una ex illis ducunt uxores; ad conservationem speciei, postquam probavarint eas tribus annis, si aptæ sint ad pariendum, quod cognoscunt ex ratione menstruorum, Ceterum quando gravidæ sunt non congrediuntur cum eis amplius, ut ostendant se ad conservationem generis humani, non ad voluptatem duxisse. Et secta ex illis non ducunt uxorem omnino, quia putant non inveniri fœminam, quæ custodiat fœdus mariti sui perfecte*. De his *Josephus* Capt. lib. II. cap. 12. καὶ γάμου ὑπεροψία παρ᾽ αὐτοῖς, τοὺς δὲ ἀλλοτρίους παῖδας ἐκλαμβάνοντες ἁπαλοὺς ἔτι πρὸς τὰ μαθήματα, συγγενεῖς ἡγοῦνται καὶ τοῖς ἤθεσι τοῖς ἑαυτῶν ἐντυποῦσι τὸν μὲν γάμον καὶ τὴν ἐξ αὐτοῦ διαδοχὴν οὐκ ἀναιροῦντες, τὰς καὶ τῶν γυναικῶν ἀσελγείας φυλασσόμενοι, καὶ μηδεμίαν τηρεῖν πεπεισμένοι τὴν πρὸς ἕνα πίστιν. *Rufinus* interpres. *Itaque nuptias quidem fastidiunt, alienos vero filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes, suis moribus diligenter instituunt; non quia conjugia, vel humani generis successionem censeant perimendam, sed quia cavendum putant intemperantiam fœminarum, nullam earum uni viro fidem servare credentes*. *Prinius* lib. v. cap. 17. *Gens* (Essenorum) *sola, & in toto orbe præter uxores, mira sine ulla fœmina, omni venere abdicata. Per seculorum milia (incredibile dictu) gens æter-*

æterna est, in qua nemo nascitur. In diem ex æquo convenarum turba renascitur, longe frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitabat: Et paulo post. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia. Similia docet *Solinus* cap. 35. *Interiora Judææ quæ occidentem contuetur, Esseni tenent, qui præditi memorabili disciplina, recesserunt a more gentium universarum, majestatis, ut reor, providentia ad hunc modum destinati. Nulla ubi fœmina; Venere se penitus abdicarunt; pecuniam nesciunt, palmis victitant; nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est. Ad quem plurimi licet undique gentium properent, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur. Nam querens est, vel levis culpæ, quamvis summa ope adipisci ingressum velit, divinitus summovetur. Ita per immensum spatium seculorum, incredibile dictu, æterna gens est, cessantibus puerperiis. Solinus* & *Josephus* lib. XVIII. cap. 2. & *Strabo* lib. VII. apud Getarum, Thracumque quosdam, qui ἄγυνοι, seu χωρὶς γυναικός, id est absque fœmina vixerint, hosque ab *Homero* idcirco laudatos, ac vocatos esse ἀβίους τε καὶ δικαιοτάτους ἀνθρώπους tradit *Posidonius*. De illis idem *Josephus* ibid. paulo post. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερον Ἐσσηνῶν τάγμα, ὃ δίαιταν μὲν καὶ ἔθη καὶ νόμιμα τοῖς ἄλλοις ὁμοφρονοῦν, διεστὼς δὲ τῇ κατὰ γάμον δόξῃ, μέγιστον γὰρ ἀποκόπτειν οἴονται τοῦ βίου μέρος τὴν διαδοχὴν τοὺς μὴ γαμοῦντας, μᾶλλον δὲ εἰ πάντες τὸ αὐτὸ φρονήσειαν, ἐκλιπεῖν ἅπαν τὸ γένος τάχιστα. Δοκιμάζοντες μέντοι τριετίᾳ τὰς γαμετάς, ἐπειδὰν τρὶς καθαρθῶσιν, εἰς πεῖραν τοῦ δύνασθαι τίκτειν, οὕτως ἄγονται· ταῖς δὲ ἐγκύμοσιν οὐχ ὁμιλοῦσιν, ἐνδεικνύμενοι τὸ μὴ δι' ἡδονήν, ἀλλὰ τέκνων χρείαν γαμεῖν. Idem *Rufinus* interpres. *Est autem aliud Essenorum collegium, cibos quidem & mores, legesque similes cum prioribus habens, distans vero opinione de conjugio: Maximam siquidem vitæ hominum partem, successionem sc. amputare eos, qui abstineant nuptiis, arbitrantur: quippe si in eandem velint omnes ire sententiam, defecturum confertim genus humanum. Nihilominus tamen cum tanta ipsi moderatione conveniunt, ut per triennium explorent valetudinem fœminarum, & si constanti purgatione apparuerint idoneæ partui; ita eas in matrimonium adsciscunt. Nemo tamen cum prægnante concumbit, ut ostendat quod nuptias non voluptatis, sed liberorum causa inierint. Laertius* testatur etiam fœminas Pythagoræ sectam secutas, ut apud Essenos. *Justinus* lib. XX. de Pythagora loquens. *Docebat* (inquit) *fœminas pudicitiam, & obsequia in viros, nunc illos modestiam, & literarum studium. Inter hæc velut genitricem virtutem frugalitatem omnibus ingerebat; consecutusque assiduitate disputationum erat, ut matronæ auratas vestes, ceteraque dignitatis suæ ornamenta velut instrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia delata in Junonis ædem ipsi deæ consecrarent; proferens, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse*. Idem ibid. *Matronarum separatam a viris doctrinam, & puerorum a parentibus frequenter habuit.*

VII. Essenorum divitiarum contentum testatur *Josephus* dicens, καταφρονηταὶ πλούτου. Idem docet *Abraham Zachuth*, scribens eos ex labore vivere, & lucrum odisse. נהנים מיניעם ושונאי בצע. *utilitatem capiunt ex labore suo, & odio habent lucrum*. Nam בצע *lucrum*: Unde בוצע בצע *lucri avidus, lucrio Prov.* I. 19. Agriculturæ erant dediti. *Josephus* Orig. lib. XVIII. cap. 2. καὶ τὸ πᾶν πονεῖν ἐπὶ γεωργίᾳ τετραμμένοι. *Et agris colendis in totum dediti. Zonaras* 189. *Labores agriculturæ capessunt. Juchasin* pag. 226. *Utilitatem capiunt ex labore suo, & post orationem eunt parumper negotiatum, & ad faciendum opus suum, idque cum licentia majorum*. Nihil emebant, & vendebant. *Abraham Zachuth* ibid. *Non venditur quicquam inter eos, sed dant indigenti gratis. Josephus*: οὐδὲν δ' ἐν ἀλλήλοις οὔτε ἀγοράζουσι, οὔτε πωλοῦσιν ἀλλὰ τῷ χρῄζοντι διδοὺς ἕκαστος τὰ παρ' αὐτῷ τὸ παρ' ἐκείνου ἀντικομίζεται, καὶ χωρὶς δὲ τῆς ἀντιδόσεως ἀκώλυτος ἡ μετάληψις αὐτοῖς παρ' ὧν ἂν ἐθελήσωσι. *Rufinus* interpres. *Nihil autem inter se mercantur, aut vendunt, sed egenti quisque, quod habet, præbens, refert ab eo quod ipse non habet: quamvis etiam sine permutatione cunctis libera sit facultas a quibus libuerit accipiendi, quod opus sit*. Bona omnia communia habent. *Josephus* II. Capt. cap. 12. καὶ θαυμάσιον παρ' αὐτοῖς τὸ κοινωνητικόν, οὐδὲ ἔστιν εὑρεῖν κτήσει τινὰ παρ' αὐτοῖς ὑπερέχοντα· νόμος γὰρ τοὺς εἰς τὴν αἵρεσιν εἰσιόντας δημεύειν τῷ τάγματι τὴν οὐσίαν, ὥστε ἐν ἅπασι μήτε πενίας ταπεινότητα φαίνεσθαι, μήθ' ὑπεροχὴν πλούτου. τῶν γὰρ ἑκάστου κτημάτων ἀναμεμιγμένων μίαν ὥσπερ ἀδελφοῖς ἅπασιν οὐσίαν εἶναι. *Rufinus* interpres. *Rerumque apud eos communicatio admirationi habetur, neque invenias alterum alteri opulentia præstare; legemque sibi dixerunt, ut qui disciplinam suam sectari vellent, bona contubernio publicarent. Ita enim fore, ne vel paupertatis humilitas, vel divitiarum dignitas appareret; sed permixtis facultatibus, velut inter fratres*

unum

unum esset omnium patrimonium. Idem Orig. lib. XVIII. cap. 2. τά χρήματά τε κοινὰ αὐτοῖς ἐςὶ, ἀπολαύει δὲ ἐδὲν ὁ πλέσιος τῶν οἰκείων μειζόνως, ἢ ὁ μηδ᾽ ὅτι ἐν κεκτημένος. *Facultates in commune possident, nec aliquis dives magis utitur suis bonis, quam quivis nihil possidens. Abraham Zachuth. Omnes ipsi divitias inter se communes habent. Nam quicunque ingrediuntur morem eorum, conferunt opes suas in thesaurum. Inde aluntur, & sufficienter præbentur illis cibus & vestes. Inde quoque dant iis, quibus volunt, sed non dant quicquam proximis suis nisi cum venia majorum. Quod si accipere quis noluerit e thesauro quantum satis est, detinent eum in macilentia. Zonaras* 189. κοινὰ τὰ χρήματα ἔχεσι. *Res communes habent. Quare dives omnium pauperrimo nihilo vivit lautius.* Nihil dare poterant cognatis, nisi cum venia curatorum. *Josephus.* τὰς δὲ εἰς τὰς συγγενεῖς μεταδόσεις ἐκ ἔξεςι ποιεῖσθαι δίχα τῶν ἐπιτρόπων. Indigentibus tamen vel sine curatorum venia dare de bonis communibus poterant. *Josephus.* τῶν μὲν ἐν ἄλλων ἐκ ἔςιν ὅτι μὴ τῶν ἐπιμελητῶν προςαξάντων ἐνεργᾶσι. δύο δὲ ταῦτα παρ᾽ αὐτοῖς αὐτεξεσία, ἐπικερία, καὶ ἔλεος. βοηθεῖν πεγάρ τοῖς ἀξίοις, ὁπόταν δέωνται καὶ καθ᾽ αὐτὰς ἀφίεται, καὶ τροφὰς ἀπορεμένοις ὀρέγειν. *Rufinus* interpres. *Sed quamvis aliarum rerum nihil sine præcepto faciant curatoris, tamen in his duobus, hoc est, in juvando, & miserendo sui juris sunt. Nam & subvenire dignis, cum opus est, suo arbitrio cuique licet, & indigentibus alimenta porrigere. Abraham Zachuth. Non faciunt quicquam absque licentia majorum suorum, nisi ut prosint indigentibus, & pauperibus, & etiam ut fleant, & plangant.* Idem testatur de Pythagoricis *Laertius*, & *Gellius* lib. I. cap. 10. *Id quoque* (inquit) *prætereundum non est, quod omnes simul, qui a Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familiæ, pecuniæque habebant in medium dabant. Et coibatur societas inseparabilis; tanquam illud fuerit, antiquum consortium, quod in re, atque verbo Romano appellabatur* κοινόβιον. *Justinus. Trecenti ex juvenibus, sodalitii jure, sacramento quodam nexi, separatam a ceteris civibus vitam exercebant.*

VIII. Summa in adversis tolerantia & constantia celebrantur. *Abraham Zachuth. Et ipsi fortes sunt in fide sua si moriendum sit pro nomine Dei & pro uncto ejus. Innotuit autem fortitudo eorum in bello, quod Israelitæ gesserunt cum Romanis, ne comederent cibum pollutum, & ne loquerentur rebellionem contra Mosen. Nam eorum menbra igne combusta fuerunt, neque tamen verba deprecationum locuti sunt ad percussores. Contra ex illis quidam subsannabant eos, & recipiebant pœnas hilari vultu, cum reputtarent, licet corpus corrumpatur, tamen animas interitus expertes esse. Quod si vincta est anima in corpore, nihilominus soluto vinculo tempore mortis adscendit ipsa sursum, nec est ullum velum dividens, & animæ bonæ abeunt ultra Oceanum in paradisum inferiorem sub linea æquinoctiali; malæ autem abeunt ad interitum in terram tenebrarum, & umbræ mortis Eusebius* ex *Porphyrio* præparat Evangel. lib. IX. c. 12. ἐκ δὲ τῆς ἀσκήσεως ταύτης τοσαύτην πεποίηνται καρτερίαν, ὡς ςρεβλέμενοι καὶ λογιζόμενοι καὶ καόμενοι, καὶ διὰ πάντων ὀδεύοντες τῶν βασανιστηρίων ὀργάνων, ἵν᾽ ἢ βλασφημήσωσι τὸν νομοθέτην ἢ φάγωσί τι ἀσυνήθων, ἐδέτερον ὑπομένειν. διέδειξαν δὲ τῦτο ἐν πρὸς Ρωμαίες πολέμῳ. ἐπὶ δ᾽ ἐ κολακεῦσαι τὰς αἰκιζομένες, ἢ δακρῦσαι ὑπομένεσι, μειδιῶντες δὲ ἐν ταῖς ἀλγηδόσι καὶ κατειρωνευόμενοι τῶν τὰς βασάνες προσφερόντων, εὔθυμοι τὰς ψυχὰς ἠφίεσαν, ὡς πάλιν κομιέμενοι· καὶ γὰρ ἔρρωται παρ᾽ αὐτοῖς ἥδε ἡ δόξα, φθαρτὰ μὲν εἶναι τὰ σώματα καὶ τὴν ὕλην ἐ μόνιμον αὐτῶν, τὰς δὲ ψυχὰς ἀθανάτες ἀεὶ διαμένειν. καὶ συμπλέκεσθαι μὲν ἐκ τῦ λεπτοτάτε φοιτώσας αἰθέρος, ῥύμῃ φυσικῇ κατασπωμένας, ἐπειδὰν δ᾽ ἀνεθῶσι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν, οἷον δὴ μακρᾶς δελείας ἀπηλλαγμένας τότε χαίρειν καὶ μετεώρες φέρεσθαι. *Ex hac autem assuetudine seu exercitio eam consecuti sunt tolerantiam, ut miserrime torti, & vincti ac per omne genus tormentorum transeuntes, ut aut legislatori maledicerent, aut comederent quippiam ciborum insolitorum, neutrum admisserint. Illud autem egregie in bello contra Romanos gesto ostenderunt. Quin ne eo quidem adigi potuere, ut vel cruciantes tortoresve suos blandimentis sibi conciliarent vel flerent. In mediis quinimo nuciatibus subridentes, & iis qui tormenta admoverant illudentes, hilares animas efflarunt quasi eas denuo recepturi essent. Invaluit quippe apud eos hæc opinio, corruptibilia quidem esse corpora, materiamque eorum non esse perpetuam, sed animas immortales perennare, & de æthere subtilissimo advenientes, quasi carceribus ita corporibus implicari, naturali quadam illecebra. Ubi vero a carnalibus vinculis relevatæ fuerint, quasi a longa servitute liberatas, tunc lætari eas, sublimesque ferri.* Vide *Josephum* in Judaicis lib. II. cap. 12.

CA-

CAPUT XVI.

I. *Servos nullos habent*. II. *Ab unctione abstinent*. III. *Iræ moderantur*, & *a mendacio abstinent*. IV. *Non jurant*. V. *Legunt commentarios veterum*. VI. *Reverentia erga Mosen*. VII. *Senes honorant*. VIII. *Decorum servant in spuendo*. IX. *De observatione Sabbathi*. X. *Divisio eorum in quatuor partes*. XI. *Longævitas*. XII. *Quidam eorum futura prædicunt*. XIII. *De eorum numero*. XIV. *Locus habitationis*. XV. *Hospitalitas*. XVI. *Peregrinatio*. XVII. *Non sacrificant in templo*.

I. *Josephus* Orig. lib. XVIII. cap. 2. ὄτε γαμετὰς εἰσάγονται, ὄτε δούλων ἐπιτηδεύουσι κτῆσιν· τὸ μὲν εἰς ἀδικίαν φέρειν ὑπειληφότες, τὸ δὲ στάσεως ἐνδιδόναι ποίησιν· αὐτοὶ δὲ ἐφ' αὐτῶν ζῶντες ἐπὶ διακονίᾳ τῇ ἐπὶ ἀλλήλοις ἐπιχρῶνται. *Nec uxores habent, nec servos, quod alterum ad injuriam communis naturæ pertinere censeant, alterum tranquillitati vitæ parum commodum. Quare per se ipsi viventes invicem sibi ministrant.*

II. Abstinebant ab unctione Esseni, licet ejus usus frequens esset apud Judæos: *Josephus* Capt. lib. II. cap. 12. κηλῖδα δὲ ὑπολαμβάνουσι τὸ ἔλαιον, κἂν ἀλειφῇ τις ἄκων, σμήχεται τὸ σῶμα. *Pro macula ducunt oleum, & siquis invitus unctus fuerit, absterget corpus.* Codices *Eusebiani* τοὔλαιον κἂν ἀλειφθῇ τις ἄκων. *Rufinus*. *Munditiis corpus absterget*. Lectio alia: Munditiis corpus abstergere.

III. Iræ moderantur *Josephus*. ὀργῆς ταμίαι δίκαιοι, θυμοῦ καθεκτικοί. *Rufinus*. *Iracundiæ moderatores justi sunt, indignationem cohibent*. Sequitur *Josephus*. πίστεως προστάται, εἰρήνης ὑπουργοί. *Rufinus*. *Fidem tuentur, paci obsecundant*. *Abraham Zachuth*. *Neque faciunt iniquitatem, neque loquuntur mendacium*. In *Josepho*: καὶ πᾶν μὲν τὸ ῥηθὲν ὑπ' αὐτῶν, ἰσχυρότερον ὅρκου: *quicquid ab iis dictum, jurejurando firmius.*

IV. Non jurant. *Abraham Zachuth*: שומרים עצמם מהשבועה *custodiunt seipsos a juramento*. Quin ipsum jusjurandum teste *Josepho* perjurio deterius existimant: τὸ δὲ ὀμνύειν αὐτοῖς περίσταται χεῖρόν τι τῆς ἐπιορκίας ὑπολαμβάνοντες, ἤδη γὰρ ἤδη καταγνῶσθαι φασι τὸν ἀπιστούμενον δίχα θεοῦ.

V. Legunt commentarios veterum. *Josephus*. Σπουδάζουσι δὲ ἐκτόπως περὶ τὰ παλαιῶν συγγράμματα, μάλιστα δὲ τὰ πρὸς ὠφέλειαν ψυχῆς καὶ σώματος ἐκλέγοντες. ἔνθεν αὐτοῖς θεραπείαν παθῶν ῥίζαι τε ἀλεξιτήριον καὶ λίθων ἰδιότητες ἀνερευνῶνται. *Rufinus*. *Summum autem studium veterum scriptis adhibent, & maxime inde quæ animo & corpori expediant eligentes. Hinc illis morborum remedia, stirpe medicæ, quamque vim propriam singuli lapides habeant, rimantibus conquiruntur*. *Abraham Zachuth*. *Intendunt in sapientiam legis, e qua educunt sapientias physicas ad intelligendum naturas stirpium, & animalium.*

VI. Post Deum Mosen magno obsequio prosequuntur. *Josephus*. Σέβας δὲ μέγιστον παρ' αὐτοῖς μετὰ τὸν θεὸν τὸ ὄνομα τοῦ νομοθέτου, κἂν βλασφημήσῃ τις τοῦτον κολάζεσθαι θανάτῳ. *Reverentia autem apud eos post Deum maxima legislatoris est, ita ut si quis eum blasphemaverit, morte mulctetur*. *Abraham Zachuth*. *Ex fundamentis sectæ ipsorum est quod post honorem Dei laudandi maximi faciant Mosen doctorem nostrum, super eum pax, adeo ut si loquatur quis ex illis verbum blasphemiæ contra Mosen, puniendo puniatur ad mortem.*

VII. Senes honorant. *Abraham Zachuth*. *Tribuunt honorem senibus, nec loquuntur coram eis, nisi venia impetrata*. *Josephus*: τοῖς δὲ πρεσβυτέροις ὑπακούειν καὶ τοῖς πλείοσι ἐν καλῷ τίθενται. δέκα γοῦν συγκαθεζομένων οὐκ ἂν λαλήσειέ τις ἀκόντων τῶν ἐννέα: *Senibus obedire, & pluribus pulchrum ducunt: Si ergo decem simul sedeant, nemo loquitur invitis novem.*

VIII. De corum servant in spuendo. *Josephus*. Καὶ τὸ πτύσαι δὲ εἰς μέσους, ἢ τὸ δέξιον μέρος φυλάσσονται: *Spuere in medios, vel in dextram partem vitant*. *Rufinus* habet *in medium eorum* εἰς μέσον αὐτῶν nempe πρεσβυτέρων, aut πλειόνων, id est plurium.

IX. In Sabbatho quævis opera, quæ reliqui Judæi sibi licita putabant, sibi non permissa credebant. *Josepus*. φυλάσσονται καὶ ταῖς ἑβδομάσιν ἔργων ἐφάπτεσθαι διαφορώτατα Ἰουδαίων ἁπάντων. οὐ μόνον γὰρ τροφὰς ἑαυτοῖς πρὸ ἡμέρας μιᾶς παρασκευάζουσιν, ὡς μὴ δὲ πῦρ ἐναύοιεν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ἀλλ' οὐδὲ σκεῦός τι μετακινῆσαι θαρροῦσιν, οὐδὲ ἀποπατεῖν. *Rufinus*. *Sabbathis quoque operationem aliquam contigisse omnibus Judæis diligentius cavent. Neque cibum solum sibi pridie præparant, ne videlicet illo die ignem accendant, sed neque vas aliquod transferre audent, imo nec alvum purgant*. *Abraham Zachuth*. *Observant Sabbathum observatione excellenti, & non transferunt vas de loco ad locum, etiam necessitates suas difficulter solvunt*: id est alvum aut ventrem exonerant. Quod aliis diebus dum faciunt parva ascia, vel securicula fossam pedis unius fodiunt, vesteque ipsam circumtegunt, ne

Dei

Dei radios injuria afficiant; deinde effossam terram in foveam retrahunt, loca ad hoc deligentes secretissima. Licet autem naturalis hæc sordium egestio sit, post eam tamen iis velut pollutis, ablui solenne. Hæc fere *Josephus*; quæ *Abraham Zachuth* in pauca contraxit. *Die autem prima tegunt securi, quod egressum est e corpore ipsorum, postea tegunt pulvere.* Locus non sine vitio; nam non tegunt excrementum suum securi, sed ea foveam fodiunt, quam deinde veste contegunt sedentes, & post egestam alvum terra operiunt. Hæc quia sine operatione non fiunt, ideo in Sabbatho alvum non exonerant; quod in illis facile ab tenuem victum, quo utuntur. *Porphyrius* apud *Eusebium*: ἐπεὶ καὶ αὐτοὶ ἄλλως οὐ θακεύουσι, ἢ βόθρον ὀρύξαντες εἰς βάθος ποδιαῖον, περικαλύψαντες θοἰματίῳ ὡς μὴ ταῖς αὐγαῖς ἐνυβρίζειν τοῦ θεοῦ. τοσαύτη δ' ἐστὶν αὐτῶν ἡ λιτότης ἡ περὶ τὴν δίαιταν, καὶ ἡ ὀλιγότης, ὡς ἐν τῇ ἑβδομάδι μὴ δεῖσθαι κενώσεως, ἣν τηρεῖν εἰώθασιν ἐν ὕμνοις τῷ θεῷ καὶ εἰς ἀνάπαυσιν. *Postquam & ipsi aliter non sedent, nisi oveam pedis unius fodiant, vesteque ipsam circumtegant, ne splendorem Dei contumelia afficiant. Ea enim eorum est frugalitas, & diætæ tenuitas, & paucitas, ut in Sabbatho exonerationem iis opus non sit; quod servare solent in hymnis Deo & in requiem.*

X. Dividuntur in quatuor partes. *Josephus*. Διήρηνται δὲ κατὰ χρόνον τῆς ἀσκήσεως εἰς μοίρας τέσσαρας, καὶ τοσοῦτον οἱ μεταγενέστεροι τῶν προγενεστέρων ἐλαττοῦνται, ὥστε εἰ ψαύσειαν αὐτῶν ἐκείνους ἀπολούεσθαι καθάπερ ἀλλοφύλῳ συμφερονίας. *Dividuntur, & juxta tempus susceptæ abstinentiæ in quatuor ordines; tantunque ii qui juniores sunt, inferiores æstimantur vetustioribus, adeo ut si aliquos eorum contigerint, lavantur, quasi ex contactu alienigenæ.*

XI. Eorum longævitas. *Josephus*. καὶ μακρόβιοι μὲν ὡς τοὺς πολλοὺς ὑπὲρ ἑκατὸν παρατείνειν ἔτη διὰ τὴν ἁπλότητα τῆς διαίτης, ἔμοιγε δοκεῖν καὶ τὴν εὐταξίαν. *Vitæ longioris sunt, adeo ut complures eorum vitam ultra centesimum annum protrahant, idque ob diætæ simplicitatem, ut ego quidem arbitror, & bonum ordinem. Abraham Zachuth. Sunt ex illis, qui vivant usque ad centum annos, eo quod cavent sibi a cibo multo, & eduliis variis.*

XII. Quidam ex iis futura prædicunt. *Josephus*: Εισι δὲ ἐν αὐτοῖς οἱ καὶ τὰ μέλλοντα προγινώσκειν ὑπισχνοῦνται, βίβλοις, ἱεραῖς καὶ διαφόροις ἁγνείαις καὶ προφητῶν ἀποφθέγμασιν ἐμπαιδοτριβούμενοι. σπάνιον δὲ εἴποτε ἐν ταῖς προαγορεύσιν ἀστοχήσουσιν. *Sunt & inter eos, qui futura prænoscere promittunt sacris vid. libris & variis sanctificationibus, prophetarumque dictis innutriti. Rarum autem est, quod in prædictionibus a scopo aberrent. Abraham Zachuth. Qui sectam eorum ingreditur, numquam inde exit, & inveniuntur in eis viri loquentes futura, & hoc ob separationem eorum, & sanctitatem eorum, & quod servent sese ab immunditia, & quod plurimum consentiant cum phophetis. Eusebius* præparat. Evangel. lib. IX. cap. 3. ἀπὸ δὲ τῆς τοιαύτης διαίτης, καὶ τῆς πρὸς ἀλήθειαν καὶ τὴν εὐσέβειαν ἀσκήσεως, εἰκότως ἐν αὐτοῖς πολλοί, οἳ καὶ τὰ μέλλοντα προγινώσκουσιν, ὡς ἂν βίβλοις ἱεραῖς καὶ διαφόροις ἁγνείαις καὶ προφητῶν ἀποφθέγμασιν ἐμπαιδοτριβούμενοι. σπάνιον δέ, εἰ ἐν ταῖς προαγορεύσεσιν ἀστοχοῦσι. *Tali diæta cum utantur, & exercitatione circa veritatem & pietatem, non mirum si inter eos multi sint, qui & futura præsciant, veluti sacris libris variisque sanctificationibus, & prophetarum sententiis innutriti.* Sequitur *Eusebius*. ταῦτα μὲν ὁ Πορφύριος ἐκ τῶν παλαιῶν, ὡς εἰκός, ἀναγνωσμάτων, τῇ τῶν δηλουμένων ἀνδρῶν εὐσεβείᾳ τε ὁμοῦ καὶ φιλοσοφίᾳ ἐν τῷ τετάρτῳ συγγράμματι τῶν σπουδασθέντων αὐτῷ περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς ἐμαρτύρησεν. *Atque hæc* Porphyrius *ex antiquis ut videtur monumentis de dictorum virorum pietate pariter, & philosophia in tertio libro eorum, quos de abstinentia animalium elaboravit, testatus est.*

XIII. Quatuor millia circiter erant teste *Josepho* Orig. lib. XVIII. cap. 2. ubi de Essenis: καὶ τοῦτο πράσσουσιν ἄνδρες ὑπὲρ τετρακισχίλιοι τὸν ἀριθμόν. *Hocque faciunt viri quatuor milliam numerum excedentes.* Nec variat *Philo*. *Abraham Zachuth* circiter quinque millia statuit. והם קרובים לחמשה אלפים נזירים. Quod notandum est, quia in historia Hebraica Judas legitur eduxisse in bellum octo millia Hasidæorum, ut vel hinc probabiliter colligas Hassidæos alios esse ab Hessenis.

XIV. Pagatium habitabant, id est κωμηδόν. *Philo*. οὗτοι τὸ μὲν πρῶτον κωμηδὸν οἰκοῦσι, τὰς πόλεις ἐκτρεπόμενοι διὰ τὰς πολιτευομένων χειροήθεις ἀνομίας. *Hi primo vicatim habitant, urbes fugiunt ob familiaria civium eorum vitia.* Non erat illis civitas certa, sed in singulas multa domicilia transferebant. *Josephus* capt. lib. II. cap. 12. μία δὲ οὐκ ἔστιν αὐτῶν πόλις, ἀλλ' ἐν ἑκάστῃ μετοικοῦσι πολλοί. Vid. *Plinium* lib. V. cap. 18. *Solinum* cap. 38. Teste *Josepho* Capt. lib. V. cap. 13. Erat porta Hierosolymæ, quæ Hessenorum dicebatur.

XV. Hospitalitate maxime celebrantur. *Josephus*: καὶ τοῖς ἑτέρωθεν ἥκουσιν αἱρετι-

ρεπτακις, ἀναπέπτανται τὰ παρ' αὐτοῖς ὁμοίως ὥσπερ ἴδια. καὶ πρὸς οὓς οὐ πρότερον εἶδον εἰσίασιν ὡς συνηθεστάτους. *Consectaneis eorum venientibus omnia quæ habent, exhibentur, quasi eorum propria essent, & ad eos quos ante non viderunt, ingrediuntur ceu ad familiarissimos.* Et mox. κηδεμὼν δὲ ἐν ἑκάστῃ πόλει τοῦ τάγματος ἐξαίρετος τῶν ἀποδείκνυται ταμιεύων ἐσθῆτα καὶ τὰ ἐπιτήδεια. *Curator autem peregrinorum aliquis egregius ex ordine aliquo in singulis civitatibus designatur, asservans vestes eorum aliaque necessaria.*

XVI. Sine viatico peregrinantur, arma tamen portant propter latrones, teste *Josepho*. διὸ καὶ ποιοῦνται τὰς ἀποδημίας οὐδὲν μὲν ὅλως ἐπικομιζόμενοι. διὰ δὲ τοὺς λῃστὰς ἔνοπλοι.

XVII. In templo non sacrificabant. *Josepus* Orig. lib. XVIII. cap. 2. εἰς δὲ τὸ ἱερὸν ἀναθήματα στέλλοντες, θυσίας οὐκ ἐπιτελοῦσι διαφορότητι ἁγνειῶν ἃς νομίζοιεν, καὶ δι' αὐτὸ εἰργόμενοι τοῦ κοινοῦ τεμενίσματος, ἐφ' αὐτῶν τὰς θυσίας ἐπιτελοῦσι. *Ad templum donaria mittentes sacra ibi non faciunt, quod sanctioribus utantur ceremoniis, quapropter exclusi a communi fano seorsim sacrificant. Zonaras* 189. *Donaria in templum mittunt; sed in eo non immolant, de expiationibus a ceteris dissentientes: unde cum a communi sacrario arceantur, privatim sacrificant.*

CAPUT XVII.

I. *Vestitus*. II. *Ratio vitæ quotidianæ*. III. *Quomodo novitios probent*. IV. *De juramento præsidum*. V. *Quæstores*. VI. *Delinquentes quomodo puniant*.

I. Albis vestibus utuntur teste *Josepho*. τὸ γὰρ αὐχμεῖν ἐν καλῷ τίθενται: λευχειμονεῖν τε διαπαντός. *Rufinus. Quoniam squallorem decorem putant, dummodo semper in veste sint candida.* Paulo post: καταστολὴ δὲ καὶ σχῆμα σώματος ὅμοιον τοῖς κατὰ φόβου παιδαγωγουμένοις παισίν. Hoc forsan vult. *Amictus autem cultusque corporis qualis puerorum sub pædagogo cum metu agentium. Rufinus. Amictus autem cultusque corporis omnibus pueris in metu, & sub cura magistri agentium par est.* Nisi legendum, *ut pueris*; quæ particula interdum desideratur, ut in illo *Haratii: Nec excitatur classico miles gravi.* Nam sensus est, *ut miles*. Priorem sententiam expressit *Abraham Zachuth*: *Pueri omnes, qui ingrediuntur morem eorum, unicam tantum vestem habent æqualem omnibus.* לנערים אשר נכנסים כמנהגם אין להם כי אם לבוש אחר שוה לכולם. Mutatorias nullas habent, sed semper

iisdem vestibus utuntur, quas non deponebant, donec detritæ fuerint; idem erat de calceis. *Josephus*. οὔτε δὲ ἐσθῆτας, οὔτε ὑποδήματα ἀμείβουσι πρὶν ἢ διαῤῥαγῆναι τὸ πρότερον παντάπασιν, ἢ δαπανηθῆναι τῷ χρόνῳ. *Nec vestes, nec calceos nec soleas mutant, nisi aut omnino conscissis prioribus, aut longi temporis usu consumtis. Abraham Zachuth* cum dixisset pueros, qui in eorum disciplinam adsciscuntur, unam tantum vestem gestare, addit, *& similiter calceos, nec mutant eos donec detriti fuerint.*

II. Hujusmodi erat vitæ quotidianæ ratio: Ante solis ortum preces recitabant teste *Josepho*. πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχάς, ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι. *Namque ante solis ortum nihil profani loquuntur sed ei patria quædam vota celebrant, quasi ut oriatur, precantes.*

Per preces se conferunt ad opera. *Josephus* ibid. μετὰ ταῦτα πρὸς ἃς ἕκαστοι τέχνας ἴσασιν, ὑπὸ τῶν ἐπιμελητῶν διαφίενται. *Deinde ad quas venerunt singuli artes a curateribus dimittuntur*. In opere manent, teste *Josepho* Capt. lib. II. cap. 12. usque ad horam quintam, quæ nobis undecima ante meridiem; tum rursus in unum congregantur, linteisque præcincti velaminibus corpus abluunt frigida. *Abraham Zachuth*. Post preces eunt parumper negotiatum, & ad faciendum opus suum & hoc licentia majorum suorum. Post lavant corpus aqua frigida ad debilitandum desiderium coitus, expanduntque super caput suum sudorium album.

Post lotionem prandent: *Abraham Zachuth. Post lotionem sedent ordine & ponuntur ante unumquenque linteum; coquus autem dat unicuique scutellam cocti edulii, & ante benedicit Sacerdos proferens eam, post benedicunt ipsi quoque, & dant laudem Deo benedicto, deinde redeunt ad opus suum usque ad vesperam.* Josephus. καὶ μετὰ ταύτην τὴν ἁγνείαν εἰς ἴδιον οἴκημα συνίασιν, ἔνθα (alias ἐν ᾧ) μηδενὶ τῶν ἑτεροδόξων ἐπιτέτραπται παρελθεῖν. αὐτοί τε καθαροὶ καθάπερ εἰς ἅγιόν τι τέμενος παραγίνονται τὸ δειπνητήριον, καὶ καθισάντων (alias καθεσθέντων δὲ) μεθ' ἡσυχίας, ὁ μὲν σιτοποιὸς ἐν τάξει παρατίθησι ἄρτους, ὁ δὲ μάγειρος ἐν ἀγγεῖον ἐξ ἑνὸς ἐδέσματος ἑκάστῳ παρατίθησι (verbum hoc, cum supra legatur, hic redundare videtur; sane abest in codicibus *Eusebianis*, quos *Rebertus Stephanus* excudit) προκατεύχεται δὲ ὁ ἱερεὺς τῆς τροφῆς (in *Eusebio* προκατάρχεται ὁ ἱερεὺς τῆς τροφῆς ἁγνῆς οὔσης καὶ καθαρᾶς) καὶ γεύσασθαί τινα πρὸ τῆς εὐχῆς ἀθέμιτον ἀσιτοποιησάμενος ἐπεύ-

ἐπεύχεται πάλιν (*Eusebius* habet ἀεὶ. δὲ ἐπεύχεται μᾶλλον) ἀρχόμενοί τε ϗ παυόμενοι τὸν Θεὸν (ὡς χορηγὸν τῆς τροφῆς) Quæ parenthesi conclusa non habentur in *Eusebianis*. ἔπειτα ὡς ἱερὰς καταθέμενοι τὰς ἐσθῆτας, πάλιν ἐπ' ἔργα μέχρι δείλης τρέπονται. *Post banc purificationem in proprium quoddam domicilium conveniunt, quo nemini alterius opinionis sive sectæ concessum intrare. Ipsi vero puri tanquam in sacrum quoddam templum ingrediuntur locum prandii. Ubi cum quiete consederint, pistor ordine apponit panes, coquus vero unius edulii scutellam singulis. Sacerdos autem ante cibum precatur; nam cibum gustare ante precationem nefas. Postquam pranderunt, rursus Sacerdos precatur. Sic incipientes, & finientes Deum honorant, tanquam cibi largitorem. Post sacras vestes deponunt, & ad opera redeunt usque ad vesperam.*

Vesperi reversi domum a labore cœnant eo modo, quo pranderunt, una considentibus hospitibus, siqui forte interea advenerint, uti testatur *Josephus*: δειπνοῦσι δὲ ὑποστρέψαντες ὁμοίως συγκαθεζομένων τῶν ξένων, εἰ τύχοιεν αὐτοῖς παρόντες. *Abraham Zachuth. Vesperi veniunt domum, & adducunt hospites, quicquid præparaverint illis.*

Silentium intra ædes. *Josephus*: οὐ δὲ κραυγή ποτε τὸν οἶκον, οὔτε θόρυβος μολύνει (alias μιαίνει, *polluit, inquinat*) τὰς δὲ λαλιὰς ἐν τάξει παραχωροῦσιν ἀλλήλοις καὶ τοῖς ἔξωθεν ὡς μυστήριόν τι φρικτὸν ἡ τῶν ἔνδον σιωπὴ καταφαίνεται. τοῦτο δὲ αἴτιον ἡ διηνεκὴς νῆψις, ϗ τὸ μετρεῖσθαι παρ' αὐτοῖς τροφὴν ποτὸν μέχρι κόρου. *Rufinus. Nec vero clamor unquam tectum illud, nec tumultus inquietat: quum etiam loquendi ordine alius alii cedat, eorumque silentium extra tectum constitutis arcanum quoddam videatur venerabile. Cujus quidem rei perpetua sobrietas causa est, quodque apud eos edendi, aut potandi modus saturitate definitur.*

III. Summa cautione & religione novitios admittunt. *Abraham Zachuth: Quum aliqui volunt ingredi morem vel ritum eorum, non statim aut e vestigio recipiunt eos, sed cibum & potum eis præbent annum integrum, & dant in manum eorum securim, induuntque eos indumento candido. Post exactum annum, si viderint mores bonos esse, adducunt eos in medium cœtus sui, docentque baptizare, ut assuescant esse sancti. Denuo post biennium intraducunt eos in cœtum suum, & antequam comedant cum eis adjurant eos, quod honorabunt Deum benedictum super omnes res, & quod versabuntur cum omnibus in judicio, & in justitia, atque adeo, quod odio prosequentur improbos*: Vide *Josephum*, qui de hoc prolixe agit.

IV. Quando eligunt præsides adjurant. *Abraham Zachuth: Si forte contigerit, ut quisquam eorum sit caput super eos, adjurant eum, quod non imperabit superbe aut arroganter, quod non induet vestem aliam a consueta illis, etiam quod excutiet manus suas, ne prehendat nummos, & quod odio prosequetur rapinam, & quod sibi cavebit ab omni immunditia, & improbitate. Quod si animadverterit signum aliquod aut arcanum in lege, patefaciet illud sociis suis, nec aliis; & super omnia custodiet legem Mosis, honorabitque nomina Angelorum nota ordini.* Vide *Josephum*, & *Eusebium*.

V. Rerum omnium, quæ communes apud illos erant, quæstores, & procuratores habent teste *Josepho* lib. XVIII. cap. 2. ἀποδέκτας τῶν προσόδων χειροτονοῦντες, ϗ ὁπόσα ἡ γῆ φέρει, ἄνδρας ἀγαθοὺς ἱερεῖς διὰ ποίησιν σίτου, ϗ βρωμάτων. *Quæstores creant viros probos ex Sacerdotum numero, qui ex agrorum reditibus, & frugum proventu cibos eis conficiunt.* Et capt. lib. II. cap. 12. χειροτονητοὶ οἱ τῶν κοινῶν ἐπιμεληταί, ϗ ἀδιαίρετοι πρὸς ἁπάντων εἰς τὰς χρείας ἕκαστοι. *Rufinus. Designatos autem communium rerum procuratores habent, & ad usus omnium singulos indivisos.*

VI. Delinquentes graviter puniunt. *Abraham Zachuth. Jus dicturi inter se congregantur centum viri, qui eos quos deprehenderunt reos, & improbos, expellunt e coetu suo. Qui autem sectæ violatores sunt, eos cibant herbis malis, donec attenuetur corpus eorum, & moriantur fame. Quandoque accidit, cum vident vicinos morti, ut eos in gratiam recipiant, expiatum satis hoc modo peccatum arbitrantes. Ceterum qui hunc morem ingreditur, non licet ei comedere o manu aliorum.* Josephus. τοὺς δὲ ἐπ' ἀξιοχρέοις ἁμαρτήμασιν ἁλόντας, ἐκβάλλουσι τοῦ τάγματος. ὁ δὲ ἐκκριθεὶς, οἰκτίστῳ πολλάκις μόρῳ διαφθείρεται. τοῖς γὰρ ὅρκοις, ϗ τοῖς ἔθεσιν ἐνδεδυμένος, οὐδὲ τῆς παρὰ τοῖς ἄλλοις τροφῆς δύναται μεταλαμβάνειν· ποηφαγῶν ϗ λιμῷ τὸ σῶμα τηκόμενος διαφθείρεται. διὸ ϗ πολλοὺς ἐλεήσαντες ἐν ταῖς ἐσχάταις ἀναπνοαῖς ἀνέλαβον. ἱκανὴν ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν αὐτῶν τὴν μέχρι θανάτου βάσανον ἡγούμενοι. περὶ δὲ τὰς κρίσεις ἀκριβέστατοι ϗ δίκαιοι, ϗ δικάζουσι μὲν οὐκ ἐλάττους τῶν ἑκατὸν συνελθόντες· τὸ δὲ ὁρισθὲν ὑπ' αὐτῶν ἀκίνητον. In *Eusebio* hæc paulo aliter leguntur. οἱ δὲ ἁλόντες ϗ ἐκβληθέντες, κακῷ μόρῳ φθείρονται. τοῖς γὰρ ὅρκοις ϗ τοῖς ἔθεσιν ἐνδεδεμένοι, οὐδὲ τῆς παρὰ τοῖς ἄλλοις τρο-

τροφῆς δύνανται μεταλαμβάνειν, ποηφαγοῦντες δὲ καὶ λιμῷ διαφθειρόμενοι ἀπόλλυνται· διό δὴ πολλοὺς ἐλεήσαντες ἐν ταῖς ἐσχάταις ἀνάγκαις ἀνέλαβον, ἱκανὴν τιμωρίαν δεδωκέναι νομίζοντες ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασι τὴν μέχει θανάτου βάσανον. *Rufinus. Deprehensos vero in peccatis a sua congregatione depellunt, & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerunque morte consumitur. Illis quidem sacramentis, ac ritibus obligatus neque capere oblatum ab aliis cibum potest; herbas vero pecudum more decerpens, & fame exesus per membra corrumpitur. Ob id etiam plurimos plerunque miserati extremum spiritum agentes receperunt, sufficientem pro peccatis eorum, quæ usque ad mortem adduxerit, pœnam luisse censentes. In judiciis vero sunt diligentissimi, atque justissimi. Disceptant autem non minus quam centum in unum coacti; quod autem ab his decretum fuerit immobile manet.*

CAPUT XVIII.

Ex *Philonis* Apologia excerpta de Essenis Practicis, seu Cœnobitis.

Innumerabiles (inquit Philo*) eorum, qui clari sunt, ad vitæ communitatem reliquit legislator noster, qui sane vocantur Essæi, ea nomenclatione a sanctitate, ut mihi quidem videtur, dignati.*

I. INcolunt profecto multas urbes, multos vero vicos magnos, numerososque hominum cœtus.

II. Est vero ipsis institutum hoc, non ex genere (hoc enim in iis quæ sponte deliguntur, non recensetur) sed ex incenso virtutis amore, seu zelo, humanitatisque desiderio.

III. Essenorum igitur nemo valde infans est, sed neque pubescens, aut adolescens quia horum mores ad ætatis ipsorum imperfectionem conformantur, similiterque pueriliores sunt. Sed nisi sunt perfecti, & ad senectutem jam declinantes, qui neque a corporis defluxu innundantur, neque ab animi perturbationibus aguntur, libertatem minime mendacem, sed vero solidam, velut fructum colligentes. Testis vero libertatis ipsa eorum vita.

IV. Eorum nemo ferre potest, ut omnino quidpiam, quod ei proprium sit, habeat, neque domicilium, neque servum, neque agrum, neque pecora, neque alia ulla, quæ ab opibus præparari aut suppeditari solent, sed in medium ponentes omnia communi utilitate fruuntur.

V. Habitant vero secundum sacros quosdam cœtus simul, facientes sodalitia, & convictus, omniaque pro communi bono naviter satagunt. Alia vero aliorum sunt negotia, ad quæ impigre se accingentes decertant, non gelu, non æstum, non alias aeris vicessitudines causati.

VI. Priusquam vero sol oriatur, ad consueta sua opera conversi, vix ubi ille occidit, revertuntur, lætitia non minore, quam qui in gymnicis certaminibus probatur, exultantes. Existimant enim eas, in quibus seipsos exercent, exercitationes ad vitam esse utiliores, & animo corporique jucundiores, ac multo iis, qui in certaminibus sunt, diuturniores, cum una cum corporis vigore simul haud marcescant, ac pereant. Sunt enim quidam eorum agricolæ serendi, terramque colendi periti, hi vero pastores pecorumque omnis generis magistri ac duces: Quidam vero apum alvearia curant; alii aliarum artium opifices sunt, ut eorum, quæ necessarii usus cogunt, nihil molestiam afferat, nihilque requiratur, quod ad reprehensionis expertem necessariarum rerum copiam ac suppeditationem pertineat.

VII. E tam diversis vero operibus mercedem accipiunt, quam uni constituto quæstori dant. Ille vero statim quæ consentanea sunt, emit, cibosque copiosos, & alia quorum indiga humana vita, præbet.

VIII. Hi vero ejusdem vivendi rationis, & mensæ, consortes quotidie sunt: iisdem rebus libenter utentes, parsimoniæ amatores, rerum abundantiam tanquam animæ corporisque morbum aversati.

IX. Neque vero mensæ tantum, sed vestis etiam iis communis est. Adsunt enim iis hyeme quidem crasse, asperæque lanæ, æstate autem exomides rudes ac tenues, ut facile sit, quam quisque velit accipere, quia & quæ unius sunt, omnium sunt, & quæ omnium, vicissim unius sunt.

X. Et sane si eorum unus aliquis ægrotet, ei e communibus remedia præstantur, omniumque officiis ac solicitudinibus curatur.

XI. Ceterum senes, etiamsi liberis careant, quasi tamen non liberis tantum, sed bonis abundarent in liberis beatissima, opimissimaque senectute vitam solent finire, cum a tam multis cura & honore digni habean-

beantur, & quidem ab iis, qui voluntario decreto magis, quam naturæ necessitate illos curare cupiant.

XII. Ad hæc quod unum societatem vitæque communionem dissoluturum acutius prospiciebant, nuptias declinabant, simulque continentiam eximie exercebant. Essenorum enim nullus uxorem ducit, quia fœmina est quiddam sui ipsius amans, & Zelotypum haud mediocriter, viqne magna pollens ad viri mores labefactandos assiduisque incantamentis subjiciendos. Ubi enim assentatorios meditata fuerit sermones, fucumque alium, quasi cum in scena oculos, aurefque inefcarit, deceptis jam subditis, ipsam quæ princeps est, mentem fallit. Liberi vero si sint, fastu jam a confidentia plena, quæ per ironiam prius latenter insinuabat, ea proterviore jam audacia postulat, & ad impudentiam provecta, cogit facere, quorum sane quodlibet vitæ communitati inimicum. Qui enim vel uxoris philtris illigatus vel filiorum, ex naturæ ipsius necessitate curæ addictus est, is vero non amplius ad alios idem est sed alius est, factus etiam nesciens ex libero servus.

XIII. Hæc igitur eorum, quæ contentione magna expetitur, vita est, adeo ut non privati tantum, sed magni etiam reges viros istos admirati obstupescant, talisque vitæ majestatem approbationibus, ac honoribus venerentur.

CAPUT XIX.

Alia ex ejusdem Philonis *de iisdem Practicis seu Cœnobitis Essenis ex libro de viri probi libertate decerpta.*

I. NEque vero Syria, quæ in Palestina, honestatis ac virtutis sterilis est, quam numerosissimæ Judæorum gentis non parva pars possidet. Dicuntur vero apud ipsos quidam nomine Essæi, multitudine supra quatuor millia, qui meo quidem judicio non accurata Græcæ linguæ forma, nomen a sanctitate mutuantur, quia & in his maxime Dei cultores existunt, non qui pecudes sacrificant, sed qui ut suas ipsorum mentes sanctitate ornent, conantur.

II. Hi primum vicatim habitant urbes fugiunt propter familiaria earum civibus vitia: gnari non minus ab iis, qui nobiscum agunt, periculi esse, quam ab aere corrupto & pestilente, propter innumerabilem quæ animis injicitur contagionem.

III. Eorum quidam tractant agriculturam, alii vero eas artes quæ pacis adjutrices, sicque sibimet proximisque prosunt; non argentum & aurum in thesauris custodientes, neque magna terræ segmenta, prædiaue possidentes, ob redituum cupiditatem, sed quæ ad necessarios vitæ usus pertinent, comparant.

IV. Hi enim ex omnibus pene hominibus soli, absque omni pecunia, omnique possessione sunt, & instituto magis, quam felicitatis penuria ditissimi existimantur, judicantes id quod revera est, paucis esse contentum, & in cibis minime fastidiosum, id vero esse summis opibus abundare.

V. Tela, jacula, gladios, galeas, thoraces, scuta nemo apud eos fabricat, sicut nec arma cetera; nec machinas aut aliud quidquam bello utile; imo ne ea quidem studia reperies ibi, quibus in pace facile abutuntur homines. Negotiatores, institores, naucleros ne in somnis quidem viderunt, subtrahendo materiam avaritiæ.

VI. Servus apud ipsos ne unus quidem est, sed liberi omnes ministrant sibi invicem: dominationem damnant ut injustam atque impiam, repugnantem juri naturæ, quæ omnes ex æquo genuit, educavitque tanquam mater germanos fratres revera, non solum nomine; eam cognationem labefactatam convulsamque insidiis avaritiæ, hujus opera inductam, pro familiaritate abalienationem animi, & odium pro benevolentia.

VII. Philosophiæ partem ratiocinatoriam, uti parandæ virtuti non necessariam, relinquunt verborum venatoribus: eam vero quæ naturam scrutatur, subliminum rerum fabulatoribus, ut humano captui sublimiorem, nisi quatenus de ipsius Dei existentia, & de ipsius universi creatione differit. In sola morali se exercent, legibus patriis, quas non potest concipere humanus animus, absque afflatu numinis, tamquam aliptis ac magistris utentes.

VIII. Has, inquam, patrias leges edocentur etiam alio quidem tempore, sed in septimis diebus, seu Sabbathis, excellenter. Hæc enim dies septima, sacra illis existimatur.

IX. Eo die ad sacra venientes loca, quæ Synagogæ vocantur, secundum ætatis rationem in quibusdam ordinibus, infra seniores consident, juniores cum decente modestia, sese, prout auditoribus consentaneum est, sive discipulorum more, habentes.

X. Unus

X. Unus quidem aliquis libros accipit & legit; alius vero ex iis, qui peritissimi sunt, ea quæ abscura sunt explicat, & docet. Plurima enim ipsi, ex antiqui moris amore ac imitatione, per symbola philosophantur.

XI. Docentur vero pietatem, sanctitatem, justitiam, œconomiam, politiam, ac scientiam eorum, quæ revera bona sunt, & mala itemque rerum indifferentium, ut quas oportet, eligant, contrarias fugiant, eamque ad rem tribus utuntur legibus ac regulis, nimirum τῷ φιλοθέῳ καὶ φιλαρέτῳ καὶ φιλανθρώπῳ id est 1. *Dei amore*. 2. *virtutis amore*. 3. *humanitatis amore*.

XII. Ac primi quidem illius in Deum amoris indicia præbet innumera per vitam totam continua, neque unquam interrupta castitas, puritas, jurisjurandi, mendaciique omnis fuga, & illa de numine opinio, esse ipsum bonorum omnium causam, mali vero nullius.

XIII. Secundi vero amoris, qui erga virtutem erat, argumenta sunt, non amare pecuniam, non gloriam, non voluptatem. Et ipsa continentia, fortitudo, insuper in re tenui equabilitas, simplicitas, facilitas, demissio, constantia, legi consentanea vivendi ratio, & quæ his similia.

XIV. Tertii amoris, quæ humanitatis amor, signa sunt, benevolentia, æqualitas, & quæ omni sermone major, communio, sive communis vitæ societas, de qua non intempestivum pauca dicere.

XV. Primo igitur neminis unius proprium aliquod est, quod non omnium esse contingat, domicilium. Nam præterquam quod per contubernia quædam simul habitant, aperta sunt eorum domicilia, etiam iis, qui aliunde adveniunt, ejusdemque cum ipsis instituti sunt.

XVI. Penaria cella una eademque omnibus, iidem sumtus, communes etiam vestes, cummunesque cibi omnium simul conviventium. Nam ejusdem tecti vitæ, mensæque societatem non inveniat quisquam apud alios opere magis confirmatam: & merito quidem.

XVII. Quicquid enim lucrantur e quotidianis operæ mercedibus, non sibi quisque servat, sed in medium conferendo, cuicumque volenti fruendi potestatem faciunt.

XVIII. Qui vero ægrotant, non ideo quod victum quærere jam non queant, negliguntur, sed de communibus bonis habent in promtu morborum remedia & adjumenta.

XIX. Reverentia vero erga seniores, & cura talis est, qualis esse potest germanorum liberum erga parentes, quorum illi, manibus curisque innumerabilibus in omni rerum abundantia senectutem alunt ac sustentant.

XX. Tales virtutis athletas reddit philosophia hæc, absque omnibus curiosis & ambitiosis Græcorum vocabulis, exercens eos in laude dignis actionibus, quibus certa perpetuaque libertas constabilitur. Id compertum est in multis & variis temporum difficultatibus sub tyrannide potentiorum diversis præditorum ingeniis, ex quibus alii conati feroces bestias immanitate superare nullam omiserunt crudelitatis speciem, gregatim mactando subditos, & laniorum more, vivos frustatim concidendo: nec prius finis fuit, quam in easdem calamitates incidere, vindicante divina providentia. Alii vero suam rabiem celantes diverso malitiæ genere, acerbas clades dederunt placido sermone, susurrisque clancularii dissimulantes odium, canum maleficorum more blandiendo, moxque infigendo morsus insanabiles, ut oppidatim monumenta impietatis suæ relinquerent ad perpetuam afflictionum memoriam. Nemo tamen vel e crudelibus illis, vel ex alteris fucatis ac subdolis valuit modo dictos cœtus Essæorum sive sanctorum in culpam inducere, sed omnes discesserunt victi virtute horum virorum, laudantes eos ut liberos, & sui juris, quod a natura profectum, homines: eorumque item decantantes convictum, & omni sermone præstantiorem rerum communionem, quæ vitæ perfectæ admodumque felicis evidentissimum argumentum est.

CAPUT XX.

Ejusdem *Philonis* de Thrapeutis Essenis ex libro *de vita contemplativa excerpta*.

Ubi de eorum quæ de istis, miranda sane, scripturus esset, veritate præfatus est Philo, agit.

I. DE ipsorum nomine, ut supra.

II. Huic vitæ instituto, qui se addicunt non ex amore, aut rogati id faciunt, sed amore correpti rerum cœlestium, & quasi furore divino perciti, ac lymphati, donec ad contemplationem illam desideratissimam perveniant, deinde præ immortalitatis, beatæque vitæ cupidine, quasi jam hac mortali defuncti,

cti, facultates suas relinquunt liberis aut cognatis, ultro eis possessiones cedendo, atque etiam sociis atque amicis, si cognati desint.

III. Relictis facultatibus, & avocamentis omnibus, fugiunt sine ullo respectu, fratres, liberos, parentes, uxores; & deserunt numerosas cognationes, societates, amicitias, ipsas denique patrias, in quibus geniti, educatique sunt, quandoquidem consuetudo magnum momentum habet ad allectandos animos.

IV. Demigrant autem non in aliam civitatem, sicut servi, qui se vendi heris aliis impetrant, miseri ut qui servitutem mutant, non effugiunt. Quævis enim civitas vel optimis ornata legibus, plena est tumultu plurimo, quam nemo sapientiæ sectator sustineat. Sed extra maenia degunt in hortis ac villis solitariis amantes solitudinem, non hominum odio, sed ad cavendos congressus cum dissimilibus, quos sciunt moribus bonis officere.

V. Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus, merito ut absolutæ probitatis receptum a Græcis atque Barbaris, vel ut apertius *Philonis* verba vertit *Eusebius* interpres cap. 17. lib. 11. *Oportuit enim boni perfecti Græciam & Barbarum populum participem esse*.

VI. Maxime tamen in Ægypto frequentatur per præfecturas singulas, præsertim circum Alexandriam. Ex omnibus autem locis optimus quisque Therapeutarum, tanquam in hujus generis patriam, colonus mittitur in locum quendam aptissimum, situm ad stagnum *Mariam*, in terreno colle acclivi leniter, tutum simul & laudatum ab aceris temperie: Securitatem enim ei præstant villæ vitique proximi: aerem vero temperat emissarium stagni exonerantis se in mare, & auræ nunquam non ex alto aspirantes tenuiter, sicut crassiores feruntur e stagno, quibus permixtis temperamentum existit saluberrimum.

VII. Domicilia vero convenarum sunt admodum frugalia, parata contra æstum tantummodo & frigora, non contigua, ut in urbibus. Non enim placet id amantibus solitudinem; nec tamen longe remota, quia societatem diligunt, ut sibi possint invicem succurrere contra latronum incursus fortuitos.

VIII. In qualibet eorum habitatione sacrum ædificium est, quod *σεμνεῖον* ϗ *μοναστήριον* vocatur.

IX. In eo sejuncti ab aliis ac solitarii, sanctæ vitæ dant operam, nec cibi potusve quicquam eo inferunt, aliudve in usum corporis, sed legem tantum & prophetarum oracula divinitus prodita, hymnosque & quædam alia pietati scientiæque promovendæ utilia. Itaque perpetuam habent Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obversetur quam imagines divinarum pulchritudinum; & sunt in his, qui somniando produnt præclaras sacræ Philosophiæ sententias.

X. Quotidie bis precari solent, mane ac sub vesperam: oriente sole petentes diem vere felicem, utque mentes eorum cœlesti repleantur lumine: occidente vero ut anima in totum exonerata sensibus, moleque rerum sensibilium, veritatem vestiget in consistorio domestico. Medium vero matutini, vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur. Versantes enim sacra volumina, dant operam Philosophiæ per manus acceptæ a majoribus, scrutando ejus allegorias, quoniam sub apertis verbis latere credant secreta naturæ, conjecturis explicanda probabilibus. Habent etiam priscorum commentarios, quia hujus sectæ auctores multa reliquerunt monumenta de allegoriis hujusmodi ad quorum imitationem se accommodant. Itaque non solum contemplantur, sed etiam cantica hymnosque in Dei laudem componunt, vario metrorum carminumque genere, rythmis concinnatos in augustiorem ac religiosam speciem. Per sex dies seorsim quisque in suis illis modo dictis Monasteriis philosophantur, non progredientes foras, imo ne prospicientes quidem.

XI. Septimo die conveniunt in coetum communem, & juxta ætatis ordinem considunt decenti habitu, manus continentes sub pallio, dextram inter pectus barbamque, sinistram appicatam lateri: tum progressus in medium natu maximus, & dogmatum ejus sectæ peritissimus, disserit vultu ad gravitatem composito, voce moderata non sine magna prudentia, secus quam Oratores, aut ætatis nostræ sophistæ, ostentatores eloquentiæ, ut quibus cordi magis sunt exquisitæ sententiæ, diligensque & accurata harum enarratio, quæ non summis insidat auribus, sed per auditum penetret in animum, ibique firmiter inhæreat. Reliqui omnes auscultant per summum silentium, annutantes oculis tantum aut capite.

XII. Id commune *semneum* in quod septimo quoque die conveniunt septo clauditur duplici separatis virorum & mulierum coetibus. Nam mulieres quoque

que

que simul auscultant ex more, duntaxat quæ institutum idem sectantur, medius autem paries a solo surgit tribus quatuorve cubitis, in modum loriculæ, superiora usque ad tectum patent. Unde gemina provenit commoditas, & quod pudori fœminei sexus consulitur, & quod verba doctoris exaudiuntur facile absque ullis obstaculis, quæ vocem ejus intercipiant.

XIII. Temperantiæ tamquam fundamento in anima jacto virtutes ceteras superstruunt. Nec cibum nec potum quisquam sumit ante solis occasum, quod sapientiæ studium luci convenire judicent, tenebris vero curant corpora, ita totos dies alteri, alteri vero exiguam noctis partem tribuunt. Nonnulli ex his vix tertio quoque die famem sentiunt, attenti magis ad disciplinarum scientiam; nec desunt qui prælaute accepto epulo sapientiæ copiose præbentis sua placita, perdurent duplum ejus temporis & vix sexto die degustent cibum necessarium, ita jam assueti, sicuti cicadæ aere dicuntur vivere, canticis, ut opinor, solantes inediam, levem facilemque reddentibus.

XIV. Septimnm diem ut festum, sacratumque honore dignantur eximio, quo post curam animi, corpus quoque reficiunt, sicut jumenta relaxantes laborem continuum.

XV. In cibatu utuntur pane simplici, sal vicem supplet obsonii. Qui delicatiores sunt, hyssopum pro condimento adjiciunt. Potum e fluentis hauriunt: contenti placare dominas a natura mortalibus additas, famem sitimque; absque omnibus lenociniis fruendo rebus, sine quibus non licet vivere. Edunt igitur ne esuriant, bibunt ne sitiant, saturitatem cavendo, ut inimicam animo pariter, & corpori.

XVI. Et quoniam tegminis quoque duæ sunt species, vestis tectumque; de ædibus jamdixi, esse incultas, & extemporaneas, factas ad præsentem usum tantummodo. In veste autem apparet simplicitas ad arcendos calores & frigora. Pro pelliceis crassa tunica in hyeme, æstate vero exomis, aut interula linea. In universum enim exercent modestiam, ut fontem veritatis, sicut e fastu mendacium prognatum autumant. Profluunt enim e mendacio variæ malorum species, contra ex veritate omnium felicitatum humanarum, divinarumque copia.

XVII. Hi numeros in primis observando, post septem hebdomadas elapsas, conventus suos instaurant: venerati non solum simplicem septenarium, sed & vim ejus multiplicem. Castam enim sciunt hebdomada, & semper virginem: is dies profestus est maximæ festivitatis incidentis in numerum quinqnagenarium sanctissimum, & naturæ gratissimum, constantem ex vi rectangularis trianguli, quod est initium generationis rerum omnium.

XVIII. Ubi vero convenere candidati & læti cum summa gravitate ad signum datum a quopiam Ephemereuta (sic hujusmodi ministros nominant) priusquam discumbant, stantes una serie decenter, sublatisque ad cœlum manibus, atque oculis (his quoniam didicerunt spectare cœlestia, illis utpote incorruptis a muneribus, & a quæstu illicito) precantut, ut Deo placeat id convivium.

19. Absolutis precibus seniores discumbunt, ac mox alii pro cujusque dignitate. Nec enim seniores ex annis æstimant, sed quantumlibet grandævos habent pro pueris, si sero institutum hoc complexi sunt. Honorem vero senectutis tribuunt his, qui exercuerunt se a juventute in hac pulcherrima, divinaque parte contemplativæ philosophiæ.

XX. Adhibentur mensæ fœminæ quoque, anus pleræque, sed virgines, quibus non coacta castitas, sicut apud Græcos quædam sacrificulæ, sed sponte continentes præ amore sapientiæ, cujus studio per totam vitam contemserunt voluptates corporis, nimirum divinæ, non mortalis prolis cupidæ, quam solæ Deo charæ animæ ex seipsis parant, excipientes pro semine intelligibiles patris radios, ut decreta sapientiæ contemplando percipere valeant.

XXI. Discubitus ita distribuitur, ut seorsim viri dextrum latus, seorsim fœminæ sinistrum teneant. Quod siquis suspicatur lectisternia, etsi non sumtuosa certe molliuscula parari hominibus ingenuis, & philosophiæ deditis, sciat esse tegetes rudes e vili contextas materia, videlicet e papyro indigena, sic humi aggestas, ut eminendo fulciant cubitos. Remittunt enim jam paululum illam Laconicam disciplinæ duritiam: semper & ubique probantes liberalem frugalitatem, totis viribus aversando voluptatis illecebras.

XXII. In ministerio non utuntur mancipiis; quandoquidem servitutem cum natura omnino pugnare autumant. Nam ea liberos omnes genuit, sed hujus legum contemtrix avaritia fontem malorum inæqualitatem ei præferens, infirmioribus necessitatem imposuit, ut juf-

jussa potentiorum facerent. Ceterum in hoc sacro convivio nemo, ut dixi, servus adest, ministrant ingenui, & sponte quicquid opus est faciunt, jussa non expectando, sed præveniendo alacritate voluntaria. Non enim quibuslibet ingenuis delegatur id officium, sed habito delectu ex omni sodalitatis hujus juventute, ut quisque aliquod præclarum indolis ac virtutis sperimen edidit. Hi tanquam germani filii patribus & matribus libenter & certatim ministrant, communes eos æstimando parentes, & quidem iis parentibus, quos sanguis & natura dedit, propiores, atque conjunctiores. Quandoquidem recte sentientibus virtute nihil est conjunctius.

XXIII. Discincti autem & promissis tunicis accedunt ad ministrandum, ut absit omnis servilis species ab hoc convivio. Scio quosdam his auditis risuros, duntaxat eos, qui deslenda ipsi, lamentisque digna faciunt.

XXIV. Vinum per illos dies non præbetur, sed aqua limpidissima, ceteris frigida, calida vero his, quibus inter seniores molliore, commodioreque diæta opus. Mensa pura est a cruentis dapibes. Pro cibo panis apponitur; sal pro obsonio, & pro condimento interdum apparatur hyssopus in delicatorum gratiam. Quemadmodum enim sacerdotibus, ut sobrii abstemiique sacrificent, sic istis, ut vitam eodem modo totam agant, recta præscribit ratio. Nam vinum habent pro veneno afferente dementiam. Opiparis autem obsoniis ajunt irritari concupiscentiam, quæ bellua est insatiabilis. Hæc sunt exordia convivii.

XXV. Dicat aliquis: Quid tum, posteaquam convivis ordine suo discunbentibus adstiterunt ministri decenter parati ad obsequium? Nullante sequitur compotatio? Imo silentium majus quam antea, ita ut ne mutire quidem cuiquam liceat, aut respirare vehementius: Proponit quisquam quæstionem, e Sacris literis, aut etiam soluit ab aliis propositam, nihil de solutione solicitus. Nec enim captat laudem argutiarum, aut eloquentiæ; hoc tantum agit, ut rem diligentius percipiat, tum perspectam non ivideat iis, qui minus quidem perspicaces sunt; pari tamen fere discendi cupiditate flagrant. Atque ita iste immoratur doctrinæ, subinde inculcans, imprimensque animis præclaras sententias variis repetitionibus. Nam alioqui, dum ejus, qui solerter & uno spiritu multa continuat, interpretationem tardior auditorum mens assequi non valet, a tergo relinquitur, nec satis audita percipit. Omnes auditores ad illum unum differentem arrecti, in uno eodemque habitu permanentes auscultant: & intelligere se nutu vultuque indicant; probare vero, hilaritate, ac exporrectis frontibus, interdum & dubitare, hærereque moto leniter cupite, summoque dextræ digito. Nec minore attentione juniores, qui discumbentibus adstant, audiunt.

XXVI. Expositiones autem sacrarum literarum constant ex allegoriis. Nam hi viri totam legem existimant habere animalis similitudinem, quod oratio ipsa, dictionumque contextus corpus referant, animam vero sententiæ retrusiores sub velamine verborum abditæ, in quibus rationalis anima egregie, quæ intima sunt, contemplatur, tanquam in vocabulorum speculo miram sententiarum pulchritudinem conspiciens, & explicans figurarum involucris; atque pertitiorem intellectum in lucem iis producens, qui exiguo admonitu possunt obscura ex apertis colligere.

XXVII. Ubi vero præses visus est rem bene tractando satisfecisse auditorum eum desiderio, plausus propalam editur ab omnibus, ut qui ob illud, quod obscurum antea, nunc vere explicatum perspicitur, simul gaudeant. Tum ille assurgens hymnum in laudem Dei primus canit, aut recens a se compositum, aut desumtum ab aliquo vatum veterum. Metra enim reliquerunt ipsi poetæ, & carmina versuum trimetrorum, prosodiorum, hymnorum, paraspondæorum, parabomiorum, stasimorum, choricorum, strophis, polystrophis accurate perfectorum. Præsulem mox imitantur ceteri decenti ordine omnibus intente, quieteque auscultantibus præterquam in fine hymni extremaque clausula. Tunc enim universi vocem extollunt, sine sexus discrimine.

XXVIII. Absolutis hymnis singulorum, juniores dictam paulo ante mensam efferunt, in qua rite cibus ille sanctissimus, panis fermentatus cum sale apponitur, & hyssopo ob reverentiam sacræ mensę dedicatę, in templi vestibulo. Nam & in ea solent proponi panes cum sale absque condimento alio; sed panes non fermentati, & sal sine ulla mixtura. Decebat enim ea quidem, quæ simplicissima sunt & purissima optimæ sanctorum parti attribui, liturgiæ seu ministerii præmium: alios vero similia imitari, abstinere tamen ab his panibus, ut prærogativam quandam habeant meliores.

XXIX. Cœnam vero sequitur sacrum pervigilium his ritibus. Ubi omnes consur-

ſurrexere, duo chori fiunt in medio cœnaculi, alter virorum, alter fœminarum, cuique ſuus dux & præfectus deligitur, honore præſtantiſſimus, & canendi peritus. Deinde cantant hymnos in laudem Dei compoſitos, variis metrorum carminumque generibus nunc partim quidem ſimul conſonantes, partim antiphonis ſeu alternis concentibus cum decoro. Manuum geſtu modulantes, & ſaltantes, & divino correpti numine. Tunc enim proſodia tunc ſtaſima, & ſtrophas, quas res uſuſque poſtulat, & antiſtrophas faciunt. Deinde poſtquam urerque chorus ſeorſim explevit ſe his deliciis, quaſi in bacchationibus meracum amoris divini hauſiſſent, permiſcentur, & e duobus choris unus fit, qui imitationem contineat illius olim inſtituti in rubri ſinus litore propter admiranda illa facta prodigia: Mare ſiquidem Deo jubente alteris ſalutem, alteris perniciem attulit.

XXX. Producta uſqne matutinum hac commeſſatione honeſtiſſima, neque gravati crapula, neque nictantes, ſed excitatores quam convenirent ad convivium, verſo ad auroram vultu totoque corpore quamprimum ſolem orientem aſpiciunt, felicem diem, & veritatem, perſpicacemque mentis aciem ſibi comprecantur; atque ita precationibus abſolutis ad ſuum quiſque ſemneum ſecedit, & ad negotiationem, culturamque conſuetæ philoſophiæ.

XXXI. Hactenus de Therapeutis, qui naturæ contemplationem ſalutant, & in hac animaque ſola toti vivunt, cœli & mundi cives, patri conditoriſque rerum propter ſuam virtutem vere commendatiſſimi, quæ illius amicitiam ipſis conciliavit præmium bonitatis maxime propriu, cuum hoc propoſuiſſet omni fortunæ proſperitate melius eſſe, ad ipſumque felicitatis apicem, ac faſtigium pertingere.



HENRICI OPITII
EXERCITATIO PHILOLOGICA
DE
PHARISÆIS.

NON nostra solum aut Patrum memoria, sed primis etiam temporibus Hæreticos virus suum infudisse in Ecclesiam Dei, hinc inde Veterum loquuntur Annales. Hæreses, a quibus omni tempore Navicula Christi, Ecclesiam Novi Testamenti intelligo, truculenter concussa lacerataque est, omitto recensere. Transeo fraudulentas Antagonistarum, quas subinde Domus Dei experta est, explicare insidias. Id est, quod miror, Diabolum ausum fuisse, ipsa Christi ætate Hæreticorum ministerio damni plurimum inferre Ecclesiæ Judaicæ. Hinc novimus, Palæstinam tres cumprimis celebres ea tempestate numerasse Sectas. vid. *Joseph. L.* 13. *Αρχαιολ. cap. 9. & l.* 18. *cap.* 2. videlicet *Pharisæorum, Sadducæorum & Essæorum;* quibus ultimis merito ab aliis adjunguntur *Bethosæi* neutiquam peculiarem constituentes sectam; id quod multis & lectissimis argumentis *Anglus doctissimus Nicol. Fullerus Misc. S. L.* 2. *cap.* 3. *p.m.* 162i probatum dedit. Paululum proinde moramur *Epiphanium atque Philastrium* ad numerum ternario multo majorem Hæreses Hæbræorum revocantes, certo persuasi, num ero illo prolixiori comprehendi homines peculiari vitæ genere atque singularibus vivendi regulis constrictos aut omnino Idololatras. Sed ne diutius me in hisce detineam, mea prohibebit tractatio, quæ extemperanea fere, sed tamen de Tempore brevissimis circa *Hæresin Pharisaicam*, occupabitur. *Summus autem Deus cœptis meis clementissime annuat atque ex alto benedicat*.

I. Nominis *Pharisæi* proprie sumti originem sectaturo tres imprimis occurrunt opiniones. Juxta primam derivatur a Radice פרש, quæ interdum notat *Pandit*, *expandit*. Rationem derivationis petunt hujus sententiæ Patroni vel a dilatatione phylacteriorum Pharisaicorum, vel ab operum coram hominibus ostentatione. Altera nititur eadem Radice פרש, sed quæ interdum denotat *Exposuit*. Atque vi hujus sententiæ *Pharisæi* audirent *Explanatores & Interpretes Legis*. Ultima denique expositio eo tendit, ut itidem a Radice פרש, sed quæ sæpissime *separavit* significat. Ut ita פריש sit, Participium Peil & notet *separatum*. Cui ultimæ sententiæ etiam Philologi accuratiores recte subscribunt *Vid. R. Nathan in Aruch. R.* פרש *Elias in Tisbi R. Benjam. in itin. p. 6. Constant. L'Emper. ad eundem p.* 147. *Buxdorff. in Lex. Chald. Talmud. & Rabbin. p.* 1851. *Hotting. Thesaur. Philol. L.* 1. *cap.* 1. *p.* 26. *Joh. Leusden. Philol. Hebr. mixto diss.* 18. *de Pharisæis*, quibuscum & nos merito facimus, primam derivationem vel ob id repudiantes, quod nec rationem Grammaticam, nec naturam hujus sectæ exprimit. Mediam vero opinionem vel propter hanc deserimus rationem, quia stante illa, non *Pharisæi*, sed *Mepharisæi* appellandi essent sectæ huic addicti. Quare cum ultima derivatio firmo stet talo, omniumque accuratiorum Philologorum approbata sit calculo, merito in ea acquiescimus, imprimis etiam, quum exactissime, sicut paulo ante dixi, innuit ac repræsentat vitæ Pharisaicæ rationem, qua de paulo infra. Vocabantur antiquitus etiam חכמים *Sapientes*. *Josephus* nuncupat illos *σοφιςὰς Hotting. l. c. p.* 34. Antequam vero hinc abeo, id adhuc addendum, semper sibi titulos speciosos adoptasse Hæreticos, convenientes potius toti Dei Populo. Sic *Sadducæi* olim justi, *Cathari* puri, *Messaliani* precantes, alii aliter cognominabantur. Ut ita Pharisæi quasi soli a mundo separati; sic dicti sint soli dediti studio justitiæ *Sadducæi*; *Cathari*, soli fide purificati; soli denique quotidiano precandi exercitio assueti essent *Messaliani Full, l. c. p.* 17.

II. Data brevissime, quantum per angustiam temporis licuit, Nominis *Pharisæi* ratione, porro dispiciendum nobis est de prima *Pharisaismi* origine, de qua cum magna inter Eruditos sit contentio, mentis nostræ lumina in tria potis-

tiſſimum intendamus momenta, nim. Primo in genere, quibus autoribus *Phariſæi* ortum debeant, diſquirendum; Deinde num certam agnoſcant tribum, evolvundum; Denique quo tempore orta ſit ſecta explicandum; de ſingulis pro ratione inſtituti pauca. De primo nihil determinare mihi licet. Id quidem certum eſt, Prophetis adhuc in vivis, nullas inter Iſraelitas extitiſſe ſectas, (niſi cuipiam huc trahere placuerit *Naziræos*, *Kenæos* & *Rechabitas*, de quibus vide omnino Cl. *Leuſd. l: c. p.* 127.) horum enim vigilantia opiniones contrariæ adhuc in prima herba exſtirpabantur. Ab exceſſu vero Vatum ex hac vita collapſis Politia & Religione hactenus Prophetarum induſtria integre ſervatis, Scriptura deſerta & in illius locum improba Rabbinorum commenta, ſæpe etiam deliria venere, quæ Judæorum rimandi atque contradicendi libidinem magno molimine exercuerunt, indeque ſemina hæreticarum opinionum ſparſa in ſegetem prorupere infeliciſſimam. Quod ſi tamen intimius in Phariſæorum originem, inquirere velimus, placet nobis eorum mens, qui *Phariſæos* reliquias fuiſſe piorum Judæorum, affirmare ſuſtinent, illorum ſcilicet, qui vocabantur חסידים *a beneficiis*, quæ in templa aliaſque res ſacras conferebant *v. Scalig. Elench. Trib. Serar. cap.* 22. *Druſ. de trib. Sect. Hebr. L.* 1. *cap.* 8. Hi namque turbulentis & funeſtis *Macchabæorum* temporibus in loca ſolitaria ſe recepere; Dehinc poſteri *Haſidæorum* priſtinæ reſtituti vitæ conſuetudini & opinione inflati, proprium ſibi vivendi inſtitutum condere cœpere, & ad extremum in ſectam *Eſſæam* (cum qua quo modo conveniat Secta Phariſaica videbimus theſi ultima) plurimis obſtrictam ſuperſtitionibus degeneraverunt *Full. l. c. p.* 16. Ad alterum quod attinet momentum, notandum, eſſe nonnullos qui *Phariſæis* maxima ex parte tribum Simeonis aſſignant. Sed hos convellit partim convenientia *Scribarum* cum *Phariſæis*, qui ex omni tribu fuere, partim exempla hinc inde obvia: Quippe *Hillel Phariſæus* Patrem habuit ex tribu *Benjamin*, Matrem ex tribu *Juda*. Etiam *Paulus* fuit *Benjaminita*, & *Hyrcanus Levita*; Ex his apparet, *Phariſæos* non tantum fuiſſe electos ex tribu *Symeonis*, ſed etiam ex aliis tribubus. Nunc reſtat ultimum diſcutiendum. Tradit vero *Caſaub. contra Baron. p.* 56 *Phariſæos* non multo juniores fuiſſe *Sadducæis*. *Sadducæi* autem jam extitere ante Chriſtum natum minimum ducentis. *Joſeph. l.* 13. *antiq. cap.* 9. propius determinet tempus ortus Sectæ hujus: Scilicet meminit *Phariſæos* temporibus *Jonathæ* Aſſamonæi, adeoque annis ante nativitatem Chriſti minimum 140. extitiſſe. *Burgenſis Epiſcopus* cœpiſſe eos refert poſt tempora *Macchabæorum v. Spanhem. dub. Evang. part.* 3. *p:* 105. Ἄτοπον ergo eſt quod de *Phariſæorum* initio refert *R. Ged. in Schal. Kabb.* p. 104. *Dicunt quidam Chronologi, quod Secta Phariſæorum cœperit diebus Tiberii Cæſaris & Ptolomæi Ægyptii, cujus auſpiciis Lex. a* LXX. *tranſlata*. Sed quæ quæſo temporum diſtantia inter Ptolomæum Philadelphum & Imperatorem Tiberium? *Hotting. l. c. p.* 27.

III. Detecta aliquo modo Sectæ, de qua incepimus tractare, origine, ulterius ordinis ratio poſtulat, ut paucis conditionem ac ſtatum ejus perpendamus, qui melius non innoteſcet, quam ex nomine illius proprio, ſi paulo attentius id nobis conſiderandum proponamus. *Phariſæus* enim, quod conſtat ex ſupra dictis, notat *Separatum* & quidem 1. *Ratione veſtium*. Siquidem his diſtincti erant a communi hominum plebe. *Hinc R. David ad Soph. cap.* 1. *v.* 8. ſcribit. שי אנשום שאמראים עצמה פרושים וחסידים ולובשים מלבוש נכרי וכו. *Quidam explicant eſſe homines, qui oſtendunt ſeipſos ſeparatos, & ſanctos & veſtientes ſe veſte peregrina*. 2. *Ratione ſanctæ vitæ*. Perſuadebant enim ſibi ſtrictiorem Legis obſervationem. Inde glorioſa ventoſi *Phariſæi* Vox in Evangelio craſtina luce explicando: *Ago tibi gratias, quod non ſim ſicut reliqui homines, Raptores & injurii* &c. Conſona habet *Elias Germanus in Thisbi*: פרושים והם הפרושים מדרכי העולם הזה כמו שהיו הנזירים: *Peruſchim ſive Phariſæi ſic dicti, quod eſſent ſeparati a viis hujus mundi, ſicut fuerunt Naſiræi*. 3. *Ratione munditiei*, de qua *Autor Aruch*, פרוש הוא שפירש עצמו מכל טומאה ומן מאכל טמא ועם הארץ שאינו מדקדק במאכל *Phariſæus eſt, qui ſeipſum ſeparat ab omni immunditie, & ab omni cibo immundo, & a populoo terræ, qui non habet accuratam rationem ciborum*. 4. *Ratione ſtudii in lege*, cui continuo, plebe interim intentiori rebus hujus ſeculi, incumbebant. *Buxt. l. cit.*

IV. *Dogmata*, quæ fovebant *Phariſæi*, varia ab Antiquitate enumerantur. Nos breves in his enarrandis ducamus lineas. 1. Omnia vel ſaltem pleraque Fato & Aſtris regi credebant, ita tamen, ut nihilominum ſartam tectam homini relinquerent libertatem *Joſeph. l. c. L.* 18. *c.* 2. 2. μετεμψύχωσιν animarum Ho-

Hominum piorum ſtatuebant *Druſ. de Sect.* 3. Παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων accurate tenebant, juxta illas vitam inſtituentes, quo pertinent lotio manuum *Matth.* 5. 2. jus item ac ratio excommunicationis, qua de *Parens meus in Exerc. de Jure Clav. regni cœlorum*, *n.* 7. 8. quæ adhuc in Scriniis ſervatur; 4. Non capiebant cibum cum Publicanis aut aliis Peccatoribus, neque ab illis ſe tangi permitebant *Matth.* 9. 11. *Luc.* 7. 39. 5. Dies Lunæ & Jovis præcipue jejunando inſumebant *Luc.* 18. 12. 6. Phylacteria dilatabant & fimbrias producebant, ut opera illorum ab Hominibus conſpicerentur *Matth.* 23. 5. 7. Prolixas deblaterabant preces in conventibus & angulis platearum *Matth.* 24. 14.; 8. Ita ſe invicem flagellis nonnunquam cædebant, ut ſanguis quoque efflueret *Druſ. l. c.*; 9. Minima quoque, mentam nempe, cuminum, rutam &c. decimabant *Matth.* 23. 23.; 10. Omnem στοργὴν liberorum erga Parentes religionis votique prætextu extinguebant. *Matth.* 15. 15. *Hotting. l. c. Theſauri Philol. p.* 30. *Alex.* Roſſen unterſchiedliche Gottesdienſte in der gantzen Welt / *p.* 18.

V. *Religionem* excipit *Dignitas & Contemtus Phariſæorum*. Dignitas initio non minima erat ob vilem victum & amictum, quo contenti erant, ob accuratam legum rituumve obſervationem, propter opera charitatis, quæ erga pauperes exercebant, tandem & propter honorem & reverentiam, quam Senibus præſtabant. Sed quo magis a prima deflexere origine, eo magis etiam virtutes in vitie demigrarunt: Propterea paſſim in N. Teſt. perſtringitur Hypocriſis, Ambitio, Avaritia & Superbia *Phariſæorum* &c. Hinc ſequioribus temporibus poſt Chriſtum ob nimiam ſuperſtitionem & arrogantiam odio, riſui & ludibriis fuere aliis, ſeptemque ludicris fuere appellati nominibus. *Conf. Talmud Lib.* סוטה *b.* 1. פרוש שכמי *Phariſæus Sichæmeus* 2. פרוש נקפי *Phariſæus impingens pedes ſuos* (Schleicher) 3. פרוש קיזאי *Phariſæus venam ſecans ſc. ad parietes* (*alias cœcutiens* Blindſchleicher) 4. פרוש מרוכיא *Phariſæus inſtar piſtilli depreſſus* (Krumbling) 5. פרוש מה הובתי ואעשנה *Phariſæus quodnam eſt debitum meum & illud faciam*, 6. פרוש מאהבה *Phariſæus ex amore*. 7. פרוש מיראה *Phariſæus ex timore* ſc. *pœnarum*. Explicationem harum denominationum, cum nimis prolixum foret hoc loco adjicere, eam, *B. L.* offendet apud jam laudatos Autores.

VI. Duo adhuc reſtant diſquirenda, ſed & paucis expedienda, ſcilicet primo quæritur: *Utrum ſub nomine Phariſæorum comprehenſi etiam Eſſæi ſint?* quam qcidem quæſtionem negamus, moti cumprimis hac ratione, quia ab omnibus antiquis tres diſtinctæ nnmerantur ſectæ ſcilicet Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſæorum. Interea non negamus ratione vitæ quam maximam inter *Phariſæos & Eſſæos* fuiſſe convenientiam. Sicut enim illi dicebantur ſeparati, παρὰ τὸ μερίζειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτὸς τῶν ἄλλων ἁπάντων, ἔς τε τὸ καθαρώτατον τῦ βίυ καὶ ἀκριβέστατον, καὶ ὡς τὰ τῦ νόμυ ἐντάσματα, *quod ſeſe quaſi dividerent atque ſepararent ab omnibus aliis hominibus, tum puriſſimo exquiſitiſſimoque vivendi genere, tum quoque præceptorum legis ratione*, teſte *Suida*; Ita quoque de *Eſſæis Philo* prædicat: *Eos ſe ſubduxiſſe ex reliquorum Hominum turba, ne pravis moribus tanquam perniciosa quadam contagione inficerentur, & ut eo magis virtuti poſſent ſtudere*; Imo etſi interdum *Phariſæis* fuerint φιλοσοφώτεροι, nec minus Sacrarum literarum lectioni vacarent, ita quidem, ut totos dies, ætatem omnem conſumerent ἐντυγχάνοντες τοῖς ἱερωτάτοις γράμμασιν, nihilominus tamen unam eandemque Sectam Phariſæi & Eſſæi non conſtituebant: Etenim hi multum in dogmatibus a ſe invicem differebant, dum *Phariſæi* τὸ ῥητὸν una cum vetuſtis traditionibus retinerent; *Eſſæi* contra Scripturam rejectis traditionibus lectitabant *Full. l. cit. L.* 2. *cap.* 3. *p.* 165. Altera quæſtio hoc loco movenda ita informatur. *An non Monachi hodierni ſopitam Phariſæorum politiam inter Chriſtianos revocarint?* Reſp. Maximam affinitatem inter utroſque dari non indiget prolixiori probatione; Qui plura de his deſiderat, adeat Doct. *Druſ. de tribus ſectis Hebræorum* item *Hotting.* Theſ. nec non *Leuſd. l. c. Buxt. Lex. Talm. Rad.* פרש Atque hic dicendorum finem facio. Deo Opt. M. pro conceſſis hactenus viribus felicique Studiorum meorum ſucceſſu gratias ago immortales; Ab eodemque Summo Numine, ne impoſterum me ſua deſerat gratia, ardentiſſimis contendo precibus. A te vero, L. B. æquum de his Extemporaneis mihi promitto judicium. Vale.



JOANNIS SCHMID
DISSERTATIO
DE
SECTA PHARISÆORUM.
CAPUT PRIMUM.
DE PHARISÆORUM ORIGINE

SUMMARIUM.

Ecclesiæ Judaicæ Schismata unde? duo genera δογματικῶν *habuit. Karraim & Hasidim qui? Hæresum initium. Hæretici & Schismatici differunt. Hasidim & Karraim diversitas quæ? Sadock & Baithi periculose dubitant, Saducæorum hæresis unde? Ab Hasidim quomodo pervenerint Dogmatistæ & qui? Pharisæi unde? Eorum denominatio a voce Phares qualis? Variæ denominationes recensentur. Scriba & Pharisæus differunt. An & quomodo denominentur a Separatione? Secta antiquissima. Origo tam sectæ quam Nominis dubia. Non deducitur a Schammai & Hellel. An hi fuerint duæ sectæ? Schammai an fuerit Simeon apud Lucam. Hieronymi sententia circa hanc Originem examinatur.*

I. Uemadmodum Respublica Judaica tempore Hasmannæorũ intestinis bellis magnam ansam ad utriusque Politiæ detrimentum accepit, *Joseph. lib.* 14. *antiquit. cap.* 8. *collat. cum* 28. *& Causaub. ad apparat ann. Baron. Exercit.* 1. *p.* 1. *adde Hotting. Secul.* 1. *Histor. Sacr. N. T. sect.* 1. *num.* 3. Sic ante tempora eorundem nullæ Sectæ reperiebantur, nisi duo genera δογματικῶν, quorum primum genus φιλοσοφίαν κατὰ τὴν ῥητὴν διάνοιαν, alterum vero θεωρητικὴν φιλοσοφίαν vocat *Euseb. lib.* VIII. προπαρ. *p.* 222. *v. Scalig. Elench. Trihæres. Serarii cap.* 22. *p. m.* 164. priores dicebantur Karraim, posteriores Hasidim, qui ab initio non dicebantur Sectæ, priores enim illa, quæ lege præcipiebentur, faciebant, posteriores præter præcepta legis Supererogationes & voluntarias functiones nullo cogente obibant. Hinc forte est, quod ex historia Hebraica hæresium initium ab Antiocho Sochæo, altera ætate post Alexandrum deducat *Drusius*, & antea schisma in popu-

populo Dei fuiſſe dicat, poſtquam Manaſſes & alii a Nehemia ejecti fuiſſent, eo quod uxores alienigenas dimittere nollent, *ceu ex Abraham Zachuth habet lib.* 1. *de trib. Sect. Judæor. cap.* 6. *p.m.* 56. *conf. Eund. lib.* 2. *Reſ, ad Minerval Serarii cap.* 2. Hæretici enim ſunt qui in articulo aliquo religionis errant & pertinaciter defendunt, Schiſmatici autem dicuntur qui in nullo articulo Religionis errant, ſed alia quidem de cauſa ſe ab Eccleſia ſegregant & peculiares conventus agunt. *V. Oſiand. ad Canon. Antiochenæ Synodi* IV. *Ann. D.* 34. *Tolet. lib.* 1. *de Inſtruct. Sacerdotum cap.* 19. *n.* 2. *& Auguſt. lib. de fid. & Symb. cap.* 20. *ap. Calixtum. Comm. in* 1. *Cor.* 1. *v.* 19. Hinc Phariſaiſmum mox hæreſim, mox Philoſophiam dicit *Joſeph. lib.* 14. *Antiq. Judaic. cap.* 19. *cap.* 2. *conf. omnino Druſ. lib.* 2. *de trib. Sect. Jud. cap.* 2. *p. m.* 49. Ut ut igitur inter hæreſin & Schiſma quoddam ſic appareat diſcrimen, magna tamen inter Schiſma inveteratum & hæreſin conſpicitur paritas aut ſi mavis, affinitas, quia Schiſma nunquam abſque hæreſi aut rariſſime certe invaleſcit, unde Hæreſis Schiſma inveteratum dicitur *Aug. lib.* 2. *contra Creſc.* Hinc Idem illis minatur ſupplicium, licet citra meritum, *Bellarm. de Membris Eccleſiæ militantis lib.* 13. *de Laicis cap.* 21. *& Beza Vol.* 1. *p.* 153. *ſeqq. contra quos vide Gerhard. Tom.* VI. *LL.* 27. *de Magiſtratu Politico* §. 344. *&* 347. *Meiſn. lib.* IV. *de Legib. Polit. ſect.* 1. *Voet. Part.* 1. *Polit. Eccl. lib.* 4. *Tract.* 1. *cap.* 3. §. 2. *p.* 404. *ſeqq. & Cham. Tom.* V. *Panſtr. Cathol. lib.* 4. *c.* 15. §. 2. 3. 4. *pag.* 180. *ſeqq.*

II. Quamdiu itaque ſupererogatio uſu tenus obſervabatur, & Haſidim in Templum quotidie conveniebant, atque agnum immolabant, qui dicebatur oblatio Haſidim pro peccato, excipiebatur tamen dies undecima Tiſri, poſtridie diei Kipphurim, (*de qua ſupputatione *V. Sigon. lib.* 3. *de Rep. Hebr. cap.* 18.) *Scalig. Elench. Tribæreſ. Serar. cap.* 22. *p. m.* 168. Quamdiu item Karraim legem Prophetas & hagiographa obſervabant, tamdiu Eccleſia Judaica adhuc potuit eſſe tranquilla ad tempora Sadock & Boethi ſive Baithi *V. Druſ. lib.* 1. *de Sect. Jud. cap.* 2. *p. m.* 49. donec illi de pœna peccatorum & remuneratione benefactorum dubitare inceperunt, hic enata hæreſis Sadducæorum annis præter propter ante Chriſtum natum 226. *V. Hotting. Theſ. Phil. p.* 34. *Bertram. de Rep. Hebr. cap.* 19. *cum Comm. l'Emper. p.* 442. *Sigon. lib.* 5. *de Rep. Hebr. cap.* 11. *conf. Joſeph. lib.* 13. *Antiq. cap.* 8. *& lib.* 18. *cap.* 2. *lib. item* 1. *de Bello Judaico cap.* 11. Cum item ſupererogationis præcepta in canones redacta, & ſcripto mandata, tunc multa dubia orta, diſputationes item & altercationes ſuccrevere, & ab illis Haſidim (qui erant antea σύςημα ὁσίων corporati devoti *V. l'Emper. annot. ad Bertr. Remp. Judaic. cap.* 19. *p.* 440. & a Græcis φρατελεῖς vocabantur *Scal. Elench. Tribæreſ. cap.* 22. *pag.* 168.) ſive Sancti *v.* 1. *Macc.* 2. *v.* 42. *cap.* 7. *v.* 13. 11. *Macc.* 14. *v.* 6. *huc ſpectat Liber apud Hebræos, quo dicta & facta piorum & Sanctorum Virorum exponuntur, & hoc ipſo nomine Haſidim inſcribitur*. Poſtea proceſſerunt Dogmatiſtæ, qui ſe Sanctos & tam ab Haſidim, quam a Vulgo ſegregatos dicebant, atque opera illa ſupererogationis ex neceſſitate præcipiebant, quod hominum genus ſucceſſu temporis dividi cœpit in Phariſæos & Eſſænos *V. Druſ. integro Libro de Haſidæis conf. ſis Scalig. Elench. cap.* 22. *p. m.* 170. *l'Empir. loc. cit. conf. ſis Petitum lib.* 2. *Variar. Lect. c.* 7. *Goronidem lib.* IV. *Hiſtor. Hebr. c.* 29. *Egeſippum lib.* 1. *Hiſt. cap.* 1. *& alios*.

III. Phariſæi autem (cujus ſcriptionis formam non Hebraicam ſed Syriacam adſtruit *Druſius lib.* 2. *de ſect.* Jud. *cap.* 1. *p. m.* 71.) ratione etymi ab aliis derivantur a voce Phares, quam diviſionem ſignificare dicunt, *ita Epiphanius. Origines in Matt.* 23. *Damaſc. de Hæreſ. Ambroſ. lib.* 3. *in Lucam ap. Druſ. Loc. cit.* quam tamen ſententiam ipſe refellit, quod Phares ultimam habeat Sade, Pharus autem & Phares unde Phariſæi, per Sin in ultima ſcribatur, quemadmodum & eam ſententiam explodit, quæ a פרש, circa quam vocem *vid. Feſſel. lib.* 1. *Adverſ. Sacr. cap.* 17. §. 9. Phariſæos deducit in ſignificatione explicandi & explanandi, quod vita eorum omnibus oculis ſit epoſita vel explicata *V. Forſter in Diction Hebr.* alii proinde ab eodem verbo deducunt, quatenus ſignificat exponere ſive interpretari *Joſeph lib.* 2. *de Bello* Judaico *cap.* 7. *conf. Bullingerum Comment. in Matt.* 3. *Brent. comment. in Luc.* 20. *p.* 1000. *& Glaſſ. lib.* 3. *Philol. Sacr. Sacr. Tract.* 4. *can.* 2. *p. m.* 674. Sed nec ea *Druſio Loco citato* placet, cum non omnes Phariſæi fuerint legis interpretes, ſed potiſſimum munus id fuerit Scribarum. *Vid. Sigon. lib.* 4. *de Republ. Judaic. cap.* 10. *p.* 296. *adde Loca ſcripturæ Matt.* 22. *v.* 2. 3. *cap.* 22. *v.* 35. *collat. cum March.* 12. *v.* 28. *Matt.* 5. *v.* 20. *cap.* 12. *v.* 38. *cap.* 15.

15. *cap.* 23. *v.* 13. *Luc.* 5. *v.* 30. *cap.* 15. *v.* 2. *conf. sis Bezam comm. ad Matt.* 2. *Scultetum lib.* 1. *Exerc. Ev. cap.* 54. *& Scalig. Elench. Tribæres. cap.* 1. *qui erant* μέρος τῶν φαρισαίων ut expresse habetur act. 23. v. 9. quamvis certum sit unam eandemque personam simul potuisse Pharisæum esse & Scribam quippe officii, Pharisæus autem Sectæ fuit nomen *v. act.* 23. *v.* 6. *&* 9. *cap.* 26. *v.* 6. *conf. B. Gerhard. Part.* 1. *Continuat. Harmon. Evang. cap.* 156. *p. m.* 480. *Drus. lib.* 1. *de sect.* Jud. *cap.* 3. *p. m.* 49. *& cap.* 9. *p.* 61.

IV. Tutius proinde a separatione dicuntur ita *August. Tom.* x. *Sermon.* 15. *col.* 330. *Lud. Vives ad lib.* 18. *August. de civitat. Dei cap.* 39. *Selneccerus Comm. in Lucam cap.* 18. *p.* 668. *Buxtorf. cap.* 1. *Synagog.* Judaicæ *p.* 4. *Sigonius lib.* 5. *de Republ. Hebræor. cap.* 11. *p.* 276. *Bertramus de Republ.* Judaica *cap.* 19. *ubi allegat Epiphanium Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 19. *Hornius Historiæ Ecclesiast. a condito mundo ad Christum Period.* 3. *Art.* 2. *n.* 3. *& Drusius lib.* 1. *de Sect.* Judæor. *c.* 2. *&* 3. *aliique*. Hinc Paulus semetipsum vocat ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον, cum antea fuerat ἀφωρισμένος εἰς τὸν νόμον *Rom.* 1. *v.* 1. *ut Cornelius a Lapide Comm. ad h. l. habet vid. item Glass. Exeges. Ev. & Ep.* 106. *& confer sis loc. Gal.* 1. *v.* 15. *Act.* 9. *v.* 3. *cap.* 13. *v.* 2. quamvis idipsum neget *Camero in Mirothecio suo*: Separati autem non solum erant ad Studium Legis, sed separati etiam a populo vitæ munditie, *vid. Matt.* 15. *v.* 2. *Marc.* 7. *v.* 3. 4. dignitate & sanctitate, *vid. Matt.* 9. *v.* 11. *Luc.* 7. *v.* 39. accuratissimo Vitæ genere ad mandata Legis, *Luc.* 18. *v.* 11. *Marc.* 7. *v.* 3. *collat. cum Exod.* 21. *v.* 18. *Act.* 22. *v.* 3. *cap.* 26. *v.* 5. habitu peculiari *Marc.* 23. *v.* 5. Separati denique vita & moribus hujus seculi *Luc.* 18. *v.* 11. 12. *Matt.* 9. *v.* 14. *Luc.* 5. *v.* 33. *vid. præterea Mecer. in annot. ad Lexicon Pagnini. Osiandr. in annotat. ad lib.* 1. *Harmon. cbp.* 15. *B. Gerhard. Part.* 1. *Continuat. Evangel. cap.* 156. *p. m.* 480. *& Chemit. lib.* 1. *Harmon. Evangel. cap.* 79. *p. m.* 679.

V. Antiquissima igitur hæc Pharisæorum, ceu hactenus patuit, est secta, quam Hircano etiam antiquiorem, & Jonathæ (qui vixisse dicitur anno Mundi 3791. ante-Christum natum 157. aut secundum alios anno Mundi 3845. ante-Christum natum 159. *v.* 1. *Macc.* 9. *v.* 24. *conf. Wichm. lib.* 2. *Chronolog. Sacr. p.* 342.) coævam dicit *Josephus lib.* 13. *Antiquit. cap.* 3. utut de primo ac genuino eorum initio adhuc sic dubitandum *V. Drus. lib.* 1. *de Sect. Judæor. cap.* 5. *p. m.* 56. præsertim quoad Nomen & appellationem, *Drus. lib.* 1. *Resp. ad Minerval. Serarii cap.* 14. de quo nihil certius videtur constare, nisi quod temporibus Alexandri Jannæi sapientes fuerint vocati Pharisæi *v. Chronic. Templi Secundi fol.* 40. *Col.* 1. *edit. Venet. ap. Drus. lib. cit. cap.* 7. *p.* 78. Quando itaque Pharisæorum origo a Sammai & Hillel deducitur ab *Hornio Part.* 1. *Hist. Eccl. Period.* 1. *Art.* 2. §. 3. *p.* 23. Rationem nondum videmus; Sammai quippe & Hillel non sectam, sed duas tantum familias constituisse docent *Drus. lib.* 2. *cap.* 8. *p.* 79. *& Scaliger. Elench. cap.* 12. quin quod Sammai & Hellel floruisse dicantur circa Servatoris tempora, quo Longe antiquiores fuere Pharisæi, nisi quod sæctam hanc illustrem tunc temporis maxime floruisse certum sit, *ita Hornius Loc. cit. Hotting. Synops. Hist. S. N. T. Sec.* 1. *& Thes. Philol. p.* 42. *aliique ab eodem citati*. Accedit quod Schammai ab aliis vocetur Simeon Justus, cujus mentio fiat *Luc.* 2. *v.* 25. *ita Galatinus lib.* 1. *de arcan. Cathol. Verit. cap.* 2. *ap. Chemnit. lib.* 1. *Harm. Evang. cap.* 11. *Postellus lib.* 1. *de Orbis concord. p.* 24. *Schickh. de jur. Reg. p.* 168. quod tamen negat *Drusius lib.* 1. *Præterit. p.* 12. *Lud. Capell. Orat. de nomin. Tetragram. p.* 162. *dubitat. Herm. Lætmat. lib.* 8. *de istaur. Relig. cap.* 7. *conf. Buxtorff. de Abbrev. Hebr. p.* 52. *& alios*.

VI. Sed obstat adhuc auctoritas *Hieronymi*, qui Pharisæos a Sammai & Hellel, quorum Scholam susceperit Aquibas, *de quo vide Abrah. David F. Lev. in Cabal. sua Historic. & Abrah. Zachuth Juchasin fol.* 34. *ap. Drus. lib.* 2. *de trib. Sect. cap.* 8. *p.* 80. deducit, quæ forsan procederent, si modo ea quæ sequuntur cum hisce conciliari possent, quando inquit *Sammai & Hellel non multo prius quam Dominus nasceretur orti sunt in Judæa, quorum primus dissipator* (nomen hujus reperitur 1. *Paral.* 2. *v.* 45. quamvis frustra in ejus significationem inquiri probet *Drus. lib. cit. cap.* 10. *p.* 83.) *alter prophanus dicitur* (hinc initium maximæ contentionis inter utramque domum a Sammai deducit Juchasin *fol.* 19. *p.* 2. *ap. Drus. Loc. cit. conf. Scalig. Elench. Tribæres. Serar. cap.* 12. *p.* 94.) *eo quod per traditiones s.* δευτερώσεις *suas Legis præcepta dissiparint atque macularint*: Verum hoc exinde refutat; quod Hellel tempore nativitatis Christi egerit annum 110. nec. in Judæa sed in Babylo-

bylonia ortus sit; unde & Hellel Babylonius appelletur, *quæ omnia Loc. cit. legi possunt prolixius*. De anctoritate interim Patrum, quam vim probandi habeat collige ex ipso *Hieronymo Tom.* 3. *Ep.* 152. *ad Minerium & Alexandrum col.* 370. *edit. Paris. ann.* 1578. *ap. Meisn. Part.* 11. *Philos. Sobr. Sect.* 2. *cap.* 3. *q. ult.* De Pharisæorum autem Origine plura vide *ap. Baron. in apparat ad annal. n.* 8. *& Casaubon. Exercitat. ad apparat.* 1. *num.* 9. *conf. sis Spanheim Part.* 11. *&* 111. *Dubior. Evangel. Tarnov. in* Job. *p.* 247. *& Drus. comm. priore ad Voces N. T. aliosque.*

CAPUT II.

DE PHARISÆORUM DOCTRINA

SUMMARIUM.

Pharisæi separati sanctitate & doctrina. Sixtus Senensis notatur. Errores ab eo omissi. Grotius notatus. Fatum cum Liberi hominis arbitrio profitentur. Jo*sephus notatus. Pharisæi quid per fatum velint? Fatum quid proprie? Fatum negatur. Astruitur a Philosophis. Fatum Platonis Stoicum Pharisæum? Idem est ac Chaldaicum. Ejus Inventio Ægyptiis tribuitur. A Chaldaicis assumitur a Patribus cur impugnetur. Pharisæorum Dogmata circa animæ immortalitatem &* μετεμψίχωσιν. *Circa mortuorum resurrectionem. Circa traditiones. Reliqua Dogmata remittuntur. Pharisæorum Opinio de metempsychosi auctoritate probatur. Contraria sententia rationibus & auctoritate fulcitur. Singulæ refutantur. Traditiones Variæ. Quæ impugnantur. Reliqua ad forum competens remittuntur.*

I. SIcuti nunc Pharisæi separati erant a populo dignitate & Sanctitate ita ab Ecclesia Judaica segregatos etiam percepimus doctrina & dogmate quæ prolixe omnia deducuntur a *Centuriat. Magdeburg. Centur.* 1. *Libr.* 1. *cap.* 5. *Chemnia. lib.* 1. *Harmon. Evang. cap.* 51. *p. m.* 447. *seq. & Sixto Senensi lib. Bibliothecæ S.* qpi ultimus gravissimis tamen Pharisæorum errores præteriisse videtur: ut de genuino sensu Legis, justitia propria, & terreno Messiæ Regno &c. Promittebant quippe sibi externam quandam tranquillitatem, futuram totius mundi consensionem sub Regno Messiæ *Chemnit. Loc. cit. p. m.* 515. Locus est *Esai.* 11. *v.* 6. ad quem Judaizare videtur Grot. Comm. in h. l. Verum autem sensum *V. ap. Origin. homil.* 2. *in Genes. Basil. homil.* 10. *in Hexaem. Hieunym. comment. in h. l. & alios a Friedl. Tom.* 1. *Theol. Exeget. ad h. l. clas.* 7. *q.* 34. *cit.* Tribuebant autem omnia fato, ita tamen ut homini Liberum arbitrium non adimerent, quod habeat sive ad bonum sive ad malum *V. R. David. Psal.* 119. 170. quamvis Josephus indubius alias testis *V. Cæl. Rodig. lib.* 5. *antiq. Lect. cap.* 9. sibi hac in parte non videatur constare. *Vid.* Joseph. *lib.* 18. *antiq. cap.* 2. *collat. cum lib.* 2. *Capt.* Jud. *cap.* 12. *& lib.* 13. *antiquit. c.* 9. intelligunt autem per fatum astrum sive planetam ut vult *Drus. lib.* 2. *de tribus Sect.* Jud. *cap.* 14. *p. m.* 87. *ex* Joseph. *Albo lib. fundament. s. articul. Serm.* 1. *cap.* 9. *&* 4. *cap.* 4. *& Zonar. de Pharis.* 189. *&* 155.

II. Sumitur alias fatnm proprie pro prædictione ex Syderibus. *Vos. lib.* 2. *Theol. Gentil. cap.* 47. *p. m.* 564. Quamdiu vero natura Divina a Veteribus Philosophis fuit negata, tamdiu nec illi ullam providentiam aut fatum agnovere, *ita Diagoras Melius & Theodorus Cyrenaicus, de quibus V. Diod. Sic. lib.* 13. *Valer. Max. lib.* 1. *cap.* 1. *Ælian. lib.* 11. *V. H. cap.* 13. *& lib.* 11. *cap.* 23. *conf. Voss. lib.* 1. *Theol. Gentil. cap.* 1. *adde Plutarch. in Placit. Philosoph. & Galen. in Hist. Philos. quibus itidem annumeratur Evemerus Messenius & proxime Pytagoras V. Agell. lib.* 5. *cap.* 3. postquam igitur Philosophi in investigatione caussarum occultarum *V. Fic. in Plot. Enn.* 3. *lib.* 1. *cap.* 1. fatum aliquod agnoscere cœperunt, posuerunt id in solis naturalibus & necessariis sc. universis: *ita Pytagoras & Heraclitus V. Stob Eclog. Physic. cap.* 8. 9. *in Plutarch. lib.* 1. *de placit. Philosoph. cap.* 28. Sic fatum in rebus contingentibus & actibus, tamen ne homini Libertas adimeretur, agnovit Plato. *V. Plutarch. lib.* 1. *de placit. Philos. cap.* 27. *Bess. Card. in Calumn. Plat. lib.* 2. *cap.* 8. *&* Joan. *Pic. Miran. in Astrologram. lib.* 4. *cap.* 4. contra quam Stoici *ut Chrysippus ap. AGell. lib-* 6. *cap.* 11. *conf. omnino Voss. lib.* 2. *cap.* 49. *p. m.* 577. Sicuti vero fatum illud Pharisaicum, ab aliquibus ab arbitrii servitute eximatur, tantum tamen abest, ut ab omnibus fiat aut fieri possit, quin potius ex hac ratione fatum hoc Mathematicum, Astrologicum aut Chaldaicum (hinc defensores. Ejus Mathematici, aut Chaldæi, licet Ægyptiis tribuat *Herod. lib.* 2. *cap.* 82. dicuntur. *Tacit. lib.* 2. *Annal. cap.* 32. *conf. Lips. Excurs. G. AGell. lib.* 1. *cap.* 15.)

15.) a Patribus impugnetur, quamvis *Boet. lib.* 4. *de consol. Phil. pros.* 4. non displiceat. *V. Augustin. lib.* 5. *de civit. Dei cap.* 1. *&* 9. *Tract.* 38. *in Joh. Gregor. Magn. homil.* x. *in Evang. & alios plures*.

III. Animam porro dicebant quidem immortalem contra Sadducæos. *V. Joseph lib.* 18. *cap.* 2. *Abraham Zachuth. lib. Juchasin fol.* 139. *conf. act.* 23. *v.* 8. transire autem in alia corpora solas bonorum, impiorum vero interminabili supplicio cruciari. *V. Matth.* 16. *v.* 14. *Joan.* 9. *v.* 2. Quamvis etiam judicia animarum sub terris fieri dicebant, atque tum præmia cuique contingere ex virtutis aut malitiæ merito, & animas impiorum perpetuis damnari carceribus, piorum vero animis facilem esse ad vitam reditum: *Vid. Drus. lib.* 2. *c.* 14. *p. m.* 89. Unde Pharisæos mortuorum Resurrectionem credidisse conjicere potes, quamvis de omnium resurrectione dubitandum esse velit ex *act.* 24. *v.* 15. *Drusius loc. cit. p. m.* 92. *conf. R. David Kimchi ad Psalm.* 104. *v.* 30. *& R. Eleasar in Pircke Aboth. c.* 4. *edit. Fagianæ*. Primarium autem dogma illorum erant traditiones, de quibus contendebant cum Sadducæis, nullam omnino Legem præter scriptam agnoscentibus. *V. Joseph. lib.* 13. *antiq. c.* 18. *& Gorionid. c.* 29. Hinc illas ipsas verbo Dei scripto non modo æquabant, sed & anteponebant, homini ex Legis observatione mutila & imperfecta licet Salutem promittebant, ac omnia Prophetarum scripta secundum suas hypotheses explicabant, & quæ alia de divortiis, juramentis, lege Talionis, vindicta privata, sanctificatione Sabbathi venditabant. *De quibus omnibus historia Evangelica passim vid. Chemnit. lib.* 1. *Harmon. Evangel. c.* 51. *p. m.* 447. *seqq. & c.* 47. *p.* 384. *conf. Loc. Script. Matt.* 12. *v.* 2. *Luc.* 6. *v.* 7. *Joan.* 9. *v.* 16. *& Orig. περὶ ἀρχῶν lib.* 4. *c.* 2.

IV. Ut ut autem Pharisæorum illa de migratione animarum in aliud corpus doctrina vel opinio *ex Matth.* 16. *v.* 13. stabilita videatur, quem locum hinc alii sine resurrectione Pharisaica explicare non posse putant *conf. Bezam Comm. in h. l. & Drus. annot. ad N.T. Part.* 2. *p.* 32. *vid. it. Scultet. lib.* 2. *Exercitat. Evangel. c.* 24. *Voss. de Theol. Gentil. lib.* 1. *part.* 1. *c.* 10. *Joseph. lib.* 18. *Antiq. c.* 2. *& lib.* 2. *de bello Judaico c.* 7. Nihilominus tamen sunt qui inter Pharisæorum errores hanc metemphychosin fuisse pernegant: I. Quia iis nec a Christo nec a Sadducæis fuerit ejusmodi error objectus. II. Talis Metempsichosis & mortuorum resurrectio, propter animæ unitatem & corporum pluralitatem simul consistere non possit. *Vid. Cameron. Præl. ad Matt. c.* 19. *v.* 3. *& Maldonatum Comment. ad cap.* 14. *Matt. v.* 2. *hac de re pluribus*. Sed certum omnino est: Opinionem de metemphychosi animarum inter Judæos fuisse vulgatissimam, unde nec omnino incertum Pharisæos etiam a metempsichosi non fuisse alienos. *Vid. interim R. David Kimchi ad Psal.* 104. *v.* 30. *& R. Menassch Ben Israel lib.* 2. *de Resurrect. c.* 18. Neque enim ratio prima firmiter satis concludit, cum non omnes errores Pharisæorum in Evangelio sint notati, nec Metempsychosis hæc etiam ipsis ob specialem causam potuerit objici, cum iste error non fuerit ipsorum proprius; accedit pro nullitate secundæ rationis, quod hæc mi gratio quam optime cum resurrectione conveniat: Anima quippe una, quæ plurima corpora informavit, in resurrectione tantum reunitur ultimo *Vid. interim de hac re Augustim. lib.* 12. *de civit. Dei c.* 13. *Basil. in hexae. Lactant. lib.* 7. *c.* 12. *Plutarch. lib.* 5. *de placit. Philosoph. c.* 2. *Aristot. lib.* 1. *de anima c.* 3. *t.* 53. *& alios*.

V. Neque vero Traditiones hoc loco sunt ceremoniæ ac ritus *de quo Matth.* 15. *v.* 3. Neque etiam utilia dogmata ad finem & mores spectantia, atque vel ore vel scripto proposita, quæ cum verbo Dei non pugnant, sed sunt ipsum verbum Dei *vid.* 1. *Cor.* 11. *v.* 2. *&* 23. 1. *Cor.* 15. *v.* 3. 2. *Thess.* 2. *v.* 15. *& c.* 3. *v.* 6. *act.* 6. *v.* 14. *Vulg. v.* 1. Neque Testificatoriæ, quando v. g. de scriptis Canonicis primitiva testatur Ecclesia, *vid. hac de re Chemnit. Part.* 1. *Concil. Trident. Exam. Gerhard. Conf. Cathol. lib.* 2. *spec. art.* 1. *Calov. Crit. Sacr. p.* 235. *sqq. & alios*. Neque Historicæ si v. g. de Apostolorum vita ac rebus gestis, quam quod in actis continetur, ab Ecclesiæ primitivæ scriptoribus traditur, ut est de Traditione Magorum, qui dicuntur Joannes & Mambres *V. Plin. lib.* 30. *c.* 1. *Mornæ. libro de veritat. Christ. c.* 26. *Euseb. lib.* 9. *de præparat. Evang. c.* 8. *f.* 241. *Camerar. Centur.* 3. *horar. Subcesiv. c.* 9. *Conf. omnino Gerhard. Comm. ad* 2. *Thimoth.* 3. *v.* 8. *p. m.* 185. *& Glass. lib.* 5. *Philol. Sacr. tr.* 2. *c.* 7. Sed quæstio est de Traditionibus præter Verbum scriptum, quibus totius Legis dogmata varie maculabant Pharisæi *ut videre est cap.* 15. *Matt. toto conf. Hieron. comm. Esai* 59. *Epistol. ad Damas. & Matt.* 22. *Epist. ad*

ad Algasiam q. 10. Sic & de reliquis *conf. Theologos ac Commentatores*, quin & modernæ traditiones, de quibus agit *Bellarm. lib.* 2. *de V. D. c.* 3. *Lindan. lib.* 2. *Panopl. c.* 5. *& alii* an sint necessariæ aut Apostolicæ *V. Gerhard. Conf. Cathol. lib.* 1. *Gener. part.* 1. *&* 2. *c.* 5. *Chemnit. Part.* 1. *Exam. Concil. Trid. Thumm. Disq. de V. D. part.* 2. *cap.* 1. *Bald. Disp.* 22. *ad Artic. Smalk. Gravv. in A. C. & alios.*

CAPUT III.

DE PHARISÆORUM VITA

SUMMARIUM.

Pharisæorum Vita superstitiosa Ascetica. Decimæ. Peccatorum contactum refugiunt. Jejunium & Preces. Discipulorum Joanniticorum dubium Matth. 9. *solvitur? Pharisaicum jejunium rejicitur. Ejusdem tempus quando? Moderni Judæi idem observant. Pharisæus cur in Evangelio rejectus. Jejunium quadragesimale. Jejunia Christianorum qui descripserint. Pharisæorum Vita superstitiosa in Munditie. Lotio a foro & ejus ratio. Lotio manuum. Lotio poculorum. Lotio Lectorum. Superstitio circa Vestitum. Philacteria & fimbriæ differunt. Conclusio.*

I. FUit Pharisæorum doctrina inde superstitiosa, & eadem erat vita: Sic enim *Epiphanius in Panario lib.* 1. *c.* 16. *conf. Sigon. lib.* 5. *de Repub. Hebr. c.* 11. *Rhodig. lib.* 5. *Lect. antiq. c.* 9. *Quidam eorum* inquit *Vitæ asceticæ destinabant annos decem aut quatuor: Similiter faciebant in Virginitate aut continentia, frequenter orantes, crebrius certamen hoc aggrediebantur, ne quid forte corporale accideret, aut clandestine per Somnia tristis corporis defluxio obtingeret, alii igitur ex iis asseres sibi parabant Spithamæ tantum latitudine, & iis sub vesperam se imponebant, ita ut si cui somnus obreperet in pavimentum decidens illico ad preces excitaretur; propterea quod vigilantem, quoad ejus fieri posset, observarent Vitam. Alii Lapides colligentes eos sibi substernebant, ut ne, iis puncti, alto opprimerentur Somno, sed hac ratione ad vigilantiam acquirendam se cogerent: Alii etiam spinas pro strato habebant eandem ob causam &c.* Hæc Epiphanius *ap. Hotting. Synops. Hist. Eccl. N. T. secul.* 1. *Sect.* 1. *p.* 7. Decimabant omnia sua etiam minima. *Luc.* 18. *v.* 12. *Matt.* 23. *v.* 23. *Prov.* 3. *v.* 10. 11. *conf. Joseph. lib.* 4. *Antiq. cap.* 18. *& Drus. lib.* 2. *de Sect. Jud. cap.* 15. *p. m.* 101. Sic nec a vulgo nedum a pecatoribus manifestis se tangi patiebantur, hinc cibum cum iisdem non capiebant. *Matt.* 9. *v.* 11. *Luc.* 7. *v.* 39. *Esai.* 65. *v.* 5. *V. Walæum ad Matt.* 9. *v.* 11. *Drusium Loc. sæp. citat. allegantem* de ascetica autem & continentiæ voto moderno ap. Romano-Catholicis *V. Dorsch. de Voto perpet. Continent. Part.* 1. §. 36. *p.* 71. *Port.* 8. §. 98. *p.* 192. *Port.* 9. §. 212. *p.* 243. *as Port.* 10. §. 119. *p.* 258. *seqq. &* §. 122. *p.* 264. *aliosque.*

II. Cura corporis Pharisaici porro præcipue etiam spectabatur in jejunio & Precationibus ceu ex *Matt.* 9. *v.* 14. ubi Joannis discipuli, procul dubio ex Pharisæorum instinctu *V. Luc. cap.* 5. *v.* 33. *collat. cum Matt.* 8. *v.* 5. Morem Discipulorum Christi, quod non æque ac ipsi & pharisæi jejunarent reprehendunt, ubi *Lucas Loc. cit.* precum etiam meminit, quia illæ jejuniis addi solebant *V. Matt.* 17. *v.* 21. *Act.* 13. *v.* 21. *Act.* 13. *v.* 2. 3. *cap.* 14. 23. *Marc.* 9. *v.* 29. *Luc.* 2. *v.* 37. ad quam objectionem Christus eo loco tale jejunium suis discipulis nec convenire nec expedire respondet. *V.* 15. 16. *conf. Bezam Comm. ad h. l. & Glass. lib.* 3. *Philol. Sacr. tract.* 1. *can.* 36. *memb.* 5. *adde sis August. L.* 8. *contr. Faust. cap.* 1. *&* 2. *& Centuriat. Magdeb. cent.* 5. *cap.* 5. *p.* 540. *rat.* 3. Utut igitur hoc loco Christus jejunium non imprrobare videatur, tantum tamen abest, ut Pharisæorum jejunia ipsi placuerint, quin potius illa rejecerit, quando *Luc.* 18. *v.* 11. 12. Pharisæus seorsim consistens *conf. h. l. Heins. Exercit. Sacr.* aut inter se & animam *ut Syrus vertit*, orabat: Jejuno bis in Sabato h. e. secundo & quinto Lunæ puta & Jovis die *V. Glass. lib.* 3. *Philol. Sacr. tract.* 1. *can.* 26. *& lib.* 5. *tract.* 1. *can.* 17. *memb.* 3. quod hodienum Judæos religiosiores adhuc facere dicit *Buxtorff. in Thes. Gramm. p.* 322. *& cap.* 30. *Synag. Judaic. p.* 574. *conf. Drus. lib.* 3. *præter p.* 107. Rejiciebatur enim Pharisæus cum hoc jejunio suo propter tumorem superbiæ, & nimiam in justitia propria confidentiam, ut bene satis asserit *Bellarmin. lib.* 2. *de justif. cap.* 12. §. *ult.* Quam bene autem *idem* jejunium quadrigesimale ex *Matt.* 9. eliciat. *Vid. ap. Spanheim lib.* 1. *Vindic. Biblic. Loc.* 41. *p. m.* 313. *conf. Voet. Part.* 1. *Politic. Eccl. lib.* 2. *tract.* 4. *cap.* 1. *&* 2. *tot.* De jejunius vero Christianorum *vid. Chemnit. Part.* IV. *Conc. Trident. p.* 149. *Balduin. lib.* 2. *Cas. consf. cap.*

14. &

14. *& multis seqq. Ex Calvinianis Rivet. Tom.* 1. *Cathol. Orthodox. quæst.* 14. *seqq. & in animadvers. ad annot. Hugon. Grot. in consultat. Cassandri cap.* 20. *Spanheim P.* 111. *Dub. Evang.* 53. *seq. Ex Romano-Catholicis Scherlog. lib.* 2. *Antiq. Hebraic. Dissert.* 1. *sect.* 8. *&* 12. *Zachias Tom.* 1. *lib.* 5. *titul.* 1.

III. Curiosa itaque non minus ac superstitiosa ceu hactenus Pharisæorum fuit vita in Corporum alimentatione, castigatione & separatione, ita non minus fuere curiosi in eorundem munditie: Huc spectat Lotio a foro, *Matt.* 7. *v.* 4. manuum *Matt.* 15. *v.* 2. *Marc.* 7. poculorum & Lectorum, quamvis lectos a Pharisæis aspernatos dicat *Scalig. Elench. Tribæs. Serarii cap.* 13. Quoniam enim in foro multi erant ἀλλόφυλοι, a quibus se contaminari etiam inscios posse arbitrabantur Pharisæi, contaminationem Vulgi abluere credebant, quando aqua se leviter aspergebant aut tingebant (hinc Leviticæ ablutiones baptismi vocantur *Hebr.* 9. *conf. Judich.* 12. *v.* 7. 11. *Reg.* 5. *v.* 14. *Syr.* 34. *v.* 40. *vid. sis & sis & Pet. Martyr. ad* 1. *Cor.* 10.) *conf. hic omnino Heins. Comment. ad h. l. & Chemnit. lib.* 1. *Harmon. Evangel. cap.* 97. *p. m.* 879. *Buxtorff. cap.* 1. *Synagog. Judaicac. p.* 5. Imo neque manducabant, nisi crebro & accurate laverint manus, ita ut nec annulum in digitis retinerent, ne quid sordidum sub iis lateret unde omnis ablutio inanis redderetur, *V. præter. Marc.* 7. *Matt.* 5. *v.* 2. *& Chemnit. Loc. cit. conf. omnino hic Glass. lib.* 3. *Philol. Sacr. Dract.* 5. *can.* 1. *p. m.* 687. *Schickhard. de jur. Reg. Hebr. cap.* 5. *p.* 150. *seqq.* Sic item pocula putabant esse prophana nisi prius abluerentur, quod si forte musca mortua illa contaminarit. Si quis ascendit Lectum non aspersa aqua putabat illum esse prophanum; si quidem fieri potuerit, ut in illo pulex occideretur, ex quo morticinio contaminatus. *V. Num.* 19. *v.* 20. *Levit.* 14. *v.* 7. *cap.* 16. *v.* 19. *quæ V. prolixius ap. Chemnit. Loc. cit. conf. omnino Grot. comment. ad Matt.* 15. *v.* 2. *& Voent. Part.* 3. *Select. disp.* IX. §. 6. *p.* 98. de lotionibus Rabinorum *V. Buxtorff. Syeagog. Judaic. cap.* 5. *&* 7.

IV. Sed nec minor erat curiositas Pharisæorum & superstitio, quam habebant circa Vestitum quando *Matt.* 23. *v.* 5. Servator inquit: *Dilatant Phylacteria* (aut si mavis Philateria *cum Rhodig. lib.* 5. *Lect. antiq. cap.* 9.) *& Magnificant fimbrias Vestimentorum suorum*. Per Phylacteria h. l. intelligunt Laminas vel membranulas, fimbrias vero ex pannis, vel alia materia vestitum, constasse: Unde Philacteria gestari dicuntur in capite vel brachio sinistro, fimbriæ vero erant extremæ partes Vestium, quibus illæ prætexi solent. Philacteria insuper auctoritate Divina destituta, putant, fimbrias non item, unde Christus ipse fimbriam gestasse dicitur, *Luc.* 8. *v.* 44. Qua de causa Hieronymus vapulat *Scalig. Elench. Tribæres. Serar. cap.* 8. Sed charta jam potissimum & tempore nimium exclusi alia commodiori occasione hac de re pluribus: Lectorem interim benevolum remittimus *ad auctores hinc inde a nobis citatos, imprimis V. ad Drus. lib.* 2. *de sect. Judæ. cap.* 15. *p.* 102. *& cap.* 16. *pag.* 107. *Scalig. Loc. citato, & alios*.



L. A. RECHENBERG
DISSERTATIO.
DE
PHARISÆIS.

I. INter ſectas Judæorum, Chriſto ejuſque ſanctiſſimæ doctrinæ maxime infenſas, Phariſæos fuiſſe, nemo forte Chriſtianorum facile inficias ibit; cum in hiſtoria Evangelica, quoties de Chriſti doctrina & ejuſdem miraculis patratis ſermo incidit, Phariſæos inprimis illa impugnaſſe, aut blaſphema etiam ἀντιλογίᾳ perſtrinxiſſe legamus. Nimirum pervicax illud hominum genus non tantum humanæ autoritatis præjudicio laborabat; ſed & falſis ſuorum magiſtorum placitis faſcinatum, cœleſtis doctrinæ valde imperitum fuit. Unde mirum non eſt, quod pertinaciter adeo ſcita ſua defenderint, ac apud populum ſeverioris diſciplinæ ſpecie, ac vitæ, qaam jactabant ſanctimonia, magnam autoritatem nacti ſint. Chriſtus vero populi excœcati miſertus, larvam cum falſæ doctrinæ, tum improbæ vitæ, illis & detraxit, & exprobrando ipſis peſſimos mores, *Matth.* XXIII. graviſſime redarguit, eoſque tandem ὄφεις, & γεννήματα ἐχιδνῶν appellavit. De qua objurgatione jam qualecunque induſtriæ meæ ſpecimen editurus, ex philologia & philoſophia differere καθ᾽ δύναμιν conſtitui. Quod ut ordine fiat, *primum* ex hiſtoria de Phariſæorum ſecta, indole & genio, quædam in medium afferam; *deinde* quid ὄφεις, & γεννήματα ἐχιδνῶν ſint, ac quare ita appellentur, ediſſeram. Deus hoc meum inſtitutum fortunet!

II. Cum Chriſtus hic *Phariſæos* & *Scribas*, formula jam adducta redarguat atque objurget; de *Phariſæorum ſecta* quædam præfari, neceſſum duco. Ubi primum nominis origo indaganda venit, quæ aliquibus dubia videtur. Nam quidam eos dictos volunt, a פרש quatenus notat, *explicuit*, *expoſuit*; quaſi audirent פורשים, *interpretes legis*. Sed Hebræi interpretes non tam פירשים, quam in Piel, מפרשים appellare adſolent. Igitur alii ab eadem quidem radice פרש derivant, ſed qnatenus ſignificat, *ſeparavit*, vel *ſeparavit ſe*; quaſi diceres, ἀφωρισμένους, homines vitæ ſcilicet morumque inſtituto, ab aliis ſeparatos. Sic *Suidas:* Φαρισαῖοι οἱ ἑρμηνευόμενοι, ἀφωρισμένοι, παρὰ τὸ μερίζειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτοὺς τῶν ἄλλων ἁπάντων. *Confer R. Nathan in Aruch R.* פרש, *Buxt. Lex. Chald. Talmud. & Rabbin. p.* 1851. *Hotting. Theſ. Philol. L.* 1. *cap.* 1. *p.* 25. *Carol. Sigon. de Rep. Hebr. p.* 422. *ſeqq.* Nomen ergo illis aſſumtum vel inditum a vitæ ſtudio, quo ab aliis Judæis diſcerni volebant. Sicut inter Chriſtianos, labentibus ſeculis, Monachorum, Euchetarum, Catharorum, & ſimilia nomina, multis, a vitæ & morum profeſſione adhæſerunt. Quod ex hiſtoria eccleſiaſtica notiſſimum eſt.

III. Origo ipſius ſectæ in obſcuro eſt. Nam neque de tribu, ex qua prognati, neque de tempore, quando exorti ſunt, ſatis conſtat. Id quidem non incerta traditione admittitur, Prophetis adhuc in populo Judaico ſuperſtitibus, nullas in gente hac ſectas fuiſſe; cum ex divinis oraculis, hæreſes ab illis, ſtatim in herba, quod dici ſolet, opprimerentur. At vero poſt captivitatem Babylonicam, dono Prophetarum ceſſante, Rabbinorum commenta paulatim invaleſcere cœperunt, quorum autoritas deinde divinis ſcripturis vel æquiparata, vel antelata fuit. Inde ex novis traditionibus & moribus populi, novæ ſectæ. Vid. *Cunæi, de Rep. Hebr. p.* 257. Scaliger Phariſæos, ab Haſidæis veteribus derivare vult, qui ita dicebantur a beneficiis, quæ in templum reſve alias ſacras impenderent. Vid. *Druſ. de trib. ſect. Hebr. L.* 1. *cap.* 8. *& Scalig. Elench. Trih. Serar. cap.* 22. Qui erant τάγμα hominum ἐκουσιαζομένων τῷ νόμῳ, ex quibus proceſſerunt δογματισταί, qui ſe ſeparatos a vulgo dixere, & τὸν ἐκουσιασμὸν, in neceſſitatem convertere. Horum ſocietatem ſatis antiquam fuiſſe, teſtis eſt graviſſimus ſcriptor, *Joſephus*, qui eam jam tempore Jonathæ, fratris Judæ Maccabæi introductam, diſerte affirmat, *Antiquit. l.* XIII. *cap.* 9. & XVII. *cap.* 3. & XVIII. *cap.* 2. Turbulentius quippe Mac-

Maccabæorum temporibus, hi in solitaria se loca receperant: Postmodum Hasidæorum vitæ consuetudinem pristinam sectantes, hincque opinione inflati, propriam vivendi rationem stabilire ausi sunt; ita, ut demum sectæ Essæorum multis deditæ superstitionibus fere similes facti sint, atque ob vitia, in quæ virtutes primæ demigraverant, ridiculis & ad ludibrium compositis vocari nominibus cœperint. *Confer Buxt. Lex. Tal. R.* פרש

§. Sunt autem qui e tribu Simeonis, Pharisæos maximam partem prodiisse autumant. Verum obstat exemplum Pauli Apostoli, Benjamitæ *Rom.* XI. 1. *Phil.* III. 5. Item Hillelis, Pharisæi, qui patrem nactus est e tribu Benjamin, matrem vero e tribu Judæ. Unde eorum mihi sese adprobat sententia, qui ex quavis tribu promiscue oriundos esse Pharisæos, dicunt.

V. Circa *tempus*, quo innotuere primum, *Is. Casaubonus* erudite disquirit *in Exercit.* I. *ad Apparat Annal. Baron. num.* 8. Juvat ipsius verba huc transcribere: Pharisæi quoque tam recentes in populo Dei non fuerunt, ut paullo ante Christi ἐνσάρκωσιν h. e. *incarnationem*, dici queant cœpisse. Josephus l. XIII. cap. 9. Pharisæorum atque Essæorum in rebus Jonathæ Assamonæi, annis ante nativitatem Christi minimum 140. Meminit Josephus idem *l.* XVIII. *cap.* 2. affirmat tres illas sectas, vel sicut ipse appellat, φιλοσοφίας, cognitas fuisse Judæis, ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου, *a temporibus admodum antiquis*. Videntur sane Pharisæi non multo juniores fuisse Sadducæis, quorum de antiquitate constat ex auctoribus earum appellationum Saddok & Baithos, qui fuerunt discipuli & γνώριμοι Antigoni Sochæi &c. vid. *Drus. de trib. Sect. p.* 78. *Spanhem. Dub. Evang. Part.* 3. *p.* 105.

VI. Visa Pharisæorum origine, eorum placita ac mores, quibus sectæ nomen meruere, paucis attingemus. *Suidas* hæc in compendio nominat: Παρθενία, νηστεία δὶς τοῦ σαββάτου, ξεστῶν καὶ πινάκων καὶ ποτηρίων καθαρισμοὶ, ἀποδεκατώσεις τε καὶ ἀπαρχαὶ, καὶ ἐνδελεχεῖς εὐχαὶ. Sed plura de iis in historia Evangelica leguntur, quæ breviter hic referre, non abs re fuerit. Inter illos errores, primus & capitalis fuit, quod traditiones πατροπαραδότους, verbo Dei scripto prætulerint, *Matth.* XV. 3. *seqq.* Traditionem illorum de Sabbatho *Hieronymus Epist. c.* 151. perstringit: *Quantæ traditiones*, ait, *Pharisæorum sint*, *quas hodie vocant*, δευτερώσεις *& quam aniles fabulæ*, *evolvere nequeo*. *Neque enim libri patitur magnitudo*, *& pleraque tam turpia sunt*, *ut erubescas dicere*. Et paucis interjectis pergit: *Præterea quia justum est*, *ut diebus Sabbathorum sedeat unusquisque in domo sua & non egrediatur*, *neque ambulet de loco*, *in quo habitat*: *si quando eos juxta literam cœperimus arctare*, *ut non jaceant*, *nec ambulent*, *non stent*; *sed tantum sedeant*, *si velint præcepta servare*; *solent respondere*, *R. Achiba & Simeon*, *& Hille magistri nostri tradiderunt nobis*, *ut bis mille pedes ambulemus in Sabbatho*, *& cetera hujusmodi doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei*. Ut v. per eorum traditiones ac interpretamenta, morum sanctimonia, divina lege requisita fuerit a Pharisæis corrupta, Christus ipse *Matth.* v. docet. *Josephus l.* XVIII. *c.* 2. de iis diserte affirmat, quod omnia fato geri asseruerint; sed tamen eo ipso liberum arbitrium hominis non negarint. Quod non satis observasse videtur *Epiphanius de Hæres. Judaismi* III. qui illis fatum absolutum tribuit. Quod & *Baronius* in *Apparat. ad A. E. n.* 8. Fecit unde. Is. *Casaubonus Exercitat.* I. *ad Apparat. Baron. p.* 53. *&* 54. suspicatur, eum in quosdam Pharisæos incidisse, qui placitorum suæ sectæ parum gnari, hoc illi persuaserint. De antiquis certe Pharisæis tale quid suspicari, nos Josephus non sinit, & quidem cum professione Pharisæus, tum affectu. Confer *Voss. de Idolol. l.* II. *p.* 560. *sqq.* Cæterum etiam στοργὴν liberorum erga parentes, voti religionisque prætextu, illos impie impedivisse, ipse Christus impietatem hanc reprehendendo, docet *Matth.* XV. 5. *Marc.* VII. 11. Confer *Epiphan. loc. cit.*

VII. Hæc & alia improba dum profiterentur placita, mirum non est, vitam moresque eorum divinis legibus parum convenisse. Nam etsi strictam legis Mosaicæ observationem jactarent, ac jejunia apud *Lucam c.* XVIII. II. 12. agerent crebriora, precesque prolixas deblaterarent; fictæ tamen pietatis simulacra hæc fuisse, ex ipsius Christi testimonio non uno notum est: interim nundinaria hac sanctitate, animos omnium sibi conciliabant, ut, quod ipsi dicerent, vel facerent, jus fasque ab omnibus esse crederetur. Conf. *Epiphan. Hæres. cit. & Drus. l.* II. *c.* 2. *de Sect. Hebr.* Studium enim eorum externæ puritatis corporis, habitus vestimentorum singularis, & quæ similes eorum superstitiones fuerunt, non nisi hypocrisin arguebant, quam Christus in illis tam graviter redarguit. Ideo cœlestem ejus doctrinam & miracula inter

inter Judæos patrata, blasphemarunt, ipsumque structis tot insidiis, e medio tollere machinabantur, obfirmantes & obdurantes se contra veritatem. Hinc cœci & cœcorum duces appellantur. Confer *Baronii Apparat. ad Annal. Ecclestast. num.* 8. 9.

VIII. Licet ergo hujus sectæ ob Mosaicam doctrinam, vitæque ac disciplinæ affectatum rigorem, apud Judæos olim magna fuerit autoritas, ut ex *Josepho*, & ipsius postea S. Pauli testimonio *Act.* XXVI. 5. *Philipp.* III. 5. constat; pessimis tamen eos moribus, hypocrisi inprimis, avaritia, ambitione, maledicentia, & aliis vitiis contaminatos eos fuisse, Christus, veritatis magister maximus, cum in historia Evangelica passim, tum *Matth.* XXIII. nos edocet. Imo multis doctrina Christi non imbutis, iidem propter hypocrisin, ludibrio fuere; ut hac de causa etiam ad ludibrium compositis nominibus appellarentur. Quæ præter *Buxtorf. Lex. Tal. R.* v. פרש, *Drusius* etiam l. c. p. 117. recenset. Distinguebantur nempe his appellationibus a Judæis: alius enim dicebatur פרוש שכמי *Pharisæus Sichæmeus*, qui juxta morem Sichæmeorum, Gen. 34. circumcisionem admittit, bonis operibus vacat, σκληραγωγίαν sectatur, non propter Deum, sed gloriolæ & lucelli gratia: alius פרוש נקפי *Pharisæus impingens*, qui sub specie nimiæ humilitatis, haud allevat pedes; sed eos, ac si reptaret, ad lapides impingit (ein Schleicher) alius, פרוש קיזאי *venam secans* ad parietes, qui conniventibus & fere clausis oculis, ne virginem forte aut mulierem aspiceret obviam, incedens, frontem ad parietes allisam reddit sauciam atque cruentam, cœcutiens, Germanice ein Blindscheicher: Alius, פרוש מדוכיא *Pharisæus instar pistilli depressus*, qui humili incurvatoque incedit corpore (ein Krumbling:) alius פרוש מה חיכתי ואעשנה *Pharisæus quodnam est debitum meum* (amplius) *&* *illud faciam* (ex superabundantia) alius פרוש מיראה *Pharisæus ex timore* (pœnarum) v. *Hottingeri Thesaur. Philolog. l.* 1. *cap.* 1. *sect.* 5. ubi his Monachos in ecclesia Romana, non sine ratione comparat.

IX. His autem cum essent moribus, nemo mirari debet, Christum eos acriter adeo redarguisse, ac *serpentes* & *progeniem viperarum* appellasse. Præsertim cum virus meledicentiæ suæ non semel in sanctissimum Salvatorem evomuissent, animi diritatem simul apricantes.

X. Illis vero cum loco Matthæi allegato, antecedente commate 27. γραμματεῖς conjunxerit, quæritur; an illi etiam hoc nomine appellati sint; an vero iidem fuerint? cum hæc duo nomina *Matth.* XXII. 34. 35. & *Marc.* XII. 28. promiscue sumi videantur. v. *Frid. Spanheim Dub. Ev. Part.* III. *p.* 400. *seqq.*

II. *Baronius* in *Apparatu Annalium n.* 8. existimavit, Scribas sectæ Pharisæorum fuisse membrum: Sed *Is. Casaubonus exercitat.* I. ad istum Apparatum *n.* 8. *p.* 52. nihil absurdius dici posse, scribit. Cum Scribarum legalium ordo apud Judæos ex antiquissimo instituto fuerit. Ipsi quippe erant, qui legem populo legebant in templo & in Synagogis, ac si opus esset, interpretarentur: propterea in Evangeliis dicuntur νομικοί. Fuit ergo hoc muneris nomen non sectæ. Licet e corpore Scribarum essent, qui Pharisæorum placita sequerentur. Unde hoc respectu Christus eosdem Pharisæis sectariis conjungit, & ob consensum hac in parte, pari objurgatione castigat. Nam γραμματέων, *Scribarum* ordo, Judaismi hæresis non fuit; licet plerique Scribæ, Pharisæi; non tamen omnes: quemadmodum inter Theologos nonnulli Monachi, & arctioris vitæ professores. Inde *Theophylactus comment. in Lucæ cap.* XI. *f.* 399. Ἄλλοι δὲ ἦσαν οἱ νομικοὶ παρὰ τοὺς Φαρισαίους. οἱ μὲν γὰρ Φαρισαῖοι ὡς ἀσκηταὶ ἐδόκουν, καὶ ἀποκεκομμένοι τῶν ἄλλων. οἱ δὲ νομικοὶ γραμματεῖς ἦσαν, καὶ διδάσκαλοι τοῖς βουλομένοις τὰ τοῦ νόμου ζητήματα λύοντες. *Tostatus in cap.* XXIII. *Matth. Quæst.* XII. idem discrimen observat: *Sciendum*, ait, *quod licet ponantur hic Scribæ & Pharisæi tanquam distincti; non distinguuntur inter se, sicut Pharisæus & Sadducæus, sive sicut opposita: quia nullus Pharisæus est Sadducæus: neque e contrario, quia erant sectæ disparatæ & quasi oppositæ: sed distinguuntur sicut Grammaticus & Dialecticus: quia licet aliud sit, grammaticum esse, aliud dialecticum; tamen idem potest esse grammaticus & dialecticus. Sic enim aliud est, esse Scribam, quam Pharisæum: quia Scribam esse, esse sapientem in lege; Pharisæum esse, erat habere modum certum vivendi & sectam. Et tamen accidit eundem esse Pharisæum & Scribam*, id est, *doctum in lege*. Unde recte *Petavius* in *Animadvers. ad tom.* 1. *lib.* 1. *Epiphanii f.* 26. annotat, eosdem Νομικοὺς, & νομοδιδασκάλους, & γραμματεῖς appellari; Simul etiam Epiphanii, Drusii & Scaligeri errorem circa horum nominum distinctionem admissum demonstrat.

XII. Cum ergo Christus *Pharisæos*, in hac increpatione, *serpentes* vocat, de eo-

eorum natura & diverso genere quædam hic annotasse, non abs re fuerit. Communiter autem *serpens* describitur, quod sit ζῶον ἑρπετὸν, ἔναιμον, φολιδωτὸν, *animal reptile*, *sanguine præditum*, *cortice tectum*; addunt alii, *venenosum & homini infestum*. Aliqui putant, serpentem in prima creatione quadrupedem fuisse productum, vel saltem ad instar draconum, bipedem; & quod jam post lapsum serpat, id divinæ partem pœnæ esse. Quæ opinio ex *Gen.* III. 14. hausta videtur. Enimvero, ut hic *B. D. Schmidii Colleg. Bibl. Prior. p.* 148. *seq.* sententiam præteream, qui negat, ibi de serpente naturali agi; verisimile nobis non videtur, Deum ob peccatum hominis; in serpentis natura, aut corporis parte quicquam mutasse. Incertum etiam est, ullum draconem esse bipedem, aut juxta *Plinium lib.* II. *cap.* 47. serpentes pedibus anserinis fuisse visos. *Augustinus* sane *lib.* 3. *de Gen. ad lit.* expresse scribit, dracones sine pedibus esse.

XIII. Varia autem serpentum esse genera (*Plinius H. N. l.* VIII. *c.* 23. innumera dicit,) quæ distinctis iterum vocabulis discernuntur, ex historia naturali constat. Sic aspis græce ἀσπὶς, cenchris vel κεγχρίας a maculis, milvi magnitudine & colore nominatus; Cerastes & hæmorrhoi, quibus præter cornua hoc quoque est peculiare, quod spinas dorsi non habeant osseas, ut reliqui serpentes, sed solum cartilagineas, atque in utramque partem ita flexiles, ut nulla in incessu queat esse firmitas. *Hinc Lucanus l.* IX. *v.* 7. 16.

— *Spinaque vagi torquente cerastæ.*

Sunt denique angues alati, qui quotannis ex Arabia & Libya in Ægyptum volare dicuntur. *v. Bochart. Hierozoic. part.* 1. *l.* 1. *c.* 9.

XIV. Id memorabile de serpentibus, quod robur eorum sit in capite. Huc Deus in Protevangelio *Gen.* III. 15. quando *semen mulieris caput serpentis contriturum esse*, prædixit, respexisse videtur. Epaminondas olim Thebanos recta in Lacedæmoniorum agmen impulsurus, maximum serpentem arreptum, ipsis ostendit, ejusque capite attrito, in conspectu omnium, videtis, dixit, capite adempto, reliquum corpus esse inutile. Quo exemplo hoc itidem innuere voluit: quod si hostium capita, nempe Laconicum hoc, contriverint, reliquum corpus sociorum, nullius usus futurum. 5. *Polyen. l.* II. *de Stratagem.* Hac de causa serpens naturæ instinctu, caput a periculo inprimis conservare studet. Quod *Epiphanius in Phisiologo c.* 15. observavit: τοῦ ἀνθρώπου αὐτὸν ἀποκεραμῆσαι ἰχνεύοντος, ὅλον τὸ σῶμα παραδίδωσι, τὴν κεφαλὴν μόνην φυλάσσει. Et *Chrysostomus* in *Ps.* CXIV. ὁ ὄφις τὸ λοιπὸν σῶμα προΐεται, ὥστε τὴν κεφαλὴν διασῶσαι. *Serpens reliquum corpus exponit, ut caput conservet.* Confer *Epiphan. Heres.* XXXVII. *de Ophitis.*

XV. Instrumentum eorum nocendi, lingua inprimis est virulenta, cujus extrema *Aristoteles Histor. Animal. Lib.* 2. *capit.* 17. λεπτὰ ὥσπερ τρίχες *tenuia tenuitate capillamenti* vocat. Quo respexisse videtur *David Psalm.* CXL., 4. per figuram de maledicis loquens: *Acuerunt linguas suas sicut serpens.* Confer *Job.* XX., 16. Ipsam vero linguam serpentum, alii duplicem, alii triplicem statuunt. Plautus namque bilinguem non semel vocat. Ita in *Asinaria* Libanius Philenium ad osculum sic invitat: *fac proserpentem bestiam duplicem ut habeam linguam.* Videlicet, si Salmasio credendum, serpentes linguam tremulo crispant motu; ut non una, sed gemina esse videatur: uti in *Apuleji Apologia* Lælius ἴυγγας vocat *inlices bicodulas*, quod caudæ assidua vibratione quadantenus duplicem eam faciant, atque sic duas videantur habere caudas. Verum *Bochartus* hæc, utut speciosa, vera tamen esse, negat. Neque enim propter celerem linguæ vibrationem serpentem a Plauto dictum esse belinguem, sed quia eam habet bisulcam, ut ipse *in Pænulo* testatur, *bisulci lingua quasi proserpens bestia. Plinius Lib.* XI. *c.* 37. perhibet, linguam tenuissimam serpentibus & trisulcam esse. Huc referri potest quod Sir. c. XXVIII., 14. dixit: Γλῶσσα τρίτη πολλοὺς ἐσάλευσεν, *lingua tertia multos commovit*, & *v.* 15. Γλῶσσα τρίτη γυναῖκας ἀνδρείας ἐξέβαλε, *lingua tertia mulieres viriles ejecit*; cum maledico, qui linguam in quoslibet exerit, ac serpentis more vibrat, h. l. triplex lingua attribuatur. Vid. l. c. *Psal.* CXL., 3. Ex Arabum fide *Bochartus l.* 1. *c.* 4. addit, rem a Græcis & Romanis scriptoribus omissam, serpentes nempe alios non tantum acutam, sed & aculeatam habere linguam, aut vero nasum & rostrum; alios, veluti scorpiones, etiam cauda ferire; alios aculeo gemino utrinque pungere; indeque Salomonem serpentis punctionem a morsu ita distinguere *Prov.* XXIII., 32. *velut serpens mordebit, & basiliscus punget.*

XVI. Inter proprietates serpentum *Epiphanius in Physiolog. c.* XIII. primo loco *prudentiam* recenset. Etsi vero pruden-

dentia proprie talis, brutis ratione destitutis competere non possit; nihilo tamen minus *Gen.* III. 1. serpens & natura, & a diabolo obsessus ערום dicitur: quæ vox loc. cit. non solum a LXX. per φρόνιμος reddita; sed & alibi, præsertim in Proverbiis Salomonis prudentem significat. Imo ipse Christus *Matth.* x. 16. Christianos imitari jubet prudentiam serpentum. Verum simulacrum tantum prudentiam serpentum. Verum simulacrum tantum prudentiæ in serpentibus deprehenditur, quod astutia & calliditas alias appellatur. Id enim præter *Gen.* III. 1. probat locus Apostoli 2. *Cor.* XI. 3. ubi ait: *serpens Evam seduxit*, ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, *calliditate sua*. Ceterum de loco Christi ex Matthæo jam allegato vid. *Epiphan. Physiolog. cap.* 1. *Tom.* 1. *Opp. f.* 206. & *Isidori Pelusiot. l.* IV. *Epist.* 136. *fol.* 486. adde *Consalvi Pontii de Leon. Not.* in *loc. Epiphanii citat. f.* 207. quibus duplicem prudentiam esse, erudite declarat, *unam* proprii commodi custodem & alieni doli observatricem, qualem serpenti tribuit; *alteram*, quæ virtus est proprie, & quæ agenda aut non agenda sint, definit. Sed prior illa improprie prudentia, proprie magis astutia, calliditas aut versutia appellatur. Quemadmodum Aquila & Theodotion vocabulum ערום *Gen.* III. 1. per πανοῦργον interpretati sunt.

XVII. Visa serpentum natura, & consideratis, quæ iis tribuuntur proprietatibus, restat; ut indagemus causas, cur Christus Pharisæos & Scribas cum illis comparet. Hic vero primum occurrit πανουργία seu calliditas & astutia. Quam *Consalvus Pontius de Leon*, *in Notis ad Epiphanii Physiologum fol.* 207. probat ex Genes. III. capite: *erat serpens callidior*, ubi LXX. Interpretes habent ὁ δὲ ὄφις ἦν φρονιμώτατος, sed Aquila & Theodotion reddunt πανοῦργον. Cum vocabulum φρόνιμος, magis de vera prndentia, quam de adparente, h. e. calliditate usitatum sit. Quanquam etiam Paulus *Rom.* XI. 25. (ἵνα μὴ ἦτε παρ᾽ ἑαυτοῖς φρόνιμοι) de adparente prudentia usurpet, quo modo Christus *Luc.* XVI. 8. villici iniquitatis calliditatem laudat quod φρονίμως egerit. In quo vero consistat illa φρόνησις, non satis liquidum est. *Laurentius Ramirez Pentecontarchi sui cap.* 1. contendit, non alia de causa φρόνιμον dici, quam quia nullum est animal, quod se insinuet magis. Unde ortum vult habere, quod angues in Mercurii caduceo impliciti finguntur: quia summi oratoris, qualis credebatur Mercurius, munus vel præcipuum est insinuatio. Addit Evam lusitare solitam cum serpente, eoque sinus ornare, & collum ac brachium: ideoque monilia hodieque fieri ad serpentum similitudinem, quæ Græci ὄφεις appellant. Quod præter Nicostratum & Athenæum testatur etiam *Clemens Alex. l.* II. *Pædagogi*, *fol.* 155. Et forte inde religio in hæc animalia apud Ægyptios, quam *Consalvus Pontius de Leon l. c.* describit. Sed *Bocharto fol.* 39. hæc conjectura longius petita videtur, ideo improbat. Verum nobis rejicienda non videtur; cum quæ de serpente *Genes.* III. memorantur, huc quadrent, & de Pharisæis etiam constet, quod callidi temporum fuerint, & artem adrependi populo satis intellexerint. Sunt tamen adhuc alia calliditatis serpentinæ indicia; puta, quæ *Physiologus Epiphanii* loc. cit. commemorat. Primum, quod cum senium præsensit, quærat petram, & in rimam se insinuet, pronusque per foramen transire nitatur, & senectutem exuat; quod, cum ab homine vestito fugiat; cum eundem non vestitum videt, κατιθαῤῥεῖ αὐτοῦ: *illum aggrediatur*: quod ab homine appetitus, solum caput servet illæsum, (confer *Isid. Pelusiotæ l.* 1. *Epist.* 126. *f.* 39.) reliquum corpus objiciat: deinde quod quando ad fontem venit, ut bibat, οὐ φέρει τὸν ἰὸν, ἀλλά γε ἀφεὶς αὐτὸν ἐν τῇ νεοττιᾷ. οὕτω καθαρὸς πορεύεται, *verus non defert*, *sed illud in nido dimittens*, *ita purus accedit*. De his quatuor callliditatis argumentis, v. *Consalvum Ponce de Leon*, *in Physiolog. loc. all.* & *Boccbart. Hierozoic. l.* 1. *c.* 4. Quibus utique Scribas & Pharisæos in multis fuisse similes, nemo qui historiam, Evangelicam legit, facile negabit; cum & se conservandi, & aliis nocendi artium fuerint studiosissimi. Addo, quod *Aristoteles Hist. An. l.* 1. *cap.* 2. tradit, serpentes esse μάλιστα ἐπιβούλους, *mixime insidiosos*. Id sane de Pharisæis est quam notissimum. Contra cum Christus eosdem reprehenderet, aures obturarunt suas, quod Hieropsaltes *Psalm.* LVIII. 7. de serpentibus dixit. confer *Clement. Alex. Stromat. l.* VII. *f.* 547.

XVIII. *Deinde* serpentibus Scribæ & Pharisæi comparantur ob nocendi & maledicendi studium, quo maxime inter Judæos notabiles fuere: Scut Hieropsaltes *Psal.* CXL. 3. cum lingua serpentis, linguam maledici confert: *Acuerunt*, inquit, *linguas suas sicut serpentes*. Ita *Plautus* in *Persa*; *perserpens bestia*, *est bilinguis & scelestis*. Qui enim maledicus est, linguam in quoscunque exerit & vibrat more serpentis. Confer. *Ps.* CI. 7. CXI. 12. Facit huc etiam illud *Si*-

racidis cap. XXVIII. 15. Γλῶττη τρίτη πολλοὺς ἐσάλευσεν, & Prov. XXII. 32. *Sed postremum ejus sicut serpens mordet*. Ut autem virus maledicentiæ, in Christum, Pharisæi serpentum instar effuderint, tot loca, quot de illis in historia Evangelica agunt, testantur. Et prolixum nimis foret, si illa singulatim recensere atque hic exponere vellem. Quicquid enim Christus egit, reprehenderunt, aut quæ dixit ad salutem animarum promovendam, rejecerunt, aut blasphemarunt. Odio ergo dignum hoc hominum genus, quod de serpentibus *Hyperides* in oratione contra Democlem apud *Suidam* scribit: τοὺς ὄφεις μισητοὺς εἶναι πάντας, *odio dignos esse serpentes omnes*; & *Theocritus*, *idyll.* 15. ἐκ παιδὸς τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα, *a teneris fuit horrori mihi frigidus anguis*.

XIX. Præterea Christus illos etiam vocat γεννήματα ἐχιδνῶν, ut *Matth.* XII. 34. & Johannes Baptista ante eum, *Matth.* III. 7. *Luc.* III. 7. appellavit. Ubi, si Grammaticos consulimus, τὸ γέννημα esse a γεννάω, *genero*, notissimum esse arbitror. Notat autem illud vocabulum alias vel *nationem* sive *genus* v. g. γέννημα γυναικῶν *genus mulierum*; vel *liberos progenitos*, apud *Platonem de Leg.* Sic *Gregor. Naz.* c. I. *contra Julian.* οἱ Δρακοντόποδες ὑμῶν οἱ κεραυνοφόροι Θεοὶ &c. τὰ πικρὰ τούτων γεννήματα ὕδραι, vel *fructus* aut *fœtus terræ*, ut γεννήματα γῆς, *Exod.* XXIII. 10. *Luc.* XII. 18. sive *vitis* i. e. uvam vel vinum, *Matth.* XXVI. 29. vel in translata significatione, fructus aliarum rerum non vetegabilium v. g. virtutum &c. uti 2. *Cor.* IX. 10. αὐξήσαι τὰ γεννήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν, *augeat fructus Justitiæ vestræ*: proprie autem *rem generatam* & *natam* significat, seu *progeniem*, uti *Matth.* III. 7. c. XII. 34. *Luc.* III. 7. & in nostro loco *Matth.* cap. XXIII. 33. v. *Erasmi Schmidii Not.* & *Animadvers. in loc. Matth.* III. 7.

XX. Ἔχιδνα, *vipera* juxta Grammaticos dicitur παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν μέχρι θανάτου, & pro serpentis genere veneni præsentissimi ac nocentissimi habetur. Talis vipera invaserat Pauli manum, quam ut barbari viderunt e manu ejus pendentem, dicebant aliis alii: omnino homicida est homo iste, quem servatum e mari ultio non finit vivere. Verum, cum ille excussa bestia in ignem, nihil mali passus esset, illi exspectabant; putantes fore, ut intumesceret, aut concideret repente mortuus *Act.* XXVIII. 3. *seq.* Ex quo simul patescere potest, quam venenatum atque horribile animal illa vipera fuerit. Luther. proinde hic bene reddidit: Ottergezüchte. Simili fere loquendi formula Clytemnestra apud *Sophaclem Elect.* II. 1. filiam Electram alloquitur, ὦ θρέμμ' ἀναιδές, O du unverschämtes Thier. Simili modo Christus *Matth.* XII. 39. 45. Pharisæos appellat γενεὰν πονηράν.

XXI. Ratio nunc expendenda venit, cur Christus Pharisæos & Scribas γεννήματα ἐχιδνῶν *progeniem viperarum* appellarit. Sunt, qui ad illud alludi existimant, quod vipera ex eroso matris utero nasci tradatur: quia Judæi, in Deum atque Prophetas, quos patrum loco habere debuissent, ingratos se exhibuerint. Hæc sententia est *Isidori Pelusiotæ libr.* I. *Epist.* 105. *fol.* 32. 33. Γεννήματα, inquit, ἐχιδνῶν Ἰωάννης τοὺς Ἰουδαίους ἐκάλεσεν ὡς πονηρῶν γονέων κυήματα πονηρότερα. Φασὶ γὰρ τοῦτο τὸ θηρίον κατεσθίει τὴν μητρῴαν νηδὺν ἐν τῷ ἀποτίκτεσθαι. ἐπειδὰ οὖν τὸν γεννήσαντα αὐτοὺς θεὸν ἐγκατέλιπον, καὶ πᾶσαν δεδομένην αὐτοῖς χάριν ἐνέκρωσαν καταργήσαντες, εἰκότως ἐκείνοις αὐτοὺς ἀπεικάζει τοῖς ἰοβόλοις, ἀχαριστίᾳ τὰς εὐεργεσίας ἐξαφανίζουσιν, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν καθεσθίουσιν. hoc est: *Viperarum progeniem Joannes Judæos appellat & improborum parentum improbiores fœtus. Ajunt enim hanc feram maternum ventrem, cum in lucem editur, arrodere. Quoniam igitur Deum, qui eos genuit, dereliquerunt, atque omnem sibi concessam gratiam extinxerunt (ea videlicet in irritum redacta) merito proinde venenatis animantibus eos confert, per ingratitudinem accepta beneficia obliterantibus, ne dicam corradentibus*. Ad illam fabulam in expositione citati loci *Matth.* III. *Chrysostomus* etiam allusit *Homil.* XI. *in Matth. f.m.* 100. Verum cum illa traditio fabulam redoleat, non videtur Christus illam respexisse, nec Deum & Prophetas, hoc modo, cum viperis contulisse.

XXII. Igitur cum *Bocharto Hierozoic. Part.* II. *l.* 3. *cap.* 3. accedimus, qui pessimorum parentum pessimos filios hic intelligunt. Nempe κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, *mali corvi*, *malum ovum*. Quo respiciens protomartyr Stephanus *Act.* VII. 51. Judæos ita compellat: *o duri cervice & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui S. obsistitis*. Quales fuerunt patres vestri, tales & vos estis. Et multo ante David *Ps.* LXXVIII. 8. *ne sint ut patres eorum, generatio contumax & rebellis*. Confirmat hanc nostram sententiam *Chrysost. in cap. Matth.* XXIII. *hom.* LXXV. *fol.* 638. etsi supra in *cap.* III. *Matth.* aliter senserat. Cujus verba huc latine reddita adscribemus: *Serpentes*, inquit, γεννήματα ἐχιδνῶν hoc est *ini-*

iniqui, ac iniquorum filii, & parentibus multo iniquiores. Fœdiora etiam ſcelera perpetrarunt, tum quia poſt illos, tum quia poſt majora commiſerunt, ac maxime, quia jactabant, ſe nunquam, ſi temporibus patrum fuiſſent, in crimina illorum collabi ſe potuiſſe. Deinde finem atque apicem ipſi malorum (τὴν κυρωνίδα κακῶν) *impoſuerunt. Illi enim ad vineam miſſos ſervos, iſti filium interfecerunt: illi vocantes ad nuptias, iſti ſponſam necarunt. Hæc dicit a cognatione Abrahæ eos removens, oſtendenſque nullam ſibi utilitatem inde futuram, niſi operibus Patriarchas imitentur. Propterea ſubjicit: quomodo judicium gehennæ vitabitis, ſi illos ſequimini, qui tanta ſcelera patrarunt. Hinc repræſentationem quoque Joannis in memoriam revocavit: Sic enim Johannes illas appellabat, Matth.* III. *& futuri judicii memoria terruit.*

XXIII. *Bochartus* loc. cit. non multum repugnat, ſi quis *viperarum* nomine *dæmones* intelligere velit, quos per ſerpentes etiam ſignificari, neminem latet. Præſertim cum dæmonis filii cenſeantur, quotquot in Deum ſunt rebelles, ut Phariſæi fuerunt. Paulus inde Magum Elymam, vocat *filium diaboli*, *Act.* XIII. 8. 10. Et Chriſtus ipſe Judæis dicit *Joh.* VIII. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Quæ interpretatio utut non mala eſt; malumus tamen Chryſoſtomi jam adductam retinere, pluribus quippe jam interpretibus adprobatam; cum Chriſtus hic Phariſæorum parentum & majorum improbitatem v. 30. nominet. Nimirum ætas parentum pejor avis, tulit Phariſæos & Scribas nequiores daturos prolem vitioſiorem. Ideo graviſſima hac Salvatoris noſtri objurgatione illi maxime digni fuerunt.

SAMUEL BARTHEL

SCHED. HISTORICUM DE SADDUCÆIS.

INduſtriæ Academicæ ſpecimem qualecunque edituri materiam differendi ſumſimus ex illo Act. XXIII. 8. Σαδδουκαῖοι μὲν λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα. In quo ut operam collocaremus noſtram, & quid valeant humeri, quid ferre recuſent, experiremur, tum ſtudiorum noſtrorum ratio, tum utilitas pariter jucunditaſque ſuadere videbantur. Quod ne citra ordinem fiat, totam rem in duo partiri capita libet: Prius Sadducæorum originem; Sectam poſterius ex hiſtoria imprimis demonſtandam continebit. Deus autem cœptis noſtris benedicat clementiſſime.

CAPUT PRIMUM.

De Sadducæorum origine.

I. NOmen unde acceperint Sadducæi, non una eademque ſcriptorum ſententia eſt. Quidam enim illud (1) ex Hæbræo צדק juſtitia deducunt; eo, quod Sadducæi exactiſſimæ ſtuduerint juſtitiæ, adeoque magnificum iſtud nomen ſibi ipſi impoſuerint. Fovet imprimis hanc ſententiam *Epiphanius Hæreſ.* XIV. Ἐπονομάζουσιν, inquiens, οὗτοι ἑαυτοὺς Σαδδουκαίους, δῆθεν ἀπὸ δικαιοσύνης τῆς ἐπικλήσεως ὁρμωμένης· Σεδὲκ γὰρ ἑρμηνεύεται δικαιοσύνη. Quem ſecutus Flacius eſt in Clave Script. S. p. 1089. Verum enim vero, ſicuti alias Epiphanius, ipſo etiam Petavio monente, ſæpius hallucinatur: Ita & hic loci ſententia ipſius a viris eruditis jam dudum exploſa eſt. *Vid. Druſ. de trib. Sect. p.* 120. Nimirum aſſerto huic Epiphanii contrariatur notatio tum nominis, tum rei; illa, quia Hebræis juſti צדיקים non צדוקים iſta, quia homines illi & profani fuere & crudeles. Sic enim *autor lib. Juchaſin p.* 134. de Sadducæis רשעים ובעלי מדות רעות hoc eſt citante *Hottingero in Theſ. Phil. L.* I. *cap.* I. *Sect.* V. *Impii ſunt & pravis moribus induti.*

Conſ.

Corſ. Druſ. loc. cit. p. 140. Male etiam Sadducæi derivantur (2) ex Hebr. זדון ſuperbia. Sic enim dicendi forent latine Sadunæi vel Sadonæi. *Vid. Ravanell. Biblioth. S. f.* 521. Alieniſſima omnium derivatio eſt (3) Suidæ in Lexico ſuo, qui Sadducæos a loco quodam Σαδώκ deducere conatur. Sed quis ille locus & ubi ſitus fuerit, altum plane ſilentium eſt. Quare rejectis his (4) vera nomenclatio ex hiſtoria, ex qua & origo, petenda eſt. Hinc autem manifeſto liquet, Sadducæos a Sadoco, ſeu potius Saduco quodam, homine in Antiquitate Judaica non ignoto, ortum traxiſſe ſuum. A צדוק enim Sadoc vel Saduc צדוקים & corrupte ſeu Judaice צדוקאי Saducæos, &, ut in Codicibus Græcis habetur, Σαδδουκαίους, derivari, Scriptores tam Judæorum, quam Chriſtianorum plerique memoriæ prodiderunt. *Vid. R. Jud. in Coſr. p. 29. & Sigonium de Rep. Hebr. p. 417. Conf. Lightfoot. Hor. Talm. in Matth. p. 235. it. Scalig. Elench. Tribær. cap.* 15.

II. Notandum autem hic venit, plures uno extitiſſe Sadocos, quod vel ex Joſepho manifeſtum eſt. Hic enim primum memorat aliquem, qui ex Phineeſi familia pontifex cum Abjathare a Davide deſignatus. *l.* VIII. *Antiq. Jud. cap.* VI. *conf.* 2. *Sam.* XX. 25. Deinde Saduci cujuſdam ſeditioſi mentionem injicit, quo ſocio Judas Gaulanites Judæos ad defectionem a Romanis ſolicitavit, *l.* XVIII. *c.* I. Sed de nemine horum hic nobis ſermonem eſſe facile patet, cum ille tempore vixerit Davidis, ad quod noſter non pertingit; hic vero, qui extitit, cum Judæa in formam provinciæ eſſet redacta, a Joſepho Phariſæus, & ſuper tres priores, nempe Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſenorum, quartam Sectam excitaſſe dicatur.

III. Verus itaque profligatiſſimæ Sectæ autor & Coryphæus ille, qui Antigoni Sochæi diſcipulus & auditor fuit, nempe Sadocus ſtatuitur, a quo fœdiſſimus Sadducæorum fœtus velut ex ſterquilinio effoſſus ac progenitus eſt. Quod Theophylactus etiam confirmat, quando de Sadducæis ait, quod dicantur ἀπὸ Σαδὼκ αἱρεσιάρχου. Nimirum ut Chriſtianos inter, labentibus ſeculis, Neſtoriani a Neſtorio, Eutychiani ab Eutyche, nomina accepere ſua: Ita Sadducæis a Sadoco ceu patre ipſorum & Hæreſiarcha nomen Sectæ inditum fuiſſe plus ſatis evictum eſt. *Vid. Lightfoot. l. c.*

IV. Habebat autem quendam hic Sadocus condiſcipulum, qui eandem cum ipſo operam auſcultando navaverat Antigono, Baithos ſeu Baithus dictum, a quo ביתוסים ſeu ביתוסאי Baithuſæi nominati ſunt. Iidem autem hi a multis cenſentur cum Sadducæis. *Vid. Hotting. Theſ. Philolog. loc. citat. p.* 37. Licet enim diverſam a Sadoco familiam conſtituerint, una tamen eademque hæreſis amborum fuiſſe creditur. Niſi quod Sadducæi multo pejores Baithuſæis, imo plane infideles in hiſtoria Judaica deſcribantur. *Hotting. l. c.* Hinc etiam a Sadoco Secta nomen meruit; præſertim cum Baithos ſpurius eſſet, quem non dignum judicarent, a quo ſecta ſua denominaretur. *Hackſpan. in Præfatione ad Nizz.*

V. Neque vero putandum eſt, *Antigonum Sochæum* ipſum deteſtandæ hujus Sectæ autorem extitiſſe, quoniam Sadocus & Baithos eodem uſi Præceptore fuerunt. Nam pia omnino ipſius eſt ſententia, quam diſcipulis propoſuit. Verum iſti finiſtre interpretantes in alienum prorſus ſenſum, eumque peſſimum, detorſerunt. Non ſecus ac Epicuri diſcipuli, qui itidem magiſtri ſui ſententiam depravaſſe dicuntur. *Vid. Gaſſend.* De quo in ſubſequente §. ubi de occaſione hujus erroris pauca ediſſeremus.

VI. Occaſionem ergo pernicioſiſſimæ Sectæ arceſſunt Soriptores ex male intellecto, quod *Gerſonis* Jüdiſcher *Talmud p.* 10. perſpicuis concepit verbis, quæ ideo adſcribere hic non dedignabor: Als auf eine Zeit/ ſpricht er/ der Leher Antigonus von Socho/ welcher 300. Jahr vor Christi Geburt gelebet/ in einer Predigt/ ſoer Gehalten/ dieſe Lehre von ſich gabe und ſprach: Ihr ſollt mit eurem Gottes-dienſt nicht thun/ als die Knechte/ welche ihren Herren des zugeſagten Soldes wegen dienen/ ſondern ihr ſolt thun/ wie die Knechte/ welche ihren Herren aus Pflicht dienen müſſen/ und ſolt gotts fürchtig ſeyn: Haben ſich zwen ſeiner Jünger daran gear gert &c. *Conf. Hotting. Th. Phil. l. c.* Ex quibus elucet, bene quidem Antigonum inculcaſſe diſcipulis, ut Domino ſervirent per ſe, non intuitu mercedis aut habita ratione utilitatis exinde ſecuturæ; quod cultus Dei verus in puro ipſius timore fundaretur. Aſt vero degeneres Antigoni diſcipuli a vera Præceptoris via deflectentes hanc ſibi fabricarunt ſequelam: Si Deo, nullo mercedis intuitu, aut retributionis ſpe ſerviendum: E nulla futura eſt reſurrectio. Quam occaſionem erroris Sadocus & Baithos ſibi ipſi ſumſere contra mentem ipſius Præceptoris; id quod Judæorum monumenta magno conſenſu probant atque confirmant. *Vid. Lexic. Talm. Buxt. pag.* 303.

303. *Pircke Aboth. cap.* I. *collat. Spanhem. Dub. Evang. Part.* III. *pag.* 109.

VII. Non tamen uno impurissimi isti homunciones gaudent nomine. Vocantur enim etiam מינים Minæi, hæretici; quod nomen κατ' ἐξοχὴν tribui Sadducæis *Buxtorf. in Lexic. Talm.* affirmat sub voce מין. Quippe ab iis hæresis initium sumsit. Sic enim in *Chronico templi secundi*: Misit literas ad Senes hæreticorum, id est Sadducæorum. Sermo est de Rege Græcorum, qui clam dederat literas ad Sadducæos. Mentio Minæorum etiam fit *in Epist. Hieronymi ad Augustinum*. Nam sic adpellabant olim Nazaræos Christianos. Verba sunt: *Usque hodie per totas orientis Synagogas inter Judæos hæresis est, quæ dicitur Minæorum, & a Pharisæis nunc usque damnatur, quos vulgo Nazareos nuncupant, qui credunt in Christum filium Dei, natum de Virgine Maria, & eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit, in quem & nos credimus. Sed dum volunt & Judæi esse & Christiani, nec Judæi sunt, nec Chistiani*. Huc usque Hieronymus.

VIII. Nec minus in historia Judaica קראים vocantur, quæ vox, a קרא *scriptura*, derivata proprie notat Scripturarios seu Textuales. Dicebantur vero sic Sadducæi, quia omnes omnino rejiciebant traditiones non scriptas, & contra soli textui mordicus inhærebant. *Vid. Gloss. super Aboth. Vocantur hi hæretici Karraim, quia libenter innituntur Scripturæ, juxta sensum intellectus sui, neque curant verba sapientum. Conf. iterum Buxtorf. Lexic. Talm. l. c.* Notandum hic obiter ex R. Leone, quem *Doctissimus Wagenseilius in Tel. Ign. Satan. p.* 595. citat; quod ex omnibus Judæorum Sectis, quæ circa finem templi secundi extiterunt, unica superesse credatur, nempe hæc, quam nunc memoramus, Karraitarum: qui ibidem dicuntur Sadducæi Reformati, de quibus plura dicemus, quando ad caput alterum Dissert. nostræ deveniemus. Illud tantum hic addendum esse videtur, quod etiam dicantur Epicuræi, quia, ut *Philastrius* ait, *Epicuræam potius dementiam, quam divinæ legis jura sectabantur. Conf. Hotting. Thes. Phil. q.* 37.

IX. Diximus §. 3. Sadducæos derivari a Sadoco auctore, Antigoni Discipulo. Sed hic nobis contradicit Epiphanius *Hæres.* XIV. Πρῶτοι Σαδδουκαῖοι, inquiens, ἀπόσπασμα ὄντες ἀπὸ Δοσιθέου τοῦ προλελεγμένου. h. e. Primi omnium Sadducæi avulsi, velut propago, ab ante dicto Dositheo. At dupliciter hic Epiphanius aliis castigandus videtur; tum quod Essenorum Sectam retulerit ad Samaritanismum, cum hæc, teste Josepho, ad Judæos pertinuerit: tum vero, quod Sadducæorum ortum ad Dositheum quendam, contra Scriptorum tam Judaicorum, quam Christianorum autoritatem, transtulerit. *Vid. jam sæpius citatum Hotting. p.* 34. Enim vero defendit hunc Petavius in Animadversionibus suis ad h. l. dicendo, plures fuisse Dositheos, & ante & post nativitatem Christi; hic ergo intelligi Dositheum quendam ante Christum natum, cujus discipulus fuisset Sadocus. Ast vero hoc ipsi adhuc probandum. Nos, cur a communi sententia discedamus, non habemus. Licet enim Josephus quoque Dosithei alicujus mentionem injiciat, qui Hyrcanum & Alexandram uxorem Herodi prodidisse refertur. *Lib.* XV. *Antiq. c.* 9. Attamen Hæresiarcham Sadducæorum extitisse, ne γρῦ quidem meminit, certo facturus, si ita fuisset. Hinc non sine causa Doctissimus *Hottingerus* & Epiphanium, & alios sententiæ ejus sequaces confusionis arguit, quod Samaritanos cum Sadducæis perperam confundant in *Exercit. Antimorin.*

X. Tempus si præcise inquiras, quo venenata Sadducæorum radix propullulare cœperit, in obscuro est, nec dies aut annus certo ac infallibiliter potest determinari. Equidem multi Hebræorum Baithos & Sadocum Sanballathi συνηλικιώτας fuisse tradunt. Sed hoc non tantum ut stolidum reprehendit autor ipsorum *Zemach David pag.* 27. referens, quod quidam confundant factum Sanballathi Horonei & Cutheorum, & Baithosi ac Sadoci; sed etiam a Scaligero ut prodigiosus anachronismus rejicitur in *Elench. Trihær. c.* 15. *conf. Hotting. Exercit. Antimor. l. c.* Alii contemporaneos extitisse Schammai & Hillel, non obscuris Judæorum Doctoribus, statuerunt. Ast, quia isti circa tempus Nativitatis Christi floruere, paulo juniores Sadducæis natales statuere videntur. Spanhemius annum circiter 226. ante natalitia Domini Sadducæorum ortui tribuit *Dub. Evang. P. III. p.* 109. *seq.* sed etiam dicit *circiter*.

XI. Incertum itaque est, quo die, aut quo anno, Secta Sadducæorum prima sumserit initia. Interim tamen illud certissimum, antiquissimam eandem fuisse, præsertim si ætatem Antigoni perpendas, qui post Simeonem Justum in Cathedra Synedrali sedit. *Lightfoot. Hor. Talm. in Matth. p.* 236. Et huic asserto Josephus, gravissimus omnium scriptor, calculum suum adjicit, qui

jam in rebus Jonathæ Aſſamonæi, multiſque adeo annis ante Chriſtum natum, Sadducæorum ſectæ meminit: Κατὰ τὸν χρόνον, inquiens, τοῦτον τρεῖς αἱρέσεις τῶν Ἰουδαίων ἦσαν, αἳ περὶ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων διαφόρως ὑπελάμβανον, ὧν ἡ μὲν Φαρισαίων ἐλέγετο, ἡ δὲ Σαδδουκαίων, ἡ τρίτη δὲ Ἐσσηνῶν. *Hoc tempore* (ſc. Jonathæ Aſſamonæi, de quo in præcedentibus dixerat,) *tres Judæorum ſectæ erant, quæ de rebus humanis inter ſe diſſentiebant: una Phariſæorum dicta: altera Sadducæorum, tertia Eſſenorum. Antiquit. Judaic. l.* XIII. *c.* 9. Et alio loco affirmat, tres illas ſectas, vel, ſicut ipſe adpellat, φιλοσοφίας, cognitas fuiſſe Judæis ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου, h. e. Gelenio interprete, *jam inde a multis retro ſeculis*, aut a temporibus admodum antiquis. Conf. Iſ. Caſaub. Exercit. I. p. 51. ſeq.

XII. Ut vero hæc, quæ hactenus a nobis enarrata ſunt, eo melius intelligamus, tenendum eſt, ante captivitatem Babylonicam talia inter Judæos Sectarum nomina non invaluiſſe, nec tamen multo poſt, cum Judæi variis iiſque falſis, ex conſuetudine cum Chaldæorum Magis, aſſumtis opinionibus in patriam rediiſſent, exorta fuiſſe. *Conf. Joh. Gerard. Voſſ. de Philoſ. Sect. c. II.* Jam enim ante Maccabæorum tempora duo genera Δογματιστῶν apud Judæos increbuerant; unum, quod ſtudebat duntaxat legi: alterum, quod auctario legis favebat. Ex priore genere enati Karraim, a quibus Sadducæi, autore Sadoco, tempore Antigoni prolapſi ſunt: ex poſteriore Phariſæi, qui ceu ſanctioris doctrinæ ac vitæ ſectatores ſeſe ab his ſegregabant. Unde & פרושים *ſeparati ſeu Phariſæi* dicti. *Vid. Scalig. Trihæreſ. c.* XXII. *& Buxtorf. ſub voce* פרש. Ita diaboli arte ac propria hominum malitia ſemper in vinea Domini zizania enata ſunt. Sed hæc de Sadducæorum origine. Progredimur nunc ad alterum caput, quod ſectam ſeu hæreſin Sadducæorum enarrabit.

CAPUT II.

De Secta Sadducæorum.

I. REM ipſam antequam aggrediamur, præmonere lubet, vocabulum *Sectæ*, quæ Græcis αἵρεσις eſt, duplicem admittere ſignificationem. Vel enim *in bonam* accipitur *partem*, & ſic notat ordinem quendam ab aliis diſtinctum: Ita ſumitur Act. XV. 5. & cap. XXIV. 14. vel *in malam*, atque ſic notat hæreſin, ſeu falſam doctrinam ac religionem, ejuſque ſectatores. Hoc ſignificatu poſteriore nos quoque uſurpamus.

II. Nam Sadducæos in fundamento fidei erraſſe, Theologi imprimis ex dicto *Act.* XXIII. 8. ſuperius adducto obſervant. Quod vero erroris convicti in eodem nihilominus perſtiterint, diſputationes eorundem cum Servatore noſtro habitæ plus ſatis demonſtrant.

III. Primus itaque error, qui Sadducæis non ab Epiphanio ſolum, ſed & ab aliis Eccleſiæ Patribus tribuitur, ille eſt, quod nimirum ſolum Pentateuchum excluſis ceteris Scripturæ ſacræ libris recepiſſe dicuntur. Πάντα δὲ ἴσα Σαμαρείταις φυλάττουσιν; inquit de iis *Epiphanius Hæreſ.* XIV. Aſt Samaritæ omnes S. Codicis libros præter Pentateuchum repudiarunt. E. & Sadducæi, qui juxta ſententiam Epiphanii omnia Samaritis æqualia obſervarunt. Verum enim vero, uti jam ſupra c. I. §. 9. monitum eſt, male hic Epiphanium Samaritanos cum Sadducæis confundere; ita & hæc ipſius cum reliquis patribus communis opinio jam dudum a Druſio, Scaligero aliiſque ſub incudem revocata atque rejecta eſt. Non adducam hic omnia, quibus in confutanda hac ſententia viri doctiſſimi utuntur, argumenta; duobus ſaltem vel tribus contenti eſſe poſſumus. Nam (1) quidem certum eſt, Sadducæos cum Phariſæis quotidie verſantes atque cibum ſumentes in templo Hieroſolymitano ſacrificaſſe. Ex quo conſtat, eos crediddiſſe, montem Sion eſſe locum a Deo deſtinatum, in quo ſolo ſacrificare liceret. At libri Samuelis, Regum, Paralipomenon, Prophetarum, Pſalmorum nihil aliud continent, quam Jeruſalem eſſe locum, in quo Deus ſedem ſanctuarii ſui delegerit. *Conf. Scalig. Tribær. c.* 16. (2) *Fl. Joſephus* lib. XIII. Antiq. Jud. cap. 18. antiquiſſimus Scriptor adverſatur, cujus verba adſcribere juvat: Νῦν δὲ, inquit, δηλῶσαι βούλομαι, ὅτι νόμιμά τινα πολλὰ παρέδωκαν τῷ δήμῳ οἱ Φαρισαῖοι ἐκ πατέρων διαδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις, καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα τὸ Σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγον ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δ᾽ ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν: h. e. *interprete Gelenio: Nunc vero indicandum eſt, quod multas conſtitutionum a majoribus per manus acceptas Phariſæi tradiderint populo, quæ non ſunt ſcriptæ inter leges Moſaicas: & ideo Sadducæi his autoritatem abrogant, dicentes, oportere eas tantum ſervari, quæ ſcripto continentur.* Ex quo ſole meridiano clarius elucet, eos τὰ γεγραμ-

γραμμένα, atque adeo totam retinuisse scripturam, sola autem πατρωπαράδοτα rejecisse. Accedit huic (3) quod ex Prophetis & Hagiographis cum Pharisæis disputaverint: *vid. Hacksp. in Præfat. de usu Scriptorum Judaicorum in Theologia p.* 225. Quid? quod (4) Spiritus sanctus in Scriptura sacra ne γρὺ quidem meminerit, Sadducæos Prophetas ac cæteros libros aspernatos esse. *Vid. Hotting. l. c. p.* 35. *conf. Hacksp. l. c. pap.* 229. *& Scalig. Elench. Trib. cap.* 16.

IV. Sadducæorum itaque error, isque gravissimus omnium fuit, quem Spiritus sanctus ponit l. c. Act. XXIII. quod resurrectionem mortuorum non crediderint. Conf. Matth. XXII. 23. Marc. XII. 18. Luc. XX. 27. Ortum autem hic traxit ex male intellecta Præceptoris sententia, uti supra cap. I. §. 6. demonstravimus. Hinc *Nic. de Lyra in Act. Apost. c.* V. *Sadducæi negabant resurrectionem futuram. Nihil enim immortale dicebant in homine esse.* Et *Tertul. de Præscript. adv. Hæret. l.* I. *Taceo*, inquit, *Sadducæos, qui ausi sunt ad hanc hæresin etiam resurrectionem carnis negare. Conf. Hotting. de Sadduc.* 35. Quærunt hic scriptores, quomodo fieri potuerit, ut Sadducæi, admissis libris Propheticis & Hagiographis, negaverint resurrectionem mortuorum, tam clare in iisdem assertam? R. *Lightfoot. in Hor. Talm. in Cap. IV. Johannis*: *Fidei*, inquiens, *fundamentum Sadducæorum hoc fuit, ut nullum articulum fidei aut religionis admitterent, qui non elici possit e libris Mosis. Jam ergo cum Moses non clare & in terminis aliquid effatus fuerit de resurrectionem mortuorum, istam rem, ut Articulum fidei, nullo modo admittere voluerunt, licet in prophetis proponeretur.* Hoc *Gerson* im Jüdischen *Talmud P. II.* ulterius declarare videtur, quando memorat, Sadducæos cum Pharisæi disputaturos ita cœpisse: Moses hat unsern Vätern ein Gesetz gegeben / darbey wollen wir bleiben / wollen keine Glossen noch Auslegungen der selben annehmen. Dieweil wir aber in den Büchern Moses nicht geschrieben finden / daß die Todten wieder leben sollen / können wirs auch nicht gläuben. Id quod suo loco relinquimus. Interim censemus, eos etiam contra evidentissima sacræ Scripturæ loca aliis vanissimis usos esse effugiis, uti incredibilis hominis vanitas est, ubi primum a veritate sancta deflexerit.

V. Ex uno absurdo sequuntur plura. Hinc cum Sadducæi mortuorum resurrectionem negarent, facilis lapsus erat in errorem, quo mortalem animam esse assererent. Confirmat hoc *Zonaras de Sadducæis* 189. *Mortales*, inquiens, *esse animas arbitrantur, atque una cum corporibus interire. Josephus l.* XVIII. *cap.* 2. *Antiq. Jud.* Σαδδουκαίοις δὲ, inquit: τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι: *Sadducæorum opinio cum corporibus extinguit simul & animas.* Conf. Orig. lib. XVIII. cap. II.

VI. His dogmatibus ex Epicuri Schola emendicatis proxime accedit fatum, seu, uti aliqui explicant, providentiæ divinæ inficiatio. Et in hac, ut & de interitu animæ, doctrina toto cœlo differebant a Pharisæis. Hi enim, ut Josephus autor est, ita credebant animam esse immortalem, ut simul Μετεμψύχωσιν assererent, sed quæ pias tantum spectaret; Fato insuper sic addicti, ut homini quidem libertatem aliquam, sed suis restrictam terminis, concederent. *Conf. Hacksp. l. c. p.* 250. *& Is. Casaub. Exercit.* I. *p.* 53. Contra Sadducæi hic e diametro contrariantur. Sic enim *Josephus*, ex interpretatione Ruffini: *Sadducæi fatum omnino negant, & Deum extra omnem mali patrationem inspectionemque constituunt; ajunt autem electioni hominum vel bonum, vel malum, esse propositum: & secundum voluntatem propriam alterutrum cuique contingere. lib.* II. *de Bello Judaic. c.* VII. *conf. l.* XIII. *cap.* IX. *Antiquit.* Ex quo patet, quod omnia arbitrio subjecerint suo. Conf. Spanh. Parr. III. p. 109.

VII. Μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα εἶναι λέγουσιν. Alius error isque deterrimus est, qui a Spiritu Sancto ipsis objicitur Act. loc. cit. Vocabulum τοῦ ἀγγέλου quidam indefinite hic sumunt pro omnibus, tam bonis, quam malis angelis: Per πνεῦμα vero Spiritum Sanctum denotari volunt. Sic *Epiphanius*: πνεῦμα δὲ ἅγιον οὐκ ἴσασι. Petavius in Animadversionibus Epiphanii quidem sententiam non improbat; attamen de solo Spiritu Sancto locutum Evangelistam non putat. Hanc enim Sadducæorum mentem fuisse arbitratur, ut Spiritum omnem, hoc est πνευματικὴν οὐσίαν funditus tollerent, ideoque corporeum esse Deum assererent. Alii contra intelligunt πνεῦμα de anima, & eo nomine significari judicant ὑπόστασιν τῆς ψυχῆς. Sed aliter Josephus hac de re Libr. II. Judaic. cap. VII. ψυχῆς τε, inquit, τὴν διαμονὴν ἀναιροῦσι: διαμονὴν dicit, non ὑπόστασιν. Verum enim vero, *J. Schaliger*, Criticæ S. peritissimus, ἄγγελον καὶ πνεῦμα unum idemque esse contendit, ita quidem, ut Ἄγγελος sit species, πνεῦμα genus, quatenus sub eo tanquam genere continentur

tur Angeli, ἀρχοντικαὶ καὶ ἀρχαὶ δυνάμεις, Κοσμοκράτορες, δαιμόνιο. Tantum enim abest, inquit S. Lucas, ut angelum Sadducæi credant, ut ne Spiritum quidem ullum. *cap.* 46. *Tribæres. p.* 288. Quam sententiam præ cæteris amplectendam esse censet *Joh. Nicolai in Annotat. ad Sigonium de Rep. Hebr. p.* 420. Siquidem Sadducæi Deum ipsum corporeum esse asserere non verebantur, ut scribit *Theophylactus in cap.* XIII. *Act. coll. Wall. in Matth. cap.* XIII.

VIII. Incidit alias hoc loco quæstio sane perdifficilis, quomodo Sadducæi existentiam Angelorum negare potuerint, cum toties in Pentateucho Angelorum fiat mentio; ex quo tamen omnia, quæ expresse habebantur, receperunt? Hinc Scaliger confitetur se ignorare, *Elench. Trih. p.* 289. *seq. Montacutius* censet, hæc cohærere inter se, resurrectionem, animæ immortalitatem & Angelorum naturam, ut negato uno negetur alterum. Alii contra respondent indirecte, dicendo: sacras literas etiam perspicue referre, Christum pro omnibus mortuum esse & satisfecisse; nec tamen omnes hoc credere. Alii dicunt, non negasse Sadducæos adversus libros Mosis, Angelos esse; sed illos tantum spiritus esse immortales. Vid. Cameron. in Myroth. ad cap. 23. Actor. Alii denique contendunt, eosdem intellexisse per angelos Conscientias carnis & cogitationes, quas multi hodienum per Diabulos intelligunt. Vid. Balduin. in Cas. Consc. l. III. cap. 2. Cas. I. conf. Hacksp. l. c. p. 246.

IX. Negata, (uti ex §. 4. & 5. hujus capitis patet,) resurrectione mortuorum animæque immortalitate; quid mirum, nec pœnam, nec præmium, nullumque adeo post hanc vitam judicium futurum credidisse Sadducæos. Tradit imprimis hoc *Joseph. l.* II. *de Bell. Jud. cap.* VII. ψυχῆς τε, inquiens, τὴν διαμονὴν καὶ τὰς καθ᾽ ᾅδου τιμωρίας, καὶ τιμὰς ἀναιροῦσιν: id est *Animarum & supplicia denegant & honores.* Huc Paulum quoque respexisse, nullum est dubium, cum accusatus coram Synedrio ex Pharisæis & Sadducæis constante, ita effatur: περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως ἐγὼ κρίνομαι, id est *de spe & resurrectione mortuorum in judicium vocor Act.* XXIII. Certe nullam intelligebat spem, quam futuri seculi præmiique, quod in eo accepturi sunt justi. *Conf. Spanh. Dub. Evang. Part.* III. *p.* 166. *seq.* Et in hoc Sadducæi prorsus a Pharisæis erant diversi. Sic enim *Orig. in Fragm. ad Matth. Definiunt Pharisæi mortuorum resurrectionem, sperantes aliquod seculum futurum. Sadducæi autem censent post hanc vitam nihil homini repositum præmii, sive ad virtutem profecerit, sive nunquam vel studuerit a vitiorum terminis excedere.* Et hæc opinio nata omnino videtur ex perperam intellecto Antigoni Præceptoris dicto, de quo supra cap. I. §. 5. Conf. hic Drus. de trib. Sect. c. II.

X. Mentionem supra cap. I. §. 8. fecimus Karraitarum, quod cum Sadducæis convenerint. Verum ab hac sententia abire videtur libr. Cosri Orat. 3. ubi diversam plane eorum a Sadducæis memorat doctrinam. Nam dicit Karraitas nec resurrectionem carnis inficiari, nec futurum seculum, cum contra ea longe aliter sentiant Sadducæi. Ast vero loquitur hic autor non tantum de priscis, sed etiam de hodiernis Karræis, qui nunc quidem ab antiqua sua doctrina defecerunt. Quod Commentator etiam in lib. Cosri Orat. 3. declarare dicitur a Buxtorff. Lexic. Talm. p. 2114. seq. Causa autem, cur recentiores Karræi a priscis in aliquot fidei capitibus desciverint, hæc narratur: Nimirum, videntes se tuendo has priscorum opiniones ab omnibus religionibus rejiciendos fore, quia non tantum Hebræi, sed omnes hodie uniformiter circa has veritates consentiunt, disposuerunt sese, ut dogmata antehac negata crederent. *Vid. Wagenseil. in Tel. Ign. Sat. l. c.* superius, qui hæc ex *R. Leone* quodam, Italico idiomate edito, vertit atque excerpsit.

XI. Cum igitur isthæc Sadducæorum colluvies fœdissimis errorum tenebris immersa fuerit, uti hactenus vidimus; mirandum non est, eorum vitam a doctrina haud discrepasse. Hinc a Judæis ut homines profani describuntur. Sic enim *autor Juchasin* supra citatus: שהם רשעים ובעלי מדות רעית hoc est *impii illi sunt pravis moribus induti.* Quam doloso ac truculento semper animo in Servatorem ac discipulos ipsius fuerint, sacrarum literarum monumenta plus satis loquuntur. Hinc & sæpius in Christum cum Pharisæis conspiraverunt, cum alias & doctrina & affectu ab iisdem diffiderent. *Vid. Matth.* XVI. *Actor.* IV. I. *seq. cap.* V. 17. *cap.* XXIII. *&c. Joseph. lib.* II. *cap.* VIII. *de Bell. Jud.* eosdem duros & agrestes fuisse docet: Σαδδουκαίων, inquiens, καὶ πρὸς ἀλλήλους τὸ ἦθος ἀγριώτερον, αἵ τε ἐπιμιξίαι πρὸς τοὺς ὁμοίους ἀπηνεῖς, ὡς πρὸς ἀλλοτρίους: hoc est Vertente Gelenio, *Sadducæi inter se feris moribus discrepantes, & conversatio eorum circa exteros inhumana.* Et hinc juxta eundem

ἐπ

ἐπ' ἀρχὰς παρῆλθον ἀκουσίως καὶ κατ' ἀνάγκας, hoc est inviti & quasi coacti magistratus susceperunt. Quos tamen cum capessiverunt, crudeliter administrasse dicuntur. *Nic. de Lyra in Cap.* v. *Act. Sadducæi*, scribit, *inter alios* Judæos *erant in* Judiciis *&* *punitionibus acerrimi*. Atque adeo non nomen justitiæ, uti ipse quidem vult, sed potius injustitiæ & crudelitatis meruerunt. *Conf. cap.* I. §. I.

XII. Isthac ergo morum inclementia ac rigore factum est, ut exosos maxime & pene intolerabiles populo sese redderent. *Joseph. lib.* XIII. *cap.* XVIII. Interim Pharisæorum, qui nimis religiosi videri volebant, infinitas fere ceremonias ac παραδόσεις, quibus parum delectantur potentiores, repudiarent, & liberiorem agerent vitam: maxime se commendabant ditioribus, quibus facile virus propinabant suum, & in sententiam suam plerosque pertrahebant. Ita *Josephus* de iis lib. XVIII. cap. 2. Εἰς ὀλίγους τε ἄνδρας τοῦτον ὁ λόγος ἀφίκετο, τοὺς μέντοι πρώτους τοῖς ἀξιώμασι, id est vertente iterum Galenio: *Hujus sectæ pauci sunt, sed fere dignitate præcipui*. Cum ex adverso Pharisæi, populo gratiosi, vulpinari novissent, & personatis vultibus actibusque in animos vulgi invaderent. Vid. iterum Joseph. lib. XIII. cap. XVIII. conf. Spanh. l. c. p. 110.

XIII. Nec minus externis ritibus ac ceremoniis aliisque rebus a reliquis Judæis distinctos fuisse Sadducæos reperimus. Liber *Nozz. p.* 89. testatur, eos Festo Expiationis tribuisse biduum. *Conf. Hotting. p.* 36. Dicuntur etiam aliter explicasse præceptum *Levit.* XVIII. 18. *de ducenda fratria*, verbaque l. c. eo sensu accepisse, quo postea Junius & Tremellius interpretati sunt: *Mulierem unam* ad alteram ne assumito. Vid. Hacksp. l. c. p. 147. In explicatione Scripturæ nec ipsi inter se convenisse memorantur in Lexic. Talm. Buxtorf. p. 2113. Nam licet soli inhærerent textui, nihilque præter ipsum reciperent; non tamen eodem modo intellexerunt, sed hic ita, alter aliter, atque adeo in varios sensus eundem distraxerunt. In hoc tamen minus culpandi sunt, quod δευτερώσεις sive Traditiones Πατροπαραδότους præter legem divinam ex suo ipsorum Pharisæorum cerebro excogitatas penitus rejecerint. Siquidem Christus ipse passim easdem in historia Evangelica taxavit atque repudiavit. Vid. imprimis Marc. VII. 7. seqq.

XIV. Plura fortasse sunt, quæ de Sadducæis & eorum secta ex historia in medium adferri debent. Nobis vero imbecillioris ingenii non ignaris sufficiat impræsentiarum, potiora tantum de iis & velut in compendio attigisse. Quare cætera doctioribus & Antiquitate historiæ Judaicæ magis exercitatis relinquimus, & Deo ter O. M. pro concessis hactenus viribus persolvimus gratias; eundemque supplices veneramur, ut falsos doctores procul ab Ecclesia abesse jubeat, ac nobis pacem, tum temporalem, tum spiritualem largiri atque conservare clementissime velit.



JOHANNIS DRUSII LIBELLUS DE HASIDÆIS.

HAsidæorum mentio bis in priore Machabæorum, & semel in posteriore, videlicet 1. Mach. 2. 42. & 7. 13. & 2. Mach. 14. vers. 6. Sciendum autem codices Græcos habere Ασιδαῖοι: Latinos vero Assidæi, cum duplice S. De his altum silentium in notis Vatabli. Ita vulgo vocantur, quæ Robertus Stephanus in hos libos edidit, licet Vatabli non sint. Alium autorem habent, cujus nomen mihi nunc non occurrit. Nicolaus eo antiquior plane ineptit. Nam Assidæos appellatos putat Judæos, qui assidue vacabant cultui divino. Atqui nomen est barbarum, non Latinum. Quocirca merito ab aliis hæc sententia explosa fuit. Obiter observo pro συναγωγὴ Ασιδαίων quod habent Basileæ impressi 1. Mach. 2. 42. in editione Romana legi Ιȣδαίων, & apud vulgatum interpretem nostrum, *synagoga Judæorum*. Quamquam in margine notatum ex libris manuscriptis, *Asidæorum*. Quam lectionem germanam esse non dubito. Veram autem scripturam esse puto Hasidæi, cum aspiratione & unica S. Eam nonnemo immutat & scribit Aschidæi: primum contra omnium codicum fidem: deinde contra historiam Hebraicam. Nam in ea חסידים vocantur, quod Syri & Chaldæi dicerent חסיראי: unde Ασιδαῖοι, ut פרישאי φαρισαῖοι, מינאי μιναῖοι, id est hæretici: quos Hebræi vocant פרושים & מינים. Corrumpendæ scripturæ fuit etymon quod ei tribuit interpres ille a verbo Chaldaico אשיד *diffudit*: &, ut error errorem trahit, nomen esse ait non ullius gentis, sed proprie eos denotare qui religionis ergo huc illuc fuerunt diffusi, ne tyrannide regis ad scelus ullum cogerentur. Hæc omnia quam facile dicuntur, tam facile negari possunt. Non satis aliquid dicere, nisi etiam probes quod dicis, nam fallax etymologia. Hujusmodi somnia hodie admirantur multi, qui solidam eruditionem contemnunt. Nec mirum, cum etiam veritas apud eos nullo in pretio sit. Receptam scripturam nostramque sententiam adjuvat locus qui habetur 1. Mach. 7. 16. & 17. *& comprehendit ex eis sexaginta viros, & occidit eos in una die, secundum verbum quod scriptum est: Carnes sanctorum tuorum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Jerusalem, & non erat qui sepeliret*. In quibus verbis allusio est, videtur certe, ad nomen Hasidæorum. Sane in textu græco est σάρκας ὁσίων σȣ, & in Hebraico apud Davidem *Hasidecha*, cujus singularis absolutus Hasid. Id antiqua declaratione valet *sanctus*. Quod nomen apud interpretem nostrum respondet duobus græcis ἅγιος & ὅσιος. Α῞γιος Hebraice קדוש dicitur, ut ὅσιος חסיד, de quo nunc sermo. Ergo חסיד qui pietatem ac religionem colit. Hebræus David a justo ita distinguit, ut חסיד sit quis plus facit, quam jubeatur facere: צדיק autem qui jussa Dei exequitur, hoc scribit Ps. 103. 17. ex Dras. Si vere, tum חסיד melius redditur a nuperis interpretibus *benignus*, quam pius aut sanctus. In Medras Thellim Ps. 16. *Dicit Alexander*, *Omnis qui audit maledictum & silet vocatur pius*, alibi est, *& silet in judicio*: item *qui intrat*, *audit & facit*: intrat templum: *audit* verbum Dei: *facit* quod ibi docetur, hoc est vivit ex præscripto ejus. Hoc nomen varie sumitur. Primum late, ut cum in genere omnes pios denotat: deinde anguste, ut cum peculiariter dicitur de Israele Psal. 148. 14. *omnibus sanctis suis filiis Israel*: & de Levitis Psal. 30. 5. Psallite Domino sancti ejus חסידיו id est, Levitæ, in quorum manu erant instrumenta musica Davidis. Vide Tropos in Levita, & R. David ad Psal. 4. Psal. 132. 9. *sacerdotes tui induentur justitia, & sancti tui canent*. Sancti, id est, ὅσιοι pii tui. Nam sancti, id est, ἅγιοι, qui Hebraice קדשים, sacerdotum potius epitheton est: unde Episcopi olim dicebantur sanctissimi. Quod nomen postea hæsit in pontifice Romano. In historia Gorionidis etiam duobus modis accipitur.

tur. Uno, cum opponitur impiis Israelitis & hæreticis quales erant Sadducæi: altero, cum denotat, quos Græci & Latini Hessæos appellitant sive Hessenos. Sane Manahenum Hasidæum Flavius Josephus Hessenum vocat Ant. histor. libr. 15. cap. 13. & Gorionides fol. 36. col. 2. apertum discrimen ponit inter Pharisæos & Hasidæos. Sciendum autem Syros Antiochenos dicere חסי ultima resecta: unde forte græcum ὅσιος. Nam de nomine Hessæus non dubitavit qui modo Philonem consuluerit de vita ac moribus Hessenorum. De his alias. Restat ut quæramus quinam fuerint Hasidæi illi quorum mentio in utroque Machabæorum. He hac re scripsi aliquid in primo Quæstionum mearum, quæst. 47.

Dictos autem eo epiptheto antiquitus Sapientes Israel, quos posterior ætas Pharisæos nominavit, testis mihi unus Gorionides in ea historia quam Hebraice conscripsit de rebus Judæorum. Capite enim nono & vigesimo libri quarti sine differentia ponit quos nominat sapientes Israel, Pharisæos & Hasidæos.

Et in additionibus,

Rursus Gorionides lib. 4. cap. 29. & erant Saducæi in Israel pro parte una, & Hasidæi, quos sequebantur populus, pro parte altera. Ecce hic perspicue intelligit Pharisæos, ut dubitare de eo nemo debeat. Hic dissentientem habeo a me Nicolaum Serarium Jesuitam, qui ante victoriam encomium canit. Ostendam ipsum reprehendere quæ non intelligit. Prius verba ipsius producam, ut habentur pag. 707. editionis Moguntinæ, *Istam*, inquit, *de Assidæorum & Essenorum una eademque familia, vel certe admodum conjuncta, ita ut veluti totum & pars sese illi habeant, sententiam cum isto fere modo statuissem, commodum aliunde mihi Quæstionum, vel Erotematiorum potius, Joh. Drusii libellus affertur. Is enim quia hæreticus illubenter quidem, quia tamen, quam pleriqua alii, stilo minus petulans, minus etiam illibenter mihi lectus. In eo igitur libello ita scriptum erat quæst. 47.*

Ponam hic quæstionem quæ me aliquamdiu torsit. Omnino me explicare non potuissem absque Josepho Hebræo fuisset. Nam interpretum nemo eam tangit. In silentio igitur omnium quæro, quinam dicti fuerint Assidæi, quorum mentio 1. Machab. 7. Et tria respondet, quorum unum de etymologia iis, quæ jam dicta, subscribit. Ante omnia moneo, inquit, scribendum Hasidæi cum aspiratione Heth. Dictos autem Hasidæos, &c.

Sed cur Hebraicam aspirationem hoc in nomine tantopere flagitet, miror, cum & in aliis plurimis Græci Latinique omittere soleant. Et ipsemet Ebræum *scribat scribique velit. Deinde si aspiratio adhibenda, cur non ea quam in Quæstionibus Hebraicis S. Hieronymus Græca littera χ. exprimendam monet, ipseque Drusius sub lib. 3. finem agnoscit, & lib. 1. quæst. 17. in Malluach amplectitur, ut Chasidæi potius quam Hasidæi nominentur? ego vero varios scribendi pronunciandique modos agnosco, & cuilibet, quem volet in hoc aliisque similibus libenter concedo, ut supra in Asamonæis, Hasamonæis, Hasmoniis, Chasamonæis: Machabæis, Maccabæis, aliisque pluribus, etiam Latinis. Quin & Asæos vel Chasæos istos vocari posse arbitror: cum Syris usitatum sit Asi, Hasi, vel Chasi, ut in Syriacis Apostolorum Actis patet c. 2. & ad Rom. cap. 3. postrema* D *littera extrita. Quod vero Drusius Asidæos esse velit, quos posterior ætas Pharisæos vocavit, nimic plus errat. Nam quem sibi unum testem ait, is contra ipsum clarissimis verbis, ut supra vidimus, testatur Gorionides. Quia tamen Basileensem tantum editionem attuli, adjungam nunc Hebraicam alteram Cracoviensem, illo ipso, quod ab isto laudatur, cap. 29. lib. 4. ubi cum Pharisæorum Sadducæorumque sectas jam duas exposuisset,*

והחסידים לבדם עם העם ההולך
אמריהם לחלק אחר

Id est, & Asidæi sejuncti ab istis, videlicet jam enumeratis Pharisæis & Saducæis, cum populo, qui eos sequebatur, sectam aliam constituunt. Quis suo unquam testimonium reum vehementius apertiusque, quam Drusium, suus hic testis convicit? Quia vero de Asidæis omnes hactenus ait siluisse, non jam catholicus a me ante citatus Genebrardus, sed Sebastian. Munsterus contra ipsum loquatur. In editione Basileensi Gorionidem ita vertit, fuit & alia Essenorum secta. Deinde Commentarium de tribus Judaicorum Philosophorum ordinibus subtexens, Tertium ait ordinem teneban השונים *seu, uti quidam Hebræorum vocant,* חסידים *Hasidæi, id est, pii, &c.* Hucusque Jesuita ille, cui nunc breviter & modeste respondebo. Ait

Is enim qua hæreticus.

Ut hæreticus quis sit, duo requiruntur. Primum, ut erret in fundamentis fidei: deinde, ut errorem suum pertinacius tueatur. Tenuis mea scientia versatur tota circa Grammaticam & Historiam Dog-

Dogmata fidei aliis tractanda relinquo. In Historia nulla hæresis, multo minus in Grammatica. Tantummodo ex libris meis me novit Serarius. Quid in iis non orthodoxum? aut si quid est, quare me non admonet de eo Serarius? Pertinacia facit hæreticum, non simplex error. Nam humanum est errare. Humani autem a me nihil alienum scio. Monitus non ero pertinax, nec unquam fui. Olim professus sum, quod nunc iterum repeto, me mea omnia subjicere judicio Ecclesiæ. Calumnia ergo est quod dicit, *quia hæreticus*. Nisi forte hæreticus Jesuitæ, qui scripsit Hasidæos & Pharisæos antiquitus eosdem fuisse. Sic Theologus quidam mihi olim objecit hæresin, quod dixissem vocem *vocatus* in epistola Judæ, commate primo sumi, pro efficaciter vocatus, qui est idem cum electo. Hoc ille ignoraverat, ac proinde aliis armis se tueri non poterat, quam ut diceret, *heresis est*. Sed ego verum dixi. Nam ecce præcedit, *Jesu Christo reservatis*. Soli autem electi Jesu Christo reservantur. In Quæsitis meis habetur *licuisse Davidi ducere plures uxores:* & licuit sane per consuetudinem. De lege dubito. Quid ad hæc calumnia? ecce, inquiunt, defendit polygamiam. Ego de polygamia Judæorum loquor, illi de Christianorum polygamia interpretantur. O cor Theologum. Quo argumento probabunt quia circumcisio præcepta Judæis, etiam Christianis præceptam esse: qui hoc dicit, falsum dicit: qui illud, verum. Consuetudo Judæorum erat ducere plures uxores. An eadem apud Christianos obtinet? Quis hoc sanæ mentis unquam aut dixit aut scripsit? quis in libris meis hoc legit? Supersedeo commemorare tragœdiam, quam non nemo excitavit contra me propter nomen Elohim: & tamen idem quod ego, sentiunt gravissimi doctissimique Theologi Bellarminus, Calvinus, Danæus, Cajetanus & alii. Quorsum ista, inquies? nempe ut ostendam si quis aliquid scribat aut dicat, quod isti non intelligunt, aut a Magiris suis non didicerunt, in promptu esse nomen *hæresis*. Hoc scuto se tuentur, cum aliter se defendere non possunt. Pergit Serarius:

Sed cur Ebraicam aspirationem in hoc nomine tantopere flagitet, miror.

Desine mirari. Nam quia Heth in principio, ideo debet scribi cum aspiratione. Quod me docuit Hieron. in libro nominum scribens Heth aspirationem duplicem esse. Ea carent Latini & Græci: ideo simplici utuntur. Alia ratio nominis Ebræus, ubi Ain in capite, quam sæpius per nudam vocalem exprimebant. Græca littera χ non est nuda aspiratio. Quod autem quædam nomina ab heth incipientia per χ apud Græcos scribantur, ideo fit quia elemento illo destituuntur, aut quoniam Arabes solent Heth Ebræorum cum Chaph permutare. Sic ergo recte scribimus Hermon & Chermon: Hebron & Chebron, quia in antiquis libris hæc ita scripta inveniuntur. Chasidæus nusquam extat. Græca exemplaria magno consensu habent ἀσιδαῖοι. Si recte adjecta a viris doctis aspiratio in Havila, in Hesebon & in aliis sexcentis, cur non liceat nobis idem facere in Hasidæus? præsertim cum constet pro arbitrio exscribentium eam sæpenumero omissam fuisse. Sane ἀβὲλ scribitur in libris omnibus, quos vidi, cum scribendum sit ἁβὲλ id est, Habel. Asidæus ergo mendum est scribarum, Hasidæus veritas scripturæ, Chasidæus commentum Serarii. In Malluach exprimi aliter aspiratio Hebræa non poterat. Si tamen scripsissem Mallue, tueri me possem exemplo Noe & similibus. Sed hæc leviora.

Pergamus ad alia:

Quod vero Drusius Asidæos esse velit, quos posterior ætas Pharisæos vocavit, nimio plus errat.

Aut ego aut tu. Videamus.

Nam quem sibi unum testem ait, is contra ipsum clarissimis verbis testatur Gorionides.

Falleris. Verba Gorionidis, quæ ibi adducis, ut non intellexisti, ita male interpretatus es. Ebræa sunt.

והחסידים לכרם העם ההולך אחריהם
לחלק אחר

quæ sic in Latinum convertis, *& Hasidæi sejuncti ab istis cum populo, qui eos sequebatur, sectam aliam constituunt*, deinde subnectis, *Quis suo unquam testimonio reum vehementius apertiusque quam Drusium suus hic testis convicit?* Testis plane pro me est, sed eum non intelligis. Hoc dicit, *& Hasidæi soli cum populo qui eos sequebatur, a parte altera*. Erras suaviter ne dicam pueriliter in particula לכרם quam interpretaris *sejuncti ab istis*: quod potius diceretur מלבדם præter eos. Hoc primum: deinde mens Gorionidis te fugit, qui duas tantum ibi sectas commemorat. Unam Saducæorum, quorum partes Samaritani sequebantur, & aliam Hasidæorum sive Pharisæorum, quos populus sectabatur. Soli autem hi erant cum populo. Quis suo unquam testimonio reum vehementius apertiusque quam Serarium suus hic te-

teſtis convicit ? Quod autem opinatus eſt , populum ſecutum eſſe Heſſæos , nimio plus errat. Nam quem ſibi unum teſtem adducit, is contra ipſum clariſſimis verbis teſtatur Gorionides in eodem capite , circa finem, *Manus tenuis plebeculæ erat cum Phariſæis, quæ adjuvabat eos , præter divites & potentes ejus , qui erant cum rege & Sadducæis , & adjuvabant eos*. Utar adhuc alio argumento Scriptum eſt 1. Machab. 7. 13. *& primi Haſidæi erant ex filiis Iſrael*. Quod de Heſſæis accipi commode non poteſt . Nam primi erant inter ſectas Phariſæi : quorum maxima erat apud vulgus autoritas, Joſephus lib. 13. cap. 23. *Phariſæis nonnihil licentiæ permittat . Hos enim pro habito ſibi honore laudaturos eam & commendaturos apud populum . Poſſe enim plurimum apud Judæos, ſive exoſum aliquem cupiant lædere, ſive amicum juvare. Valde enim his fidem habere vulgus , etiamſi per invidiam de quopiam male loquantur : nec ſe ob aliam cauſſam incurriſſe totius gentis odium, quam quia hoc genus offenderit*. Hæc ibi. Sunt autem verba Alexandri regis ad matrem jam jam morituri. Rurſum Joſephus lib. 18. cap. 2. ubi de inſtitutis eorum dixiſſet, *Per hæc placita*, inquit, *magnam ſibi autoritatem paraverunt apud populum , & quicquid ad ſolennes precationes , ac cultum divinum attinet , juxta horum interpretationem ac præſcriptum ſolet fieri*. Auguſtinus de verbis Domini , *Phariſæi Judæi erant quaſi egregii Judæorum . Nobiliores enim atque doctiores tunc Phariſæi vocabantur*. Item ſermone xv. de verbis Apoſtoli , *ſecundum legem Phariſæus* ita ſcribit, *Primarii quidem erant & quaſi ad nobilitatem Judaicam ſegregati , non contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Phariſæi . Nam dicitur hoc verbum ſegregationem interpretari , quomodo in Latina lingua egregius, quaſi e grege ſeparatus* . Noviter ἐτυμολογίζει Phariſæus quaſi egregius , quos alibi diximus appellatos a ſanctimonia , quam ſibi præ reliquis arrogabant . Cave rejicias. David Camius in libro ubi vocum ſenſa collegit , quo in loco docet quid ſit אצילים, ait eſſe

הרושים והנכברים

qui Phariſæi, id eſt, eximii vel ſelecti & honorati ſunt in Iſrael. Hæc omnia ſententiam meam non modo firmant , ſed etiam plane evincunt, ita ut verbum amplius non ſit faciendum . Tantum quæro, ſi Phariſæi eo tempore dicebantur Haſidæi, quare poſt appellati eo nomine ſunt Heſſæi ? notum ut generale nomen aliquando ad certam ſpeciem reſtringatur. Non longe abeam. Chriſtiani prius vocabantur omnes Nazaræi , ſive Nazoræi , unde Paulus dicitur Priceps ſectæ Nazoræorum . Id nomen poſtea remanſit in iis qui Chriſtum cum Moſe conjungebant , cæremonias legis in Chriſtianiſmo retinentes , quos & Ebionitas appellabant . Sunt qui memoriæ prodiderunt Sapientes , id eſt , חכמים dictos fuiſſe uſque ad Alexandrum Janæum, eoque regnante primum cœpiſſe vocari Phariſæos . Quod legere nemini in libro quodam Ebraico , qui vulgo Compendium Joſephi vocatur . De Heſſenis quando originem habuerint, incertum , eorum celebrata virtus in bello Romano . Placita habebant eadem fere cum Phariſæis e quibus etiam orti putantur . In libro Juchaſin reperio אשינוש , quos & נזירים autor vocat , id eſt , Naziræos. Sequitur in Serario.

Quia vero de Haſidæis omnes hactenus ait ſiluiſſe, non jam catholicus a me ante citatus Genebrardus , ſed Munſterus contra ipſum loquatur &c.

Quod ſcripſi, *in ſilentio igitur omnium quæro quinam dicti ſint ibi Haſidæi*, capiendum de interpretibus Machabæorum. Nam altum apud eos de hac re ſilentium. Omitto unius atque alterius ineptias , quas judicavi tum indignas memoratu . Munſteri Gorionidem non habeo. Neque moror catholicum Genebrardum, qui Quæſtiones meas olim legit, & ex iis multa compilavit , tacito nomine meo, quod eſt hominis minime ingenui. Sed is audit vulgo plagiarius. Munſterus autem non obſervavit idem quod ego. Nam ut verum ſit Heſſenos Haſidæos dici , tamen eo in loco, ut etiam in libris Machabæorum, Phariſæi ſignificantur, aut ſi nomen hoc recentius , Sapientes Iſrael . Quid multa ? ipſe Hyrcanus vocatur ibi a Phariſæis, cum adhuc eorum diſcipulus eſſet, חסיד, id eſt , Haſidæus ſive pius. Quo ſignificatu etiam accipitur cum de Phariſæis uſurpatur . Ita mihi videtur . Si aliter eſt, tum ego profecto in magno errore ſum : ſed non ero pertinax, ſi quis meliora docuerit. Nos ad utrumque parati ſumus, vel ut rationem reddamus , ſi quid recte monuerimus , vel ingenue confiteamur errorem, ſicubi lapſi deprehendimur . Homines ſumus & humani nihil alienum a nobis eſſe ducimus. Hoc igitur animo cum ego ſcripſerim, non debuiſſet ille adeo in me inſultare: præſertim cum in ipſius commentariis quamplurima ſint , quæ hominis docti cen-

cenſuram ſubire poſſent. Nam quod me hæreticum dicit, hoc illi commune cum imperitiæ magiſtris, qui hæreticum inter & orthodoxum, ſi modo quis ab illorum ſenſu vel minimum diſſentiat, nullum diſcrimen ponunt. Si veritatis amans eſt hæreticus, tum ego profecto fateor me hæreticum eſſe.

Aſylum imperitiæ hæreſis.

LECTORI

M*Onendus es, Lector, me hoc totum caput deſcripſiſſe ex editione Veneta, quæ in 4. folium complicat, impreſſa anno Chriſtiano* 1544. *In ea duo menda (apparet certe) quæ nos ex conjectura ſubſtulimus. Unum eſt in verbis illis* ולמה זאת תגיד לי . *Nam pro* זאת *ibi legitur* לא quare non indicaſti mihi? *Alterum eſt manifeſtarium in ſequentibus. Nam ubi nos ſcripſimus* כותים, *in ea editione perſpicue lectum* כושים *contra omnem hiſtoriæ veritatem. Non enim certe Æthiopes Sadducæi erant, ſed Chuthæi, qui & Samaritæ ſive Samaritani. Res eſt, non conjectura. Abram Davidis F. Levita in Cabbala ſua hiſtorica.* Quum veniſſet Alexander Macedo in terram Iſrael, ſeceſſit ad eum Sanaballat Horonites & primores Chuthæorum, petieruntque ab eo ut liceret Sacerdotibus generis ſuis, & aliis qui duxerant uxores alienigenas, nec dimiſerant eas, ædificare domum ſanctuarii aliud in monte Garizin. Præcepit autem rex ut ſic facerent, & ædificarent domum illam. Tunc diviſus eſt populus Iſrael in duas partes. Una dimidia pars ſequebatur Simeonem juſtum & Antigonum diſcipulum ejus, ſocietatemque ejus, juxta id quod traditum acceperant ab Ezra. Altera pars dimidia ibat poſt Sanballetum & generos ejus. Qui obtulerunt holocauſta & hoſtias extra domum Domini, & ſtatuerunt ſtatuta judiciaque, quemadmodum commenti fuerant e corde ſuo. Cæterum in hac æde ſacerdotio functus eſt Manaſſes filius Joſuæ filii Joſadac. Sadoc autem cum Baithos (*alias Boetho*) ſocio ſuo erant primores. Atque hinc ſane hæreſis initium ſumpſit. *Vide Chronicon regum templi ſecundi fol.* 39. *col.* 2. *& deinceps: item col.* 40. *in principio, edit. Venet.*

CAPUT XXIX.

Ex Hiſtoria Hebraica Gorionidis.

בימים ההם כשברת המלך הורקנוס בירושלם עיר הקדש בהשקט ובבטחה:

1. In diebus illis quum ſederet rex Hyrcanus Jeroſolymæ in urbe ſancta quiete ac ſecure.

ויעש המלך משתה גדול לכל שריו ועבדיו חיל יהודה ובנימן:

2. Fecit rex convivium magnum omnibus principibus ſuis & ſervis ſuis, exercitui Juda & Benjamin.

וישב המלך על השולחן עם חכמי ישראל והמה הפרושים המפרשים את התורה כי הורקנוס היה תלמיד מתלמידיהם:

3. Sedebat rex in menſa cum ſapientibus in Iſrael (hi ſunt Phariſæi qui enarrant legem) nam Hyrcanus erat diſcipulus ex diſcipulis eorum.

ויהי כטוב לב המלך הורקנוס ביין ויאמר לחכמים והמה הפרושים אתם ידעתם כי אני תלמידכם וסר למשמעתכם:

4. Quumque exhilaraium eſſet cor regis Hyrcani vino, dixit ſapientibus, hoc eſt Phariſæis, Vos ſcitis me eſſe diſcipulum veſtrum acquieſcentem in iis quæ a vobis audio.

ועתה אם תראו אותי כי אסור מהדרך הטובה הוכיחוני והשיבוני אל הדרך הישרה כי כן נאה לעשות ולכם נאה להוכיח ולי נאה לקבל:

5. Nunc ergo ſi videtis me quod ego receſſerim a via bona, coarguite me & reducite me in viam rectam: nam ſic oportet facere, vos decet arguere me, & me decet accipere traditum a vobis.

ויענו הפרושים אליו ויאמרו לו חלילה לך מהדבר הזה כי עדים אנחנו כיום הזה כי צדיק אתה ובדרך ישרה אתה הולך ומלך נאמן וישר וכהן גדול ועבד יי' אתה ולך נאה הכבוד וההוד:

6. Reſponderunt ei Phariſæi & dixerunt, Abſit verbum hoc: teſtes enim ſumus nos hodie te juſtum eſſe & in via recta ambulare, te, inquam, regem fidelem eſſe & rectum & ſacerdotem magnum, pium & ſervum Domini: ideo te decet gloria & majeſtas.

וישמח הורקנס על דבריהם ויאמר אליהם אני אשמור את משמרת יי' ומשמרתכם כל הימים:

7. Lætatuſque eſt Hyrcanus de verbis eorum & dixit eis, Ego ſervabo præcepta Domini & placita veſtra omnibus diebus.

ושם היה יושב אחד מן הפרשים ושמו אלעזר והוא איש שולח מדנים ואיש רע ובליעל ויען ויאמר יחי המלך הורקנוס לעולם:

8. Por-

8. Porro ibi ſedebat unus e Phariſæis cui nomen Eleazar, homo excitans contentiones & vir malus nequamque: qui reſpondit & dixit. Vivat rex Hyrcanus in ſeculum.

אם אהבת להיות צדיק כאשר דברת ולקבל תוכחת אמת כאשר השמעת לך רד מן כסא הכהונה ורב לך כסא המלכות:

9. Si amas eſſe juſtus, quemadmodum locutus es, & admittere reprehenſionem veram, quemadmodum verbis declaraſti deſcende e ſolio ſacerdotii, & ſufficiat tibi ſolium regni.

ויאמר המלך אל אלעזר ולמה זאת תגיד לי ויאמר אליו כי בשבי הלכה אמך בימי אנטיוכ׳ אפיפאנים מלך מקרון והיא היתה חללה ולכן לא נאוה לך לבוא בקדש הקדשים:

10. Et rex ad Eleazarum. Quare, inquit, hoc indicas mihi? & dixit ei, Quia in captivitatem abiit mater tua in in diebus Antiochi Epiphanis regis Macedoniæ, & ipſa erat polluta: ideo non decet te intrare in ſanctum ſanctorum.

ויקצוף המלך מאוד ויהפך ששונם לאבל ושמחתם לאנחה ולרינה ואהבתם לאיבה:

11. Iratuſque fuit rex valde, & verſum eſt gaudium eorum in luctum, & lætitia eorum in gemitum, & in contentionem & amor eorum in hoſtilitatem.

ושם היה יושב איש עשיר שר וגדול והוא מן הצדוקים ושמו יהונתן:

12. Ibi autem ſedebat vir dives princeps & magnus & ipſe erat e Saducæis, cui nomen Jonathan.

ויאמר למלך הלא אמרתי אליך אל תאמן לדבריהם כי כזבים בפיהם עתה הם אשר צוו אל אלעזר לקלל אותך ולבזותך בעיני העם והשרים ויען ויאמר המלך לפרושים אתם פשעתם כי על הקללה הזאת הנמרצת גם כי שמעתם ושתקתם גם אני אפרוץ גדרותיכם:

13. Is regi dixit. Nonne dixeram tibi ne crederes verbis eorum, quia mendacia ſunt in ore ipſorum? Quin illi ipſi ſunt qui mandarunt Eleazaro ut malediceret tibi, & ut ſperneret te in oculis populi & principum: & dixit rex Phariſæis, vos prȩvaricati eſtis in me ob maledictionem hanc validam, etiam quia audiviſtis & tacuiſtis, effringam etiam ego macerias veſtras.

ויאמר המלך לפרושים שפטו את הדבר הזה על הקללה אשר קלל אותי אלעזר ויענו ויאמרו יש עליו חבוט ומלקות ורב לך חבוט כי הפרושים לא ישפטו מות:

14. Et dixit rex Phariſæis, judicate rem hanc de maledictione qua maledixit mihi Eleazar: & reſponderunt, debet cædi & flagellari: ſatis hoc tibi ſit, quia Phariſæi non judicant judicium mortis.

ויען יהונתן ויאמר הלא אמרתי לך כי מדעתם ומחפצם היתה הקללה והיה מהיום ההוא והלאה פשע הורקנוס בדברי הפרושים ותחזק עם הצדוקים ויהי צדוקי:

15. Et reſpondit Jonathan & dixit, nonne dixi tibi quod e ſententia ipſorum & e voluntate ipſorum fuerit maledictio hæc? & fuit ab eo die & ultra, defecit Hyrcanus a verbis Phariſæorum, & roboratus eſt cum Saducæis, fuitque Saducæus.

ויצו המלך ויעבירו קול במחנה ובכל ארץ ישראל לאמור כל מלמד אשר ילמד את בניו מתורת הפרושים מות יומת.

16. Præcepitque rex & promulgarunt per caſtra & per totam terram Iſrael dicendo, Omnis doctor, qui docet filios ſuos de lege Phariſæorum, moriendo morietur.

ויהרוג הורקנוס מהפרושים ביום ההוא רבים וגם את אלעזר המקלל בכבודו שרף באש וגם מדלת העם אשר היתה ידם את הפרושים הרג רבים:

17. Et occidit Hyrcanus e Phariſæis in die illo multos, & etiam Eleazarum, qui maledixerat gloriæ ipſius, combuſſit igne, & etiam ex tenui plebecula, quorum manus erat cum Phariſæis, occidit multos.

ועל כן נתעוררה השנאה עליו ועל בניו וישנאוהו ישראל אותו ואת זרעו מהימים ההם:

18. Propterea excitatum eſt odium in eum & in filios ejus, quo proſecuti ſunt eum Iſraelitæ & ſemen ejus a diebus illis.

ויאמר יוסף בן גוריון עתה אפתח לך שער לספר על אי זה דבר נפלה המחלוקת והמריבה בימים ההם בעם יי׳:

19. Et dixit Joſeph filius Gorion, nunc aperiam tibi portam narrando ob quam cauſſam inciderit diviſio & contentio in diebus illis in populo Dei.

הנה הפרושים היו אומרים נשמור התורה אשר מסרו אבותינו בידינו מפורשת על פי החכמים אשר פרשו את התורה לקבלה:

20. Ecce Phariſæi dicebant, ſervemus legem, quam tradiderunt patres nostri in manus noſtras, expoſitam per os ſapientum, qui expoſuerunt legem per cabbalam ſive traditionem.

והנה הצדוקים אומרים לא נאמין ולא נשמע לכל מסורת ולכל פירוש כי אם לתורת משה לבד והכותים היו באותם הימים אחרי הצדוקים ויהיו הצדוקים בישראל לחלק אחד והחסידים לבדם עם העם ההולך אחריהם לחלק אחד:

21. Et ecce Sadducæi dicebant, ne credamus & ne audiamus ullam traditionem aut ullam expoſitionem niſi legem Moſis ſolam: porro Cuthæi ſequebantur illis diebus Saducæos; erantque

in

in Israel Sadducæi pars una, & pii illi sive Hasidæi soli cum populo, qui sequebatur eos, pars altera.

ועל אלה המחלוקות נגרו מלחמות ונשפכו דמים רבים בעם יי' כי דלת העם היתה ידם עם הפרושים ויהיו לעזרתם מלבד עשיריו וגבוריו כי היו עם המלך והצדוקים ולמלך ולהם היו עוזרים:

22. Et ob istam dissensionem prævaluerunt bella, & effusi sunt cruores multi in populo Domini: nam tenuis plebecula manum sociabat cum Pharisæis, erantque eis auxilio: præter divites ejus & potentes ejus, qui erant cum Rege & Sadducæis, & adjuvabant eos.

HUCUSQUE GORIONIDES.

Audiamus nunc ipsum Josephum eadem de re. l. 13. c. 18.

ΥΡκανῷ δὲ φθόνον, inquit, ἐκίνησεν ἡ εὐπραγία τῶν Ἰουδαίων. Μάλιστα δὲ οἱ φαρισαῖοι κακῶς πρὸς αὐτὸν εἶχον, αἵρεσις ὄντες μία τῶν Ἰουδαίων, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἐπάνω δεδηλώκαμεν. Τοσαύτην δὲ ἔχουσι τὴν ἰσχὺν παρὰ τῷ πλήθει, ὡς καὶ κατὰ βασιλέως τι λέγοντες καὶ κατὰ ἀρχιερέως, εὐθὺς πιστεύεσθαι. Μαθητὴς δὲ αὐτῶν ἦν καὶ ὑρκανός, καὶ σφόδρα ὑπ' αὐτῶν ἠγαπᾶτο. καὶ δὴ καλέσας αὐτοὺς πρὸς ἑστίασιν, καὶ φιλοφρόνως ὑποδεξάμενος, ἐπεὶ σφόδρα ἡδομένους ἑώρα, λέγειν ἤρξατο πρὸς αὐτούς, ὡς ἴσασι μὲν αὐτὸν βουλόμενον εἶναι δίκαιον, καὶ πάντα ποιοῦντα ἐξ ὧν ἀρέσειεν ἂν τῷ θεῷ, καὶ αὐτοὶ δὲ φαρισαῖοι φιλοσοφοῦσιν. ἠξίου γε μὴν εἰ βλέπουσιν αὐτὸν ἁμαρτάνοντα, καὶ τῆς ὁδοῦ τῆς δικαίας ἐκτρεπόμενον, εἰς αὐτὴν ἐπανορθοῦν. τῶν δὲ μαρτυρησάντων αὐτῷ πᾶσαν ἀρετήν, ὁ μέν, ἥσθη τοῖς ἐπαίνοις. Εἷς δέ τις τῶν κατακειμένων ἐλεάζαρος ὄνομα, κακοήθης ὢν φύσει καὶ στάσει χαίρων, ἐπεὶ φησὶν ἠξίωσας γνῶναι τὴν ἀλήθειαν, εἰ θέλεις εἶναι δίκαιος, τὴν ἀρχιερωσύνην ἀπόθου, καὶ μόνον ἀρκείτω σοι τὸ ἄρχειν τοῦ λαοῦ. Τὴν δὲ αἰτίαν αὐτοῦ πυθομένου, δι' ἣν ἀπόθοιτο τὴν ἀρχιερωσύνην, ὅτι, φησί, ἀκούομεν παρὰ τῶν πρεσβυτέρων αἰχμάλωτόν σου γεγονέναι τὴν μητέρα βασιλεύοντος ἀντιόχου τοῦ ἐπιφανοῦς. Ψευδὴς δὲ ὁ λόγος ἦν. καὶ πρὸς αὐτὸν ὑρκανὸς παρωξύνθη, καὶ πάντες δὲ οἱ φαρισαῖοι σφοδρῶς ἠγανάκτησαν. τῶν δὲ ἐκ τῆς σαδδουκαίων αἱρέσεως οἱ τὴν ἐναντίαν τοῖς φαρισαίοις προαίρεσιν ἔχουσιν, Ἰωνάθης τις ἐν τοῖς μάλιστα φίλος ὢν ὑρκανῷ, τῇ κοινῇ πάντων φαρισαίων γνώμῃ, πεποιῆσθαι τὰς βλασφημίας τὸν Ἐλεάζαρον ἔλεγε. καὶ τοῦτο ἔσεσθαι φανερὸν αὐτῷ πυθομένῳ παρ' ἐκείνων, τίνος ἄξιος ἐστιν ἐπὶ τοῖς εἰρημένοις κολάσεως. τοῦ δὲ ὑρκανοῦ τοὺς φαρισαίους ἐρομένου τίνος αὐτὸν ἄξιον ἡγοῦνται τιμωρίας, πεισθήσεσθαι γὰρ οὐ μετὰ τῆς ἐκείνων γνώμης γεγονέναι τὰς βλασφημίας, τιμησαμένων αὐτὸν τῷ μέτρῳ τῆς δίκης, πληγῶν ἔφασαν καὶ δεσμῶν. οὐ γὰρ ἐδόκει λοιδορίας ἕνεκα θανάτῳ ζημιοῦν, ἄλλως τε καὶ φύσει πρὸς τὰς κολάσεις ἐπιεικῶς ἔχουσιν οἱ φαρισαῖοι. Πρὸς τοῦτο λίαν ἐχαλέπηνε, καὶ πρὸς τὸ δοκεῖν ἐκείνοις πεποιῆσθαι τὰς βλασφημίας τὸν ἄνθρωπον ἐνόμιζε. Μάλιστα δὲ αὐτὸν ἐπιπαρώξυνεν Ἰωνάθης, καὶ διέθηκεν οὕτως, ὥστε τῇ σαδδουκαίων ἀποστάντα, καὶ τότε ὑπ' αὐτῶν κατασταθέντα νόμιμα τῷ δήμῳ καταλῦσαι, καὶ τοὺς φυλάττοντας αὐτὰ κολάσαι. Μῖσος οὖν ἐντεῦθεν αὐτῷ τε καὶ τοῖς υἱοῖς παρὰ τοῦ πλήθους διεγένετο. Περὶ μὲν τοι τούτων αὖθις ἐροῦμεν. Νῦν δὲ δηλῶσαι βούλομαι ὅτι νόμιμα πολλά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ φαρισαῖοι ἐκ πατέρων διαδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς μωυσέως νόμοις, καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα τὸ σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγον ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δὲ ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν. καὶ περὶ τούτων ζητήσεις αὐτοῖς καὶ διαφορὰς γενέσθαι συνέβαινε μεγάλας, τῶν μὲν σαδδουκαίων, τοὺς εὐπόρους μόνον πειθόντων, τὸ δὲ δημοτικὸν οὐχ ἑπόμενον αὐτοῖς ἐχόντων, τῶν δὲ φαρισαίων τὸ πλῆθος σύμμαχον ἐχόντων.

Fido Dei servo

GUILHELMO BAUDARTIO,

Theologo philologo.

QUum ultimæ tuæ mihi redderentur, Baudarti Charissime, erat sub prælo libellus hic meus: cujus exemplar unum ad te mitto. Inter excudendum quædam notavi de Hessæis, quæ tibi non ingrata fore confido. Persuadeo etiam mihi homines doctos & candidos, quales sunt Arminii, Thysii & similes, pro his meis laboribus aliquam nobis gratiam habituros. Qui aliter sunt animati, ab iis peto ut quiescant, & sinant me verum, quod ipsi aut nolunt aut non possunt, eruere: neve fidem ullam habeant hominibus, quos aut seditio hinc ejecit, aut expunxit ex albo honestissimorum juvenum contumacia. Alios precor quæsoque ut me juvent precibus suis apud Deum, quo possim ita, ut cœpi, pergere, deque Repub. Christiana bene mereri, & inimicis meis, quando aliter non licet etiam invitis prodesse. Vale, tibique persuade te a me amari & æstimari. Ex museo nostro 24. Martii. 1603.

AP-

APPENDIX.

Quod Hessæi apud Gorionidem non vocentur Hassonim.

Pergam bene mereri de Serario, qui ut multa bene legit (est enim certe vir eruditus & plurimæ lectionis) ita aliqua quædam male concoxit. In iis est illud quod scribit Hessæos apud Gorionidem etiam Hassonim appellari, *quasi secundantes*, inquit, *id est, qui secundi essent ab Hasidæis, vel secedentes a communi aliorum vita, & in solitudinem se conferentes, vel denique deuterotas*. Sed Deuterotæ erant Pharisæi: quod plane pro me facit. Jam vero si Hessæi secundi ab Hasidæis, ergo discrimen erat inter hæc nomina, nec plane iidem Hassonim sive Hessæi cum Hasidæis. Locus quem adducit huic rei probandæ unicus est. Is habetur in codice Veneto, fol. 78. col. 2. sed longe aliter quam eum Serarius laudat. Nam pro Hassonim, in eo est absque ulla litura Hassarim. Id sonat principes sive primores. Quam lectionem germanam esse nemo paulo humanior negabit. Sic eum locum Latine convertendum esse puto, imo non dubito. *Ideo Rex* (magnum Herodem intelligit) *non adegit eos* (Pharisæos) *ad juramentum. Quin primores Hasidæorum & sapientes honoravit honore magno, etiam principem Manahemum collegam Samæi. Nam Manahemus, si quis alius præterea, vir justus & sapiens erat in diebus illis*. Verba Ebrea sunt: לכן לא הביאם המלך בשבועה וגם השרים אשר לחסידים והחכמים כבד כבוד גדול וגם השר מנחם החבר לשמאי כי מנחם אחר זולתו איש צדיק וחכם היה בימים ההם:

Quæ Serarius citat ex lib. 5. cap. 23. & ita in Latinum convertit, *& etiam Haschonim qui* לחסידים *non adduxit Herodes ad juramentum propter Manahem Haschone, qui* לחסידים *ad Hasidæos spectabat, quia ipse Manahem vir justus & sapiens fuit in diebus illis*. Judicent nunc qui hæc intelligunt, & simul judicio valent.

Quædam de scriptura nominis Hessæus, quorum frequens mentio in hoc libello.

חסי dicebant & חסיא, unde ὅσιος Ebraice חסיד qui pietatem & religionem colit. Ergo in חסי figura est quam apocopen appellant. Dubito etiam an scribendum sit חםי. Nam Syri voces Ebraicas quandoque corripiunt. Sic pro ברוך dicunt בריך benedictus, laudandus. Quod tamen non est perpetuum. Nam & קריב in ea lingua est propinquus, & cum emphasi קריבא & קירי ardens: ὁ συγγενής, יקירא ὁ καιόμενος. Ut ut sit, multa quæ apud Ebræos in Jod finiunt, ut יהודי Judæus, מצרי Ægyptius, Syriace terminantur, ut יהודי Ἰουδαῖος, מצרי μεσραῖος, id est, Ægyptius. Sic פרישי Pharisæos, מיני Minæus. Ad quod exemplum putarim antiquos dixisse חסי sive חסי: unde Hessæus, quod aspirate scribendum ἑσσαῖος, ut quidam Græci codices habent. חסי ἑσσαῖος, ut משיחא μεσσίας, דבורה Debbora. Sic in quibusdam libris reperies φαρισσαῖος, cum duplici σσ. Quod autem vulgo aspiratio neglecta, non est mirum, quum id fiat in aliis vocibus quam plurimis, quæ nunc a doctis omnibus aspirantur. Sic Hasidæus scribimus, licet in libris sit Asidæus absque aspiratione. Contra factum in Abraham, quod scribunt ἅβρααμ Habraham: sed perperam. Talia menda scribis imputanda, non interpretibus. Quale & illud cum scribunt ἥλίας pro ἠλίας. Sic Hesther invenies pro Esther. Similiter peccatum in ἐσσηνός, quod aspirandum ut sit ἑσσηνός, Hessenus. Ἑσσαῖος, Ἑσσηνός: ut Ναζαραῖος, Ναζαρηνός. Prior terminatio Syriaca est, posterior Græca. Quanquam gentilitia in ηνός terminata quidam barbara esse ait, non ἑλληνικά. Qua de re alias.

Quod a pietate nomen acceperint.

Suidas de Hessæis, Θεωρίᾳ, inquit, τὰ πολλὰ παραμένουσιν. ὅθεν καὶ ἐσσαῖοι καλοῦνται, τοῦτο δηλοῦντος τοῦ ὀνόματος. τουτέστι, θεωρητικοί. *In contemplatione plurimum permanent. Ac inde Essæi vocantur, illud indicante nomine q. d. contemplativi*. Unde hoc sumpserit, nescio. Vera etymologia a me supra notata fuit: quam nunc firmabo authoritate Philonis Judæi. In libello cui titulum fecit, περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον ἐλεύθερον εἶναι, *omnem probum liberum esse*, citante Eusebio, Προπαρασκ. lib. 8. pag. 226. Ἀλλὰ γὰρ οὐδεὶς, inquit, οὔτε τῶν σφόδρα ὠμοθύμων, οὔτε τῶν πάλαι δολερῶν καὶ ὑπούλων, ἴσχυσε τὸν λεχθέντα τῶν ἐσσαίων ἢ ὁσίων ὅμιμον αἰτιάσασθαι. *Sed nec quisquam ex crudelibus istis vel ex alteris fucatis ac subdolis evaluit prædictum Essæorum seu Osiorum cœtum in crimen vocare*. Ecce cum dixisset ἐσσαίων, quasi se ipsum explicans, subjicit ὁσίων. Quo haud obscure innuit verum etymon nominis Essæus. Sed apertius & manifestius hoc declart apud eundem Eusebium, pag. 224. λέγονται δὲ τινες παρ'

αὐτοῖς

αὐτοῖς ὄνομα Ἐσσαῖοι, πλῆθος ὑπὲρ τετρακισχιλίους (κατ' ἐμὴν δόξαν, οὐκ ἀκριβεῖ τύπῳ διαλέκτου ἑλληνικῆς) παρώνυμοι ὁσιότητος. ἐπειδὴ κἀν τοῖς μάλιστα θεραπευταὶ θεοῦ γεγόνασιν, &c. *Dicuntur autem apud ipsos quidam nomine Essæi multitudine supra quatuor millia: qui, meo quidem judicio, non accurata Græcæ linguæ forma a Sanctitate denominati sunt: postquam & in his maxime Dei cultores existunt.* Rursum pag. 223. ex Apologia quam pro Judæis composuit Philo, Μυρίους δὲ καὶ τῶν γνωρίμων ὁ ἡμέτερος νομοθέτης ἤλειψεν ἐπὶ κοινωνίαν, οἱ καλοῦνται μὲν Ἐσσαῖοι, παρὰ τὴν ὁσιότητα, μοὶ δοκῶ, τῆς προσηγορίας ἀξιωθέντες. *Innumeros autem præstantiorum Legislator noster ad societatem incitavit, qui vocantur Essæi, a sanctitate ut mihi quidem videtur appellationem consecuti.* Quod ut verum esse mihi persuadeo, ita non possum silentio preterire aliud etymon παρὰ τὸ אסא sano, medeor, curo, θεραπεύω: unde אסיא medicus, θεραπευτής. Quomodo sane olim nominatos fuisse Hesseos multi prodiderunt. Supra in iis que ex Eusebio produximus habetur, θεραπευταὶ τοῦ θεοῦ. Id aliud est. Apud Photium autem reperio Ἀνεγνώσθησαν δὲ τῶν παρὰ Ἰουδαίοις φιλοσοφησάντων τήν τε θεωρητικὴν βίον. ὧν οἱ μὲν Ἐσσηνοὶ, οἱ δὲ θεραπευταὶ ἐκαλοῦντο, καὶ μοναστήρια καὶ σεμνεῖα, ὡς αὐταῖς λέξεσι λέγει, (Philo videlicet) ἐπήγνυντο, καὶ τῶν νῦν μοναζόντων τὴν πολιτείαν προϋπέγραφον. *Lectæ sunt eorum qui apud Judæos & Theorice & Practice philosophati sunt vitæ: quorum alii quidem Esseni, alii vero Therapeutæ vocabantur. Qui & Monasteria & Semnea, quibus ipsis verbis utitur (Philo) construxerunt &c.* Hucusque Photius. Cæterum locus iste non vacat suspicione mendi. Nam θεραπευταὶ & Ἐσσηνοὶ synonyma sunt. Significat enim certe θεραπευτὰς, *medicos* non τῶν νοσημάτων, *morborum*, sed τοῦ θεοῦ, ἤτοι τῆς ὁσιότητος, *Dei sive pietatis*, id est cultores pietatis ac religionis: quos Galli religiosos appellant.

Quæsitum cur apud Gorionidem Cap. 29. nulla mentio fiat Sectæ Hessæorum.

SUperest difficultas. Nam queri potest quare Gorionides in eo capite, de quo controversia est, nullam fecerit mentionem Hesseorum. An quia nulli tum adhuc erant Hessei? potest ita esse, tamen certe nihilum de hac re mihi constat. Illud liquet ex historia, initio tantum duas sectas fuisse. Tertia ex Phariseis, ut videtur originem duxit, placitaque cum iis eadem ferme habuit. Sane Manahen Hesseus, qui sub Herode magno vixit, discipulus fuit Pollionis, quem Ebrei Hellel nominant. Is princeps erat Phariseorum. Discipulum autem habuit preterea Sameum senem, socium sive collegam Manahemi. Hi tres simul interfuerunt Synedrio magno, cum reum se ibi sisteret coram judicibus Herodes. Post authores fuerunt populo ut eum admitterent reciperentque. Dicebant enim *a Deo hoc esse propter iniquitatem populi, & præstare ut regnaret antequam sanguis plurimus effunderetur*. Quocirca, cum in regno jam confirmatus esset Herodes, eos in magno honore habuit. Redeamus unde digressi sumus. Duo genera Hessæorum memorantur. Alii κοινόβιοι erant, alii μονάζοντες sive μονόβιοι. Quin ex hoc genere aliqui fuerint Jerosolymæ ante Alexandrum Janæum dubitare non debemus, nos præsertim qui scimus Judam Hessenum, quem Josephus prophetam appellat, ibi prædixisse cædem Antigoni. Ant. hist. lib. 13. c. 13. & de bello Judaico lib. 1. capit. 3. Concedimus ergo paucos ibi fuisse μονάζοντας, sub Aristobulo & Herode magno. Dubito an etiam sub Herode altero. Dubitandi caussa quoniam in novo fœdere, ubi frequens mentio Pharisæorum & Saducæorum, altum de Hessæis silentium: ne nomen quidem eorum in illis libris extat. Quid caussæ esse putabimus? Si alia est quam ea quam dixi, fateor me illam ignorare. Libenter audiam doctores. Nam κοινόβιοι nulli unquam fuerunt Jerosolymæ, quod sciam. Saltem nulla monasteria ibi habuerunt. De his Plinius lib. 5. cap. 17. & Solinus cap. 44. Philo in libello περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον ἐλεύθερον εἶναι, *quod omnis probus liber sit* de Hessæis ita scribit: οὗτοι τὸ μὲν πρῶτον κωμηδὸν οἰκοῦσι τὰς πόλεις ἐκτρεπόμενοι διὰ τὰς πόλεις ἐκτρεπόμενοι διὰ τὰς τῶν πολιτευομένων χειροήθεις ἀνομίας, εἰδότες ἐκ τῶν συνόντων, ὡς ἀπὸ ἀέρος φθοροποιοῦ νόσον, ἐγγινομένην προσβολὴν ψυχαῖς ἀνίατον. *Hi quidem primo vicatim habitant, civitates fugientes ob familiaria civibus earum vitia; Scientes, non minus periculi esse ab iis qui nobscum agunt quam ab aere corrupto & pestilente, propter immedicabilem quæ animis injicitur contagionem.* Addam pro corollario. Josephus in vita sua meminit cujusdam Bani, in cujus contubernio tres annos vixerit, *cum audivisset in solitudine amictum sibi parantem ex arboribus, & sponte provenientibus alimentis utentem, crebrisque nocte ac die lavacris frigidis ad castitatem tuendam, &c.* Hunc Banum Serarius

rarius Hessæum fuisse ait. Cæterum author libri Juchasin diserte Pharisæum appellat. Unde colligas hæc nomina interdum confundi permutarique solita. Nam certe ut חסיר, ita פרוש sanctum denotat; unde פרישות sanctimonia vitæ, ut cum dicunt:

Vota sepes sunt sanctimoniæ vitæ.

Hebraice est לפרישות id est, Pharisaismo. Hoc tamen interest, quod פרוש dicatur a separando, חסיר autem a pietate. Memini etiam legere in libro Juchasin, nisi fallor, ubi virgo vestalis Ebraice reddita sit פרושה, id est, Pharisæa vel sancta. Quod notandum duxi vel propter eos qui de voce חסידים nobis controversiam movent, ac si nihil aliud significaret quam Hessæos. Hæc igitur expendent qui judicio valent, & harum rerum intelligentiam habent.

De origine Hessæorum conjectura.

VErum non videtur quod scribit Plinius lib. 5. cap. 17. de Hessenis: *per seculorum millia, incredibile dictu, gens æterna est, in qua nemo nascitur*: & eum sublegens Solinus, cap. 44. *per immensum spatium seculorum, incredibile dictu est, æterna gens est, cessantibus puerperiis*: verum inquam, hoc non videtur, nisi cum Suida dicamus eos fuisse: *προγόνους* Jonadab filii Richab, unde Richabitæ appellationem sortiuntur: aut cum authore Juchasin statuamus Hessæos esse, quos antiquior ætas Naziræos appellat. Nam hi vetustissimi fuerunt, ut liquet ex libris ritualibus Ebræorum. Sed eos diversos esse non dubito. Hessæorum autem mentio primum in historia Ebraica & apud Josephum sub Aristobulo, ubi de Juda Hessæo, qui prædixit cædem Antigoni. Historia nota est. Si conjecturæ locus esset, putarim eos cœpisse cum Hyrcanus ex Pharisæo Saducæus factus, sectam illam, quam antea secutus fuerat, acerrime persequeretur. Tum enim, ut credibile est, multi ex Pharisæis recesserunt in solitudines & loca deserta, ibique tertiam sectam Judæorum condiderunt, & peculiariter Hasidæi nuncupati sunt, cum prius omnes in genere Pharisæi sic vocarentur. Conjecturam hanc meam adjuvat Josephus, nullam memoriam usurpans Hessenorum in bello quod Judas & fratres ejus gesserunt cum Syro-Macedonibus. Nam quos lib. 12. cap. 16. *ὁσίους* vocat *τοῦ ἔθνους*, non Hessæos, meo judicio; sed in genere significat omnes pios, quos in historia Ebraica חסידים, & in libris Machabæorum *Ἀσιδαίους* vocari diximus: quibus opponit *τοὺς ἀσεβεῖς*, Alcimi partium studiosos. Quod ut certum mihi, ita reliqua dubitans & ambigens pono. In talibus nihil temere asseverandum. Dies & varia lectio nos certiora docebunt. Interim fruantur his veritatis & historiæ studiosi, & una mecum ad tempus judicium suspendant.

De Particula לבר.

לבר solus, a, um, ut תורת משה לבר *lex Mosi sola*. Et *seorsum*, Zachar. 12. 12. בית דויד לבר *domus David seorsum*. Frequens est cum pronominibus affixis, ut exempli gratia לברו *solus ille*, לברך *solus tu*, לברי *solus ego*. Sic לברם *soli ipsi*, לברכם *soli vos*. Quod ultimum exemplum invenies Jes. 5. R. David explicat אתם יחדים אין אחר עמרם, *vos soli, non est alius vobiscum*. Sequente מן significat *præter, præterquam*, & est exceptionis sive exclusionis particula. Exod. 12. 37. לבר מטף *præter parvulos*. 1. Reg. 5. 16. vel 30. לבר משרי *præter principes*. Deut. 18. 8. לבר ממכריו *præter venditiones ejus*. Interdum eadem præpositio præcedit Dan. 11. 4. מלבר אלה *præter istos*. Gen. 46. 26. מלבר נשים *præter uxores*. Deut. 4. מלבדו *præter eum*, id est, זולתו excepto illo. Quid opus multis verbis? Res est minime controversa. Vide Abenezram Esther. 4. 11. qui dictis addit לבר בך נזכיר שמך, *tantummodo in te memorabimus nomen tuum*.

PAU-

PAULI SLEVOGTI
DISPUTATIO
DE
METEMPSYCHOSI JUDÆORUM.

HOC argumentum *Matthæus* nobis suppeditavit, apud quem *Christus cap. 16. v. 13.* ex discipulis quærit: *Quem*, inquiens, *homines dicunt esse Filium hominis?* Illi v. 14. *alii*, respondent, *Johannem Baptistam*, *alii vero Eliam*, *alii Jeremiam*, *vel unum ex Prophetis*. Quæ ab autoribus bifariam accip, in interpretatione illius loci diximus. Esse enim, qui non de vera resurrectione & reditu animæ in corpus suum intelligant, sed interpretentur de resurrectione *pharisaica*, qua anima ex uno egressa corpore migret in aliud: esse contra, qui de ea putent resurrectione agi, qua vel a *Christo* viderint, vel a *Prophetis* olim audiverint, mortuos fuisse resuscitatos. Prior expositio, quum pro lectione explicari commode non posset, digna visa fuit, quæ paulo uberius publica ventilatione expenderetur.

II. Primo omnium autem de eo est dispiciendum, *an inter Pharisæorum dogmata, hoc etiam fuerit, de transmigratione animarum?* Et confessos eos esse animarum μετοίκισιν vel migrationem ex uno corpore in aliud, quam Græci μετεμψυχώσιν appellant, cum *Beza* affirmat *Abrah. Scultetus lib. 2. Exercitat. Evang. cap.* 24 *Gerrh. Johann. Vossius de Theol. Gentil. libr. 1. part. 1. cap. 10.* & alii: Probari posse videtur ex *Josepho*, qui *lib. 8. Antiquit. cap. 2. Animas*, inquit, *credunt Pharisæi*, *esse immortales & sub terris earum judicia fieri: tum præmia cuique obtingere ex virtutis aut malitiæ merito: & has perpetuis damnari carceribus*, *illis esse* ῥᾳςώνην ἀναβιῶν, *h. e. facilem in vitam reditum. Et lib. 2. de bello Judaic. cap. 7. Pharisæi dogma habent*, *animam quidem omnem incorruptam esse*, *transire vero in alia corpora solas bonorum*, *improborum vero interminabili supplicio cruciari*. Unde *Hieronymus*, *nonnullos*, ait, *his Josephi locis ad confirmandum Pythagoræorum errorem*, *argumenti loco fuisse usos*.

III. Et hanc inter *Judæos* opinionem viguisse, si *Josephi* non sufficiat autoritas, constare putant ex illis *N. T.* locis, qui, nisi supposita hac Pharisæorum sententia, explicari commode non possint. Quod enim, *Christo Matth. 16.* quærente, quem se esse homines arbitrentur. Discipuli responderunt, ea ipsos opinione teneri, ut existiment, vel *Eliam* esse vel aliquem ex *Prophetis;* nil aliud innuisse putant, quam eos sic opinari, secundum doctrinam transanimationis a *Pharisæis* traditam? Quæ adeo late inter Judæos fuerit sparsa, ut animis *Apostolorum* quoque hæserit, sicuti ejus rei indicia extent *Joh. 9. v. 2.* Quum enim de cœco, quem ab ortu cœcum fuisse, noverant, quærerent, cur hac pœna esset affectus, an ob parentum peccata? nisi hac opinione præsupposita absurdam plane, dicunt, videri quæstionem: Quum enim cœcitas peccati pœna sit, quæ cum natura simul cœpit & omne peccatum antegressa est? num potuerit cœcus peccare, prius, quam nasceretur? Id igitur velle; an anima illius cœci in alio corpore peccaverit, ob quod in hoc puniatur.

IV. E contrario alii inter *Pharisæorum* errores, hunc etiam de Metempsychosi fuisse pernegant, cumprimis *Joh. Camero prælection. ad Matth. cap. 19. v. 3. Joh. Maldonatus comment. ad cap. 14. Matth. v. 2.* nec rationes antea adductæ ipsis videntur ejusmodi, ut iis probari queat, quod adversa pars adstruit. Nam *Josephus*, sicut illi arbitrantur, non eam *Pharisæis* opinionem tribuit, quam *Pythagoræ* alioquin adscribunt; sed, quam habent alii quoque *Judæi*, non omnium mortuorum, sed bonorum tantum animas, in sua quidem, at meliora & ideo quodam modo alia corpora, in resurrectione redituras, ut ita ἕτερον σῶμα non notet diversum corpus materia & substantia, sed diversum qualitate: quomodo fere *Luc. 9. v. 29.* εἶδος hoc est species vultus *Christi*, dum transfiguraretur, dicitur γίνεσθαι ἕτερον. Sic *loca* quoque *Scripturæ* facilem ipsis ex-

explicatum habere videntur, ut propterea, ad μετεμψύχωσιν quandam confugere, nullo modo opus sit: Nam etsi *Judæi Christum* putarint esse *Johannem* vel aliquem ex *Prophetis*; negant tamen inde sequi, μετεμψύχωσιν ab aliis creditam, quum eos putasse, *Johannem* vel *Prophetarum* aliquem a mortuis excitatum esse, vero sit similius. Nec possunt perspicere, quomodo illa de cœco quæstio ad Metempsychosin accommodari queat, quum persuasum habeant discipuli, cœcum illum esse impium, secundum Metempsychosin autem Pharisæorum solæ piorum animæ in nova corpora transmigrent.

V. Unde hujuscemodi errorem *Pharisæis* tribui non posse, ex eo probare nituntur, quod 1. iis nec a *Christo*, nec *a Sadducæis*, capitalibus ipsorum hostibus, uspiam est objectus, quem tamen, vero simile non est, fuisse dissimulaturos, si quidem eum publice proposuissent. Quod 2. talis metempsychosis & mortuorum resurrectio, quam *Pharisæi* profitebantur, simul consistere nequeant: Quum enim anima sit una, corpora autem, in quæ migret, pene infinita; cujus illa corporis hospes sit futura in beata resurrectione? Videantur pluribus apud *Cameronem l. c.*

VI. Sic quidem suam quæque pars sententiam explicat & firmare conatur; certum tamen est, quod utrobique adhuc fluctuetur, & ubi pes figendus sit, non liquido constet. Proinde, ut utram partem hac in re sequamur, patescat; aliunde, quantum opus esse videbitur, arcessemus. Ita vero res habet: Opinio illa, de transmigratione animarum de corpore in corpus, inter Judæos olim fuit vulgatissima & eam amplexi sunt plurimi, cum ex sapientibus *Judæorum*, tum ex Rabbinis vel Theologis. Nam tradiderunt eam nonnulli rerum naturalium scrutatores, quos ipsi חכמי המחקר h. e. *sapientes scrutationis*, appellant, Paulus autem συζητητὰς τῦ αἰῶνος τέτε, *disquisitores seculi hujus*, sicuti ad *Psalm.* 104. *vers.* 30. *R. Dav. Kimchi* testatur: אמרו קצרת חכמי המחקר כי כל חי אחרי מותו יקים כי הנפשות הם עתידות להתגלגל ולהזור לעולם אבל אינן חוזרות אל החומר הראשון כמו אותו החומר בעצם ויהיה זה תמיד לסמה אלפי שנה ונדולי הפילוסופים אומרים כי לא תשוב הנפש אל הגוף לעולם *Dixerunt quidam ex sapientibus scrutationis, omne vivens, postquam mortuum est, resurrecturum propterea, quod futurum sit, ut animæ circumvolvantur & redeant in mundum: Attamen non redeunt ad materiam primam, sicut ipsa materia in se est. Et hoc juge futurum est & fiet per aliquot mille annos: Sed Philosophi & maximi quidem ex illis, dicunt, quod anima in æternum non redeat in corpus.*

VII. Deinde tradiderunt quoque eam *Cabalistæ*, quos ipsi מקובלים vocant, & Theologos fuisse, negari non potest: Testatur *R. Menasseh. Ben. Israel. l.* 2. *de resurrect. cap.* 18. qui opinionem, de transmigratione animarum, dicit fuisse *Cabalistarum*, celebrem & decantatam: Probat ex libro *Sohar*, *Judæis* post *Targum* antiquissimo, & diu ante *Talmud* scripto: Ibi enim Deus animabus, omnem culpam a se transferentibus in sua corpora, & una conquerente, quod in biliosum, altera, quod in phlegmaticum, alia, quod in sanguineum, unde suam labem contraxerint, immissæ essent, potestatem dedit, migrandi in alia, ad luendam culpam in prioribus contractam: Quod ante *Menasseh* docuit etiam *R. Bechai* in *parasch.* וזאת הברכה quando locum, *vivet Ruben & non morietur*, juxta viam *Cabalæ*, quam ipse sequitur, de Metempsychosi putat interpretandum. Verba sic habent: ועל דרך הקבלה יחי ראובן ואל ימות הזכיר יחי על חיי העולם הבא ואל ימות שלא ישוב משם עוד בגוף למות מיתה שניה וזהו שתרגם אינקלוס עד ומותא תנינא לא ימות ונלה לנו בזה כי הנשמות מתגלגלות לשוב בגוף אחר שקבלו שכרם ונענשם בגן עדן או בגיהנם וזה ידוע ומקיבל כי כשם ששמטות העולם חוזרות כן הנשמה אחר שקבלה שכרה בגן עדן או עונשה בגיהנם הנה היא חוזרת אחר זמן בגוף לקבל הראוי לה במדה כנגד מדה והגלגל הזה הנקרא אצל רז״ל תחית המתים. *Juxta viam Cabalæ illud, vivet Ruben & non morietur, sic est interpretandum, ut* Tò *vivet, de vita seculi futuri, sed* Tò *& non morietur, ita accipiatur, quod non sit rediturus inde in corpus, & moriturus morte secunda, sicut exposuit Onkelos in Targum: & morte secunda non morietur: Quo ipso nobis revelavit, quod animæ revolvantur & redeant in corpus, posteaquam acceperunt mercedem suam & etiam mulctam vel in horto Eden, vel in Gehenna. Et hoc cognitum ac per traditionem acceptum est, quod, sicut intermissiones Mundi redeunt atque revolvuntur: sic anima, postquam accepit vel mercedem in horto Eden, vel mulctam in Gehenna, ipsa etiam post aliquod tempus redeat in corpus, ut accipiat, quod ipsi conveniens est, mensuram pro mensura. Et hæc revolutio illa est, quæ apud Rabbinos nostros vocatur revivificatio mortuorum.*

VIII. Quam animarum revolutionem, pla-

plane frustra est, qui ad resurrectionem proprie dictam referri posse putat. Illa enim sæpe iteratur; hæc autem semel duntaxat fit: Et qui vivificatur per animæ revolutionem, moritur etiam morte corporali, qui autem vivificatur per resurrectionem, morte corporali amplius non moritur, ceu tradit *Massech. Sanhedr. c.* 11. תני דבי אלהו צדיקים שעתיד הקדוש ברוך הוא להחיותן אינן חוזרין לעפרם הקדוש לעולם קיים אף הם לעולם קיימים: *docet domus Eliæ, justos, quos sanctus ille benedictus resuscitabit, non redactum iri in pulverem, sicut enim sanctus ille æternum vivit: ita etiam hi vivent æternum*. His igitur ita se habentibus, negari non potest, opinionem illam, de animarum migratione, inter *Judæos* olim, uti diximus, fuisse pervulgatam.

IX. An autem eam *Pharisæi* quoque sint secuti, & ita ut *Scultetus* & *Vossius* persuasum habent, approbaverint, de eo, aliquis forte dicere possit, non omnino liquere. Etsi enim *Josephus*, creditam ab ipsis, scribit, animarum μετάβασιν εἰς ἕτερα σώματα; non tamen inde sequi videri queat, quod ea μετάβασις fuerit nil aliud, quam Metempsychosis. Fortasse enim ejusmodi dogma notare *Josephus* voluit, quo tanquam proprio ac peculiari Pharisæi ab omnibus aliis segregarentur: At tale, Metempsychoseos, ut ostensum est, non fuit. Si vero dicatur, *Pharisæos*, quantumvis Metempsychosin cum aliis profiterentur, hac tamen professione distinctos fuisse ab reliquis sectis, *Sadducæorum* quidem, qui & immortalitatem & transmigrationem animæ, *Essæorum* autem, qui admissa animæ immortalitate, saltem ejus transmigrationem, negarint; Incertum adhuc est, nec forte probari poterit, *Essæos* in hoc a *Pharisæis* dissensisse, quorum doctrinam in cœteris fere sequebantur.

X. Nihilominus tamen ita esse, & *Pharisæos* a Metempsychosi alienos non fuisse, nobis videtur certum: Sed ita urget scrupulus, quem *Camero* injicit, quod μετάβασις εἰς ἕτερον σῶμα, quam Pharisæi profitebantur, animabus competat duntaxat bonorum, μετεμψύχωσις vero sit omnium tam brutorum, quam hominum; qui nodus, quod diffiteri non possumus, durus est, retorqueri tamen in autorem potest. Sic enim licet argumentari: Resurrectio vel reditus in suum corpus, competit omnibus animabus tam bonorum, quam malorum. Μετάβασις pharisaica, non competit omnibus animabus, sed animabus tantum bonorum. Ergo μετάβασις pharisaica non est resurrectio vel reditus animæ in suum corpus. Major mox probabitur. Minor constat ex *Josepho*.

XI. Regerit *Camero*: *Certe Judæorum opinio fuit, solis piis, qui sancte vixerunt, datum iri resurgere: impiis hanc prærogativam negant*. Fluctuat iterum, & illud de quo ipsi non constat, asserit: Citat *Kimchium*, non facturus, si legisset. Quod enim de hoc non conveniat inter *Ebræos*, *R. D. Kimchi* diserte fatetur, ad *Psal.* 104. *v.* 4. sic scribens: ואם תהיה תחיית המתים לכל אדם זה מחלוקת בין חכמים: *An omnes homines sint resurrecturi, de hoc dissensio est inter sapientes*. Et recte. Si enim ullibi, heic certe in diversissimas partes abeunt. Alii resurrecturos, ajunt, omnes, sicut nascuntur & moriuntur omnes: Ita in *Pirke Aboth c.* 4. editionis Fagianæ *R. Eleasar* inquit: הילודים למות והמתים להחיות והחיים לידון: *Qui nati sunt, hac lege nati sunt, ut moriantur, qui mortui, ut reviviscant, qui revixerunt, ut judicentur*. Alii resurrecturos saltem omnes *Israelitas*, ita *Massecheth Sanhedr. in Mischn. c.* 11. statim in principio כל ישראל יש לה חלק לעולם הבא: *Omni Israelitæ futuri seculi sors est*; tantum aliqui excipiuntur, qui videri ibidem possunt. Alii resurrecturos esse pios tantum: Ita *R. David Kimchi* loco antea citato: ריב סוגיית התלמוד הוא כי תחיית המתים לצדיקים ולא לרשעים: *Hanc viam terit Talmud, quod resurrectio futura sit justorum duntaxat, non impiorum*. Alii, neque pios esse resurrecturos neque impios, sed piorum tantum animas post mortem fore superstites: Sic *R. Moses, F. Maimon. par.* 1. *lib.* יד *tractat.* תשובה *c.* 8. כל מי שאינו זוכה לחיים אלו הוא המת שאינו חי לעולם אלא נכרת ברשעו ואבד כבהמה וזהו כרת הכתובה בתורה שנא' הכרת תכרת הנפש ההיא מפי השמועה למדו הכרת בעולם הזה תכרת לעולם הבא כלומר שאותה הנפש שפירשה מן הגוף בעולם הזה אינה זוכה לחיי העולם הבא אלא גם מן העולם הבא נכרתת העולם הבא אין בו גוף וגויה אלא נפשות הצדיקים בלבד בלא גוף כמלאכי השרת הואיל ואין בו גוית אין בו לא אכילה שתייה ולא דבר מכל הדברים שגופות בני אדם צריכין להן בעולם הזה ולא וארע דבר בו מן הדברים שמאורעים לגופות בעולם הזה כגון ישיבה ועמידה ושינה ומיתה ועצב ושחוק וכיוצא בהן: *Quicunque non meretur, ut vivat vitam istam, ille moritur, & nunquam reviviscit, sed exscinditur in impietate sua & perit, ut jumentum. Et hæc excisio illa est, de*

qua in lege ſcriptum, ubi dicitur: Exſcindendo exſcindetur anima illa. Ex quo illud diſci poteſt, quod anima duplici exciſione ſit exſcindenda, quarum una ad præſens ſeculum, altera ad futurum pertineat. Perinde enim eſt, ac ſi dicat, quod anima a corpore ſeparata in hoc ſeculo, non amplius habeatur digna, quæ vivat in ſeculo futuro, ſed jam de ſeculo quoque futuro ſit exciſa. In ſeculo autem futuro non eſt corpus, neque corporale quid, ſed animæ ſolummodo juſtorum, & quidem abſque corpore, perinde ut angeli miniſterii, quandoquidem itaque nihil in eo corporale eſt, ideo etiam in eo neque cibus eſt neque potus, aut quicquam eorum, quibus corpora hominum hoc in ſeculo habent opus. Neque ibi aliquid eorum contingit, quæ hoc in ſeculo evenire corporibus ſolent, cujuſmodi ſunt, ſeſſio, ſtatio, mutatio, mors, dolor, riſus, & quod his eſt ſimile.

XII. Judicet hinc ipſe *Camero*, an ita ſe habeat, ut aſſeruerat, quod *Judæorum* opinio vere ſit, non alios reſurrecturos eſſe, quam pios? Nos tamen, ita eſſe, dabimus ipſi; at ne ſic quidem nervum noſtri argumenti incidit. Quum enim Ebræi, תחיות המתים, *reſurrectionem mortuorum*, ſolis attribuunt piis, non eſt, ut quis inde colligat, impios non eſſe reſurrecturos. Neque enim hoc ex eo ſequitur, ſed illud tantum, quod impii reſurrecturi non ſint ad vitam æternam. Per תחיית המתים enim non intelligunt reſurrectionem ſimpliciter, ſed eam, quæ ad ſalutem eſt. Quemadmodum itaque ex eo, quod *Kimchi Pſalm.* 1. *v.* 5. animam impii una cum corpore perire, dicit, in die mortis, & *Maimonides*, l. c. eam exſcindi a corpore ſeparatam, non ſequitur, illam plane annihilari: Ita quoque quando ſecundum *Talmudicos*, impiis non eſt תחיה, non ſequitur, eos non eſſe reſurrecturos, ſed ſaltem non eſſe reſurrecturos ad vitam, ceu docet *Sixtin. Amama lib.* 3. *antibarb. Bibl.* ſub finem: *An*, inquiens, *improborum animæ annihilantur? neutiquam: Etiamſi enim negarent improborum reſurrectionem, non tamen inde colligi poſſet, ipſos* τῆς ψυχῆς διαμονὴν *negare. An ergo non reſurgent improbi, ex Talmudicorum iſtorum qui ſic loquuntur, ſententia? neque illud ſequitur. Quum enim ſic loquuntur, reſurrectionem ad vitam æternam intelligunt.*

XIII. Nihil ergo, quod nobis reſpondeat, *Camero* habet: quod autem ipſi reſpondere poſſimus, nobis non deeſt. quod autem ipſi reſpondere poſſimus, nobis non deeſt. Putamus enim tranſanimationis doctrinam varie fuiſſe traditam, & eam aliis extendentibus ad brutorum etiam animas, *Phariſæos* reſtrinxiſſe ad animas duntaxat bonorum, quod unum eſt. Deinde quum *Camero*, ἕτερον σῶμα, apud *Joſephum*, non diverſum ſubſtantia notare ait, ſed ſaltem qualitate, quid hoc ad rem facit? an putat, in ea *Judæos* opinione verſari, ut ſtatuant, idem numero, & ſubſtantia corpus aliquando reſuſcitatum iri? certe, ſi hoc putat, eo ipſo, ignorare ſe fatetur, quod *Kimchi* de *Elia Malach.* 4. *v.* 5. ſcribit: ישב נשמתו שעלתה לשמים אל נוף נברא כנופו הראשון כי נופו הראשון שב אל הארץ בעלותו כל יסוד אל יסודו: *Faciet Deus, ut anima ejus, quæ aſcendit in cœlum, revertatur in corpus, quod creabit, ut prius illius corpus fuit. Prius enim ejus corpus, ipſo aſcendente, converſum eſt in terram, & unumquodque elementum rediit ad ſuum elementum.*

XVI. Sit tamen ita & perſuaſum Judæi habeant, ſicuti nonnulli habent, idem numero ſubſtantia corpus reſuſcitari; qua ſaltem veriſimilitudine affirmat, ἕτερον σῶμα *Joſepho* quidem eſſe idem ſubſtantia corpus, ſed qualitate tamen diverſum. Quis non videt, *Joſephum* hoc ſenſu potius σῶμα αὐτοῦ dicturum fuiſſe, quam σῶμα ἕτερον? ſed bene eſt. Τὸ ἕτερον, etiam ex ipſius confeſſione, eo modo heic accipitur, quo videmus acceptum *a Luca cap.* 9. *v.* 19. ἐγένετο τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον: ſed τὸ ἕτερον, apud *Lucam*, non eſt diverſum qualitate tantum, ſed eſſentia: Species enim illa, quam habebat *Chriſtus* in transfiguratione, erat eſſentialiter diverſa ab ea, quam ante transfigurationem habebat. Ergo τὸ ἕτερον, etiam apud *Joſephum*, eſſentialem diverſitatem ſignificat, non accidentalem ſolum.

XV. Reliqua *Cameronis* argumenta, quæ *theſ.* 5. ſunt adducta, nil habent difficultatis. Non prius: Quod enim *Chriſtus* vel *Sadducæi* hunc errorem *Phariſæis* in Evangelio nuſpiam objecerunt, exinde non ſequitur, quod ab eo fuerint alieni. Errat enim, qui putat omnes *Phariſæorum* errores fuiſſe in Evangelio notatos: Et ſpecialis cauſa eſt, quum Metempſychoſis non fuerit iis objecta, nempe quia iſte error non fuit ipſorum proprius. Nec poſterius: Jam dudum enim ab *Hebræis* oſtenſum eſt, quam belle Metempſychoſis conveniat cum reſurrectione. Si enim una anima, per *gilgul* & tranſmigrationem, plura informarit corpora, in reſurrectione tantum reunitur ultimo, uti docet liber

So-

Sohar in Parasch. חיי שרה ubi inter alia sic habet: אמר ר' חזקיה אי כל נופין יקומון ויתערון אינון דאחנ טעוכנשמתא חרא מה תהא מינהו אמר רבי יוסי נופא בתראה יקום דאתנטע ואצלח ונטל שרשו כרקא יאות: *Dixit R. Chiskia, si omnia corpora resurgent & expergiscentur, quæ per unam animam sunt plantata, quodnam ex illis erit, quo scilicet animæ reunietur? ultimum, dixit R. Jose, resurget, quia illud fuit plantatum, prospere egit, & extendit radices suas, sicut omnino rectum est.*

XVI. Quod igitur in errore, de Metempsychosi & animarum revolutione, non solum *Judæi* bonam partem versati, sed etiam eodem ipsi *Pharisæi* fuerint impliciti; ex his ita deductis, satis opinamur, patet: Sed, *quæ erroris origo vel causa fuerit?* non æque patere videtur. *Herodotus* quidem in *Euterp. l.* 2. eam ad *Ægyptios* refert, &, *eos*, ait, *primos extitisse, qui dicerent, animam hominis esse immortalem, quæ demortuo corpore subinde in aliud atque aliud corpus, ut quodque gigneretur, immigraret, atque ubi per omnia se circumtulisset, terrestria, marina, volucria, rursus in aliquod hominis corpus genitum introire, atque hunc ab ea circuitum fieri intra annorum tria millia.* Sed, ut falsum est, animæ immortalitatem primo ab *Ægyptiis* esse cognitam, quum, eam diu ante *Ægyptios* creditam a *Patriarchis* fuisse, negari non possit: ita etiam dubitare licet, an illi fuerint primi hujus erroris autores, maxime, quum e Græcis etiam tum essent, qui, ut *Herodotus* diffiteri nequit, hunc sermonem, tanquam proprium usurparent, inter quos quin *Pythagoram* numeremus, nihil prohibet, qui non solum transanimationem ejusmodi aperte docuit, sed nefas etiam & magnum scelus esse prædicavit, carnibus pecorum vesci, veritus, ne quis, uti *Tertullianus* loquitur in *Apolog. contr. Gent. c.* 40. bubulam de aliquo proavo obsonaret.

XVII. *Zamolxin*, quem *Græci*, ut *Herodot.* in *Melpom. l.* 4. testatur, *Pythagoræ* famulum fuisse volunt, *Vossius l. c.* affirmat, hunc errorem propagasse apud *Getas*. Probat ex *Juliano in Cæsaribus*, sed falso. Neque enim *Julianus* in *orat. Trajani*, *Zamolxin*, scribit, *Getas* docuisse migrationem animæ de corpore in corpus, sed hoc saltem, quod morte non interirent, sed alio migrarent, nempe, ut *Herodotus* habet, ἐς χῶρον τοῦτον, ἵνα αἰεὶ περιεόντες ἕξουσι τὰ πάντα ἀγαθὰ, *in ejusmodi locum, ubi semper superstites omnia haberent bona.* A *Pythagora* tamen *Platonem* accepisse, quæ in *Socratis* persona cum in *Phædro*, tum in *Phædone*, ex *Pythagoræ* sententia, disputat, non est, cur dubitemus, quanquam, quo sensu, haud ita liquet. *Plutarchus* quidem *lib.* 1. *de placitis Philosoph. cap.* 20. ea proprie, *Philoponus autem lib.* 1. *de anima t.* 53. per allegoriam *a Platone* dicta putat.

XVIII. Sic *Brachmanes*, *Zoroastrum*, *Trismegistum* & *Apollinem Thianæum* docuisse, animos ratione præditos in belluina corpora, belluarum animas in corpora humana vicissim demigrare, observarunt *Conimbricenses l.* 2. *de generat. & corrup. c.* 11. *q.* 1. *art.* 1. dixisse etiam, humanos animos pro ratione anteactæ vitæ, pecudum corpora sortiri, & eos, qui cantui dediti fuerint, in luscinias, qui fœdis voluptatibus, in porcos, qui latrociniis, in lupos, qui iracundiæ, in serpentes, qui audaciæ, in leones, qui fraudibus, in vulpes degenerare, *Homerum* in pavonem, *Orpheum* in cygnum abisse, animam *Thamyræ*, Philomelam, *Ajacis*, leonem, *Agamemnonis*, aquilam, *Thersitis*, simiam informasse. Ab his accepit *Virgilius*, quando *lib.* 6. *Æneid.* de animabus, ait, quod immemores supera convexa revisant, rursus & incipiant in corpora velle reverti, si tamen μετεμψύχωσιν ille respexit, ut interpretes volunt.

XIX. Hoc certum est, *Manichæorum* etiam hoc fuisse delirium: Testatur *Augustinus l. de hæresib. c.* 46. *Manichæi*, inquiens, *animas auditorum suorum in electos revolvi arbitrantur, aut feliciori compendio in escas electorum suorum, ut jam inde purgatæ in nulla corpora revolvantur. Cæteras autem animas & in pecora redire arbitrantur, & in omnia, quæ radicibus fixa sunt atque aluntur in terra, herbas enim atque arbores sic putant vivere, ut vitam, quæ in illis est, sentire credant & dolere, cum lædantur. Propter quod agrum etiam spinis purgare nefas habent, & agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima, tanquam plurium homicidiorum ream accusant.* Et si verum est, quod *Cœl. Rhodiginus l.* 9. *cap.* 21. *lect. antiq.* affirmat, μετεμψύχωσιν ab *Origine* etiam defendi *in libris* περὶ ἀρχῶν, quin fiat principiis Pythagoricis, nihil plane ambigimus.

XX. Nec intra hos semper terminos hic sese error continuit, sed manavit etiam ad *Gallos*. Nam de *Druidibus*, *Jul. Cæsar* testatur *l.* 6. *Bell. Gall.* quod in-

inprimis hoc voluerint persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios. De *Germanis* nescimus, an ita desipuerint. Etsi enim *Appianus* scribit in *Celtico*, quod iis fuerit in aggrediendo insignis audacia, contemtus mortis maximus, ob reviviscendi spem; non tamen inde sequitur, quod illa reviviscendi spes in μετεμψυχώσει fuerit posita, ut falso putat *Vossius*.

XXI. Quem igitur primum hujus opinionis autorem dicamus, fatemur, nos non habere. Hoc quidem certum esse apparet, occasionem ad eam dedisse male intellectam de resurrectione doctrinam; *an autem error ille a Judæis primum ad Pythagoram manarit, an a Pythagora ad Judæos?* definiat, qui potesto. Si tamen conjecturæ locus hac in parte concedendus est, fortasse *Pythagoras*, sicuti alia multa ab *Hebræis* & *Chaldæis* hausit, ita etiam in hunc errorem est ab iisdem pertractus. Hanc conjecturam stabilire videtur *Sabellicus*, quum *lib.* 5. *Enneadis* 2. de *Anania*, *Misael* & *Asaria* scribit: *Dubium est, sapientiæ dogmate, an sponte ad id animum adjecerint, satis constat, omnium animantium carnibus repudiatis, legumina oleraque esitare aliquamdiu perseverasse. Unde postea Pythagoricum dogma ortum videri possit, si verum est, quod vulgo persuasum, Pythogoricæ sectæ viros carnibus abstinuisse. Cum Chaldæis Pythagoras certe congressus est.*

XXII. Etsi autem hic de transanimatione error tam fœdus est, & tam absurdus, ut multi etiam ex veteribus sint, qui negent, eum *Pythagoræ* & aliis Philosophis certe summis, in mentem venire potuisse: unde in eas deveniunt cogitationes, metamorphosin istam & migrationem in bestias, a *Pythagora* fuisse inductam, ad terrendos saltem improbos, ut tam immani specie a vitiis, quibus animæ macula inuritur, abstracti, ad frugem redirent, vel, ut *Augustinus exponit l.* 7. *de genes. ad lit. cap.* 10. præclaros illos viros non animorum in pecudum corpora migrationem docuisse, sed hoc saltem adumbrasse, quod homines vitiis propriam quodammodo naturam exuant & in bestias mutentur: animorum igitur transitum non in pecorum corpora significasse, sed potius in pecorum affectus; tamen inter *Ebræos* videre licet, qui istam opinionem non modo pro vera habeant, sed etiam satagant, eam confirmare argumentis. Quorum, si non Coriphæus, saltem ultimus non est *R. Bechai*, qui eam scripturæ fundamentis niti vult & ex tribus locis, nempe ex *Deut.* 33. *v.* 6. *Esai.* 22. *v.* 14. *ac Psalm.* 103. *v.* 3. 4. 5. deduci posse putat, sic enim scribit: יחי ראובן ואל ימות הזכיר יחי על חיי העולם הבא ואל ימות שלא ישוב משם עוד בגוף למות מיתה שניה וזהו שתרגים אינקלוס עד ימותא תנינא לא ימות אם יכופר העון הזה לכם עד תמותון זו מיתה שניה וכן תי' אם ישתכיר חובא הדין לכון על דתמותון מיתא תנינא ולזה כוון אנקלוס והרחיב באור בלשון שאמר לחיי עלמא ומותא תנינא לא ימות כוון לומר כי משה התפלל על השבט שיזכה לחיות חיי עד ולא ישוב משם עוד בגוף למות מיתה שניה וכן תמצא בדוד מפורש שהזכיר בענין הנשמה הדברים הבאים לה לאחר מיתה סליחת עופות רפואת תחלואים בגלגולה נאורת שחרת נחה יורה שתעבור בשחת אבל הוא ינלגלנה אחר התעטרותה בכורות שובע שמחות בזיו השכינה וזהו שאמר הסלח לכל עונכי הרופא לכל תחלואוכי הגואל משחת חייכי המעטרכי חסד ורחמים המשביע בטוב עדיך תתחדש כנשר נעוריכי וחמשה תועלות הן שהזכיר בתוספת וו"ז וה חמשה כנגד חמשה דברים שנמשלה בהן הקדוש ברוך הוא וכנגד חמשה שמות שיש לה: *Hoc est, vivet Ruben & non morietur. Dicit, vivit, quod victurus sit vita seculi futuri, & non morietur, quod non sit amplius rediturus in corpus, ut moriatur morte secunda. Et hoc modo interpretatus est Onkelos: & morte secunda non morietur. Ita, quod dicitur, si expiabitur vobis iniquitas hæc, donec moriamini, intelligendum est, de morte secunda. Et sic Jonathan vertit: si remittetur vobis debitum hoc, usque dum moriamini, morte secunda. Quod etiam intendit Onkelos, dum quadam sermonis amplificatione & exegesi de vita mundi loquitur: & morte secunda non morietur Nimirum id dicere intendit, Mosen pro tribu orasse, ut haberetur digna, quæ viveret vita æterna, & non reverteretur amplius inde in corpus, ad moriendum secunda morte. Idem invenies a Davide expositum, quum commemoravit eas res, quæ animæ obvenire solent post mortem, ut sunt, remissio iniquitatum, sanatio infirmitatum in revolutione ejus & redemptio de fovea. Nam hoc docet, eam transituram esse per foveam, sed exacta revolutione, coronatam virtutibus, saturatum iri lætitia idque splendore Majestatis divinæ. Et hoc venit, quum dicit: Qui remittit omnes iniquitates tuas, qui sanat omnes infirmitates tuas; qui redimit de fovea vitam tuam, qui coronat te misericordia & miserationibus: qui satiat bonis os tuum, & renovatur, ut aqui-*

aquilæ, juventus tua. Quæ sunt quinque utilitates illæ, quas in memoriam revocavit litera jod, quinquies per paragogen addita. Nam quinque jod ponuntur pro quinque rebus, quibus sanctus ille benedictus animæ comparatur, & pro quinque nominibus, quæ ipse habet. Dictam migrationem in bestias memorat quoque *R. Elias in Thisbi* his verbis: אומרים בעלי הקבלה גלגול הנשמות ודעתם שכל נשמה ונשמה נבראת שלשה פעמים רוצה לומר שהיא מתגלגלת בגופי שלשה בני אדם ולוקחין סמך מפסוק הן כל אלה יפעל אל פעמים שלש עם גבר וכן אומרים שנשמתו של אדם הראשון נתגלגלה בגוף של דוד המלך ומדוד תגלגל בגופו של משיח וכן אמרו שהנשמות של בעלי עבירות יתגלגלו בגופו בעלי חיים כל אחד לפי עונו כגון מי שבא אל הזכר נשמתו תתגלגל בארנבת לפי שהוא רובע ונרבע ומי שבא על אשת איש נשמתו תתגלגל בגמל לפיכך אמר דוד אשירה להשם כי גמל עלי פירוש אשירה לך ואודך באשר העברת הטאתי והצלת נפשי מן הגמל *h. e. Autores Cabalistici disserunt de revolutione animarum: quorum opinio est, unamquamque animam tribus vicibus creari: volunt dicere, quod ea volvat se per corpora trium filiorum hominis. Et locus scripturæ unde probationem accipiunt, est iste, Ecce omnia ista operatur Deus cum homine tribus vicibus: Unde sic dicunt, quod anima primi hominis voluraverit se in corpore David regis, & inde reversura sit in corpus Messiæ, idque significari per literas, quæ sunt in voce* אדם *quarum unaquaque integram dictionem constituat, Adam, David, Messias. Sic quoque dixerunt, quod animæ hominum prævaricatorum migrent in corpora animalium, uniuscujusque (animam) secundum id quod peccavit: Exempli gratia, qui rem habuit cum masculo, anima ejus, inquiunt, migrat in leporem, quod is scilicet in coitu, modo marem, modo fœmellam agit, qui vero rem habet cum alterius uxore, anima ejus in camelum migrat. Hinc est (inquiunt) quod David dicit: Cantabo Domino* כי גמל עלי *h. e. Cantabo tibi & confitebor tibi, quod abstulisti peccatum meum, & liberasti animam meam de camelo.*

XXIII. Hæc est probatio, quæ non minus ridicula est, quam sententia ipsa. Unde videri queat, operæ pretium non esse, operosæ ejus refutationi incumbere, sicuti etiam *Lactantius* censuit *lib. 7. de div. præm. c. 12. Quæ sententia,* inquiens, *deliri hominis, quoniam ridicula & Mimo dignior, quam Schola fuit, ne refelli quidem serio debuit.* Nihilominus tamen, sicuti non solum scripturæ sacræ adversatur, sed etiam rectæ rationi, ita tam a *Theologis* confutatam videmus, quam a *Philosophis*. Ex illis solum producimus *Augustinum*, qui, *l. 12. qui de civitate Dei c. 13. Absit,* inquit, *ut nos ista credamus, semel enim Christus mortuus est pro peccatis nostris, resurgens autem a mortuis jam non moritur & mors ei ultra non dominabitur & nos post resurrectionem semper cum Domino erimus, cui modo dicimus, quod sacer admonet Psalmus: Tu Domine servabis nos & custodies nos a generatione hac in æternum. Satis autem istis existimo convenire, quod sequitur: In circuitu impii ambulant, non quia per circulos, quos opinantur, eorum vita est recursura, sed quia modo talis est erroris eorum via, h. e. falsa doctrina.* Ex his, *Aristotelem*, qui *l. 1. de anima c. 3. t. 53. Illi,* inquit, *dicere quidem, quale quid sit anima, enituntur: de susceptivo autem corpore nihilo penitus dicunt, atque determinant, perinde quasi fieri possit, ut quævis anima sine ullo discrimine quodvis corpus ingrediatur, ut Pythagoricorum fabulæ dicunt: videtur enim quodvis propriam speciem & formam habere. Perinde igitur dicunt, atque si quispiam artem febrilem fistulas ingredi dicat. Etenim ars quidem instrumentis, anima vero corpore utatur, oportet.*

XXIV. Quibus *Aristoteles* non negat fieri posse, ut anima eadem numero permanens diversas actuet materias: Hoc enim naturaliter fieri, quis non videt? Constat enim animam hominis, v. g. Petri, quum eadem numero sit, diversas tamen materiæ partes, quæ idem corpus componunt, ita actuare, ut tota sit in singulis partibus: Ex quo certe sequitur, quod, divesas materias informare, eidem numero animæ non repugnet. Nec tantum hoc naturaliter fit, ut eadem numero anima partes unius corporis, realiter a se invicem distinctas, simul actuet: sed illud etiam fit, ut eadem anima successive informet diversas materias. Quum enim per continuam caloris actionem paulatim deperditur materia, in quam primum anima fuit introducta & per nutritionem paulatim alia nova acquiritur; hæc ab illa, secundum rem & entitative, diversa est, ab eadem tamen anima informatur: Quo utique patescit, animam humanam numero eandem, in se consideratam, ad diversas materias actuandas, esse indifferentem.

XXV. Nec est, quod quis objiciat si corpus hominis per augmentationem ita mutetur, ut non maneat entitative idem,

idem, fieri quoque non posse, ut idem numero resurgat. Huic enim, qualis qualis etiam sit, difficultati, jam dudum obviam est itum a *Scholasticis*, *Thoma part.* 1. *summæ*, *quæst.* 119. *Scoto*, *Argentina*, *Nicol. de Orbellis*, *&* *aliis* *l.* 4. *sent. distinct.* 44. *quæst.* 10. Summa huc redit, quod homine resurgente, corpus numero idem resurgat, sed non totum illud, quod quocunque tempore fuit de veritate corporalis naturæ: vel, quod corpus idem resurgat, quoad formale, quia semper manet natura corporis: non resurgat quoad materiale, quia materia corporis consumitur & restauratur. Quæ distinctio, ut uterque *Thomas* fatetur *de Aquin.* & *de Argentin.* fundamentum habet in *Aristotele l.* 1. *de gener. & corrupt. c.* 5. *t.* 35. *&* 36. ubi *corporis partes*, ait, *alias esse* κατὰ τὸ εἶδος, alias κατὰ τὴν ὕλην hoc est, alias esse formales, alias materiales. Quum autem, quæ formales sint, quæ materiales, non explicet ipse, varie illud exponunt non solum *interpretes*, sed etiam *Scholastici*, de quo, quia prolixior disceptatio est, quam heic expediri possit, legendos putamus, *Thomam l. c.* & ibidem *Cajetanum*, *Argentinam*, *l. c. Conimbricenses l.* 1. *de gener. & corr. c.* 5. *q.* 12. *art.* 1. *&* 2. *Toletum* ibidem *q.* 9. *Antonium Ruvio*. Ibid. *tract. de augumentat. q.* 9.

XXVI. Nos duo extrahimus. Unum est: Licet corpus hominis per augmentatiouem & diminutionem ita mutetur, ut omnes partes ejus materiales entitative fiant diversæ, idem tamen numero manere corpus. Est *Thomæ Aquinat.* Probatur: Quia si materiæ per actionem caloris nativi absumtæ succedit alia ex conversione alimenti, tunc unitur eidem corpori viventi per realem & physicam continuationem. Ergo efficit unum & idem numero. Ratio consequentiæ, quia continuum esse est unum numero esse, uti docere videtur *Aristoteles l.* 5. *physic. c.* 3. *t.* 27. ubi τὸ συνεχὲς, dicit esse, τὸ αὐτὸ καὶ ἕν. Esto igitur, corpus hominis ita variari, ut nulla ejus pars, in fine vitæ, entitative supersit, quam in principio vitæ habuit; Certum tamen adhuc est, quod sit idem numero. Patet, quia partes ejus variantur saltem materialiter, non formaliter, h. e. saltem, ut sunt entitates realiter inter se distinctæ, non ut constituunt unum numero compositum. Nam quantum ad hoc, eadem est ratio. Sicut enim compositum constituebant, quæ absumebantur, ita constituunt, quæ per nutritionem superveniunt. Realis enim continuatio partium efficit idem numero compositum, ut constat exemplo motus, quanquam *Thomas* exemplo ignis declarat. Alterum est: Idem numero corpus resurgere, sed non totum illud, quod fuit de veritate corporalis naturæ, vel idem corpus resurgere quoad partes formales, non quoad partes materiales. Est *Thomæ de argent. Scoti* &c. probant: Quia, si totum illud, quod quocunque tempore fuit de veritate corporalis naturæ, resurgeret, corpus resurgentis aliquando immodice excederet mensuram humani corporis. Consequens est absurdum. Consequentia est manifesta, quia quotidie aliquid de substantia corporis deperditur per actionem caloris nativi, aliquando etiam per venæ sectionem, per sudorem & alias absumptiones, at per nutritionem fit deperditi reparatio. Si nunc omne id, quod ita deperditum est, resurrecturum dicamus, quis non videt, immodice magnum fore humanum corpus?

XXVII. Hoc tamen, ceu diximus, *Aristoteles* non vult, quum fieri posse negat, ut quævis anima sine discrimine quodvis corpus informet: Sed illud potius obstaculo esse putat; quo minus omnis anima cujuslibet corporis forma esse queat, quia non omnia corpora eodem modo sunt disposita: Neque enim possunt corpus & anima uniri, ut constituant unum per se, nisi corpus ad animam recipiendam idoneis accidentibus sit ab agente præparatum. Etsi enim corpus, ut potentia, & anima, ut actus substantialis, ad se invicem primo ordinantur, & ingenita propensione in unum coeunt; requiruntur tamen in corpore tanquam materia certæ dispositiones, & certa organizatio, per quam vaga ejus potentia coerceatur, & fiat habilis ad hanc certam & definitam formam recipiendam. Quum igitur constet, in omnibus corporibus naturaliter non dari dispositiones & organizationem, quæ sint ejusdem rationis; certum etiam est, ab ea una numero anima naturaliter non posse informari. Cum primis autem illa dispositionum & organizationis diversitas in brutorum corporibus manifeste apparet. Unde argumentamur: Quæ corpora non sunt ita disposita naturaliter, ut possint recipere animam, nec ejusmodi habent organa quibus possint exerceri naturaliter operationes humanæ, illa etiam naturaliter non possunt anima humana informari. Corpora brutorum non sunt ita disposita naturaliter, ut possint recipere animam humanam, nec ejusmodi habent or-

organa, ut iis exerceri queant naturaliter operationes humanæ. Ergo corpora brutorum naturaliter non poſſunt anima humana informari.

XXVIII. Sed dicat quis, hoc argumentum recte quidem probat, quod migratio animæ ex corpore hominis in corpus bruti naturaliter non ſit poſſibilis; haud tamen æque probat, quod fieri nequeat, ex uno corpore humano in aliud. Quum enim in omnibus corporibus humanis eædem diſpoſitiones eſſe videantur, & eadem organizatio; quid obſtare potuit, quo minus anima *Eliæ* in *Johannis* & alterius Prophetæ in *Chriſti* corpus naturaliter migraret? maxime, quum anima ſeparata, uti ſtatuunt nonnulli, propria vi ſeipſam unire corpori queat, ſi ſuis organis & debito diſpoſitionum apparatu ſit inſtructum. Facilis ſit reſponſio, ſi *Thomiſtarum* ſequi ſententiam liceat, qui animas differre numero putant per diverſas commenſurationes ad diverſa corpora. Sic enim poſſimus dicere, quod ſicut anima humana ſpecie eſſentialiter ordinem dicit & commenſurationem ad corpus humanum in ſpecie: Ita etiam hæc anima humana in individuo, eſſentialiter ordinem dicat & commenſationem ad hoc corpus in individuo. Sed hanc *Thomiſtarum* ſententiam rejicit *Toletus l.* 3. *de Anima c.* 5. *t.* 20. *quæſt.* 18. Et eum ſequitur *Suaretz Diſput. Metaphyſ.* 5. *ſect.* 6. & ratio eſt manifeſta: Si enim anima diceret ordinem eſſentialem ad unam & eamdem materiam entitative, tunc nullam poſſet actuare, quam illam. Sed poteſt actuare entitative diverſas, ut ſupra viſum eſt.

XXIX. Dicimus igitur: Diverſa corpora diverſas quoque diſpoſitiones habent & diverſimode ſunt organizata. Sicut etiam vult *Ariſtoteles l.* 1. *de animæ c.* 3. *t.* 53. δοκεῖ, inquiens, ἕκαστον, ἴδιον εἶδος ἔχειν εἶδος καὶ μορφήν. Sive diverſas illas diſpoſitiones ac organizationes habeant a forma corporeitatis, ceu *Scotus l.* 4. *ſent. diſt.* 11. *q.* 3. ſi diverſa virtute formatrice ſeminis & uteri, ceu *Mendoza* ſtatuit, *Diſput. phyſic.* 4. *ſect.* 3. *num.* 19. Atque hæc diſpoſitionum & organizationis diverſitas, quæ inter corpora quoque humana eſt, facit, ut anima humana, ntut propria vi corpori ſeſe unire queat, ceu putat *Gandavenſis*, & approbant *Conimbricenſes l.* 1. *phyſ. c.* 9. *q.* 11. *art.* 3. nos autem in medio relinquimus, ſe non niſi proprio corpori unire poſſit. Et id ſi fiat, neceſſitate quidem conſequitur animatio corporis, quemadmodum albedine parieti unita, ſequitur, quod ſit albus: Impoſſibile enim eſt, ut forma ſit ſubjecto ſuo unita, & illi non tribuat effectum formalem; non tamen illud fit per naturam, ſed ſupernaturaliter & per potentiam Dei abſolutam, qua corpus cum priſtinis diſpoſitionibus & organizatione ita reſtituitur, ut ad recipiendam ſuam animam fiat habile. Dicis: Eadem numero anima, in ſe conſiderata, eſt indifferens ad diverſas materias actuandas. Ergo eadem numero anima humana poteſt informare diverſa corpora humana. Conſequentia nulla eſt, propter diverſitatem rationis. Etſi enim partes unius corporis entitative ſunt diverſæ; conveniunt tamen in una ratione formali & partiali diſpoſitione & organizatione, quam habent, integrant diſpoſitionem & organizationem totius. Igitur, ut conſtituunt idem numero corpus; ita ab eadem numero anima poſſunt informari. Secus eſt in corporibus numero diverſis, quorum diverſa diſpoſitio & organizatio, ut ab eadem anima informentur, nullo modo permittit.

XXX. Atque hoc eſt primum *Ariſtotelis* argumentum. Poſterius continetur his verbis: *Perinde igitur, atque ſi quis artem fabrilem ſiſtulas ingredi dicat. Et enim ars quidem inſtrumentis, anima vero corpore utaur, oportet.* Quibus ita argumentatur: Sicut ars ſe habet ad inſtrumenta, ita ſe habet anima ad corpus. Sed non quævis inſtrumenta cuivis arti competunt. Ergo non quodvis corpus cuivis animæ competit. Major patet. Quod enim ſunt inſtrumenta arti, hoc eſt corpus animæ. Minor probatur: Non enim tibia poteſt ædificari domus, nec butyro ſecari lignum.

XXXI. Etſi autem hæc ad animas quoque brutorum accommodari queunt; Peculiaris tamen ratio eſt de illis. Quoniam enim materiales ſunt & a materia dependent in fieri, eſſe, operari, ideo nec ab ea, a qua dependent, ſeparari, nec aliam ab ea diſtinctam informare poſſunt. Unde ita colligimus: Quæ anima educitur de potentia materiæ, & ab ea, e cujus potentia educitur, ita dependet, ut extra eam nec eſſe queat, nec operari, illa eſt ad ejuſmodi materiam informandam determinata, nec poteſt aliam ab ipſa diſtinctam informare. Sed anima bruti educitur e potentia materiæ, & ab ea, e cujus potentia educitur, ita dependet, ut extra eam nec eſſe queat, nec operari. Ergo anima bruti ad ejuſmodi materiam informandam eſt determinata, nec poteſt aliam ab ipſa diſtinctam informare. Major eſt manifeſta. Minor probatur, quia anima bru-

bruti ad materiam, e cujus potentia educitur, ita alligata eſt, ut, ſicuti per diminutionem materiæ aliqua quoque pars animæ perit; ita per augmentationem materiæ aliqua quoque pars animæ educatur, quemadmodum non ſolum ex veteribus, *Nominales* & alii, ſed etiam ex recentioribus, *Franc. Toletus lib.* 1. *de gener. cap.* 5. *q.* 9. & *Mendoza Diſp.* 3. *de augmentat. ſect.* 1. *n.* 3. docent.

XXXII. Quibus ita viſis, conſequens porro eſt, ut, quid *R. Bechai* argumenta, pro contraria parte adducta, in receſſu habeant, paucis ponderemus. Ea vero omnia ejuſmodi ſunt, ut ne ſociennis quidem ipſius probentur. Unde melius non poſſumus, quam ſi eum ſuorum auctoritate premamus. Quod itaque locum *Deut.* 33. *v.* 6. attinet, quum clara litera ſit, & pateat, *Moſen* orare, ne *Ruben* ac tribus ejus, propter inceſtum, funditus intereat: Quid rei eſt, quod *Bechai* in re tam manifeſta ſibi ſomnia fingit? Sed bene habet. Eum deſtituunt non ſolum optimi Interpretum, quos quidem *Judæi* habent, ſed ipſi quoque *Talmudici*. Sic enim *Raſchi* interpretatur: יחי ראובן בעולם הזה ואל ימות לעולם הבא שלא יזכר לו מעשה בלהה: *Vivet ruben in ſeculo hoc, & non morietur in ſeculo futuro, quia non commemorabitur ei factum Bilhab*. Sic *Ramban*: משה התפלל עליו שלא ימחה שמו בחטאו ולכך נתן לו ברכתו משפט הבכורה: נכון לפרש יחי ראובן בישראל ואל ימות שלא יכרות שבטו באחד מכל הזמני ויהי פקוריו במספר בני ישל' לעולם: *Oravit Moſeh pro Ruben, ne deleretur nomen ejus, propter inceſtum ejus & propterea benedictionem ſuam dedit ei, pro ratione primogenituræ. Rectum igitur eſt, ſi ſic interpretemur: Vivat Ruben in Iſrael, & non moriatur, hoc eſt, non exſcindatur tribus ejus una vice, ſed recenſeatur in numero filiorum Iſraelis in æternum.*

XXXIII. Sic in *Maſſech. Sanhedrin. cap.* 11. אמר מר זוטרא מניין לתחיית המתים מן התורה שנאמר יחי ראובן לימות המשיח ואל ימות לעולם הבא: *Dixit Mar Sutra: Unde probatur reſurrectio mortuorum? ex Lege. Dicitur enim: Vivet Ruben. Quod ad dies Meſſiæ, & non morietur, quod ad futurum ſeculum pertinet*. Hoc *Jalkut.* paulo aliter refert, ſed eodem ſenſu: מר זוטרא בר טוביה אמר מנין לתחיית המתים מן התורה שנא' יחי ראובן בעולם הזה ואל ימות לעורם הבא: *Mar Sutra, filius Tobiæ, dixit: Unde reſurrectio mortuorum aſtruitur? ex lege, quia dictum eſt? vivet Ruben, & non morietur: vivet in ſeculo hoc, non morietur in ſeculo futuro*. Idem quoque *Chaldeum* velle, quum, morte ſecunda non moriturum, ait, ex *Raſchi* & *Kimchio* mox patebit. Ubi nunc *Bechai* Metempſychoſis?

XXXIV. Quantum ad locum *Eſa.* 22. *v.* 14. nulla eſt conſequentia: Deus dicit, non expiatum iri iniquitatem Iſraelitarum, donec moriantur. Ergo animæ Iſraelitarum migrabunt de corpore in corpus. Etſi enim *Chaldæus*, *donec moriamini*, exponat de morte ſecunda; non tamen intelligit mortem corporis, ſed animæ, non in hoc ſeculo, ſed in futuro, ceu conſtat ex *Raſchi*: תמותון תירגם יונתן מותא תניינא לעולם הבא: *Moriemini, interpretatur Jonathan de morte ſecunda, quæ eſt in ſeculo futuro*. Et ex *R. David Kimchi*: ולא יכופר העון הזה בגלות אלא עד תמותון אבל המיתה שתמותון בחרב אותה תכפר עליכם: ויונתן תרגם עד תמותון מיתא תנינא ח״ל מיתת הנפש בעולם הבא: *Non expiabitur iniquitas hæc in exilio, niſi, donec moriamini, ſed mors, qua moriemini gladio, ipſa vos expiabit. Quanquam Jonathan interpretatur, donec moriamini, de morte ſecunda, quaſi dicat, morte animæ, in ſeculo futuro.*

XXXV. Fruſtra igitur *R. Becchai* eſt, non ſolum, quando hunc *Prophetæ* locum de Metempſychoſi intelligit, ſed etiam, quando eam probare nititur authoritate Interpretum *Chaldæorum*. Nec mirum: Nam alii omnes, tam *Interpretes*, quam *Talmudici*, nullam heic Metempſychoſin indagare potuerunt, potius id ſe putant inveniſſe, quod inter fidei ſuæ articulos referunt, nempe peccata morte naturali expiari, ceu docent in *Meſſech. Joma c.* 8. כל מי שיש בידו חלול השם תשובה ויום הכפורים ויסוין תולין ומיתה ממרקת ועל זה נאמר אם יכופר העון הזה עד תמותון: *In cujus manu eſt violatio nominis divini; pœnitentia, & dies expiationis & caſtigationes ſuſpendunt quidem peccatum, mors autem expurgat, ſecundum id, quod dicitur: non expiabitur hæc iniquitas, donec moriamini*, Quanquam etiam hoc ut a *Prnpheta* innui credamus, nihil habent *Judæi*, quo probent.

XXXVI. Vel igitur id *Propheta* volet, quod *Sanctius* ad h. l. putat: *Non expiabitur hæc iniquitas, ſed punietur in vobis uſque ad mortem:* Vel potius, uti Linguæ idiotiſmus requirit, *nunquam hæc iniquitas vobis expiabitur*. Sic enim *Hebræi* ſolent particula עד uti, ut ea affirment aliquid, vel negent de eo potiſſimum tempore, de quo dubitari poteſt. Quum igitur *Propheta* ponat extra dubium, eam *Judæorum* iniquitatem poſt mor-

mortem remitti non posse, ideo dicit etiam ante mortem remissum non iri, de quo alias potuisset dubitari, ut ita planum reddat, nullam fore ejus remissionem.

XXXVII. Nullibi autem magis fallitur, quam quum *Davidem* putat *Psalm.* 103. de Metempsychosi esse locutum, cujus profecto ipsi, ne per somnium quidem in mentem venit. Nihil enim agit *Psalmista*, nisi, quod semetipsum exsuscitat ad deprædicanda beneficia divinitus sibi præstita, quæ etiam serie satis longa enumerat, uti rectissime docet *Aben Esra* in suo פירו' ita scribens: הטעם כי בעבור עונו היה בן מות והשם חוכיחו בתחלואים ליסרו לשוב להנחם על עונו ויפדהו משחת כמה פעמים היה מוכן למות והשב בחליו שימות וטעם המעטרכי שנחליו לאט בחסד וברחמים וטעם המשביע כי משפט החלה לזהם חייתו לחם ויש אומרים כי חנשר כל מה שיגדל ויבוא בימים ותגדל עצמות וכן הוא תתחדש בה עצמות הנעורים כנשר: *Sensus est. quia David propter peccatum suum fuit filius mortis, Deus corripuit eum morbis, ut ita castigatus converteretur, & pœnitentiam ageret de peccato suo, & hoc modo redemit eum e sepulcro: Quotiescunque autem velut in procinctu stetit, & non aliter cogitavit, quam se infirmitatibus suis esse moriturum; dicitur, quod Deus eum coronaverit misericordia & miserationibus, hoc ipso, quod leniter duxerit. Quum autem satiavit os ejus, respexit rationem ægrotantis, qui sic fuit affectus, ut vita ejus fastidiret panem. In reliquo sunt, qui dicunt, quod aquila, sicut major fit, augetur annis & crescunt ossa ejus: ita etiam instar aquilæ, ossa juventutis ejus sint renovata.*

XXXVIII. Quod tamen *Raschi* paulo exponit aliter: כנשר הזה שמחרש כנפים ונוצה משנה לשנה ויש מדרש אגדה על מין נשר שכשמזקין חוזר לנעורותו: *Renovatur juventa eius, sicut aquilæ, quæ renovat alas & volat de anno in annum. Quamquam sunt, qui accipiunt de specie aquilæ, si consenuisset, rejuvenescat, verum hæc expositio est allegorica.* Reipsa tamen ab *Aben Esra* non dissentit, sicuti quoque *R. David Kimchi* non nisi in hoc dissentit, quod, ut *Aben-Esra Psalmistam* de semetipso, ita *Kimchi* eum putat de *Israelitis* loqui in exilio errantibus. גם זה המזמור על משון בני הגלות *Etiam*, inquit, *hic Psalmus de filiis exilii est intelligendus*. In reliquis fere vestigia *Aben Esræ* legit, &, quod ille paucis comprehendit, hic paulo fusius persequitur, quod ille de se pronunciat, hic accommodat ad *Israelitas*. Heic igitur *Bechai* nihil habet, quo statuminet suum de Metempsychosi errorem, nec paragoga literæ jod aliquid continet mysterii, sed sermonis tantum inservit elegantiæ. Vel, ut *Aben Esra* & *Kimchi* loquitur, היוד'ין האלה נוספות לצחות הלשון: *Litera jod est addita ad ornatum linguæ.* Atque hæc impræsentiarum de metempsychosi sufficiant.

Coronidis loco addimus:

FAlli non possunt, qui animam Evæ ex costa virili productam esse negant, ceu faciunt non solum illi, qui creationis, sed etiam ii, qui traducis defensionem in se receperunt. Ratio est manifesta: quia, quicquid ex materia fit, id etiam est materiale, &, sicut a materia dependet in fieri, ita ab eadem quoque dependet in esse & operari. Oportet igitur animam Evæ fuisse mortalem, si ex costa Adami fuerit. Et qunm reliquorum hominum animæ [ab Evæ quoque anima sint traductæ, ut multi docent; consequenter etiam illæ non possunt non mortales esse. Cujus argumenti vim, quum nemo non videat, Philosophorum alii Evæ animam docent ex nihilo esse creatam, alii, quibus doctrina de traduce probatur, dicunt, Evæ animam non quidem ex costa Adami, sed tamen cum costa fuisse traductam, contendentes, quod, quemadmodum corpus Evæ recte refert suam originem ad corpus Adami, ita anima quoque Evæ ad animam Adami, suam referre originem debeat. Atque hoc *Gerhardus* etiam respicit, quum fœminam animatam ex costa animata factam esse dicit, *in comment. ad c.* 2. *Geneseos*, quod perinde est, ac si dicat, Evam ratione corporis ex costa, ratione animæ ex anima Adami, factam esse. Adsertio igitur ista; animam Evæ, ex costa virili fuisse productam, aut, Evam e costa virili, qua corpus, qua animam esse ædificatam, est absolute falsa. Nec statuminari ea potest, si quis urgeat, quod costa Adami non fuerit frigida, sed calida, non sine vapore & halitu, sine spiritu vitali & animali. Ponamus enim ita esse, quid tum postea? Fuerunt tamen ea, nempe calor costæ & vapor, spiritus vitalis & animalis, uti nemo negat, etiam aliquid materiale. Sive igitur anima Evæ ex costa fuerit, sive ex aliquo materiali costæ, certe materialis & ipsa fuit ac consequenter mortalis. Fieri enim non potuit, quin anima Eva, siquidem e re materiali orta fuerit, indolem quoque saperet suæ originis.

JA-



JACOBI TRIGLANDII
DIATRIBÆ
DE
SECTA KARÆORUM.



MOS & æquitas jubent, qui oculos mentemque ad iſtam appellis *Diatriben*, erudite Lector, ut exponam Tibi, ſed paucis, quid ſit hujus opellæ, quid inſtituti: quum nova & accuratior editio eorum quæ ſummi viri Joſephus Scaliger, & Johannes Druſius, de tribus Judæorum Sectis in Nicolaum Serarium ſcripſerunt; atque hic, ſive prior de hoc argumento, ſive contra eoſdem fuit commentatus, prælum jam diu exercuerat; convenit me Typographus vir honeſtus & frugi, admonitus, ut videtur, a Clariſſimis eruditiſſimiſque Viris, qui meas eſſe aliquid nugas nimis amanter putabant, obnixeque rogavit, ut quæ de Secta quadam Judæorum, qui קראים *Karaim* vocantur, comperta haberem, quamque hi Magni Viri digito ſolum attigerant (quod illorum ætate parum adhuc innotuiſſent) cum ipſo communicare non gravarer, & per ipſum cum Orbe Literato; antiqui operis futurum recens corollarium, & nobilis materiæ qualecunque ſupplementum. Ego quamquam meo me ſciam pede metiri; & iſte neutiquam forem qui Scaligerianæ vel Druſiacæ purpuræ vilem ſuſtineam attexere laciniam, ſed tarde potius, publici judicii reverentia, proſiliam ad ſcribendum: re tamen aliquamdiu perpenſa, religio mihi fuit ſpem ejus fruſtrari, aut juſtæ petitioni deeſſe. Cum quia occaſio blande invitaret, locuſque eſſet admodum conveniens, ubi de Sectis Judæorum doctiſſimi homines accurate diſputabant, iſtius quoque αἱρέσεως hiſtoriam ſimul inveniri, quæ pars magna inter eos quondam fuit, & nunc multis de cauſis haud indigna, ut melius pernoſcatur. Tum maxime id mihi perſuaſit, quod Illuſtri & meritiſſimo Scaligero debitæ dudum vindiciæ eadem opera poſſent præſtari, ſuper hac ipſa re vix digne ſatis a quibuſdam excepto. Fecerat Scaliger aliquoties, in Elencho, *Karæorum* mentionem, proque admirabilis ingenii εὐςοχίᾳ antiquitatem ipſis aſſeruerat excidio Reipublicæ, & ipſo Chriſti adventu priorem. Optime, etiam quam prius foverat opinione generoſo veri amore revocata, profeſſus eos diverſum eſſe genus (contra quam vulgo credebatur) ab impiis Zadducæis; motus inter alia teſtimonio *Philippi Frederici ex Judæo Chriſtiani, qui Conſtantinopoli magnum uſum Karæorum habuerat* Elenchi, Cap. 2. Utramque hanc aſſertionem, cum maxime priorem oppu-

pugnandam sumsit sibi Vir scriptis & doctrina celeberrimus Johannes Morinus, in Exercitationibus Sacris; cui, præter decorum non minus quam rationem, misere Scaliger vapulavit. Quamobrem cum ex lectione Librorum Karaiticorum, habito examine, veritas Scaligeriani judicii quod ad utramque thesin luculenter mihi videretur constare; infirma vero & male consuta esse, quæ Morinus, & post eum Vir multæ lectionis Richardus Simonius in Historia Critica V. T. in contrarium objecerant; piaculo proximam poterat haberi deserere hoc vadimonium, atque Illustris Viri famam, cum ipsius veritatis periculo, iniquiore censura relinquere diutius gravatam: non causæ vitio, sed inopia Defensoris, propter magnam eorum quibus hæc Sacra sunt cordi paucitatem. Morem itaque gessi Typographo; adornavi hanc Sectæ Karaiticæ ex ipsis illorum libris, omnibus (si unum excipias) Manuscriptis, brevem Historiam & ὑποτύπωσιν, futuras Magno Scaligero, dignas utinam! vindicias. Asseritur quippe variis hic argumentis ipsi credita *Karæorum* antiquitas; & ab Zadducæis proprie dictis, qui providentiam & resurrectionem negarunt, immane discrimen. Ideoque, quod Scaligero datus hic labor, Typographus ejus *Elencho*, tanquam hujus appendicem, loco & ordine in hoc Syntagmate voluit subjungi. Disquiritur hic præterea de prima Sectarum inter Judæos origine & incunabulis; de mutuis *Karæorum* cum Pharizæis certaminibus, quæque memorabilia tunc contigerunt; de successivo Pharizaismi progressu, de causa quæ R. Schammai animum a collega suo Hillele sejunxit, &c. Narratur hic varia eorum, adversa tamen ut plurimum, fortuna; ac Famosi istius R. Anan gesta, quodque ille non primus sit scismatis auctor, ut vulgo credunt, ast instaurator. Memoro dehinc palmaria in quibus dissident capita; tum & reliquos fidei Karaiticæ articulos; quibus fiet palam, tantum abesse ut mereantur ingentem, qua per tot secula flagrarunt, invidiam; ut plura longe apud eos, quam ullam Judæorum Hæresin, rationi & veritati consona potius reperiantur. Tandem asignata sunt loca & regiones ubi habitarunt *Karæi*, quasque in hunc diem incolunt maxime. Doctorum, quibus gavisi Magistris, ex M.S.S. jam inde ab antiquo catalogus & successio recensetur; qui insigni inter hos fama viguere, & libri quidam doctrina, celebritate, usu commendabiles perstringuntur; aliaque passim, quæ ad interiorem hujus ignotæ per tot secula Christianis Sectæ cognitionem pertinent.

Quod si jam aliquis incuriosus harum rerum cogitet atque sic animum inducat suum, quid nostra id admodum refert? Quos inde fructus percipiam si jam aliquanto propius noverim *Karæos?* multa quæ respondere possim in promptu sunt. Etedim si Chaldæorum, Persarum, Græcorum Philosophiam, Religionem, opiniones pernosse non exigua pars eruditionis habetur; si volupe est Romanorum instituta, pace belloque, usque ad minutias excussisse; si nulli parcitur labori ut omnes omnium Antiquitates & ritus habeas in numerato; neutiquam inficetum esse potest, quum in apertiori luce collocatur, quid creditum, actum, moribus usurpatum fuerit in populo, ubi Regnum ipsius obtinuit Dei; cujusque fata, linguam, Libros Sacros intelligere atque scrutari, Christiani Doctoris & officium est, & deliciæ. Si eruditorum Coryphæi optime meriti de orbe literato censentur, dum tres Sectas Judæorum doctissimis commentationibus tam accurate explicuerunt, oleum penitus & operam perdere non potest, quisquis tantorum Heroum vestigiis insistens ad quarti cujusdam τάγματος notitiam, quod olim pars magna nunc adhuc sanior in ea gente est, viam pandit & ruderat, nescio quibus spinis sentibusve horridam, aut obicibus interclusam. Verum enim vero si quis ita sit animatus ut talia contemtui habeat, si istis non capiatur, quia nec ista forsitan capit, suo hunc patimur abundare sensu; huic sane per me integrum esto libellum de manibus statim deponere. Hæc publici non adeo saporis futura, cum manum tabulæ admoverem, jam satis præcepi. Fastidienti stomacho hæ dapes non parantur; sed iis qui Philologiæ gustum habent, & literaturæ Hebraicæ nobili studio & amore ducuntur. Quos ut adjutem, nihilque sit legentibus moræ, Hebraica quæ bene multa hic laudantur testimonia in Latinum mox sermonem converti: cum omittere non liceret nisi una causæ deesse, aut doctum & non obviæ eruditionis curiosum subinde lectorem placuisset frustrari. Hujusmodi saltem cum tempore & rerum documentis intelligent, spero, haud nullam, haud exiguam, sed multigenam per omnia sacræ Philologiæ latifundia se Karaitici studii extendere utilitatem. Primo namque hinc incorruptius poterit fieri judicium, quæ Hebræorum instituta, qui ritus genuinam redoleant vetustatem. Nempe qui talmudis farraginem compila-

la-

larunt Rabbanitæ & Pharizæorum sectatores, multa commemorant, multa ponunt jam olim decreta, multa arrogant sibi suisque, non tam ex vero semper quam causæ compendio, & præjudiciis sequentium Magistrorum; nemo negaverit prudens. Conferenti jam cum istorum traditionibus, *Karæorum* qui in eadem republica temploque cum iis degerunt, dictata & mores, quantum, quæso, lucis in isthac caligine emicabit; quam magnum ferendi judicii adjumentum? dum nullo negotio sic dabitur colligere: in quibus juratissimi hostes consentiunt, priorem schismate, aut veterrimam saltem agnoscere institutionem, de quibus disputant, docere quid moris, aut animi utrique partium fuerit; unde possis non paucas Talmudis salebras, in quo tot contrariæ disputationes extant ac Chrysippei acervi, promtius expedire. Tandem cum in Republica Judaica modo hæc pars, modo alia, neutra aliquando penitus prævaluit, variam quandoque rationem & consuetudinem in isto populo obtinuisse; Jam vero Codicis Sacri integritas, & an Textus Hebræus a Rabbinis vel Masorethis mutatus fuerit, vel de industria, ad pervertendam Chronologiam aut fidem, corruptus, quod plurimi Romano-Catholicis, Isacus Vossius, & alii Bibliomastiges crepant, quanti momenti, & difficultatis in nostra Theologia disquisitio est? Quam perplexe & acriter de origine atque ἀξιοπιστίᾳ punctorum in hunc diem contenditur? Si sua ope, & testimonio, litem hanc plane non decident *Karæi*, inflicta vel petita per hoc latus Religioni vulnera malagmate saltem lenient, & abundanter Fidei securitatem præstabunt. Animus mihi fuit jam in hoc scripto aliquid de punctis, quidque mihi non dissimile vero videretur, commentari, sicut pag. 39. videre est; sed properanter operæ, & ubertas materiæ coegerunt differre. Plurima in Scripturis sunt dubia, cruces interpretum; multa in Veterum Judæorum & Christianorum libris non probe perspecta, quæ horum auxilio melius explicari, aut distinctius percipi queant. Parvis aliquot speciminibus, prout se res dabat & occasio, ostendere id fuimus conati, majoribus in posterum demonstraturi. E. c. Judæorum Tephillin divino niti mandato, ipsumque adeo Christum Dominum eos sibi aptasse, Rabbanitis fidem habens cum multis, noster ὁ πάνυ Scaliger credidit; non crediturus si *Karaitarum*, qui hisce vanis sese commentis opposuerunt, meliorem istorum locorum expositionem, diversamque praxin inspexisset. Christusne hanc Traditionariorum superstitionem ut fuerit imitatus, quam sanior pars populi cum *Karæis* ut stultam παράδοσιν pipulo palam differebat? non putem. Vexatissimus ille nodus de tempore quo Jesus Pascha celebraverit θανάσιμον, num eodem die cum Pharisæis, an alio? Et si alio, qui id fieri potuit, sanguisque in templo adspergi bona cum Sacerdotum venia? de quo multi tam multa in utramque partem scripserunt, vel commodissime expedietur opem ferentibus *Karæis;* vel omnes difficultates, vereor, nunquam bene solventur. Quæque de hoc genere sunt infinita. Si quis autem disputando Judæos amet convincere, & veritatem Evangælicæ doctrinæ probare, & hic usui erunt *Karæi*: dum magis ingenui hinc inde quædam largiuntur, quæ Rabbanitæ falso sed mordicus tenent; & longe minus inepti divinorum sunt oraculorum expositores. De quo certius docti judicarent, si Lex Mosis, aliique Veteris Instrumenti libri cum exquisitis quibusdam illorum commentariis lucem possint adspicere. De quo cogitavi subinde quidem, at! *opus est majoris abollæ;* ita tamen ut si docta curiositas studium excitet, & opem, qui possunt, contulerint; haud videatur aliquando desperandum. Ceterum hic glaciem modo fregimus, & promulsidem in transitu damus observatiuncularum, quas hæc officina suppeditavit; immo tentamina tantum, κυρίας δόξας nequaquam: ubi nihil Eruditis quid sentire conveniat præscribimus; minus aliorum doctrinam limis adspicimus oculis, etiam cum ab iis modeste dissidemus. Verum ad indagandum & amplexandum genuinum S. S. Literarum sensum, undecunque superveniat, animus est me ipsum, & cordatos Lectores accendere. Qui si hosce conatus boni consulere dignabuntur, gaudebo; si meliora docere, quando fieri vix potest quin hinc inde cespitemus, dum perquirimus abdita, &

—— *Vestigia nullius ante*
Trita solo...odoramur, alacriter & gratus amplectar. Si quis vero (quod absit expectem) cupiat tricari, aut φιλόνεικος εἶναι, ἡμεῖς τοιαύτην συνήθειαν οὐκ ἔχομεν, οὐδὲ ἡ Ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ. Vale.

CA.

CAPUT PRIMUM.

Karæi necdum satis noti. Libri rarissimi. Buxtorfius nullos vidit. Joh. Morinus unum. Joh. Seldenus duos. Carpzovii Judicium. Omnis de iis notitia huc usque fere ex Rabbinis. Qui faciunt novos homines. Scaligeri melior sententia, immerito a Morino notati. Institutum nostrum.

FRequens, & obvia in Scriptis Eruditorum mentio est *Sectæ* cujusdam vetustioris inter *Judæos*, quæ aliena prorsus ab humanis in Religione divina institutis, inimica Talmudi, atque traditionibus Magistrorum, solius Scripturæ opibus ac revelatione contenta, appellationem hinc meruit *Kareorum*. At vero qui rem hanc ab ovo explicuerit, qui hujus dissensionis veram occasionem, tempus, capita, primamque Originem penitius investigatam pertractaverit, huc usque inter Philologos, quod sciam, repertus est nemo. Non sane ingenii vitio, vel industriæ, quæ in aliquibus summa fuerunt, sed sola, ut opinor, Librorum, quibus ipsi *Karæi* de sua nos fide atque fortuna instruerent, incredibili raritate. Quos cum paucos admodum, pro temporis spatio, scripserint, longe pauciores, quin imo paucissimi, ad nostras manus & regiones pervenerunt; sive jam in causa sit locorum ubi degunt intercapedo, aut quod plerique non exstent nisi manu exarati, ac latitent etiam inter suos; sive potius id astui atque potentiæ adversantium *Rabbanitarum* debeat imputari, qui in tantam eos partim invidiam, partim contemtum adduxere, ut propterea forte negligentius in eorum sententiam, & monumenta, fuerit inquisitum. Quum tamen, si recte illos novissent, inquisitione sua, curis, & studio longe digniores quam Rabbinorum commentarios, aut ineptam *Talmudis* farraginem Docti censuissent. Nam cum doctrina eos facile exæquent, judicii simul acrimonia, rationum pondere & perspicuitate, explicandi S. S. Literas ἀγχινοίᾳ multum excellunt. Morum vero integritate & disputandi peritia, vel inimicis testibus, longo post se relinquunt intervallo. Hoc nullus, scio, qui utrosque contulerit poterit inficiari. Verum, quo minus id facerent, summa, quam dixi, hujusmodi librorum penuria intercessit. Adeo ut viri in Hebraica literatura principes multi ne quidem oculis unquam usurpaverint, & eorum qui videre potuerunt, velut *Persii* Satiras, *legerint vel duo, vel nemo*. Ne quid audacius affirmasse videar, ipsos audiamus: Celeberrimus *Buxtorfius* ita scribit: *Libros aliquos Karæorum hactenus nullos mihi videre licuit. Seldenus duorum meminit quorum copia ipsi sit facta; eorum unus est* שער יהודה *Porta Jehudæ, agens præcipue de incestibus seu conjugiis prohibitis, impressus Constantinopoli anno juxta calculum Judaicum* 5322. *Christianorum* 1582. *Alter manuscriptus cujus auctor Rabbi Elias ben Mose, Candiensis vel Cretensis*, &c. Novissime *Joh. Bened. Carpzovius*, vir Clarissimus, hunc in modum disseruit: *Fere omnes de defectu* (librorum) *queruntur, ac retulisse sibi Golium scribit Hottingerus Thes. Philol. Cap.* 1. *Sect.* v. *n.* 9. *p.* 41. *Karraitas Constantinopoli in cryptis suos abdidisse libros; ne* (hoc de suo addit Carpzovius) *ab aliis legerentur. Unicum in Bibliotheca Rabbinica commemorat Buxtorfius p.* 309. *quem ipse tamen non vidit.... Tres præterea libros a Karræis scriptos Buxtorfio significaverat Antonius Legerus, quos in appendice Bibliothecæ inter cæteros simul recenset.... sed quorsum designatio ista librorum? quorum tamen vix speranda copia est*. Tum §. 3. de *Johanne Morino* memorat, cum *parti priori Exercitationum Biblicarum indicem capitum quæ posteriore parte contineantur adjecisset, inque eo exercitationem* IV. *de Karraitis, Judæorum Hæreticis, inscriptam tam Judæorum quam ipsorum Karraitarum scriptis illustratam gloriaretur, rogatus per literas a Buxtorfio quos Karraitarum libros haberet? respondit in Epistola, quæ inter Antiquitates Ecclesiæ Orientalis habetur* pag. 364. *se unicum habere qui in Legem Commentarius sit M. S.* &c. Factum est hac librorum inopia igitur quod præcipua, si non omnis, quam de Karæorum institutis atque doctrina doctissimi pridem viri habuerunt, notitia; cuncta quæ de illorum ætate & gestis commentabantur, ex Rabbinorum relatione, hoc est juratissimorum hostium testimoniis fuerint repetita. Quam tuto autem de adversario fides habeatur adversanti omnibus notum est; præsertim ubi amor Religionis accendit iracundiam, & zelum Domus Domini splendida bilis mentitur. Quæ enormia plane & stultissima iidem de Christo & doctrina Evangelica confinxerint, ut de aliis taceam, neminem fugit: Et vel hoc debuerat Christianos reddere circumspectos ne statim quicquid Rabbanitæ de his scriberent, temere crederetur. Hoc non satis memori animo semper reposuisse utriusque fraudi fuit, & Karæis,

& optimis ſane viris. Ita enim accidit, ut illi longe quam in ſe ſunt habiti ſint nequiores, infelix ſcilicet teterrimorum Sadducæorum propago; & iſti, dum bona fide ſequuntur, qui non bonam præſtiterant, ductorum culpa ſubinde vel invitiſſimi hallucinarentur. Quandoquidem vero in ea me rei humanæ parte Providentia locavit ut, non unum, ſed plures dictorum *Karæorum* libros habere, & evolvere, mihi contigerit; judicavi me rem in Philologia ſacra forte non inutilem, reconditæ eruditionis amatoribus haud ingratam, tandem munere locoque meo non indignam facturum, ſi hujus Sectæ parum exploratæ, paulo pleniorem dare intelligentiam conarer, & tenuem obſervatiuncularum noſtrarum guſtum, cum orbe literato paucis pagellis communicarem. Id vero imprimis mihi negotium dedi ut Karæorum natales, & vetuſtatem aliquanto accuratius inveſtigarem; unde reliquarum Quæſtionum pendet magnopere & intellectus, & deciſio. *Rabbini* paſſim iis objiciunt novitatem. Iſtorum ſecuti ſententiam multi Chriſtiani doctores, & ante omnes *Johannes Morinus* in *Exercitationibus Sacris*, non modo excidio Reipublicæ Judaicæ faciunt recentiores; ſed & *poſt publicam Talmudis editionem illud ſchſma* demum *ortum eſſe*, *ex Judæorum monumentis* iſte voluit *colligere*:

—— Examen improbum in illa
Caſtigans trutina

quæ doloſa, & penitus hoſtilis. Majorem longe eorum antiquitatem in tam denſa caligine verius viderat ſubtiliſſima Illuſtris *Joſephi Scaligeri* perſpicacitas, hac de cauſa immeritam & acriorem Joh. Morini cenſuram incurrentis, qui *caput ſecundum* VII. *Exercitationis* l. 2. tali exornat Rubrica: *Scaliger omnium peſſime de iis differens, confutatur*. Conſtitui itaque ξὺν Θεῷ dum Elenchus Triheresii recens editur, hanc inclementem Morini ſententiam aliquantum reddere incudi, & quoad majoris antiquitatis quam cenſor tribuit opinionem, Magno viro qualeſcunque, judicio Lectoris, decernere vindicias. *Triumvirorum* ve *Tribus Judæorum Hæreſibus* celeberrimæ diſputationi, qui nunc una prodeunt, hocce adornare non ſpernendum, ſpero, Supplementum. Denique Antiquitatibus Hebræorum hac parte minus excultis, Sacriſque Literis cum maxime, quibus omnis noſter labor ſacratur, aliquam adferre pro modulo illuſtrationem; & , ſi bene uti ſciamus ſuo tempore, ad tuendam auctoritatem adjumentum.

C A P U T II.

Nomina varia quibus ab antiquis maxime Rabbanitis inſigniuntur. Chillouk liber M. S. Dicti Hieroſolymitani, Excommunicati, Sadducæi, Baithozæi, Hæretici, Epicuræi, Samaritani. Ratio appellationis. Karæi quare dicti? an ab ipſis hoc nomen ortum? Matth. 5. 20. illuſtratur. Uſus hujus notitiæ nominum. Lapſus celeb. Bartoloccii, &c.

ANte omnia de *Nominibus* & כנויים *Epithetis* hujus Sectæ initio diſpiciendum eſt, quibus in Antiquiorum Scriptis, præcipue Rabbanitarum, veniunt aut indigetantur; horum etenim in iis atro carbone notandis mire luxuriavit obtrectatio, quæ niſi quis probe teneat prius explicata, varia Veterum loca vel non intelligentur, vel alio trahentur quam quidem pertinent; ac ſæpe tanquam in tenebris erit micandum. Præcipua ergo in unum collecta primo recenſebimus, deinde ſi opus eſt, declaratione brevi adjuvanda. Ipſi hanc ſortem ſuam non ignorant *Karæi*, & jure de ea conqueruntur. Liber quem habeo, quique inſcribitur חלוק הקראים עם הרבנים *Diſſenſio* Karæorum *cum Rabanitis* pag. mihi ב. ממנו היו נרמזין ירושלמין ושמותיין וצדוקין וביתוסיין: *Occulte ſignificantur ab iis* (Rabbanitis per cognomina) *Hieroſolymitanorum*, *Excommunicatorum*, *Zadducæorum*, & *Baithoſæorum &c.* Talmud, Maimonides, Abraham Ben Dior, aliique Traditionum Hyperaſpiſtæ מינים *Hæreticos*, אפיקורוסים *Epicuræos*, כותיים *Samaritanos*, ceu ex ſequentibus patebit, quandoque appellant. *Aben Ezra* modeſtius modo; חולקין על אבותינו *Diſſidentes a Patribus noſtris*, modo acerbius: המכחחים *Mendaces* indigetavit. *Hieroſolymitanos* dicunt, quia ſummo Templi, & Sanctæ Civitatis, amore ſemper flagrabant; poſt deſolationem quoque in ea, quoad licuit, commorantes מפני תאות המקדש גאון עזם מחמד לבם ומחמל נפשם *Ob Deſiderium Sanctuarii, quod erat excellentia roboris ipſorum, voluptas Cordis, & indulgentia animæ ipſorum*, ut loquitur *Chillouk* M.S. Quamobrem ſuos majores יושבי חרבות *incolas deſolationum* deſcribunt & R. *Anan*, novus non Sectæ auctor, ſed Veteris doctrinæ Karæis habitus inſtaurator, orta contentione apud Babylonem, illuc cum ſuis conceſſit habitatum. *Epicuræi* vocantur ſecundum eam definitionem quam tradunt Talmudici, atque ex iis Maimonides: זה המבזה תלמיד חכם. *Epicu-*

ræus

ræus eſt qui contemtui habet diſcipulum Sapientis. Ita ſe nempe Traditionum Patroni appellitant, אמרו חכמינו *ſtatuerunt Sapientes noſtri*. idem Pauli σοφός. Quaſi qui inania febricitantis cerebri figmenta non admitteret, ideo ſanctam, avitam, quin omnem ſperneret religionem. *Samaritani*, *Sadducæi*, *Baithoſæi* vocantur ad conflandam ipſis æternam, præjudicio nominis, invidiam. Rejiciebant iſti legem oralem, recens & anile inventum. Rejiciebant & Karæi, hoc uno ſimiles; quod ad reliqua, in omnia alia abeuntes. Exigua hæc ſimilitudo non diſſimilis, in uno capite, judicii vaferrime ab Rabbanitis arrepta eſt, ut eodem nomine iis indito, parum cauti animum inducerent ſuum ac ſi ejuſdem eſſent ubique ſententiæ, atque una Rei execrabilis impietatis, quæ animarum immortalitatem, vitamque futuram ut Sadducæi abnegat; quo ita quiſque pius ab iis extemplo abhorreret. Qui dolus & illiberalis agendi ratio nimis quam ſæpe ſuos poſtea imitatores inter Chriſtianos, ubi minime decuit, invenit. Puduiſſe ejus videtur æquiores quoſdam inter Judæos, ut Rabbi Azariam, alioſque qui, ne eadem culpa utroſque gravaret, admonuit: ידענו מכמה מקומות כי שתי הכתות זו לעמת זו כופרים בתורה שעל פה אשר על כן אלו ואלו נזכרין יחד לנשרפין בבית הרשן. *Novimus ex variorum Locorum collatione quod duæ ſint (diverſæ) ſectæ, quæ, hæc juxta illam, Legem abnegant oralem, ideoque una memorantur inter uſtulandos in domo cinerum*. Omitto alia quæ hinc queant lucem mutuari, id unum prudens lector imis ſenſibus reponat, ſæpius uſui futurum: ubi in nomen *Baithoſæorum* aut *Sadducæorum* incidet, non ſtatim proprie dictos intelligi, ſed duplici hominum, diſtinctoque, Ordini eandem nomenclaturam quandoque aptari. Conſiderabit ergo potius argumentum, Orationis συνάρθρων, quidve dicatur? & ita facile quis loquitur, cui hoc conveniat, judicioſe diſcernet. Iſtud indicium ipſi ſuggerunt Karaitæ. Author *Chillouk* M. S. ubi ſupra monuerat ſe *Hieroſolymitanos*, *Excommunicatos*, *Sadducæos* &c. appellari, dubitaturo forte unde ſciret? reſpondit: קשיותיהן מדברינו נרמזין: Quia *objectiones* (quas horum nomine proferunt) *ex noſtris verbis ſubleguntur*. Cæteræ denominationes difficultatem non habent. Omnium vero vulgatiſſima eſt hodie קראים Karaim, quia קרא τῷ *Textui* qui *legitur*, ſolique adeo *Legis ſcriptæ*, rejectis traditionibus πατροπαραδότοις, tenaciter adhæreſcunt. Doctiſſimus *Joh. Morinus* ponit in *Exercitationibus*, *Karæos* ipſos *ſeſe hoc nomine ab aliis diſtinxiſſe .... veluti ſcripturariorum nomine ſuperbirent*; contrarium tamen referunt ipſi, communi quodammodo conſenſu. אמרו בני מקרא כי כנוי שם קראים אחרים קראום מפני לא יאמינו בתורה החדשה הקראוה תורה בעל פה ולא כתובה מפי נביא וחוזה כי אם בזמן מכשילי תורה ונושאי פנים בתורה קבצוה יחידים וכתבוה והם הנקראים רבנים דור אחר דור. *Admonent filii Scripturæ quod alii* (non ipſi) *nomen, & Epitheton* Karaim, *iis impoſuerint; ea propter quod fidem non habeant Legi novæ, quæ Lex oralis vocatur. Etiamſi non excepta ſit, & ſcripto conſignata ex ore Prophetæ cujuſdam aut Videntis, ſed potius tempore eorum qui offendiculum præbuerunt* Mal. 2. 8. & *προσωποληπται fuerunt in lege, illam privati ac ſingulares* (viri) *collegerunt & ſibi conſcripſere. Hique ſunt qui unaquaque ætate Rabbini appellantur*. Videtur itaque hinc, Epitheton קראים impoſitum initio fuiſſe ad contemtum; quomodo ſub repurgatæ Religionis tempus Noſtros *Bibliſtas*, *Evangelicos*, aut ſimili titulo ſalutabant, διασυρτικῶς. Probroſum videlicet & puerile maximis & profundis illis Doctoribus habebatur Scripturam unice ſequi ducem. Aquilæ in nubibus altius volant. Deus tulerat *legem*; *at ultra* divinam *legem* debebant *facere*. עוסקים ברבית התורה *Occupati in fœnore* (id eſt, acceſſionibus) *legis*. Non eam ex Dei præſcripto ſolum obſervantes, ἀλλὰ καὶ περισσότερον, ut gloriantes induxit Epiphanius. Quorum inanem jactantiam, ſalſe, & eleganter, perſtringit Soſpitator Matth. 5. 20. in imaginaria iſthac *abundantia* multiplicem adhuc *defectum* arguens, & in affectata περισσότητι, requiri aliud meliuſque περισσεύειν, & πλεονάζειν 2. Pet. 1. 8. etiam in plurimis quæ ea adhuc lege continebantur, quam Suffeni dudum ſibi, ſed falſo, videbantur ſupergreſſi. Dictaverat Spiritus. S. *Scripturam*. Quæ *amplitudinis* immenſæ licet *Davidi* Pſ. 119. 96. anguſta nihilominus erat capaciſſimis magiſtrorum mentibus conſequens adeo ut *aliam* inſuper *Legem* cuderent, vellentque ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν.

Hi ſapiunt ſoli, reliqui velut umbra vagantur.

Et ideo per convitium quaſi קראים *Textuales*, *literæ affixi*, dicebantur, potiſſimum *in Ægypto*. יקראו כאלה הארצות ר״ל מצרים קראים *Appellantur his in regionibus, hoc eſt in Ægypto, Karaim*. Maim. Comment. in Pirke Aboth Cap. 1. Iſta paulo diſtinctius tenere, proderit

ad multa Veterum loca melius intelligenda, ad vitandam, quæ hic mire regnat, maxime apud Judæos, sectarum dogmatumque confusionem; ad præcavendos, aut sanandos in quos hujus rei neglectu, summi etiam viri inciderunt, errores. Ut alios taceam, quam magnus & industrius vir in hoc Studiorum genere est *Julius Bartoloccius*, Edita Romæ *Magna Bibliotheca Rabbinica*, æternum victurus. Hujus tamen calamo hæc exciderunt, *Karaitæ Judæorum Hæreticorum sectæ genus est.... rejiciunt omnes codices sacros præter Pentateuchum*; quam parum ab ea cogitatione etiam abfuit incomparabilis Scaliger, si inspicias Elenchi cap. III.? Sed melior mens, atque fortuna, ab eo lapsu defendit cap. 22. Quam multi fuerunt celeberrimi Theologi qui idem de *Sadducæis* fuerunt opinati? Unica vero sic sentiendi occasio fuit Rabbanitarum malignitas, qui cum *Karæos*, *Sadducæos*; utrosque כותים *Samaritanos* persæpe nominarent, *Samaritani* vero nihil præter Pentateuchim ex Codicibus Sacris reciperent, nihil tale suspicantibus hallucinandi causam præbuerunt.

CAPUT III.

De Karæorum Origine sententia Scaligeri. Contraria Job. Morini. Illius scopus. De eo jam contentio inter utriusque Sectæ Doctores. Distincte spectanda antiquitas Doctrinæ, Schismatis, & Appellationis Karaim. Secta illa probatur ex Testimoniis Karæorum M. S. S. Ex præcipuis Rabbinis. Morini effugia præclusa. Probatur ex Talmude. De Nominis קראים *initio disquiritur.* קראי *quo sensu de R. Eliezer &c.*

HIs, quæ præmittere expediebat, explanatis, nunc arcem causæ, disquitionem de Karæorum antiquitate primisque incunabulis absque ambage, protinus aggrediamur; *Johannis Morini*, celeberrimi Viri, de iis opinionem in *Exercitationibus Sacris* ad modestum examen parumper vocantes *Josephus Scaliger* in *Elencho Trihæresii* magnam illis antiquitatem tribuerat; sed certo, suoque sensu: Notans duplex fuisse inter Judæos, post Captivitatem Babylonicam, vitæ, & hominum genus; unum quod *Legem*, *Prophetas*, & *Hagiographa* simpliciter, *observabat*. Alterum τῶν ἐκουσιαζομένων, qui *præter præcepta legis, supererogationes & voluntarias functiones, nullo cogente, obibant*. Illos nuncupat Karaim; ea notione quæ superiore cap. 2. explicata est. Hos posteriores ait fuisse חסידים *Hasidæos*, de quibus 1. Maccab. 2. 42. & 7. 13. & 2. Maccab. 14. 6. Addit, quamdiu ille ἐκουσιασμὸς usu Privatorum, & libera praxi, tantum observaretur nullam proprie sectam adhuc dum in Populo Dei fuisse; sed postquam supererogationis præcepta in Canone redacta sunt, atque imposita observandi necessitas, tunc orta dubia, tunc disputationes altercationesque succrevisse: ex priori quidem genere, quod sola nitebatur S. Scriptura, optimæ hypotheseos abusu pessimo, *Sadducæorum* impietatem. Quæ neque immortalitatem animorum neque præmii pænæque æternitatem credit, eo obtentu quod nequaquam ῥητῶς in lege habeantur. Ex Hasidæis putat pullulasse Pharizæos. Inde jam refert: *Karaim igitur priores tempore sunt quam Sadducæi*. Videlicet quod ad istam de S. S. Literarum αὐταρκείᾳ opinionem, quæ Sadducæorum dogma detestabile præcessit. Hæc summa Scaligerianæ sententiæ. Quam, etsi nihil, puto, in ea absurdi eruditus Lector inveniet; quamquam nihil scribit, pro summa sua ingenii felicitate, nisi quod ipsi præ se ferunt Karæi, quorum tamen libros videre non contigerat; non modo refutandam, quod licet, sed acerbius exagitandam sibi sumsit doctissimus *Morinus* in Exercitationibus; eo ipso etiam loco, ubi haud probandum Magni viri τὸ ὀξύχολον castigaverat, nimis quam strenue imitatus: tribuendo illi *furores*, *non in ea* (Hebræa) *Lingua fuisse exercitatum*. *Titulum* (Libri Juchasin) *non intellexit Scaliger, multo minus quæ in ipso thesauro*, &c. Quin, Scaligerum dicentem facit non modum *Karaismum* præcessisse *Zadok* & *Baithos* quod dixit sane, verum etiam Karæos, secundum ipsum, *esse antiquos Hasidæos de quibus in libris Maccabæorum*, quod ne somniando quidem *Scaliger* cogitavit. *Karæos* & *Hasidæos* sibi invicem opponens, ex חסידים *Chasidim* e contrario *Pharizæos*, ex *Karæis* derivans *Zadducæos* ut clarum est inspicienti. Eo usque in Doctissimis sæpæ Viris,

Impedit ira animum ne possit cernere verum.

Morinus itaqne ut suas rationes ab Scaligeri rationibus quam longissime disjungeret oppositam plane viam insistit. Volens *Karæos* facere quam potest recentissimos. Natos demum *Annis* 260. *post integrum Talmud, eorum sententia, completum*. Cumpletum id vulgo statuunt, cum R. David Ganz in sua Chronologia *anno* 812. *Contractuum, seu Anno* 4260. *a Crea-*

a Creatione Mundi, *diebus R. Jose.* adeoque circa *Annum Christi* 500. At vero ex ſententia Morini tribus prope ſeculis Talmudis compilati obſignatio eſt recentior. Ut ſic ad VIII. fere ſeculi finem Karæorum Natales ab ipſo deprimantur. Neque aliter debuit Vir catus, ac τῇ ὑποθέσει δȣλεύον. Malis avibus inſtituerat multimodam textus ſacri Hebræi quoque *corruptionem* probare; & facile perſpiciens non aliunde cauſæ quam agebat majus creari poſſe præjudicium, atque lethale vulgus infligi, quam ſi Karæi comperiantur admodum Antiqui (de quo alibi eſt agendi locus) conſultum duxit ad infimam, quam potuit vel minima ſimilitudine veri, eos ætatem propellere. De *Miſnæ* æra, vel obſignati *Talmudis*, animus jam non fert cum Eo contendere, ne nimium extra oleas vager. Levitas rationum ipſius, ſi neceſſe ſit, alias poterit oſtendi. Hoc animum tantummodo induxi meum quædam ex iis quæ in Lectione *Karæorum* & *Rabbanitarum* obſervare datum eſt in medium, erudito Lectori expendenda, proferre. Non enim eſt meum inter Doctos agere Palæmonem; ſed conſilium modeſte inquirere, in quocunque puteo lateat, Veritatem.

Agitata pridem jam fuit hæc de Vetuſtate Controverſia inter *Kareos* ipſos & aliquos *Rabbanitas*: hi ordinario iſtos deprimunt; iſti contra quam altiſſime ſuam originem repetunt, & deceſſores. Quo igitur de tota re integrius judicium fieri poſſit, conducet *Karæorum Doctrinam Schiſma*, ac *Nomen* diſtincte conſiderare, dum pauca excerpam quæ ad ſingula ſpectare videbuntur. *Doctrinam* Kareorum de *Sufficientia Scripturarum* ad Salutem ſemoto Traditionum choragio, (quæ diſſenſionis Principium eſt & fundamentum) quacumque *Secta* inter Judæos, adeoque & *Sadducæorum* illa, *tempore priorem* ſtatuit Scaliger: idem de ſe ipſis ſtatuunt *Karæi*. ראשונים אנחנו מהם *Nos ipſis* (Pharizæis &c.) *ſumus priores*. Rogati ſuæ fidei Auctores, Prophetas oſtentant. *Chillouk* M. S. דניאל חנניה מישאל ועזריה ודומיהם יהושע בן יהוצדק וזרבבל בן שאלתיאל ועזרה הסופר ונחמיה בן חלכיה ונו׳ הנבאים ושארית אחיהם דתם דתינו ושבילם שבילנו וגו׳ *Daniel*, *Chananiah*, *Miſael*, *Azarjah & ſimiles* (pii) *Jehoſua filius Jehozadak*, *& Zerubbabel filius Sealthiel*, *Ezra ſcriba*, *Nehemiah filius Helciæ*, *&c. Prophetæ & reliqui Fratres ipſorum*, *iſtorum inſtitutum eſt noſtrum inſtitutum*; *iſtorum ſemita noſtra ſemita*. Et recte. Nam quis ſuſtinebit negare in eadem hæreſi, nihil perfectioni Scripturarum eſſe addendum, *Moſen*, *Davidem*, *Jeſaim* cæteroſque Prophetas fuiſſe?

Senſim tamen ut fieri amat, contra hanc doctrinam ſuccreſcere inventa hominum, & inanis ſuperſtitio; quam dum quiſque uſu non lege, pro ſuo arbitrio privatim obſervabat, hique obſervatores voluerunt haberi modo חסידים inſigniter *pii*, nulla adhuc dum (ut recte Scaliger) Diſtincta *Secta erat in Populo Dei*. Succeſſu temporis vero, animis & opinionibus magis magiſque diſſidentibus, res erumpebat in nervum, *Schiſmaque ortum eſt* apertius, ſecundum ea quæ tradunt *Karæi*, temporibus *Johannis Hyrcani*, Judæorum Pontificis atque Ethnarchæ, & filii ejus *Jannæi Alexandri*, annis 100. & quod excurrit, Chriſto antiquioris. Doctoribus hinc *Rabbi Jehuda Ben Tabbai*, inde R. *Simeon Ben Setah* ſignum extollentibus & recrudeſcente ſubinde pugna, de quo videbitur inferius. De *Nomine* autem ipſo *Karaim* quando præciſe natum ſit tam ambiguum eſt, atque in obſcuro, ut forte prudentius pronuntiaverit qui dicit *non liquere*. Iſta ſic propoſita, jam paulo preſſius propiuſque inveſtigemus.

Primo, eam quam monui, Karæi ſane ſibi vindicant & Doctrinæ ſuæ *antiquitatem*. Ab Ætate nimirum Prophetarum. Auctor *Chillouk* M. S. כי דתנו קדמונית מדם ענן *nam noſtra Fides* (aut Secta) *longe eſt Anane antiquior*. ונביאינו אשר בגלות בבל הם חכמינו ואלופינו אשר יחזיקו דתינו כמו חנניה ודניאל ורעיו יחזקאל הנביא וחגי זכריה ומלאכי ולולי אלו עדינו אזי חיים בלעונו *Prophetæ noſtri qui erant in Captivitate Babylonica*, *noſtri erant Sapientes*, *noſtri Doctores*, *qui noſtram tenuerunt fidem*, *quemadmodum Cananjah Daniel & Socii ejus*, *Ezechiel Propheta*, *Haggæus*, *Zacharias & Malachias*, *&c. niſi illi pro nobis perhiberent teſtimonium*, *jam tunc nos vivos devoraſſent*. Speciatim ajunt ſe eſſe de genere נאנחים ונאנקים על תועבות *Gementium & clamantium propter abominationes quæ fierent in populo Iſraelis*, quos *Ezechiel* deſignavit: tamen *una* tandem *abductos in captivitatem fuiſſe*, ubi *Prophetis* operam porro dedere. Ne vero gratis hoc affirmaſſe videantur, rationes ineunt, probant per partes quid a ſingulis hiſce *Prophetis* acceperint, quænam capita, *Rabbinorum* commentis adverſa, ex horum libris comprobentur; Quæ hic omnia referre nimis foret operoſum. Specimina dabuntur deinceps. Inde ad *Prophetarum inſtituta*, ad explorandum utri cum hiſce conveniant?

ani-

animose *Rabbanitas* provocant? acute non minus quam fortiter concludentes, quorum anterior doctrina est eorum & cœtum & communitatem merito haberi priorem. Eleganter auctor Chillouk : העקתקה (sic censeo legendum) ועור יוכיח אשר בידינו כי אנו ראשונים ונלמור מן המצוות מי הראשון ונאמר כל מי שמצוות חרשות בירו הוא החרש. *Vetus forma quæ est in manibus nostris arguet quod nos sumus antiquiores; Discamus ex institutis, uter sit prior? Dicamusque in cujus manu inveniuntur nova præcepta, & hunc esse novum &c.* Ac, quando suam antiquitatem adversariis propter animum obfirmatum persuadere satis non possunt, audent diem, atque judicium sui Liberatoris (quem male adhuc expectant) appellare. Tum visuros, qui jam *credere detrectant*. כי אשר יקומו באחרית גלותינו הם אשר יקרובו ישועתינו....כי אנחנו בני הנאנחים והנאוקים וקרמונים אנחנו מאחיכם *Quando in fine exilii exsurgent qui prope adducent salutem, quod nos simus filii gementium atque clamantium* (Ezech. 9. 4.) & *antiquiores fratribus vestris*. Rabbinis). Ista confidentia animi satis testatur causæ suæ sinceritatisque fiduciam habere. Et certe an nlla est sequela justior, clariorve, quam quæ ex prisca Dogmatum fide, alicujus Religionis & Sectæ demonstrat Vetustatem? Neque regerat quispiam, hæc dicere *Karæos* de se ipsis, adeoque parum in eo fidei mereri; Nam ita multo minus credi debuisset *Rabbanitis*, quorum tamen relationi nititur omnis sequior de *Karæis* opinio, quia accusatores cum sint, iidem pro se, in sua causa judices agunt testesque, adversariis licet suis dudum agniti longe fabulosiores. Tum etiam haud nude affirmant, sed firmant *Karæi*. Dumque novitatem ipsis exprobantes aliqui *Rabbinitarum* simpliciter hoc tantum asserunt sine teste, aut valida ratione; isti quod ponunt Antiquitatis quodam consensu, & Doctrinæ propheticæ experimento eunt comprobatum. Inter Scriptores Kareorum est M. S. מושה בשיצי *Moses Beschitzi*, Pronepos celeberrimi istius *Eliæ Beschitzi* qui librum edidit celeberrimum אדרת אליהו *Adderet Eliahu*. Hic nulli operæ nulli molestiæ sumptibusque pepercit, per *Assyriam*, *Chaldæum*, *Judæam*, *Ægyptum*; &c. peregrinatus, eo fine למצוא סבת המחלוקת וזמן החלוקה שבין הקראים והרבנים ומה שמצא כתב והשאיר אחריו ברכה *ut inveniret causam dissidii, & tempus Schismatis, inter Karæos & Rabbanitas; eaque quæ invenit perscripsit, ac reliquit post se hanc benedictionem*, ubi ait *Præfator*. Iste igitur in libro suo M.S. מטה אלהים *Baculus Dei*, ad duplicem causam refert, quod hæ invidiæ & dissensus favillæ, jam ante sub cineribus latentes, apertum fecerint incendium. Una erat *Politica* : Odium *Johannis Hyrcani* in Pharizeos, Karæis in vitæ fine impense faventis altera *Ecclesiastica* : והסבה השני הוא ששמעון בן שטח וזהו אשר חרש רת אחרת כאשר מלאו אז לבו : *Secundo in causa fuit Simeon Ben Serach qui alteram legem noviter induxit prout tunc erat plenitudo cordis ejus* (confer phrasin Matth. 12. 34. cui legi cum se *R. Jehuda Ben Tabbai*, aliique, acriter opponerent discessio facta est. Quæ ille plura latius ibi persequitur, textus catalogum quoque Doctorum suorum, commodiorem infra locum invenient, hic solum agitur antiquitas; post multa, pandit unde hæc habuerit, his verbis : לזאת הוכרכתי לבאר האמת מתוך ספרי חכמים כתיבת ידם ונכתבו קרוב לשלש מאות שנים כאשר מצאתי במצרים ליד ראש הדור החכם השלם נשיא אלהים רבינו שמואל הנשיא יצ״ו: *Ideo necesse habui veritatem ex medio librorum sapientum M. S. explicare, qui jam exarati erant ante Annos prope trecentos, cum eos inveni in Ægypto ope Capitis nostræ gentis, sapientis consummati, Principis Dei Magistri nostri Samuelis Præfecti*. שננקר עיני האומרים שרת בני מקרא חרשה *ut effodiamus iis oculos qui dicunt quod fides filiorum scripturæ, sit novæ*. Memorat hic nominatim aliquos suorum auctorum & longe plures possent adduci, nisi quum pauca tantum extarent exemplaria M. S. S. frequenti persecutione, exiliis, & hostium insultu, de quo vehementer datis ad me Literis conqueruntur, interiissent.

Non itaque comminiscuntur ista in suum compendium *Karæi*, sed bona fide narrant prout traditione Majorum & scriptis acceperunt. Cur enim fingerent homines, qui simplicitatem amant, honestissimum ab hostibus tulere testimonium, & præcipue parum in eo honoris, aut præsidii collocant; qui Religionis veritatem non ex antiquitate & Doctorum serie æstimant, quemadmodum Rabbini, sed potius ex Veritate & Verbo Dei adstruunt antiquitatem. Egregie auctor חלוק M. S. loquens de *Karæis*; ואפילו אם הם אחרונים מה יזיק להם כי הם אחרונים ומה יועיל לכם אם אתם ראשונים ובלא ספק כלנו נרע כי מבראשונה אבותינו אל החטאים רדפו....ודור האחרון אל הטוב ירדפו *Et quod si forent posteriores, quid hoc nocere ipsis? Aut si vos estis priores quid proderit vobis? Nam procuIdubio id novimus, jam ab initio Patres*

tres

tres noſtros peccatores aſſectatos fuiſſe; (id ex Precum confeſſione & ſacris literis probat) *Et* aliquando *Generationem quæ poſterior ſit*, *bonam* (viam) *inſiſtere*; conſequenter non ex *tempore*, ſed *doctrina* & *moribus* de hac re eſſe judicandum. Ideoque fidenter ad hæc experimenta provocat: נלמור מן המצות מי הראשון ונאמר כל מי שמצות חרשות בירו הוא החרש והנה בירכם מצות חרשות כמו תורת בעל פה וחשבון מעוננים והרחיות ושני ימים ראש חורש ושני ימים מוער ומצות חנוכה וכ״ל *Concludamus igitur ex præceptis* (quæ quiſque obſervamus) *uter noſtrum ſit prior; fateamurque eum in cujus manu ſunt præcepta nova illum eſſe novum; & Ecce! numquid in manu veſtra nova ſunt inſtituta?* e. g. *Lex Oralis*, *computus Aſtrologorum* (in feſtis deſignandis) *prorogationes* (eorundem,) *duo dies* (loco unius) *quo celebrantur Neomeniæ, & Feſta; item inſtitutio Encæniorum, &c.* Hæc nempe ſunt inter illas παραδόσεις quas Rabbini ſtatuerunt, nunquam juſſit Deus, nunquam ante vel poſt Captivitatem Babylonicam obſervarunt Prophetæ, neque in hunc diem *Karæi*. Qui ajunt facile hinc intelligi poſſe ab qua parte genuina ſtet antiquitas. Alia adhuc ejuſmodi exempla progreſſus exhibebit. Quid quod Judicium *Prophetarum* non modo appellant, ſed audent plurium *Rabbanitarum* ſuffragiis hocce negotium permittere, qui vi veritatis adacti antiquæ *Karæorum* Origini album calculum adjecerunt. Nos, illorum quoque prementes veſtigia, quoſdam in medium producamus, non numero ſed delectu pugnantes. Sane quo quis Rabbinitarum doctior eſt, atque hiſtoriæ peritior, tanto magis videtur huic ſententiæ favere. Fama atque auctoritate *R. Moſe Ægyptius filius Muimonis* longe excellit. Eruditione & vetuſtate liber *Cozri* eſt admodum commendabilis. Diligentia & acri Hiſtoriarum inquiſitione inter Judæos *R. Abraham Ben Dior*, *in Kabbala*, cum *R. Abraham Zacut*; in *Juchaſin* ſunt inter Judæos celeberrimi; Tandem reverentia omnibus eminet *Miſna*, prior & ſanior pars Talmudis. Ex his omnibns ergo aliquid in hanc cauſam delibemus. *Maimonides* itaque in Commentario ad Maſſechet אבות poſtquam, *Sadducæorum* & *Baithoſæorum* veſtigatis incunabulis, commonuiſſet illas *ſeparatas utique ſectas* fuiſſe אחר כרת אחרת וחברו כת אחרת in eo tamen conſpirantes quod dicerent מאמין בתורה וחולק על הקבלה שאינו אמיתית *Credo in Legem, & rejicio Kabbalam quoniam non eſt vera*, in quo & mutuum ſibi præſtabant *auxilium*, alios adhuc nominat ejuſdem opinionis. ומאז יצאו אלו הכתות הארורות של מינים ויקראו באלו הארצות ר״ל במצרים קראים ושמותם אצל החכמים צרוקים וביתוסים והם אשר התחילו להשיב על הקבלה ולפרש על הפסוקים כפי מה שירצה להם *Ac* JAM A TUNC EGRESSÆ *ſunt Catervæ illæ maledictæ HÆRETICORUM, quæ in his Regionibus, videlicet Ægypto, KARÆI vocantur, quamquam nomen ipſorum apud Sapientes ſit Sadducæi & Baithoſæi. Atque illi fuerunt qui inceperunt dicere contra Kabbalam, & Scripturas ſecundum ſuum exponere beneplacitum.* Nulli equidem, reor, mens tam læva futura eſt, ut contendat *Maimonidem* per Karæos hic *Sadducæos* & *Baithoſæos* veteres intelligere. Qui enim poſſet unos Karæos facere duas ſectas, quas modo memoraverat fuiſſe ſeparatas? Sadducæorum ſtricte vocatorum jam ante originem retulerat; quæ iſta inanis foret itaque Tautologia? quam futilis & ſupervacanea admonitio, illos a ſapientibus appellari *Zadducæos* qui revera tales fuerant? Sed id agit, ut commoda hac occaſione Lectoribus ſimul exponat qui? & unde? ſimili illi מינים *Hæretici*, ſive Karæi (nam hæc nomina in Edirionibus quoque Talmudis permutantur, ut ubi una legit מינות aliæ habeant קראים) quibuſcum Judæis erat in *Ægypto* confligandum, ubi degunt frequentes: declaratque illos מאז jam AB EO TEMPORE extitiſſe, quo nata eſt Hæreſis *Sadducæorum*. Imo ab ipſis COEPISSE *Diſputationem* contra *Kabbalam*, adeoque hac ſua hypotheſi Hæreſeos quaſi ſignum ſuſtuliſſe. Qui advertit quod hic *Maimonides* tradit, *Karæos* apud ſapientes Rabbanitas venire nomine *Sadducæorum* & *Baithoſæorum*, quod Cap. 2. etiam præmonuinus, una facile intelliget ad eos pertinere quæ in libro celeberrimo מגלת תענית *Megillat Taanit*, cum per ſe ſatis antiquo, tum etiam longe antiquioribus quos laudat ſubnixo, habentur: *XIV. Die Menſis Thammuz omni luctu planctuque*, ex Majorum juſſu, *abſtinendum*; quod ſtante adhuc templo, vigente Synedrio, egregiam ſcilicet laudem & ſpolia ampla diſputando contra *Baithozæos*, tuliſſent. Quæſtio erat de Neceſſitate *Legis Oralis*; Achilles *Rabbanitarum* erat hoc argumentum: Exod. 21. 24. 25. Latam legem עין תחת עין שן תחת שן וג׳ ſi quis alium percuſſerit, talione mulctabitur: *Oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, vulnus pro vulnere, &c.* Petebant Traditionum Patroni, cum multi darentur Caſus quibus Talio locum habere non poterat,

quos

quos multis deducunt Rabbini in suis Commentariis v. gr. si edentulus dentem eliserit dentato, Cæcus, Codes, Mancus alium truncaverit membro quo ipse caret, ut ostenderent ex Scripturæ litera quid tunc foret Judici agendum? Si id nequirent, agnoscerent ergo necessitatem *Legis Oralis*, הלא כתוב התורה והמצוה אשר כתבתי להורותם התורה אשר כתבתי והמצוה להורות....ואותו היום שבטלוהו עשוהו יום טוב de qua nempe *scriptum sit* (Exod. 24. 12.) *Dabo tibi .... & Legem, & Mandata quæ scripsi ad docendum eos*. Hæc ita explicabant: *Legem quem scripsi* (est lex Scripta.) *Mandata ad docendum eos* (scil. *oraliter*.) *Et cum eos ita debellassent* (hoc admirabili acumine!) *sanxerunt* in tantæ victoriæ recordationem, *diem istum fore festum in perpetuum*. Res ipsa loquitur hic consueto *Baithosæorum* nomine traduci Scripturarios; quo magis Sadducæi *κυρίως* dicti, cum essent secundum *Flavium Josephum ὠμοὶ περὶ τὰς κρίσεις*, non videntur adeo scrupulosi in his ad libellam exigendis fuisse; & hæc ipsa illa objectio est quam, successus pristini memores, Rabbi *Jehuda Levi* in *Cozri*, & alii Rabbini contra K*aræos* identidem repetivere. Quare Cap. 2. hujus libri Taanit habes etiam *αὐτολεξεὶ*: הקראים היו מצרים לבני ירושלם Tempore regni Hasmonæorum, K*aræi erant angustia prementes Hierosolymitanos &c.* Inde est quoque, quod probe hujus rei gnarus R. *Jehuda*, modo laudatus, licet acriter in suo libro disputet contra K*aræos* nusquam iis *novitatem* exprobret; Sed e contrario asserat vetustatem. Ubi mentio facta fuerat *Alexandri Jannæi* Regis, Rabbinorum *Jehudæ Ben Tabbai*, & *Simeonis Ben Seth* claris verbis hæc addit: ובימיהם התחלה דעת הקראות *Horum diebus Dogma* K*araismi incepit*. Eadem repetuntur in Libro Juchasin: ובזמן אלו המלכים התחילה גם כן כת הקראים גם כן צדוקים וביתוסים *Horum Regum* (*Johannis Hyrcani*, & *Alexandri Jamnæi*, filii) *temporibus initium cepit Secta* K*aræorum*, *qui etiam Zadducæi & Baithosæi solent cognominari*. Quin etiam in hoc Libro *Jehudæ Ben Levi*, Rex *Cozar* disputans objicit Sectam K*aræorum* Doctori *Judæo* ut jam diu notam, & pridem formatam; quę nihilo minus, si sequamur opinionem Clarissimi *Joh. Morini*, tempore hujus Disputationis ne quidem nata fuisset. Sedeamus parumper ad calculos: *Talmud*, ex recepta sententia, absolutum A. C. 500. Verum *Morinus* multis contendit, *Talmud*, *tribus prope seculis recentius esse*, *quam existiment Judæi*; hoc modo rejicietur ad A. C. *prope* 800. Jam ab altera parte *Auctor Libri Cozri* vixit, ut tradit *R. Abraham Zachut* in *Juchasin* Anno 849. Millenarii quinti, hoc est A. C. 1089. Istius scriptoris testimonio, quem tantopere extollit, non ęgre acquiescet Doctissimus *Morinus*; verum ut liberales simus, cum auctore *Schalschelet hakkabbala* ponamus A. C. 1140. teneamusque una quod Rabbi *Jehuda* sive narrat, sive fingat (id enim ad causam perinde est, noluit enim fingere impossibilia) hanc disputationem cum Rege *Cozar* contigisse 400. *Annis* ante suam ętatem. Subductis hisce ab A. 1140. restat annus 740. quo habita fuerit disceptatio in qua de K*aræis* agitur tanquam hęresi, inter Judęos notissima, qui Morino tamen Judice post absolutum Talmud prope A. C. 800., adeoque post hanc disceptationem demum erant creandi. Pręterquam quod aliquo tractu temporis adhuc fuerit opus, si occasione publicati Talmudis primum fuerint exorti, antequam illud legerent, examini subjicerent, oppugnarent, atque in Sectam peculiarem secederent. Nollem Erudito Viro talia excidisse. At nos pergamus. *Abraham ben Dior*, in K*abbala* Historica, in rebus *Alexandri Jamnæi*, ejusque familię, ter meminit K*aræorum* nominatim. Primo, Regem *octingentis primariis viris Pharizæorum in vincula conjectis convivium suis Ministris instruxisse* עלגג היכלו במקום גבוה ויבאלו וישתו וישכרו עמו גדולי הקראים *super tecto Palatii sui*, *in loco excelso*, *ubi dum ederent*, *biberent*, *largiusque se invitarent cum ipso Primores* K*aræorum*, *jussu regio hos* 800. *Pharizæos productos* ex carcere *suspensos fuisse ex arboribus* (aut lignis) *coram ipsis*, ad majus *ludibrium*. Deinde scribit Natum hujus *Aristobulum dilexisse admodum*, Patris exemplo, K*aræos*. אוהב את הקראים. Tandem, Matrem *Alexandram* Reginam, mutata velificatione, sive ratio Status fecerit, sive sexus fragilitas superstitioni magis exposita, *Pharizæos* in tantum extulisse supra K*aræos*, ut etiam omnem licentiam concederet crudeliter in eos grassandi. הנה בידכם כטוב בעיניכם עשו להם *Ecce*, dicens, *in manu vestra sunt*, *facite iis quemadmodum bonum est in oculis vestris*; *quumque ab ea discederent*, *inciderunt in* דוכרוס והוא גדול שבקראים והכוה לפי חרב וגם עם רב וכל׳ *Docrum qui Princeps erat* K*aræorum*, *atque percusserunt eum gladio*, *cumque eo ingentem multitudinem*, *&c.* Nec plures liber, ne tędium obrepat legenti, proferre. Quibus

bus hi teſtes non ſufficiunt vel mille alii non perſuadebunt; quoniam hi auctores ſunt omni exceptione majores. *Moſes Ægyptius* inſigni hoc, & nimis ſuperbo, ipſis elogio nobilitatus: *a Moſe*, (Propheta) *ad Moſen* (Maimonis filium) *non ſurrexit quiſpiam ſicut hic*. *Moſes* R. *Jebuda Levi*, qui *Cozri* compoſuit, tantæ eſt exiſtimationis ut *Divinum* appellent; idque ex conſilio *Rabbi Azariæ*, ſcriptoris *Meor Enaim*, ſuis inculcent diſcipulis, *Cave tibi ne deſeras Levi* &c. *Abraham Ben Dior* ut Doctiſſimus, ita *Sanctus* & *Martyr* habetur. Librum *Juchaſin* ipſe Clar. *Morinus Theſaurum* indigitat *Hiſtoriæ Judaicæ*. Tum quod caput eſt, illi *Hiſtoriæ* & *Temporum*, quod rariſſimum inter Judæos, bene gnari fuerunt; quorum adeo unius teſtimonium præſtat centum triobolariis ſcriptoribus Hebræorum, qui talium rudes ȣ̓ νοȣ̃σι μήτε ἃ λέγȣσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιȣ̃νται. Neque hujus teli ictum ſatis eludet Clar. *Morinus* monendo quod hic ספר תענית *Liber Taanit Talmude ſit longe poſterior; nec confundendus cum tractatu Talmudico ejuſdem nominis & materiæ*. Quaſi tyro hoc poſtremum neſciret; & quoad prius non eſſet omnibus perſpectum hoc in negotio non eſſe attendendam ætatem *Scriptoris*, ſed tempus quo narrat *rem geſtam* accidiſſe; quod tempus non tantum *Talmude*, ſed ipſo Chriſto eſt prius. Poteſt junior Hiſtoricus etiam de rebus dudum geſtis fidem mereri ſin, quid fiet de primis quos habemus? Nec ſolum fides ex libro *Taanit* pendet, verum antiquiſſimo *libello Statutorum*, ספר גזירות quem citat; atque adeo ex ipſis *interdictis* de *non jejunando &c.* quæ non niſi ſedente Synedrio, & ſtantibus Hieroſolymis decerni potuerunt. Videtur iſte Liber Taanit eſſe quoddam Compendium, aut Syllabus decretorum de *Planctu* & *Jejuniis*; & tam vetuſtus ſaltem ut Auctoris nomen, & Libri ætas diuturnitate ſint obliterata. Haud multo melius effugium eſt reſpectu reliquorum teſtium reponentis: *Plerique Sadducæos antiquos cum Karaitis confundunt*. Subinnuendo quaſi ex iſthoc errore tantam iis adſcriberent vetuſtatem. Verum bene eſt obſervandum qui *nomen* aliquod facit commune, non ſtatim ideo *Sectas*, earumque *ætatem* confundit. Qui *Socini* e. gr. opinionem de Chriſto amplectebantur olim a Noſtris Theologis *Ebionitæ*, *Samoſateniani*, *Photiniani*, *&c.* ſæpe vocabantur; neque tamen licite inferam ergo *Ebionitas*, *Samoſatenianos* &c. eoſdem per omnia cum *Socinianis* credebant; & (quod ridiculum foret) non ante *Socinum* natum extitiſſe. Hujus permutationis nominum alia, & niſi fallar, melior cauſa eſt data Cap. 2. Immo tantum abeſt ut hoſce, ſicut *Morinus* cauſatur, *confundant*; ut e contrario potius laudati a me Auctores, ne ab aliis forte confunderentur, accurate diſtinguant. De *Maimonide* jam ſupra probatum. R. *Jehuda in Cozri* aperte loquitur tanquam de diverſis qui *ſe invicem corroborarut*, dum Karæi ſua *conjungebant* ſtudia *cum aliis* (Sectis) *legem oralem rejicientibus*, plane ut audivimus ſupra Maimonidem hoc ipſum affirmantem. Sed de eo latius cum Capite ſingulari inquiſitionem inſtituemus, *an Karæi unquam fuerint Sadducæi proprie dicti?* Jam opus non eſt hanc exceptionem multis refellere, dum Clariſs. *Morinus* tandem agnoſcit *Alios* (addam ego doctiores) *Judæos*, *ingens diſcrimen Doctrinæ Karaitarum & Sadducæorum perſpectum habentes*, *Sadducæos a Karaitis diſtinguere*. His aſſentitur ipſe Vir Doctiſſimus. Adeoque neceſſe habet fateri illam *confuſionem* non eſſe in cauſa, cur *Karaitæ* cenſerentur antiqui; cum Antiquitatem iis ſervent, illi etiam peritiſſimi Judæorum Scriptores, qui diſcrimen inter utroſque perviderunt, notarunt. Excuſſus hoc præſidio, qua rima tandem elabetur? latiſſima; modo ſe Lector præbeat ταχυναϑῆ. Qui bene ſcilicet diſtinguunt, male computant. Hi *in aſſignatione temporis achroniſmum* (inquit) *præcedente vix minorem committunt*. Non credis? Affimat ſimpliciter *Morinus* etſi contra Hebræorum Chronologorum ſtent doctiſſimi. Sumit ille quod in quæſtione eſt, atque ante omnia probandum; Hi probant: Rabbanitæ ex Hiſtoriis, Karæi מקישיהם ex *objectionum* veterum indicio, quæ ſunt totæ *Karaiticæ*, Ambo ex geſtis quæ evenerunt. Denique aſſerit iſte, copiis in arctum concluſis, quod erat in rem ſuam; ut quomodocumque arreptam hypotheſin queat tueri. At vero eruditiſſimi Rabbini, quos adduxi, non levi ſuæ cauſæ præjudicio Karæorum Antiquitatem ultro fatentur; Et quod magnopere notandum eſt, illi fatentur *Rabini*, iiſque in Libris, quos eum in finem ut *Karæis* opponerentur, maxime compoſuerant. Quemadmodum apparet ex *Cozri*. *Abraham Ben Dior* de ſeſe, principio Libri ac fine, id profitetur, & ita de aliis. Jam queſo, quis cordatus ſibi facile perſuadebit acerrimos hoſtes, eadem manu & ſcriptione qua decus & dogmata *Karæorum* pro virili convellunt, tantum ipſis

ipsis Antiquitatis honorem concessuros, nisi rigido examine comperissent hoc iis ex vero deberi?

Sed tantas tandem aliquando lites ipsa *Misna* componat; in qua cum diserta fiat mentio *Karæorum*, extra controversiam esse debet istos jam ante *R. Judam Haccadosch*, *Misnæ* Architectum sub *Antonino Pio*, A. C. circiter 150. ut vulgo putant, & non demum ut Vir Cl. pertendit sub finem VIII. seculi, innotuisse. Reperitur ille locus in Cod. *Megilla*, ubi disquiritur de figura *Tephillin*; ac de loco capitis, & manus cui convenit aptari. Patroni Legis oralis *Pittaciolum capitis* imponunt, secundum *Rambam*, *a principio radicum capillitii in fronte*, *usque ad extremitatem loci quo cerebrum* (cranium) *infantis adhuc molle est*. Manus autem, in *superiore parte brachii qua maxime carnosa est*. At si cogitet aliquis, iis locis quibus mandati finguntur *Tephillin*, legimus אות על ידך ולזכרון בין עינך *signum in manu tua ; & memoriale inter oculos*; id nihil morantur Talmudici Doctores, dum aliter acceperunt per *Kabbalam*; quæ *per se valida, non eget probatione* דברי הקבלה חזקים ואין צריכין חזוק adeoque si quis in *manu* indueret, aut *intra oculos*, audacter id Traditionarii damnant hac *Misna*, his verbis: נתנה על מצחו או על פס ידו הרי זה דרך הקראים *Quod si aptaret fronti, aut palmæ manus, ecce hic modus agendi foret Karæorum*. Nihil est evidentius. Quo igitur vertet sese Cl. Morinus? Cum aliud non suppetit, sollicitat Lectionem, aitque de *Viro egregie docto, qui hunc locum* quoque *attulerat, dum alterius citationi fidit deceptus est*; *fert enim textus* הרי זה דרך המינות *talis est ritus Hæresis*.... & *nusquam* nec in *glossa*, nec in Talmude *est Karaim mentio*. Sane quisquis ille fuerit Vir egregius non est commeritus hanc notam: non modo *deceptum esse*, sed potuisse quod *iterum falsum est*. Si dicere fas est, dupliciter hic magis ratio fugit doctissimum *Morinum*. Verum equidem est in *Talmudis editione Veneta* omnium prima, hic loci מינות excusum; at non minus verum in duabus aliis editionibus, *Basiliensi* & *Amstelodamensi* quas consului, clare legi קראים. An istas Parisiis, ubi locupletissimæ patent Bibliothecæ, non vidit? an ergo *nusquam* mentio habetur קראים? Potuit editio Veneta, primo partu, licet elegantissimis characteribus descripta, sequi exemplar M. S. hic non satis exactum; potuit Editor habere suas causas, dum pauci erant inter Christianos hujus Literaturæ cultores, ut *Karæis* etiam redderet vendibiliorem; potuit aliud subesse, de quo conjecturam permittimus Lectori. Hoc certum est *Basilieses* & *Amstelodamenses* non caruisse suis rationibus cur קראים & non מינות, a Veneta discedentes, excuderent. Et quænam potior, quam quod consultis pluribus M. S. S. in iis vocabulum קראים invenerint? prout secundæ curæ, & editiones, plerumque solent esse meliores. Amstelodami equidem doctissimi sunt Judæi. Plena iis libertas, & nulla, quæ alibi sæpe, vel celandi vel interpolandi necessitas. Quicquid sit, etiamsi jam legeretur מינות nihil admodum profecerit Cl. *Morinus*; quia vel sic esse accipiendum *de Karæis*, quorum מינים est familiare cognomentum, summi docent Explanatores, *Maimonides*, *Jarchi*, *Bartenorah*, &c. *Maimonides* וה דרך מינות לפי שהוא הולך אחר לשון התורה ממש לפי דעתו *hæc via est Hæreseos, quæ observat Legis dictiones proprie, ex sensu suo, acceptas*. *Bartenorah*, הרי זה דרך מינות שבוזים דברי חכמים והולכים אחר משמעות המקרא *Ecce hæc via est Hæreseos, quæ contemnit verba Sapientum, & sequitur Literam scripturæ*. *R. Schelomo Jarchi*, celeberimus Talmudis Commentator, ante 600. Annos fere, jam sic legit, aut ad minimum fuit interpretatus, הרי זה דרך הקראים שמבזין מדרש חכמים והולכין אחר המשמע וגו׳ *hæc ratio agendi Karæorum qui spernunt expositiones Sapientum, literalem sensum secuti*. Si his non auscultet, si aliam *Sectam* intelligi velit *Morinus*, nominare debuisset. Non poterat. *Sadducæi* enim, vel teste Hieronymo, diu ante desierant. Relinquitur ergo, in *Misna* sive ῥητῶς nominari, sive certo designari *Hæresin* Karæorum; quorum in *Cozri* & passim definitio est quam hic dant interpretes quod *propriam sapientiam & sensum literæ in* exponenda *Lege* sequantur. Hæc de Textu; cujus dum lectionem carpit V. D. genuinum quoque sensum non satis videtur assecutus. Vertit enim: *talis est ritus hæresis*; quod eum, nisi fallor, sensum fundit ac si illa collocatio תפלין de qua *Misna*, esset *ritus* & ceremonia illorum *Hæreticorum*. At hæc mens non fuit Auctoris. Ubi namque Morinus *Hæresin*, a Rabbanitis sic vocandam, in Historia Judæorum inveniet, quæ hunc *ritum* usurp averit? *Karæi* nusquam adhibent. Ita nec Sadducæi; præterquam quod illi non amplius supererant. Sed hoc voluit Misnæ promus, si quis *Tephillin* admittens, existimaret alligari debere in *fronte*

te & *manu* vi verborum Exod. 13. 9. illum insistere *vinm Karæornm*, *aut Hæreticorum* in eo quod secundum *literam* & *opinionem suam* S. Scripturas ,acciperent; cum tamen רבותינו דרשו בגזירה שוה בין עיניך זה קדקוד וגו' *Rabbini exposuerint*, *argumento a pari*, *inter oculos tuos*, *id est in vertice*, &c. ut *Raschi*, ex Maff. מנחות hic annotavit.

Superest ut breviter de primo usu *nominis* קראים aliquid addamus. Ait Clar. Morinus, *non nisi post publicatum Talmud .... reperietur nomen Karraitarum*. Id sequitur ex priori, nam si nequidem ante *orti* sint, speciali hoc nomine, ante non inclaruerunt. Quandoquidem jam altior Sectæ constat origo, de nominis illa minus videtur laborandum; quia nomina cum tempore variant, & subinde mutantur. Levioris itaque momenti hæc est velitatio. Quamobrem verbo tantum notamus, contrarium tamen hujus assertionis, quam tam secure ponit Doctissimus Morinus, similius vero videri, ex iis quæ attulimus. Memoria etenim קראים in Disputatione Regis *Cozar* cum Judæo doctore æram *Talmudis* absoluti *Morinianam* antevertit. Si *Misna* hoc vocabulum repræsentet, ut plane est probabile, nullum dubium restat. Liber *Taanit* & *Abraham Ben Dior* jam tempore *Al. Iamnæi Karæos* hoc nomine inducunt. Id si quis dicat per anticipationem factum, non dicendum sed probandum est. Sectarum appellationes quæ a Dogmate desumuntur solent fere esse priores, & æquævæ dogmati suppullulanti; dum enim Auctor initio latet sæpe, vel incertus est; & tamen enata Hæresi opus est nomine distinctivo ut de ea loqui possimus, nihil promtius meliusve ad manum est quam nomenclaturam statim indere a primario capite doctrinæ quam profitentur. Id omnibus seculis fuit usitatum. Tale vero est nomen קראים. Neque de nihilo forte est quod *Maimonides* animadvertit hoc nomen cœpisse in *Ægypto*; nam ab *Alexandria Ægypti* redux *R. Schimeon Ben Setach*, ut narrant Karæi, incepit hæc legis oralis mysteria venditare atque urgere. Tum קראים Karaim vocabantur, ceu observavimus, in malam partem & dicterio; ad dicteria erant *Ægyptii* & præcipue *Alexandrini* propensissimi, exemplis sine numero obviis in historia; etiam optimi Principis *Vespasiani* quem κυβιοσάκτην *vocare perseverarunt*. Non video quid vetet suspicari, Disputationis acrimoniam mature satis, Alexandrina scurrilitate, hoc cognomentum peperisse, ad contumeliam quasi

(ut Nostri Reformatores audiebant *Evangelici*, &c.) a se tamen quod Legem scriptam propugnarent, in materiam laudis postea convertendam. Sed hæc conjectura magis esto, erudito Lectori arbitranda, quam definita sententia. Sicut & hoc quod sequetur. *R. Elias Levita Germanus* meminit cujusdam *R. Eliezeris* quem *mortuum suæ ætatis homines plangebant elogio* קראי (ejusdem formæ cum בנאי) quod significet *exercitatum in Bibliis*. Etsi non nimium refragari velim, meretur tamen disquiri, an hoc non etiam ad superiora queat pertinere. Nisi ita sit, dicant mihi Viri Docti si קראי sit nomen appellativum ut בנאי cur igitur nec Kimchi in *Michlol*, nec *Aruch*, aut *Mousaph Aruch*, nec *David de Pomis*, neque ex iis Celeberrimus *Buxtorfius*, qui sunt Doctissimi Lexicographorum, illud hoc sensu exhibuerunt? si non subodorati sint Hebræi eo spectare, quod silentio potius obruendum sibi statuerent, secundum illud vulgatum de *Karæis* שרי' *nomem impiorum putrescat*. Bene multi fuerunt *exercitati* in S. Literis; deberet itaque, si hic sensus subesset, hoc elogium esse frequentissime datum, & plurimis; ut חסיד, חכם, גדול &c. at nunc admodum paucis, & obscurioribus, id invenitur tributum. Denique ii qui inter *Rabbinos* jam peritiam Scripturæ habebant, non tam ea laude quam quidem *Kabbalæ* notitia censeri voluerunt. Quibus hæc familiaris admonitio: *Mi fili attende magis ad verba Scribarum*, *quam ad verba Legis*. Illud quodammodo colligi posset ex historia *R. Jochanan* & *R. Eliezeris*. Si idem sit cum illo *Eliæ* (nam plures sunt ὁμώνυμοι) personam; sin alius, rem tamen declarabit. Ad verba Exod. 34. 27. כתוב לך את כל הדברים *Scribe tibi omnia hæc verba*, observabat *R. Eliezer* תורה רוב בכתב ומעות על פה *Lex plurima in Scripto*, *pauxillum in Ore*; hæc sapiunt *Karaismum*, contra *R. Jochanan* dictitabat: רוב על פה *plurima oralis*. Quia dictum est על פי *Secundum OS borum verborum percutiam fœdus*; &c. Hæc sententia, hoc argumentum palmarium est *Rabbanitarum*. Et quando Elias Levita קראי ibi explicat per בעל פסוק *Dominus Scripturæ*, hæc explicatio etiam mirifice congruit suspicioni, quandoquidem בני מקרא *filios Scripturæ*, בעלי מקרא *Dominos Scripturæ*, notissimo ἑβραϊσμῷ, sese *Karæi* ordinario appellant. Multa quoque a *Karæis* profecta inveniri in Rapsodia *Talmudis*, ipsi quidem affirmant. *R. Aaron Karæus* in libro suo המבחר *Hammubhchar* loquens de *Talmude*,

de, & *Rabbot*, &c. רוב אמריהם דברי אבותינו הם *Multa dicta*, quæ ibi habentur, *sunt verba majorum Nostrorum* quæ illi sublegerunt; quemadmodum etiam Evangelii quasdam Parabolas. Et hæc non minima ratio videtur, huc usque non animadversa, tot contradictionum quæ illic occurrunt, & sententiarum quæ ipsi Talmudicæ Doctrinæ sunt injuriæ. Verum id ἐν παρόδῳ. Adjungamus quod de *R. Jochanan*, & eodem *R. Eleazare* ejus *Discipulo socioque* legitur in *Juchasin*; quomodo, quia tutum non erat aperte, modestiæ prætextu declinaverit *Kabbalam* discere: *dixit R. Jochanan* ad huc *R. Eleazar*, *Veni & docebo te* (hebr. אגמרך unde *Gemara*) *opus Quadrigæ*. cui ille respondit: לא קשאי *nondum senex sum*. Cum jam *R. Jochanan* fatis concessisset *R. Ase*, illum adortus est, *veni* &c. iisdem verbis, regerentem: *quod si dignus fuissem, jam didicissem a R. Jochanan magistro tuo*. Unde tale Judicium incurrit אם יכפור רבי יוחנן ברבי אלעזר תלמידו לא יכפור ברבי ינאי רבו si *R. Jochanan abnegabit R. Eleazar Discipulum suum* (eodem loquendi modo qui est Matth. 10. 33.) *non abnegaturus est R. Jannai suum præceptorem*. Ausus fuit idem *in partes ire* (חלק) *de ratione sanctificandi Neomenias*; quæ princeps quæstio est qua *Karæi* a *Rabbanitis* distrahuntur. Si ista non conficiunt R. Eliezerum הקראי fuisse Karaitam & *nomen* istud jam olim iis inditum, de quo judicent Docti; hoc saltem novo documento evincunt, *Karæorum* dogma antiquius esse quam credi voluit *Scaligeri* Antagonista.

CAPUD IV.

Antiquitas dissensionis probatur rerum documentis, in omnibus Festis, ex variis auctoribus M.S.S. *Diversitas in tempore* Neomeniæ. Mactandi agni Paschalis, & comburendarum reliquiarum. *In* Festo Pentecostis; *quid* Crastina Sabbathi? *Pentecoste* Karæis *semper incidit in diem Solis. Disputabant* Karæi *contra Beth Hilel. Jam tunc istæ Partes duæ inter Doctores Hebræos. In* Festo Expiationis; *ubi controvertitur* tempus, *& locus ubi S. Sacerdos incendet Suffitum. Origo* Juris Jurandi *ab eo dati. In* Festo Tabernaculorum *dissensus de* genere Arborum, *de* Mensura *Tabernaculorum*, *de* ניסוך המים Aquæ effusione. Joh. 7. 37. *Sacerdos quidam effudit aquam ad pedes*, &c. *Hi non proprie* Sadducæi *sed* Karæi. *Objectiones contra Antiquitatem* Karæorum J. Morini, & R. Simonii *confutantur*. *Hebræis olim* literæ *quædam* Vocales.

Poterant hæc satis ad institutum, & probandam Karæorum antiquam Originem videri. Nam præter Doctrinæ σύγκρισιν ad quam hi provocarunt, non aliunde melius cujuscumque Societatis Vetustas, quam ex narrationibus veterum Scriptorum intelligi potest. Quibus si accedat ipsorum quoque hostium testificatio, omnis ansa præcluditur ambigendi. Verum quia rerum quoque documenta nobis ad manum sunt quæ verbis præponderant, & eadem opera aliqua forte minus intellecta possint illustrari, age, ejusmodi quædam pro Coronide addamus; objectionibus Clar. Morini simul hoc capite responsuri. Procedat itaque in numerum hæc observatio, non pauca Doctrinæ & Rituum capita de quibus Karæi cum *Rebbanitis* contendunt, jam olim longe ante obsignatum Talmud, imo ante excidium Reipublicæ utrimque agitata fuisse; adeoque eorum dogma, & ob dogma dissensum jam tunc viguisse; etiam in ejusmodi ritibus, quibus destructo templo non adeo vel locus erat, vel occasio. Utque id pateat evidentius, quia nihil æque publicum atque illustre est in Judæorum gente, quam *Festorum* solennitas, ostendemus breviter in uniuscujusque Festi observantia fuisse aliquid in quo pertinaciter usque ad hunc diem discreparent. V. G. in figendo die *festi Neomeniæ* disputant an fieri debeat בראייה ex *apparitione novæ* Lunæ, an בחשבון ex *Calculo Astronomico*? quod censent Rabbanitæ; de eo jam olim dissensere. תיקון הקראים *Tikkoun Hakkaraim* M.S. iis exprobrat quod *Sacrificium Novilunii* aliquando offerant adhuc *Luna vetere* haud plane præterita, adeoque contra Legem, & rationem. Verum inquit אנחנו הקראים אין עושין זה הדבר הרבנים אבל ראשי חדשים כל אחד ואחד בעירו ובמקומו *Nos Karæi non ita hanc rem facimus ut Rabbini, sed Capita Mensium singula suo constituta tempore & loco*. Id pervulgatum est; non item quod hæc altercatio sit adeo antiqua, ut jam *R. Eliezer* חולק עם רג׳ בקידוש החודש אבל אחר שמת רבן גמליאל רצה רבי יהושע לבטל דבריו *disputaverit contra R. Gamaliel*, (qui erat Astronomiæ peritissimus ut Talmudici narrant) *de ratione Sanctificandi Neomeniam*; ea vi & applausu, ut *mortuo Rabban Gamaliele R. Josua voluerit omnia ejus verba* (statuta) *antiquare*; & absque intercessione *R. Jochanan*

nan factum fuisset. Tum gloriantur *Karæi* quod non per Calculum Astronomicum, sed methodum suam recte disposita fuerint *Sacrificia*. זה טוב ואמת ועשו הקרבן בחדשו ככ׳ בתורה עולת חודש בחדשו ואם יעשו ראש חודש בלא ראייה לא יתכן כי הם יעשו ראש חודש בלא ראייה חסר ואולי אותו החודש היה מלא ועשו בזו החודש שעבר שני קרבנות ברשיתו ובאחריתו והחודש הבא יצא בלא קרבן וזה חטא ועון *Hoc* (Karæorum institutum) *verum probumque est. Namque illi faciunt Sacrificium in mense suo, secundum id quod scriptum extat in Lege, Holocaustum novi mensis in mense suo; at vero si faciunt Novilunium citra apparitionem* (Lunæ) *hoc sibi non recte constabit. Neglecta enim apparitione facient* V. Gr. *Mensem cavum qui sit plenus, atque ita in isthoc mense qui præteriit facient duo sacrificia, unum initio alterum in fine; & sequens Mensis sine sacrificio abibit quod magnum est peccatum & iniquitas.* Unde, fatentibus quoque *Rabbanitarum* Primoribus, illa *Karæorum* methodus בראייה *per apparitionem* (Lunæ) quicquid reclamat *R. Saadiah*, cum maxime sub Templo secundo obtinuit. Primum Anni *Festum*, ex Majoribus, est *Pascha*. Super hoc de variis digladiantur, docente R. Eliahu Karæo in Libro אדרת *Adderet*: בזמן שחיטת הפסח primo *de tempore mactandi Agni Paschalis*, ubi hæc notabilia leguntur: ולכן נחלקו תורות (an תורות sit legendum vix liquet) חכמי ישראל לשתי גדולות התודה האחת הם חכמי הקראים שאומרים שהפסח היה נשחט אחר שקיעת השמש שיקרא הזמן ההוא בין הערבים והתודה השנית הם בה׳ שאמרו שבין ערבים הוא משעת נטות השמש לפאת מערב משש שעות ומחצה מהבוקר וכל׳ *Et propterea scissi sunt Sapientes Israelis in duas Confessiones*, (an Leges?) *Magnas: UNA CONFESSIO erant Sapientes Karæorum, dicentes quod Pascha mactandum sit post occasum Solis; quoniam hoc tempus est quod proprie vocatur inter Duas Vesperas. CONFESSIO SECUNDA erat Beth Hillel, statuens quod inter duas Vesperas sit a tempore quo Sol inclinat ad latus Occidentis, id est a Sexta hora & dimidia, si diem numeres ab ortu.* Deinde lis erat de *Die* quo *cremandæ reliquiæ* cœnæ Paschalis. Idem *R. Eliahu*: אמנם בשריפת הנותר אמר בה׳ שהיה נשרף ביום יו׳ כי כן פרשו ומאמתי אתה שורף מועד צאתך מארץ מצרים רל׳ שינתן לבית השריפה וישרף ביו׳ ופירשו במאמר ולא תותירו ממנו עד בוקר והנותר ממנו עד בוקר באש תשרופו נתן בוקר על בוקר ללמדך שהנותר ישרף עד בקרו של שני....ואמנם חכמינו עה׳ אמרו שהיה נשרק ביום טו׳ לפי הפשט הנכון.... הבוקר הוא אחר באמרו שהוא בוקר טו׳ וכו׳ *Equidem de comburendis Reliquiis statuit Beth Hillel quod sint cremandæ die* XVI. *Sic enim sciscunt, a quo tempore tu comburis? tempore exitus tui ex terra Ægypti* (Deut. 16. 6.) *ac si hoc vellet dicere quod ferendæ essent in domum Combustionis die* XVI. (eo nempe supponunt Israelitas egressos) ideoque sic exponunt illud dictum Exod. 12. 10. *Et non relinquetis aliquid ex eo usque ad Mane, & quicquid ex eo supererit usque ad Mane igne abolebitis; ponitur Mane juxta* (alterum) *Mane, ut inde discas quod residuum comburetur Mane diei secundi. At certe Sapientes nostri super quibus pax censuerunt quod esset comburendum die* XV. *secundum simplicem & aptissimum sensum; nam illud Mane* (quod ajunt bis repeti) est *unum idemque mane diei* XV. *&c.* Denique controvertebatur de multis aliis: de Die quo liceret *redire* domum *ad tentoria*, de quo multis agit R. *Aharon Eliæ filius* M. S. & pro altera parte *Aben Ezra* ad Deut. 16. 7. Etiam de *Personis*, ad quas *oblatio Paschatis* הקרבת הפסח spectabat. Iterum *R. Eliahu*, scriptor *Aderret*: אמנם בה׳ חייבו הנשים בהקרבתו אבל אם נדחו בפסח שני הם ברשות רל׳ הדבר תלוי ברצונן להקריב או שלא להקריב וראוי לתמוה בזה כי למה נתחייבו בראשון ולא בשני והנה בחיוב הפסח אין הפרש בין פסח ראשון לפסח שני סוף דבר חכמינו עה׳ פסקו ואמרו שזה אינו חיוב אלא לזכרים הבוגרים *Domus Hillel utique obligant mulieres ad ejus* (Paschatis) *oblationem*, sic ajunt, *sed si a Paschate primo impediantur, Secundum iis esse liberum; hoc est rem pendere ex illarum arbitrio sive velint, sive nolint, facere oblationem. Quod sane merito subit mirari. Cur enim obligantur ad Pascha primum, & non ad secundum? cum, ecce, inter Pascha primum & secundum nullum discrimen sit quod quidem attinet obligationem. Summa est, Sapientes nostros supra quos pax* (aliter) *decidisse, dicendo nullos ad hoc teneri nisi mares, jam pubertatem adeptos.* Hinc fieri potest quodammodo judicium de itinere *Mariæ*, & D. *Jesu* duodecennis, ad Festum *Luc. Cap. secundo*.

In festo *Pentecostes* magno sententiarum divortio quærebatur, unde *septem Hebdomadæ* numerandæ caperent *initium*, & in *quem* septimanæ diem *Pentecoste* incideret? Numeratio dierum quinquaginta, quot inter *Pascha* & *Pentecosten* erant interjecti, ex præscripto Legis inchoanda erat ab *Manipuli*, sive τῦ עומר, obla-

blatione, Lev. 23. 15. Manipulus vero offerendus ממחרת השבת ibid. *Craſtina Sabbathi*. Cujus phraſeos ambiguitas ingens rurſus peperit diſcidium. *Karæi* definiebant hoc Sabbathum intelligendum de *Sabbatho* κυρίως & *Septimo die*, quem שבת בראשית *Sabbathum Creationis* ordinario vocant. Traditionum Defenſores, de *Die Feſto*, & *primo azymorum*, quem *Sabbathum* analogice cenſebant appellari. *R. Eliahu Karæus* hoc argumentum fecit Capiti 1. בראיות שהביאו בה' לאמת שמחרת שבת הוא מחרת יט הראשון משבעת ימי מצה והתשובות עליהן. *De probationibus quas adducit Domus Hillel ad confirmandum quod* מחרת השבת *Craſtina Sabbathi* Lev. 23. 15. *ſit Craſtina diei Feſti*, *ſive primus* VII. *Dierum Azymorum*; *& reſponſiones ad eas*. Caput IX. ipſi eſt בספירה *de ratione numerandi*, ubi hæc lego: אמנם חכמי ישראל בזמן הספירה נחלקו לשני חלקים האחד דעת חכמי הקבלה שאמרו ראוי להיות הספירה בערב כדרך ימי התורה שהם מערב עד ערב, והשני הם חכמי מקרא שאמרו שהספירה ראוי להיות בבוקר שתחלה היא מיום הבאת העומר שהיו מקריבין אותו בבוקר כימי הקרבנות שהם מבוקר עד בוקר .... אמנם חכמינו נתנהגו לספור בבוקר בזמן הקרבת העומר *Cæterum Sapientes Iſrael N. B. eo tempore quo numerabant* (dies Pentecoſtis) *ſcindebantur in duas partes*. *Una erat opinio Doctorum Kabbalæ*. *qui dicebant eſſe conſentaneum ut numerandi initium fieret a Veſpera*; *eodem modo quo dies in Lege a Veſpera ad Veſperam computantur*; *Altera erat Sapientum Scripturæ*, *qui ſtatuebant convenire ut numerarent a Mane*; *quoniam initium erat ſumendum a die oblationis Manipuli quem offerebant Mane*, *habita ratione Dierum Sacrificalium*, *qui procedunt a Mane uſque ad Mane* .... *Utique SAPIENTES NOSTRI CONSUEVERANT NUMERARE A MANE EO TFMPORE QUUM OFFEREBATUR MANIPULUS*. Porro hinc conſequebatur quod ipſe *Pentecoſtis* dies *Karæis* incidat in *diem primum Septimanæ*, qui *Solis*. Variis rationibus hanc ſuam expoſitionem ſubtiliter ſtatuminant, etiam ex *Joſua*. Auctor חלוק M. S. יהושע מעיד בכם חג השבועות לעולם אחרי שבת בראשית *Joſua etiam contra vos teſtatur quod Feſtum Hebdomadum perpetuo agatur* (die) *poſt Sabbathum Creationis* hoc eſt VII. luce. Verum illa fundamenta commodiore loco (ſi Deus velit) proferentur. Illud hinc modo teneamus jam חלקים duas PARTES fuiſſe, Karæorum & Kabbaliſtarum *eo tempore quo* adhucdum *offerebatur manipulus*, ſtante Templo ſecundo; *diſputationes* crebras viguiſſe inter eos, & *Domum Hillel*, quæ paſſim ad partes vocatur; eorum rationem figendi Neomenias, quæ fuit eadem Antiquorum Prophetarum, adhuc diu obtinuiſſe, & *Sacrificium Novilunii* juſto tempore ideo peractum; quæ omnia clariſſime his teſtimoniis continentur. Quamquam una fatendum eſt inde poſt *Alexandram* Rabbanitarum ſententiam, & partes fere potiores fuiſſe, uti videbitur inferius. Perſequamur reliqua. Sanctiſſima Diei *Expiationum* ſolennitas, quæ pacem inter homines præviam exigens, cum Deo faciebat Τυπικῶς, diſſidentes tamen de hac ipſa ceremonia opiniones in gratiam reducere haud potuit. Conſtitutus erat huic operi *Dies* x. *Menſis ſeptimi anni Sacri*, qui eſt *Tiſri* Lev. 16. 29. & Cap. 23. 27. Occaſione calculi Aſtronomici, in ſacra tempora ab Rabbinis introducti, recurrit hic iterum Quæſtio de *tempore*. Exprobrantibus *Karæis*, quod *Rabbini* diem qui revera *nonus* Menſis, aliquando pro *decimo* celebrent. In Libro *Cozri*: והם מקשים להם בראיית ירח תשרי אין צמתם צום כפור בתשעה בתשרי *ipſi* (Karæi) *difficultatem Rabbanitis objiciunt ex* φάσει ſive *apparitione Lunæ in Tiſri* (dicentes) *numquid jejunatis jejunium Cippour nono menſis Tiſri?* (qui reſpondet noſtro fere Septembri) cum Lex tamen præceperit *decimum* diem. Ad hæc ita commentatur *R. Muſcatus*, ex Verſione Clariſſimi, & Meritiſſimi *Joh. Buxtorfii*: *Apparet illos contra nos argumentari a corruptela aliqua quæ ſequitur ex recepta noſtra ratione intercalandi*, *juxta quam conſtituimus tempora ſtata & ſolemnia*. *Reſpiciunt enim ad id quod ex noſtra Intercalatione Auguſtus perpetuo ſit Cavus* (*Parentheſi incluſit Celeb. Buxtorfius* imperfectus dies habens dutaxat 30. *errore ut par eſt credere typographico pro* 29.) *accidit autem ſæpiſſime ut Phaſis Lunæ poſtmodum demum fiat*.... *ideo hic inveniunt occaſionem nobis opponendi* .... quia celebrabitur *dies nonus*, *cum deberet eſſe decimus*. Cum maxime autem diſceptabatur de officio *Summi Sacerdotis*, ingreſſuri eo die Sanctum Sanctorum. Quando deberet *Thymiama* prunis imponere, adeoque fumi nubem excitare, num *ante velum*, priuſquam pedem inferret? an vero *poſt velum*, jam coram Arca conſtitutus? ſub nomine *Sadducæorum* & *Baithoſæorum* rem narrant *Talmud Hieroſolymitanum*, atque ex eo Liber ספרא *Siphra* ſeu תורת כוהנים & *Maimonides* in יד חזקה. Plenius habet *Siphra*, inde igitur petamus. והביא מבירת לפרוכת ונתן את הקטורת

הקטורת על האש לפני יי' שלא יתקן מבחוץ ויכניס מבפנים שהרי הצדוקים אומרים יתקן מבחוץ ויכניס מבפנים אם לפני בשר ודם עושין כן קל וחומר לפני המקום ואומר כי בענן אראה אל הכפורת Lex habet Lev. 16. 12. 13. *Inferet intra velum & ponet incensum super ignem coram Domino*. Ad quæ notat *Siphra*; *inde habetur quod non parabitis extra velum, ut sic eat intro, quemadmodum Sadducæi dicunt, imponetur extra velum, & ita se recipiet intro; etenim si ita agamus cum carne & sanguine* (credo velle dicere cum *Rege*, quem non licet irretorto oculo audacter contueri) *quanto magis cum Deo omnipræsente? Iterum, propterea quod dictum sit Lev. 16. 2. in Nube videbor super Propitiatorium*. Hæc erant argumenta *Karæorum s* Urgent e contrario Rabbanitæ *Ordinem*, quo Textus agenda enarrat : אמרו להם חכמים והלא כבר נאמר ונתן את הקטורת על האש לפני יי' איני נותן אלא בפנים *Responderunt nostri Sapientes nonne antea dictum est ponet suffitum super ignem Coram Domino? unde consequitur quod non immittat nisi intro*. Quod de *conspectu Dei in nube* allatum retorquent, ex vers. 13. Levit. XVI. ex quo volunt inferre *Nubem* illam formandam ex מעלה עשן *Adscensu fumi* Suffitus; illam vero nubem non *adscensuram* nisi intra velum adoleat. Plura non sunt hujus loci. Neque etiam definire utra sit verior sententia, Lector arbitretur. Addimus modo ex *Maimonide* quod illa Hæresis צץ בימי בית שני בישראל. *Jam floruit in Israele, diebus Domus secundæ*; & originem dederit huic mori, quo Summum Pontificem, vespera Diem expiationis præcedente, hoc jure jurando adigebant משביעין אני עליך במי ששוכן את שמו בבית הזה שלא תשנה דבר מכל דבר שאמרנו לך *Adjuramus te per Eum, cujus nomen habitat in hac Domo, quod nihil immutabis ex omni re quam tibi ediximus*; causa erat quod nemo posset speculari quomodo ageret, postquam solus ingressus esset Sanctuarium. לפי שהיו חוששין בבית שני שמא כוהן גדול זה נוטה לצד אפיכורו' *Et in Domo secunda suspicandi esset ratio, ne forte ille summus Sacerdos inclinaret ad Epicuræos*.

In Festorum Serie ultimum est *Tabernaculorum*; sed primum fere, aut potissimum, ex quo illa jam olim dissensio queat agnosci. Ex plurimis tria tantum adducam quæ hic statuerunt Traditores, repugnantibus licet vehementer Karæis. 1. Multis illi desudant, quæ *Arborum genera* in construendis istis Tabernaculis sint eligenda? quid sibi velit Lev. 23. 40. פרי עץ הדר an *Malum citreum*? quid ענף עץ עבות? quod vertunt *ramum Arboris densarum frondium, &c.* Ubi melius rem videntur percepisse *Scripturarii*; *R. Eliahu* in libro *Adderet* ita disserente: לא לפי מה שאמרו שמאמר בעלי הקבלה ולקחתם לכם ביום הראשון פרי עץ הדר באילנו והוא אתרוג וכפות תמרים הוא לולב ולפי דעתם חסר ויו אמנם מאמר וענף עץ עבות פרשוהו עץ שבו עלים על דרך שלוש מגזרת מעשה עבות שיורה על השלוש וזה חוץ ממהות הלשון כי זה בקמץ העין והוא בשוא והחכמים פרשו עבות מגזרת בין עבותים היתה צמרתו והוא מין ארז ואחרים פרשוהו אילן העבתנים וכל' *Non secundum ea quæ dixerunt Patroni Kabbalæ, quod dictum illud*, Capietis vobis die primo fructum arboris Hadar *significet qui manet in sua arbore; id est* malum citreum, *& ramos Palmarum, esse* Loulabh; *ubi ex ipsorum judicio deficit* ו. *Illam vero periodum* וענף עץ עבות *explicant de arbore in qua folia sunt quasi triplicata secundum Analogiam* loci Exod. 28. 14. מעשה עבות *quod triplicatum quid importat. Verum id est contra linguæ qualitatem; in isto enim* y *cum Kamets est, in hoc cum scheva. Sed Sapientes* (nostri) *vocabulum* עבות *interpretati sunt secundum rationem istius* Ezech. 31. 3. inter עבתים... *& hæc Cedri est species; licet alii accipiant de arbore pistacea, &c.* quæ iis in oris lætissima provenit. 2. Scrupulose *Rabbanitæ* definiunt altitudinem, latitudinem, totamque *mensuram* hujus Tugurii; absque qua sit פסולה *Profana*; at reclamarunt Nostri apud Celeberrimum doctrina, stylo, & antiquitate ipsis Doctorem, *R. Schalmon Ben Jerouchbam* qui *R. Saadiæ* σύγχρονος in eum scribens, ait in elegantissimo carmine אין מדת ציצית וסכה בתורה מדודה *Mensura Zizit, aut Tabernaculi nulla in Lege definita est*. 3. Tandem, extra Scripturam obtruserunt *Rabbanitæ* ceremoniam, ultima Festi luce cum maxime, ניסוך המים *Effusionis Aquarum*. boni ominis ergo, de largissima *pluvia* a Deo demittenda. Stulte enim sibi imaginabantur Deum eo tempore condere decretum de *pluvia* Anni sequentis. Eoque obtorto collo rapiebant locum Jos. XII. 3. Displicuit mos iste *Karaitis*; quodque gloriæ ipsis duci debet, haud magis Christo Domino probabatur Joh. 7. 37. Fatebantur quidem Rabbini apud *Maimonidem* שיש לו רמזים נסתרים בתורה quod *sint quidem illi* (ritui) *arcanæ significationes in Lege*; sed ideo *stans ultimo, magnoque, Festi die* in Templo, & pue-

rilem

rilem hunc morem conſpiciens Soſpitator eos *ab Arcanis* quæ fruſtra in humano commento quærebant, ab inani iſthoc ſenſu, & ludicra traditione ad verum *aquæ Moſaicæ* myſterium, ad promiſſi *S. Spiritus fluenta*, ad *rivorum* cœleſtium Gratiæ, Gaudiique *hauſtus* per fidem, quo *Moſes* & *Prophetæ* reſpexerant, benigne ad *Seſe* invitans, revocabat. Et eo uſque quidem hæc recens traditio Sanioribus diſplicebat, ut *Sacerdos quidam*, hoſtis ἐθελοθρησκείας, aſpectante populo, ringentibus Pharizæis, aliquando Simpulum aquæ ſibi datum huic uſui indignabundus, inter Sacra, *ad pedes ſuos effuderit ;* Quod quidem tam ægræ ferebant, ut *malis citreis*, quæ manu geſtabant, illum e veſtigio *obruerent*. Quinam, & quare *libationi aquarum* fuerint adeo infeſti, declarat *Moſes Ægyptius* in Commentariis : אותן שאינן מאמינין בתורה שבעל פה אינן מאמינין בניסוך המים ולפיכך כשנסך זה המים על רגליהו רגמוהו כל הע' באתרוניהם *Qui non credebant Legi Orali, non etiam recipiebant Libationem Aquarum. Proinde cum ille effudit ante ſuos pedes, ipſum tota congregatio ſuis Citreis impetivit*. Ex hoc igitur genere erat iſte *Sacerdos*; adeoque jam tunc opinio viguit *Karæorum*. Non video quid his aliqua ſpecie poſſit opponi; niſi aliquis cum Cl. *Morino* iterum velit excipere, quos memoravimus Sacerdotes in *Feſto Expiationis* & *Tabernaculorum* Pharizæis repugnantes, *Sadducæos* ſtricte dictos, non vero *Karæos* noſtros fuiſſe, quia hic aut ille ita vocaverit. De qua Nominis confuſione ſic ſatis ante dictum eſt, & plura Cap. ſeq. dicentur. Sed ad abundantem cautelam hos non impios hujuſmodi *Sadducæos* habendos evidenter ſane poteſt oſtendi. Nullo enim modo hoc innuit *Talmud* generaliter tantum vocans אחד *unus*, &c. Si *Maimonides* in Commentariis dixit eum צדוקי, alibi vocavit מין, rurſus in *Hilcoth Tamid* אפיקורוס, quomodo monuerunt *Karæi* jam dudum ſeſe ab inimicis appellari. *Definitio* quam dat Maimonides. Quod *non crediderit Legi Orali*, *Karæum* ſuadet. De *poſtridie Sabbathi* unde dies *Pentecoſtis* numerandi, *R. Moſes Græcus* Rabbanita decertans, etſi eos nomine צדוקים traducit, facile intellexit *R. Aaron* auctor Libri המבחר illud ad ſuo *Karæos* pertinere, ideoque refutat ejus objectionem in libro *Addere Eliahu* his verbis conceptam, אמר הצדוקי כי בעבור שאמר הכתוב השבת בהא הידיעה מורה שהוא על שבת בראשית. *Dicit Sadducæus quoniam Scriptura dicit* השבה cum ה *demonſtrativo illud docere accipiendum eſſe de Sabbatho creationis*, &c. At tamen, ut paulo ante vidimus, hæc dicebant *Karaitæ*. Et ſi vel illi tacerent, clamat res ipſa. Qua etenim de cauſa noluerunt quidam Pontifices ingredi Sanctum Sanctorum quam *nube* ſuffitus prius excitata, niſi ex reverentia? ne Divinæ Majeſtatis antiquam ſedem, & *horribile gentis Arcanum* audacius, & γυμνῇ quaſi κεφαλῇ contemplarentur, quod ne quidem *a rege mortali* toleratur? cur דקה דקה id eſt, *minutiſſima* tundebantur aromata illius incenſi, niſi לכפר על הנשמות שהיה דקה *ad expiationem animarum, quæ ſunt ſubtiliſſimæ*, ſicut tradit *R. Abraham:* M.S. Quonam tandem modo hinc, illi Deum מקום ſupra ſalutarent, titulo *omnipræſentiam* inferente? Aut inde, interpoſita juris jurandi religione contra *mutationem* ſui ritus ſe tutos æſtimabant ſuſpicaces *Pharizæi*, ſi revera hi fuiſſent *Sadducæi*, quibus *Dei* immenſitas, Spirituum exiſtentia, Divina Providentia & cura rerum humanarum ſunt ludus? Hoc ergo tandem aliquando firmum maneat & conſtitutum pro illuſtri Scaligero, contra Doctiſſimum Joh. Morinum Karæorum Dogma & Doctores jam ante excidium templi ſecundi in lucem prodiiſſe.

Nihil itaque jam reſtat niſi ut quam nulla vis inſit contrariis Viri Docti argumentis, quam illa ſint foliis *leviora*

—— tunc cum ſine pondere ſucci,
Mobilibus venti arida facta fluunt,

breviter palam faciamus. Ea quæ ſparſim reperire potui huc redeunt. 1. Prætendit *ſilentium* antiquorum : *Quod eorum mentio in Judæorum libris ante A. Chriſti 740. non fiat*. Sed illi objectioni credo abunde jam ſatisfactum, cum plurimos teſtes & locupletes tam alta voce hic audivimus clamantes, ut, nedum Viro ingenuo & prudenti qualis eſt Clar. *Morinus*, vel pertinaci poſſint os ſuum obturare. 2. Novitatem adſtruit exinde quod non niſi *completo Talmude* & *occaſione illius auctoritatis* ſeſe *Talmudicis oppoſuerunt*. Et ſic miro argumentationis circulo celeberrimus Presbyter Oratorii concludit, nunc quia Talmud (ipſius opinione) eſt recentius, Karæos etiam non eſſe antiquos quoniam illius *occaſione ſint exorti*. Modo iterum, quia Karæi ſe non prius *oppoſuerunt*, *argumentum admodum evidens deſumi Talmud poſt annum a Chriſto ſeptingenteſimum fuiſſe completum & obſignatum*. At utraque hypotheſis eſt admodum precaria & imbecillis. Nam & Karaitæ prius, ceu patuit, fictis Talmudis Traditioni-

bus

bus ſeſe *oppoſuerunt*; & Talmud eſſe antiquius quam ille vellet jam alii comprobarunt. Non opus ut ego in re nota tela depromam. Audiat verſatiſſimum in hiſce eruditiſſimumque ſuæ communionis virum Julium Bartoloccium: *Quamvis autem Rav Aſche perveniſſet uſque ad* 74. *Annum ætatis ſuæ* attamen hoc opus Talmudicum abſolvere non potuit. Reliquit illud autem tam bene diſpoſitum ut admonentibus מרימר *Marimar* & מר בר רב אשי *Mar, Bar Rav Aſche filio ſuo facile tandem hi, cum ſuis Aſſeclis, colophonem potuerint imponere. Obſignatum autem non fuit niſi Anno Mundi* 4265. *Chriſti* 505. *ut ſcribit* הראבר *Haravad in ſuo libro Kabbalæ p.* 62. *Anno* 78. *a morte Rav Aſche, aut ſecundum quod dicit R. David Ganz Anno Mundi* 4260. *Chriſti* 500. *& ab exceſſu Rav Aſche laudati A.* 73. Verum inquit Cl. *Morinus: Anan & Saul A. C. circiter* 740. *aut* 750. *ſeſe Talmudi & Talmudicis oppoſuerunt, & illo tempore orta eſt celebris Karaitarum Hæreſis*. Quod dum *Richardum Simonium* repetentem, & confirmantem his verbis vidi, in *Hiſtoria Critica V. T. Rabbanitas qui exactiſſime ſcripſerunt non altius retuliſſe Originem* Karaiſmi *quam ad* VIII. *ſeculum. Certum quendam Judæum nomine Anan ex familia Davidis*, tunc fuiſſe *NOVÆ SECTÆ autorem*. Satis equidem non potui mirari, eum qui non modo *Rabbinos*, ſed & *Karaitas* ſibi lector aſſerit, id tam nude & ſimpliciter ponere, ac ſi nulla uſpiam eſſet ratio dubitandi. Cum tamen ſit hoc ipſum τὸ κείμενον ab Anan & filio ejus Saul, demum *ortam* eſſe Hæreſin Karæorum. Non id dixerint Karæi, qui tantum habent pro *Inſtauratore* & *Vindice* dogmatis antiqui. Scriptor *Chillouk* M. S. non modo ipſe dicit, ſed inducit quoque Rabbinos objicientes, hoc jacto velut communi *Karæorum* fundamento: כי דברי ענן מדברי נאנחים ונאנקים Quod *Doctrina Ananis ſit ex Doctrina Gementium & Clamantium* Ezech. 9. 5. Ita *R. Japhet Ben Zabir* M. S. poſtquam textuiſſet Catalogum, & ſeriem ſuccedentium ſibi *Doctorum Karæorum* inde a Prophetis, ubi ad *Anan* ventum eſt, ait: והוא אשר בידו דת האמת אל העם שנית אחרי העלמו ובררו ונלה בראיות בורות ונו' *Ille eſt qui Doctrinam Veritatis* ITERUM *claravit, quum eſſet occultata, eamque expurgavit, & declaravit argumentis perſpicuis &c.* Ac de *Anane* nos pluribus deinceps. Quinimmo ipſi *Rabbanitæ* doctiſſimi non *inventorem* ſed *Reſtitutorem* confitentur: inter eos *R. Abraham Hallevi Ben Dior*, ex quo ſeu fonte perenni hauriunt clariſſimi Judæorum Chronographi; quod ſane latere *Simonio* non debuit poſtquam ille locus in ipſis *Morini* Exercitationibus legitur; etſi paulo aliter quam in *Veneta* extat *Editione* omnium optima, unde deſcribam; In *tertia generatione Geonim* narrans quod *Pumbedithæ Præſes fuerit Rab Meri Sacerdos, Mortuus A.* 4519. *poſt illum Rab Ada eodem anno extinctus; exinde R. Jebudai defunctus A.* 4543. *ſubjungit* ובימיו היה ענן ושאול בנו שרי' .... ועמד להסיר את ישראל מעל קבלת חכמים מפי הנביאים.... ונעשה זקן ממרא על פי בד' לבלתי שמוע אל השופטים וחבר ספרים והעמיד תלמידים וברא מלבו חקים לא טובים כי אחר החרבן נדלדלו המינים עד שעמד ענן וחזק *Iſtorum temporibus fuit Anan & Saul filius ejus, N. I. P. ſurrexit ille & ſeduxit Iſrael a* Kabbala, *quam ſapientes acceperant a Prophetis; factuſque eſt Senex rebellis contra os Domus Judicii, dum non auſcultaret judicibus; ſed ſcriberet Libros, faceret Diſcipulos, & comminiſceretur ex corde ſuo Statuta non bona; nam poſt Excidium attenuati admodum erant Hæretici donec ſurrexit Anan, qui eos corroboravit*. Quid dici potuit diſertius? Erant ante *Excidium*, verum *poſtea attenuati*; non condidit Sectam *Anan*, ſed languentem denuo *firmavit*. Neque dubitare vel leviter poſſumus quin illi מינים intelligantur *Karæi*. Cum quia illorum Doctor ponitur *Anan*; tum quia iſthoc titulo *R. Abraham* in ſua *Kabbala* eos paſſim inſignivit, quemadmodum etiam in fine עוד סימן שלישי יהיה בידך שהמינים לא עשו שום טובה לישראל ונו': *Tertium adhuc tibi ſignum eſt quod Hæretici nunquam aliquid boni fecerunt Iſraeli*; & mox memorat nomina quædam Doctorum Karæorum, eorum quoque in quos ipſe ſcripſerat. Denique quia nominatim illos hic legit, aut certa intellexit *R. Schemuel Schullam* כתוב בספר קבלת החסיד דענן זה ושאול בנו שרים היו מזרע בית דוד ולא סייעוהו מן השמים לסמיכה ונעשה זקן ממרא על פי בירת דין וחזק אמונת הקראים *Scriptum eſt in Libro Kabbalæ Sancti Viri quod Anan & Saul filius ejus, principes fuerint ex ſemine Davidis, & non adjuvit Cœlum ut fieret compos* χειροθεσίας, *atque inde factus eſt ſenex rebellis adverſus Domum Judicii, & corroboravit fidem Karæorum*. Hi Libri, cæterique quos Cap. 3. advocavimus, primas niſi fallor tenent inter *Rabbanitarum* Chronologos; expectandum itaque nunc eſt quos alios, non vulgus Rabbinorum, ſed *exactiſſimos* producet Si-

Simonius, *quique non* altius *retulerunt Originem Karaiſmi quam ad* VIII. *ſeculum*, in *Editione Latina* quam dudum promiſit *ſui operis* cui *teſtimonia Patrum & Rabbinorum quibus nituntur* ἐπιχειρήματα ejus ait *reſervaviſſe*. Tunc Docti de argumentis cognoſcent, ac de cauſa melius judicabunt; quibus ipſi contradicentibus modo ſui ſenſus, modo linguæ gallicæ inſcientiam nunc ſolet vafer objicere, illiteratos & fæminarum circulos qui linguam norunt, rem plane ignorant, judices longe commodiores expertus. Nos interim ſolabimur nos conſenſu Viri ingenui ejuſdem cum Simonio Religionis, & in hiſce haud paulo magis periti Julii *Bartoloccii*, ſcribentis, *Anan & Saul Hæreſin renovaviſſe*; etſi illic, tralatitio Literatorum errore, Karæos cum Sadducæis Epicuri æmulis videatur confundere.

Neque plus tribuendum cenſeo alteri doctiſſimi Simonii argumento poſt Joh. Morinum, quo novitatem Karæorum adſtruit ex eo *quod recipiant puncta & accentus* qui *inventum* ſint *Doctorum Tiberiadis*; unde infert cum ſe Karæi *ſepararent a* Rabbanitis *jam tunc Maſoram ſuam obtinuiſſe auctoritatem, quare non exiſtimabant iſtam rejiciendam, quoniam non erat ex numero Traditionum quæ male fundatæ*. Ponit hic Vir doctus pro ſententiæ ſuæ firmamento partim quod dubium eſt, partim quod falſum. Dubium eſt num Doctores Tiberienſes ſint primi punctorum inventores, de quo

Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Quam confidenter concludit Simonius, Karæi ſunt recentes quia recipiunt puncta; tam facile alter arguet, meliori ſequela, puncta non eſſe nova quod admittant, Tiberienſibus Maſorethis antiquiores, Karæi. Deinde falſum eſt quod ubique punctationem Tiberienſium ſequantur Karæi, id luculento ſpecimine ex eorum ſcriptis, ubi de *Exemplari Scripturæ* quod penes eos eſt agetur, dabimus poſtea comprobatum. Unde non unus retorſioni eſt locus: nam ſi non conſentiant ubi nugax & audacula Superſtitio ſibi quid in his & illis vocabulis punctandis nimis permiſit, potius inferendum eſt eos jam *ante ſeparatos* fuiſſe quam hæc *Maſora obtineret*. Si ipſum *Feſtum Encæniorem* non obſervent; verum, Maccabaicis licet temporibus inſtitutum, conſtanter rejiciant, R. Aaron M. S. in סור יום כפור dicente סדר יום אכן ההנכה שאומרים הרבנים לא קבלנו עלינו אודות שלא היו כאותו הזמן נביאים *At* Ἐγκαίνια *quæ ſtatuunt Rabbini non recepimus obſervanda, ea de cauſa quod eo tempore nulli erant Prophetæ*. Nonne invertendo Cl. Simonii concluſionem, juſtius colligas Macchabæis fuiſſe ſuppares, dum illorum conſtitutionem de Feſto dedicationis Templi Hieroſolymitani, quod auctoritate deſtitueretur Prophetarum, admittere detrectaverint? Quod vero, ſi pauca exceperis, *Karæi* in punctatione cum *Rabbanitis* conveniant, exinde eſt, quod quem *apices* iſti *ſonum* ſignant, linguæ Hebraicæ genio, atque loquendi perpetuo uſui, quem penes in hiſce eſt arbitrium, ſuiſque adeo Codicibus conformem deprehenderint; & non ut *Simonius* habet, quia *puncta traditio eſſent non male fundata*. Niſi quis legendi peritiam in quocunque populo *traditionem* velit vocare oralem; & tunc de nomine non lubet altercari. Rabbini aliquot fateor, puncta הלכה & *traditionem* appellant; ſed id faciunt more partim ſuo unamquamque rem, aut inventum, cui auctoritatem conciliare ſtudent, ad *Moſen*, aut *Prophetas* referentes; partim ut hinc cudant cum auctore *Cozri* pro Traditionum neceſſitate, *Karæis* non diffitendum videlicet, argumentum. At vero hæc gratis jactari ex eo eſt intelligere, quia ſi *Punctationis* arcanum *Legis Oralis* pars non minima fuiſſet, qui *Legem Oralem* ſcripto dedit undequaque conquiſitam, *R. Judah Hakkadoſch* de eo altum ſilere haud ſane potuiſſet, maxime cum tam plene omnia fuerit executus ut *nihil addere* poſtea *licuerit*. העיר יי' ארת רוח קדשיו ובראשם רבינו הקרוש לחבר רשום בכתב אמת בסצות אלהינו והיא המשנה עליה אין להוסיף וממנה אין לגרוע *excitavit Dominus ſpiritum ſuorum Sanctorum, & Caput* omnium *Magiſtrum noſtrum ſanctum* R. Judah) *ut componerent ſcriptum veritatis de Mandatis divinis, quod eſt Miſna, Cui non licet addere aut ex ea quicquam detrahere*. Deinde, idem Aben Ezra obſervat יש מפרשים רבים מטעים את המפסיק *ſunt quidam interpretes qui erroris arguunt* alicubi *Pauſatorem*. Utique non facturi, ſi quid judico, ubi hoc totum traditionem credidiſſent Moſis ex Synai. Tum quando ait vir Doctus *Karæos* admiſiſſe punctationem tanquam *traditionem non male fundatam*, velim doceri quodnam exiſtimet id *fundamentum* fuiſſe quo nixi ſecure *hanc traditionem* receperint *Karæi*? quis lapis Lydius ad quem examinaverint? num nova rurſus traditio? ridiculum. Num hæc ipſa? ſed tradentium auctoritati, ut מכשילי רבים בתורה *qui multos facerent cadere in lege* nihil detulerint.

rint. Relinquitur igitur ut in Punctationem consenserint, vel quia sciebant jam usitatam tempore Prophetarum saltem ultimorum; vel quia constantissimus legendi usus, Textus συνάφεια, Linguæ proprietas, aliaque evidenter confirmabant mentem Spiritus S. ac genuinam vocum pronuntiationem feliciter per istos apices, tantum non ubique, expressam esse & adumbratam. Neque verendum est ante punctationis inventum, quandocunque fuerit, lectionem S.S. Literarum tanquam vocalibus carentem, vagam admodum & ancipitem fuisse. Nam præterquam quod usque in hunc diem lingua *Arabica*, *Samaritana*, &c. etiam sine punctis vocalibus prompte & fideliter leguntur, Hebræa antiquitus vocalibus non caruit; sed habuit in suo *Alphabeto* (contra quam vulgo docent Grammatici nostri Hebræi) *literas* quoque *vocales*; fidam legentibus Pharon, & maximum subsidium. Quas ex *Josepho*, *Philone*, *Hieronymo*, &c. infra suo loco adstruemus. Nunc objectionibus Clariss. *Morini* & *Simonii* respondisse contenti.

C A P U T V.

Disquiritur an Karæi sint, aut aliquando fuerint eadem Secta cum Sadducæis; qui pudore quodam postea admiserint resurrectionem? Affirmant quidam Judæi Rabbanitæ, inter Christianos plurimi, etiam nuper in historia Critica V. T. Simonius. Negat Scaliger, & merito. Rationes pro Sententia negante ex Scriptis Karæorum. Consensu doctiorum Rabbinorum. Dissimilitudine multorum dogmatum. Variis rationibus, & historia Johannis Hyrcani Ethnarchæ ac Pontificis. Ἀνασκευὴ Exceptionum in contrarium. Istius opinionis Origo plenius explicata.

UT *vara vibiam sequitur* sic unus hic error alium traxit longe graviorem. Audivimus Cap. 2. memorantes *Karæos* quemadmodum Traditionum Architecti illos, qui istiusmodi commentis & Superstitioni obstitere, odioso Epitheto *Sadducæorum*, *Baithosæorum* &c. mala mente traduxerint. Quam appellationem cum iis passim tributam postera ætas videret, & causam in animis hominum, & temporum caligine latentem, Christiani maxime ignorarent, factum est ut *Judæorum* vulgus & *Christianorum* quoque doctissimi, incautius quidem, sed firmiter tamen, sibi persuaserint *Karæos* utique veros *Sadducæos*, atque eandem Sectam olim fuisse, cujus adeo frequenter gererent nomen. Et quando jam, admota Historiæ luce, Scriptisque eorum consultis, pateret *Karæos* immortalitatem Animarum, & mortuorum credere Resurrectionem, quod vehementer ab *Sadducæorum* profana Hæresi abhorret, ut hoc cum præconcepta temere opinione quomodocunque concilient, sibi sunt imaginati recentiores *Karæos*, impiæ priorum Sententiæ repudium mittentes, tandem pudore quasi vel necessitate adactos in ea consensisse dogmata, quæ se negare amplius non posse absque summa invidia, & communi Religionum odio, experiebantur. Ita hanc rem concepit, & pugnantia toto cœlo in gratiam reducere, cum aliis, conatus est Rabbi *Leo de Modena*, elegantis Compendii de *Ritibus & Ceremoniis Judæorum* in Italia scriptor notissimus. Tamque altas hæc de Mutatione Doctrinæ & *Karæis* tanquam iisdem cum veteribus *Sadducæis* sententia in mentibus eruditorum egit radices ut etiam maxima Virorum nomina, *Buxtorfium*, *Hottingerum*, *Bartoloccium*, *Ligtfootum*, *Carpzovium*, & quos non? pertraxerit in partes, nihil sequius de candore Scribentium, aut Historiæ fide hic suspicantes. Quibus cum aliquando accessisset *Josephus Scaliger* meliora postmodum ab aurito teste *Philippo Frederico* qui *Karæos* propius noverat, edoctus resipuit, ut ipse ingenue suam opinionem retractans fatetur. Quod vel solum aures doctorum vellere debuisset ut penitius in rem totam inquirerent. Hoc facto longe magis sibi suos devinxisset lectores nuperus *Historiæ Criticæ* concinnator, cui non deerat Parisiis librorum copia, quam cum, passibus huc illuc ambiguis errans, nunc *Leonis* opinionem *satis rationi convenientem* pronuntiat; modo iterum Cl. *Morini* relegens vestigia, Karæos *post* absolutum *Talmud* primitus *exortos* confidentius sciscit, quod Cap. IV. refutavimus. Qui illorum scripta vel leviter inspexit deprehendet e vestigio eos hoc stemma strenue inficiari; de protervia, & impudenti inimicorum figmento, gravissime cunquerentes. *R. Moses Beschitzi*: לזאחם אתמה מבעלי הקבלה אשר ממנים אות בשם צדוק וביתוס ואינם מתביישים מעצמם נודעת קנאתם.... *Et hoc merito miramur in Doctoribus Kabbalæ quod illi nos cognominent de nomine Sadok & Baithos statimque non pudeat; verum exinde illorum invidia patescit*; ac paulo post, præ indignatione commotior subdit, istos potius ad Sadoci *Apostasiam*, quam

quam ſeſe, accedere; & niſi *chartæ parceret*, atque *judicium* Dei vereretur, ſe *Illorum* (Rabbanitarum) *turpitudinem revelaturum fuiſſe*. Et certe quæ de impiorum totali interitu, animarum, poſt exigui temporis cruciatus, annihilatione in inferno &c. apud *Maimonidem*, alioſque Rabbinos occurrunt, *Sadducæis* nimis quam affinia, benignam recriminantibus materiam præberent. Pariter *R. Caleb*, *filius R. Eliahu*, in libro עשרה מאמרות *Aſarah Maamarot* non ſolum ipſe reclamat, verum etiam adducit ex Vetuſtioribus *R. Jebudam Haddaſſchi Haebel*, in libro *Eſcol Copher*, qui multis hoc maledictum vehemens caſtigat & amolitur. Reliquos mitto. Ne videantur autem rem iſtam tam precario negare, quam *Rabbanitæ* leviter & calumnioſe aliquando affirmant, non contemnenda proferunt indicia, & rationes, ex quibus veritas liquidius perſpici poſſit. Primo obſervant *Sadocum*, aut *Baithos*, ſuos inter Doctores aut antiſtites nullo in libro, nullo auctore, nec noviter, nec olim commemorari. Quod, dum catalogos ſuorum anteceſſorum hinc inde contexunt, præcipuos & antiquos ſuos Doctores honorifica mentione & laude digna celebrant frequenter, omitti ſane tot ſeculis, tam pertinaciter haud poterat, ſi *Sadok* locum, & primum locum, in hoc ordine tenuiſſet. Frivolum foret ſi hic quiſquam vellet cauſari, *Karæorum* Scriptores ſtudio hoc nomen preſſiſſe, & caute diſſimulaſſe originem quæ ipſis dedecori erat futura; quod omni ſimilitudine veri deſtituitur. Aliquam forte habere poſſet, ſi ſoli omitterent *Karæi* poſteriores; ſed & ſilent priores, quos ſi *Sadoki* pudebat, quomodo tandem ſunt ducem ſecuti? Id ſuſpicari poſſemus, ſi tacerent palam, & apud hoſtes; clanculum vero fidis diſcipulis, ut multa ſolent Sectarii, in aurem deponerent. Sed ubique & conſtanter hoc pernegant, etiam ubi tutiſſime loqui licet, inter Suos. Nec ubi Dogma aliquod Celeberrimi cujuſdam Doctoris & vadimonium ex parte, mutata ſententia, deſerunt Sequaces, ideo ſtatim Nomen univerſe ſolent odiſſe, vel abolere. Multa in contrarium exempla narrant de ſe ipſis *Karæi*. Notabile eſt eorum quos בעלי הרכוב *Baale hariccoubb* vocabant: qui verſ. 6. Cap. XVIII. Levitici איש איש אל כל שאר בשרו לא תקרבו לגלות ערוה *Unuſquiſque ad propinquam carnis ſuæ non accedat ad revelandam ejus turpitudinem* tam late interpretabantur, ut ſuis interdicerent matrimonio omnium in quibus vel ריח משפחה minimus *odor conſanguinitatis*. Quod tandem effecit שברוחק גדול היה נמצא בדורותם שנים גופים שיהיו מותרים לינשא אחד לחברו *ut ingenti hac repulſa in ipſorum generationibus vix invenirentur duæ perſonæ quibus uni conceſſum eſſet alteram ducere*. Quod cum multa mala apportaret, atque etiam incredibilem Sectæ paucitatem, מסבה זו נתמעטו בלי פריה ורביה *ea enim de cauſa vehementer imminuebantur, quod creandis liberis operam non darent*, venerunt poſteri & multis argumentis, *editiſque libris*, hoc ſuorum ſtatutum, benignius veriuſque *comma* iſtud *Levitici* XVIII. 6. explicantes, בפרהסיא *μετὰ παῤῥησίας publice abrogarunt*. ולא בושו להודות שהם המרככים היו עדתנו וחכמינו וקדמוננו ולא כחשו אלא טענו כנגדם ובטלו דעתם *Non tamen* propterea *puduit eos agnoſcere quod hi Comprehendentes fuerint ex eorum cætu Sapientes, & Majores ipſorum; hos neutiquam abnegarunt etſi eis* ſe *oppoſuerint, eorumque ſententiam refixerint*. Ita ſe res habet cum illo *Anan* illuſtri Karæorum vindice & Signifero; multa enumerant in quibus ab ejus expoſitionibus diſcidium fecere, quæ alius ſunt loci, nec tamen inficiati ſunt ſuum Doctorem, quod ingrati animi notam haberet, dicente *R. Caleb* היאומר מעשה לעושהו לא עשני ויצר אמר ליוצר לא הבין *an opus dicet factori ſuo me non feciſti? aut fictile figulo non conſiderat?* Non ideo nomen *Ananis* tenebris damnant, ſed ſummis potius elogiis ornant, & memoriam venerantur. An non *Idololatria* quid turpius eſt quam *Sadducæiſmus*? Jam, inquiunt, הלא אבינו אברהם היה בן תרח עובד צלמים וגו׳ *nunquid Abraham fuit Filius Therah, qui fuit Imaginum cultor?* ſi Abraham, & nos non refugimus hunc idololatram parentem confiteri, כך אם היו צדוקים קדמוני אמתנו וראשית אמונתנו והיו כופרים בתחיית המתים למה היו האחרונים בושים או יראים לפרסם סכלות קדמוניהם *Eodem modo ſi Sadducæi* unquam *fuiſſent Majores populi noſtri, aut origo fidei noſtræ, etſi negaſſent* ante *Reſurrectionem mortuorum, cur pudibundi aut timentes fuiſſent poſteri ut publicarent ignorantiam majorum ſuorum*, magis quam de *Abrahami Patre*, *R. Anan*, & reliquis? Immo, addunt, an e contrario id non cederet magis לתפארת ולכבוד ipſis, *in decus & gloriam*, quod a *ſtultitia ad ſapientiam*, ab errore Patrum ad meliorem mentem *converſi fuiſſent*? Quid, ſi de *Sadducæis* altum modo ſilerent? etſi vero diſſimillima, tolerabilis tamen foret exceptio. Aſt quid nunc judicabimus,

mus, ubi, quotieſcunque eorum facienda eſt mentio, planiſſime nihil penſi habentes condemnant, חזל מזכירים את זכרונם של צדוק וביתוס לרעה ולחרפה. *Sapientes noſtri p. m. memorant Sadoc & Baithos in malum, atque ignominiam*, quemadmodum apud *R. Caleb* videre eſt, his accommodantes quæ de aſtutis & noxiis *vulpeculis* in Cantico Canticorum perſcribuntur: חכמינו עליהם השלום אמרו בפסוק אחזו לנו שועלים שועלים קטנים מחבלים כרמים שרמז שלמה המלך עה בזה הפסוק על צדוק וביתוס ומי שנמשך אחריהם שחבלו והשחיתו התורה *Sapientes noſtri* (inquit Karæus) *dixerunt de illo commate Cant.* 2. 15. Capite nobis vulpes, vulpes parvas, corrumpentes vineas, *quod Salomo Rex, ſuper quem pax, occulte hic innuit Sadok & Baithos, & quoſcunque eorum ſequaces, quandoquidem corruperunt & vitiarunt Legem*. Ergone quis tam teter, & odioſus Patriarcha fœdiſſimi erroris unquam fuit quin Diſcipuli eum ſaltem amarint, ac dogma ſi quod eſſet invidioſum excuſaverint, incruſtarint, defenderint? hac lege *Caino* Parricidæ, *Simoni* Mago, *Nicolaitarum* ſpurciſſimo doctori non defuerint, qui eos honorarent, Sectatores? ac ſola *Karæorum* Secta, quam ipſi hoſtes modo vocabunt מתחכמים *ingenioſos*, tam ſtulta aut impudens, ut nulla impediti verecundia Magiſtro palam maledicerent? Et nos hæc temere fingentibus credamus? Non faciet qui vel ipſos audiet *Rabbanitarum* doctiſſimos, qui ab illis quoque appellantur. *R. Moſes Beſchitzi*, Karæus, obtrectantibus id reſpondet, in libro *Matte Elohim* M. S. ורבי יהודה הלוי גלה האמת מכל בני גילו.... וזה לשונו וכבר השרישו קראים שורש עם אנשים שהיו דוחים תורה שבעל פה ומתחכמים בתולדות בטענות כאשר אתה רואה שעושים היום אבל הצדוקים והביתוסים אינם כי אם מינים אפיקורסים מכחשים העולם הבא והם המינים שאנו מתפללין על זה בתפלתנו .... אך הקראים הם מסתרלים בשרשים ומחכמים בתולדות *Verum R. Jehuda Hallevi veritatem melius declaravit quam reliqui iſtius generis, & hæc ſunt ejus verba*: (Vertente Celeb: *Buxtorfio*) Et jam ante *radices egerunt* Karæi *& ſe corroborarunt, conjungentes ſe cum aliis Legem Oralem rejicientibus, ac rationibus & argumentis ingenoſis ac ſpecioſis ſuam ſententiam confirmabant, ſicuti eos vides etiamnum hodie facientes*. Sed *Sadducæi & Baithoſæi ſunt Hæretici, negantes ſæculum futurum, & ſunt illi ipſi Hæretici, contra quos in precatione quadam noſtra oramus. Karraitæ autem accurati ſunt circa Radices ſeu fundamenta Legis, ſed ingenio ſuo indulgent circa particularia, ſeu ea conſequentia*, (potius, in formandis *illationibus* aut deducendis, ex Lege, *conſequentiis*, quas תולדות Logici vocant) Vixit hic R. *Jehuda* cenſente *R. Abraham Sachut* in *Juchaſin* A. Chriſti 1089. Inſtitutum ponitur colloquium quod narrat, ſi non ante, circa illa tempora ad quæ natales referunt Karæorum *Morinus* aliique; cui conſequens eſt ut iſti igitur σύγχρονοι de re quæ nota erat, ſuæque ætatis, integerrime potuerint judicare. Advocat præterea *R. Caleb*, Karæus, in ſubſidium Rabbinum alium *Abraham Levi*, in Libro לוית חן *Leviat chen Serm. III.* ubi agens de Feſto Pentecoſtis Chriſtianorum, quod in diem Dominicum nobis ſemper incidit, Karæos & Sadducæos aperte diſtinguit וטעם קבעם החג לעולם יום אחד שהם הבינו מחרת שבת ממש וכן הבינו הצדוקים והקראים Quibus (ut ille quidem credit) *cauſa eſt cur Feſtum uni certo diei adſtringant, quod intelligant verba* Craſtina Sabbathi *prout ſonant, quemadmodum etiam capiunt Karæi & Sadducæi*. Tum inter utroſque diſtinguentium cenſui idem *R. Caleb* annumerat *Rambam* in expoſitione ſua ל פרקי אבות; ſicut & nos id antea declaravimus. R. *Schullam* Editor æſtumatiſſimi libri *Juchaſin* euſque perſuaſus fuit de hac veritate, tantique eam fecit, ut non contentus iis quæ in ipſo libro extabant, libri pretium hoc velut mangonio voluerit in *Tituli* fronte commendare, tanquam quid certius & accuratius, quam vulgo, tradentis: ומשם מתבאר כי הצדוקים אינם הקראים שבזמנינו *Et inde explicabitur quod Sadducæi non ſint iidem cum Karæis, qui hoc vivunt tempore*. Ac ne numero obruens τῆς ἐναντίας, multitudine ſimul onerem lectores, audiamus linguis & eruditione cultiſſimum *R. Azariam* in *Imre Binah*; qui, licet oſtendat ſatis præ odio Sectæ ſe malle ut aliter res ſeſe haberet, tamen neceſſe habet fateri non modo R. *Jehudam*, modo memoratum, מבדיל בין הקראים לשתי הכתות האלה *Diſtinctionem agnoviſſe inter Karæos & illas duas* (Sadducæorum & Baithoſæorum) *Sectas*; ſed etiam adjungit *Abravanelem*, & ipſum *Talmud*, quibus teſtibus merito negotium confici debet: גם השר דון יצחק נוטה לדעתו בפרוש מסכת אבות .... ובאמת לשונם זל' בקדושין פרק האומר כשספרו מעשה ינאי הנזכר נוטה לדעת הכוזרי *Princeps Don Iſak* (*Abravanel*) *etiam in eandem partem inclinat in expoſitione ſua Tractatus Aboth. Atque verba*

ba

ba (*Sapientum*) *benedictæ memoriæ in Massechet Kiddouschin*, *dum narrant factum* Jannæi (*Regis*) *sententiæ Cozri revera adstipulantur*. Nec secus existimare poterit, cui vel minimum curæ fuit ad plurium *dogmatum* attendere *differentiam*, quibus Karæi dissentiunt a *Sadducæis* δὶς διὰ πασῶν. Non tantum in *articulo Resurrectionis*, ubi fingitur gratis retractatio; verum etiam in aliis gravissimis capitibus, quæ *Animarum immortalitatem*, *Angelorum* & *Spiritus existentiam*, *Providentiam Dei*, atque *imperium* attinent in humanas actiones, quæ *Sadducæi* pernegant, *Karæi* ambabus ulnis amplectuntur. Ut multa, quæ ad Leges forenses, aut Ceremoniarum faciunt observantiam, ultro omittamus, unum locum modo appingam *R. Jebudæ Haddasschi Ha-Ebel* e libro MSS. *Escol haccopher* : הצדוקים ואם הם מבני ישראל כבר הכחישו דברים שבאו בתורה כי נטו בסברות כוזבות שבא מופת להפכם או סותרם שהם אסרו הגירוש גם ימנו חדשיהם כלם שלושים יום ולא יעשו הפסח ויום שמיני עצרת ביום השבת כי אם ביום חול גם תנו דמות לבורא ... וזולת זה מהדעות הרעות ומאמנות הכוזבות כאשר הזכיר והגיר עליהם דוד בן מרואן במקצת ספריו ואמנם הביתוסים אע״פ שהכחישו דברים רבים מן התורה עם כל זה לא האמינו בדעות המנונות כדרת הצדוקים . . . ולכן מי שאמר שהקראים הם הצדוקים והביתוסים לא דבר נכונה כי לדעתנו הם מינים ואפיקורוסים Quorum sensus huc redit: *Sadducæi vero etiamsi fuerint ex filiis Israel abnegarunt nihilominus res quæ habentur in Lege*, *atque falsa opinione animos inducebant*, *quasi Miraculum* deberet *venire ad convertendum & refutandum eos*; *quod vetarent repudia*. *Etiam ita menses suos numerabant, ut omnes & singuli triginta diebus constarent*. *Pascha autem*, *& octavum diem Azeret*, *nunquam Sabbatho peragebant*, *sed die profesto*. *Similitudinem* (corpoream) *pariter Creatori tribuebant* (ex male intellectis verbis Gen. I. 26.) *Et multa præterea mala dogmata*, *& fallaces fidei* articulos, *quemadmodum de iis memorat & enarrat David Fil. Medouatz parte quadam suorum librorum*. *At vero Baithosæi*, *etiamsi res multas de lege eant inficias*, *tamen non assentiuntur sententiis quæ traduntur in instituto Sadducæorum* . . . *Adeoque quicunque dicet unquam quod* Karæi *sint Sadducæi*, *non recte loquetur*, *nam secundum judicium nostrum illi sunt Hæretici & Epicuræi*. Ubi, inter alia observatu dignissima, judiciose *Sadducæos* non modo a *Baithosæis*, (quos vulgo Judæi etiam confundunt) sed & *Karæos* ab utrisque, manifesto sententiarum divortio discriminat. Quin in hoc ipso capite *Perfectionis Scripturarum* sine Traditionum laciniis, in quo *Karæi* cum *Sadducæis* convenire creduntur, unde & ansa calumniæ primum arrepta fuit, si penitius inspicias, multum adhuc discrepantiæ invenietur. Contenti erant sola Scriptura in probandis suæ fidei articulis *Karæi* hactenus, ut tamen quoniam verbis plenissimi sensus, recondita sapientia, hominibus ratione præditis exarata est, veritates ex ea proxima sequela legitime deductas una lubenter admitterent; *Sadducæi* vero ultra τὸ ῥητὸν, & strictissimam literam haud progrederentur. Unde Creatori, ut visum modo, visibilem formam adscripsere. Rabbi *Caleb*, *karæus*, triplicem hic agendi rationem recte distinguit: nempe sunt דברי קבלה שאין לה סיוע מן התורה *Verba Kabbalæ quibus nullum est auxilium in Lege*, his nituntur *Rabbanitæ* ; פירוש שהיו החכמים מפרשים . . . . . שכלם רמז הוריי כתוב *Expositio quam* sic *eliciunt Sapientes ut tamen illa omnia in Lege Scripta innuantur*. Hanc recipiunt Karæi. Denique sunt המינים שחלקו על פירוש דברי התורה הכתובה כל שכן בדברי הקבלה שאין לה סיוע מן התורה . . . . והתחלו להשיב על זה שכל ישראל היו מודים בדבר זה *Hæretici qui repugnant Expositioni verborum Legis*, *æque ac Kabbalæ verbis*, *quibus non est præsidium in lege*; *& cæperunt se ipsos opponere iis etiam dogmatis in quæ totus Israel* dudum *consenserat*. Itaque, ut concludamus, si dogmata adversis frontibus pugnantia, si sententiarum diversitus apud omnes constituit Sectæ diversitatem, quo tandem colore queat negari, non in eadem Hæresi fuisse qui in tam multis, tantique momenti, articulis adversis in se frontibus arietarunt? Ista possunt satis videri. Quod si morosior quispiam exigat plura, extant *Rationes* hinc, inde, in scriptis *Karaitarum* non leves, quibus hoc ipsum magis confirmatur. Ex *Chroonologia* primo hanc accusationem refellunt. Tempore *Alexandri Jannæi*, Judæorum Regis, התחלה דעת הקראים *incepit Secta Karæorum* notante *R. Jehudah*, auctore *Cozri* maximæ auctoritatis; *Sadoc* & *Baithos* (quicunque tandem illi fuerint) emerserunt tempore *Antigoni Sochæi*, qui perhibetur eorum præceptor. Hunc *Antigonum Zemach David* ponit Millenarii quarti A. 460. *Alexandrum Jamnæum* ejusdem Millenarii A. 670. Quantum hinc intelligitur utriusque exortus intervallum! Nisi igitur eadem

dem Secta bis nata absurde dicatur, & idem factum diversissimo temporum characteri alligetur, istorum differentia vel ex ipsis natalium Epochis liquidissime comprobatur. Non minus quam ex Canone Evangelicæ πολιτείας & Christi argumento, *Omne Regnum adversus se divisum* debet *vastari*. Jam eousque, non divisi, sed infensi deprehenduntur *Sadducæis Karæi*, ut rotundo ore illos *Nequam*, *Hæreticos*, *Epicuræos* &c. passim proclament. Ita communi suorum nomine *R. Jehudam Haddaschi* paulo ante audivimus. *R. Moses Beschitzi*, advocata quoque aliorum Doctorum auctoritate, imprimis דברי מאור גדול רבינו יוסף הרואה *verbis luminis magni Rabbenu Joseph Videntis*, hæc pronuntiat: אבל הצדוקים אינם כי אם מינים ואפיקורוסים מכחישים העהא *At Sadducæi non sunt nisi Hæretici, & Epicuræi, negantes Seculum futurum*. Alibi: הם המינים שאנו מתפללים בתפלתנו *Illi sunt Hæretici contra quos in precibus nostris* Deum *invocamus*. Quid censes mi Lector, quiquamne vel putidissimi Hæresiarchæ discipuli, (nedum *Karæi*) tam ingrati, stulteque inepti unquam extiterunt ut Auctorem sui dogmatis ferirent anathemate, in ejus caput Deum *orarent* vindicem? contra scitum Hebræorum, *in Fontem ex quo semel biberunt glebam projicientes*? Gesta denique *Johannis Hyrcani*, Judæorum Ethnarchæ, qui *Pharizæos* vehementer afflixit, eorum dogmata, publicis edictis, abolevit & fautor extitit *Karæorum*, indicium faciunt manifestum *Karæos* sub *Sadducæorum* nomine jam olim traductos. Passim enim tradunt Judæi Historici illum in fine vitæ factum *Sadducæum*. *R. Abraham ben Dior*, in Kabbala, והמלך וכל עבדיו ניהגים מנהג צדוקים *Rex & omnes Servi ejus sequebantur consuetudinem Saducæorum*. Et oportet hoc convitium jam ab initio illis datum, atque, immerito licet, dudum hoc censu comprehensos fuisse, quandoquidem Josephus Α᾽ρχαιολόγος, vulgarem sui temporis famam secutus, itidem scribit ita adversus *Pharisæus* exacerbatum fuisse Hyrcanum, ὥστε τῇ Σαδδουκαίων ποιεῖσθαι μοίρᾳ, τῶν φαρισαίων ἀποστάντα. *Ut a Pharisæis desciscens, fecerit ut Sadducæorum sorti apponeretur*. Prudenter stylum temperans, ut non quidem ciceret illum sua sententia, ac vere, *Sadducæum* fuisse, sed solum, postquam *a Pharisæis desciverat* istorum *sorti*, & numero, invidiose transcriptum. Quod interpres Latinus non bene satis assecutus, Judæis recentioribus, qui Latino tantum *Josephi* textu, & pauci adhuc, utebantur, errandi quoque ansam forte præbuit. At tamen illum *Johannem Hyrcanum* nequaquam cum impiis, & proprie dictis *Sadducæis* fecisse, sed *Karæorum* potius, qui solam Legem Scriptam fidei & morum Regulam agnoscebant, placitis accedere voluisse, omnia clarissime evincunt. Ac primo quidem laudata ipsis Judæis, & singularis viri sapientia ac pietas. Quam multis deprædicat *Josephus*, cui τριῶν τῶν μεγίστων ἄξιος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριθεὶς ἀρχῆς τοῦ ἔθνους, καὶ τῆς ἀρχιερατικῆς τιμῆς, καὶ προφητείας. *Tribus maximis a Deo dignus habitus honoribus, Principatu Gentis, & Pontificatu, & Prophetia*. Quale decus nulli post *Mosen* obtigisse legimus. Non minus ejus virtutes extollunt Karęi. *R. Moses Beschitzi* M.S. כי הלך בדרכי יי׳ כאבותיו הצדיקים כי הוא איש תם וישר וירא אלהים וסר מרע: *Quod ambularet in viis Dei quemadmodum Majores ipsius Justi, cum esset vir integer, rectus & timens Deum, atque declinans a malo*. Tale elogium darent homini *resurrectionem*, *vitamque futuram*, hoc est omnem fidelium spem, & virtutis præmia abneganti? Quem *Josephus* ait *Prophetico* dotatum Spiritu, cui συνῆν τὸ Θεῖον, καὶ τὴν τῶν μελλόντων πρόγνωσιν παρεῖχε εἰδέναι. Quo *familiariter utebatur Numen, cui futurorum præbuit notitiam*. Qui, narrante *R. Abraham Ben Dior*, כשנכנס לבית קודש קודשים להקטיר קטורת ולבקש רחמים על בניו על המחנה שמע קול מדבר אליו ואומר לו אל תשת לבניך ולמחנה ישראל כי תמול עזרם ה׳ ברחמיו וברוב חסדיו למען אבותיך וישרת לבך ונקיון כפיך: *Cum ingressus esset in domum Sancti Sanctorum ad adolendum suffitum, & implorandam misericordiam pro filiis suis (qui longe aberant) in Castris, audivit vocem loquentis ad ipsum, dicentisque: ne sollicitus sis de filiis tuis, & Castris Israel, nam heri Dominus iis auxilio fuit clementia sua, secundum magnitudinem gratię suę propter Patres tuos, & rectitudinem cordis tui, & innocentiam manuum tuarum*. Ille inquam, cui hæc data, dicta, facta sint cœlitus, ille tamen ut fuerit Sectæ quæ Spiritum negat, tollit Providentiam, καὶ τὸν Θεὸν ἔξω τοῦ δρᾶν τι κακὸν ἢ ἐφορᾶν τίθενται, φασὶ δὲ ἐπ᾽ ἀνθρώπων ἐκλογῇ τό τε καλὸν καὶ τὸ κακὸν προκεῖσθαι, quam quæso absurdum est, & incredibile? Sed quanto adhuc incredibilius quod sequitur, si de *Sadducęis*, Epicurea dogmata foventibus, accipiatur? למחר צוה המלך ויעבירו קול בכל מדינות מלכותו לנהוג מנהג צדוק וביתוס וכל אשר יורה את פיהם ואשר ינהג מנהג החכמים יומת בחרב:

: כחרב *Postridie prçcepit rex missis prçconibus per omnes regiones sui imperii, ut observarent ritus* (aut morem) *Zadok & Baithos; ac quicunque eorum ori se opponeret, vel consuetudini Sapientum adhæreret, gladio plectendum.* Concinit *Pseudo Josephus Ben Gorion* : ומהיום ההוא והלאה פשע הורכנוס בדבריהם ונעשה צדיקי ויצו המלך ויעביר קול בכל ארץ ישראל כל המלמד אשר ילמד את בנו תורת הפרושים מות יומת : *Ex eo die & deinceps ab illorum* (Pharizæorum) *verbis alienus fuit, factusque est Sadducæus, & promulgavit edictum Rex per universam terram Israel, ut si quis Doctor filium* (aut discipulum) *imbueret doctrina Pharizæorum certo interficeretur* : quemadmodum *multis e populo* evenit. Putamusne regio & solenni interdicto cavisse *Johannem Hyrcanum* ne quis crederet animas corporibus superstites? Resuscitationem mortuorum, extremum Judicium &c.? censebimusne Sadducæorum perfidiam, quæ omnis Religionis fundamenta subruit, reluctanti populo non modo obtrusisse religiosum Pontificem, verum etiam pœna capitali sanxisse? Quod, rogo, monstrum fuit unquam hoc ausum? quis lectorum talia vel fando accepit? fateamur igitur tandem aliquando quod res est. Quis fuit *Sadducæismus* Hyrcani? non quod profana *Sadducæorum* dogmata teneret, aut propagaret; sed quia discedens ab observantia, & institutis *Pharizæorum*, qui illum fucatæ pietatis specie ante deceperant, jam iis adhæserit, eos foverit, qui Scripturæ plenitudinem, procul superstitiosa nugacique traditione, adorarent. Ideo videtur *R. Abraham in Kabbala* consensum illum non ad *dogmata*, sed מנהג *consuetos* agendi ritus, & *morem* in Sacris receptum, restringere, quem mox *observaverunt & Rex ipse, & Ministri ipsius*. Hunc in modum liquidissime hoc negotium declarat auctor gravis tractatus *Cozri*, qui Ethnarcham inducit cum suis consiliariis agitantem consilia, objicientemque, *Quum Sapientes* (*Pharizæos*) *perdiderimus a quo discemus Legem? illi regesserunt* : *Ecce habetur Lex Scripta, qui vult veniat, & discat; neque est quod sollicitus sis de lege orali.* Nempe hæc, hæc! exitialis illa est *Hæresis*, hic teter ille *Sadducæismus* scilicet, non quod cum iis *Epicuro* faveret; sed cum *Karæis* nugax & sacrilegum legis oralis figmentum, quod Pharizaici doctores cœperant in scenam producere, abolevisset. Id clare scribit auctor *Kabbalæ Historicæ*, *R. Abraham Ben Dior*, qui *Johanni Hyrcano*, ejusque Filio, erant tam inclementis sententiæ auctores, fuisse משרתיו שבהם ריח המינות *Ministros ipsius, in quibus odor Hæreseos*, & paulo post diserte גדולי הקראים *Primores Karæorum*. Atque ita invictum in hisce rursus habemus pro antiquitate *Karæorum* argumentum; & a profanæ opinionis contagio virum innocentissimum vindicavimus, cujus eum suspicio per tot secula infamavit. Originem hujus inditæ iis ἐπικλήσεως, jam ante indicatam, ex propriis *Karaitarum* scriptis, eadem opera, nunc illustremus. Prima causa fuit, secundum *R. Mosen Beschitzi*, in libro מבחר M. S. Rabbanitarum *invidia*, קנאתם, ut sibi invisos non justa de causa, justioris prætextu in commune bonorum odium adducerent. Quum quisque merito abominetur tales qui, ut solebant Sadducæis, suum pietati calcar, laborantibus mercedem, suamque Justitiæ coronam eunt ereptum. Eaque fraus adeo feliciter cessit, dum audacter mentientium tam firmiter hæsit turpis calumnia, ut *Karæi* exinde eruditissimis viris, etsi falso, passim habiti fuerint antiquitus *Sadducæi* : cujusque inventores, si videre possent quibus, & quo usque, hoc commentum persuaserint, de successu moliminis haud parum debeant in sinu gaudere. Altera causa, *maledicendi* adversariis suis *consuetudo*. Idem. *R. Moses, Karæus* : מכנים שמנו לצדוקים לא יצאו ממה שהרגלו : *Cognominantes nos Sadducæos non aliud obtinent quam antiquum.* Quoniam existimabant se λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ si diversam fidem professos *occiderent*, nihil pensi sane habuerunt, quo populus ab eorum communione deterreretur, ut falsis rumoribus ubique differrent. Istud experti sunt omnes qui sustinuerunt ab illis eissidere. *Samaritanis*, etiam post receptam auctoritate Johannis Hyrcani religionem Judaicam utcunque, imputabant eos colere Deum *Asima*, *adorare columbam, &c. Christianos* quibus gravaverint calumniis nulli ignotum. *Sadducæos* quasi per se non satis essent nigri, insuper adhuc accusant passim quod in montem *Garizim*, & *Samaritanorum* communionem secesserint, penitus calumniose: ut jam Illustri *Scaligero*, *Celeberrimo Hottingero*, aliisque fuit observatum. Et tamen quam misere audax isthæc assertio doctissimis quoque viris imposuit. Diligentissimus *Bartoloccius* hinc *colligit promiscue Sadducæos sacrificasse in Templo montis Garizim, & in Templo Jerosolymitano; quia Zadok & Baithos Hæresiarchæ ibi sacrificaverant.* At nihil magis a vero alienum. Doctissimus *Scottus* ideo credit

dit *Samaritanos credidisse animam cum corpore mori*. Itidem falso. Contra enim *Samaritani* suis ad Magnum *Scaligerum* literis protestantur. Quid mirum itaque si *Karæos*, tanto sibi odiosiores quanto magis metuendos, eadem fidelia dealbaverint ; & scripserint in *Talmud Kiddouschin*, citante etiam *Mose Beschitzi* Karæo, שמונים שנה שמש בכהונה גדולה יוחנן ולסוף נעשה צדוקי: *octoginta annis functus est Jochanan summo sacerdotio, & tandem factus est Sadducæus*. *Tertia* queat ratio haberi, quod a *Pharizæis*, inimicis amborum, oppressi mutuam sibi operam, sive in oppugnanda lege orali, sive in tuenda communi causa adversus invalescentes Traditiones, non raro præstiterint ; quam ob rem eadem factio facile reputabantur. *R. Moses ben Maimon* de iis qui sublestæ *Kabbalæ*, & *Pharizaicis* inventis obstiterunt, *Zadok*, *Baithos*, &c. ait : וסמך האחד ידי חברו *& fulcivit unus manus alterius*. Ac de *Karæis*, tempore Hyrcani, &c. districte *R. Jehuda Hallevi*, וכבר השרישו הקראין שורש עם אנשים שהיו דוחים תורה שבעל פה: quæ sic convertit Celeb. Buxtorfius: *Radices autem egerunt, & se corroborarunt* Karæi, *conjungentes se cum aliis Legem oralem rejicientibus*. *Quarto* denique, potissimus hujus atræ loliginis calumniæque color fuit, in paucis quibusdam articulis, quousque in diversa abibant ab Pharizæis, inter utrosque sententiarum affinitas, & conspiratio. Hic audire juvat *R. Caleb Ben Eliahu*, ex libro M. S. עשרה מאמרות, laudantem alium quoque, se vetustiores, *Rabbenu Jehuda Haddasschi* in אשכול הכופר, & hunc in modum differentem: אמנם מפני שאנו בעלי מקרא מכחישים הקבלה שהודו בה אחינו הרבנים שאין לה סיוע מן התורה שעליה נאמר ה׳ דבר וה׳ לא דבר והם רל׳ הצדוקים והביתוסים עם מכחשתם דברים רבים מן התורה ושרשי האמונה הכחישו גם זה שהוא דבר משותף בינינו לבינם החליטו עלינו שמם וקראונו צדוקים וביתוסים עוד שכבר הצדוקים והביתוסים הודו באמונת יום חג השבועות כמונו שהוא אחד מגדולי המחלוקות שבינינו לבינם שהם אומרים מחרת שבת מחרת יום טוב שלא כתודתו יתב׳ ולא עלינו תלונתם כי על ה׳.... ואין ראוי להחלים שם ולכנותו כדבר שאינו בו מצד השאלה או העתקה זכו׳: *Ac certe, quoniam nos Scripturarii negamus Kabbalam (quam Fratres nostri Rabbini probant) quia nullum ei fulcrum e lege est*, sed illi *dictum convenit Prophetæ Ezech.* 13. 7. .... *dicunt Dominus locutus est, & Dominus non est locutus*. *Atque illi, nempe Sadducæi & Baithosæi, cum multis aliis rebus, & fidei fundamentis in lege contentis quæ ab iis negantur, hoc quoque eunt inficias ; adeoque hæc causa nobis communis est, nomen quoque communicant, & nos appellant Sadducæos & Baithosæos. Amplius, quia Sadducæi & Baithosæi in doctrina de die quo celebrari debet Festum Pentecostis jam ante nobis assentiuntur, eaque una est ex magnis controversiis quæ inter nos & ipsos intercedunt, dum illi* (Rabbini) *statuunt verba* Levit. 23. 15. Crastina Sabbathi, *esse accipienda de Crastina diei Festi*. *Quod non est secundum Legem (Dei) Benedicti, ut non contra nos, sed Dominum sit ea murmuratio. Neque enim æquum est permiscere nomen, aut titulo appellare aliquem de re quæ in eo non est, nisi per accommodationem & translationem*. Tantum vero abest ut illi in reliquis dogmatis paria fecerint cum *Sadducæis*, ut e contrario palam profiteatur R. *Caleb* ibidem: ואלה הכתות רל׳ צדוקים וביתוסים לדעתנו ולדעת אחינו הרבנים הם אפיקורסים ומינים מכחישים העולם הבא שהוא שראש הדת והאמונה: *Hæ Sectæ, videlicet Sadducæi & Baithosæi, secundum judicium tam nostrum quam fratrum nostrorum Rabbinorum, sunt Epicuræi, & Hæretici negantes seculum futurum ; quod est religionis radix & fundamentum*. Unde merito aliquis cum eodem inferat auctore, אם יאמרו שקראים הם הצדוקים שקר בפיהם כי הם ידברו על צד׳ המחלוקת והקנאה ואהבה השררה והנצחון וכל׳ שכן להיות דבריהם מקובלים אצל׳ הסרים למשמעתם: *Quod si affirment Karæos esse Sadducæos, mendacium est in ore ipsorum. Ac talia non nisi ex partium studio, invidia, dominandi libidine, & amore victoriæ loquuntur. Licet nihilominus hæc dicta fidem inveniant apud eos qui illorum deferunt rumoribus*. Ita liquido, reor, patescit nominis *Sadducæorum* cum *Karæis*, invitis quamquam & reclamantibus, communicati prætextus & occasio. Quamvis si nihil admodum tale fuisset, nullo negotio idem accidere *Sadducæis Karæisque* potuerat, quod aliis subinde sectis usuvenit : quando in capitali quodam & famoso dogmate conveniunt, cætera licet dispares, ut una tamen appellatione comprehendantur. *Judæi & Christiani* quantum a se invicem distant! quia juncto tamen umbone Idololatriam Gentilium oppugnaverunt, confudit ipse accuratus scriptor *Suetonius*. *Essæi* erant in Classes distincti, aut in τάγματα, Μοναζόντων ϗ Κοινοβίων, *solitarie viventium, & in communi*; Ἀγάμων ϗ Γαμούντων, *Cœlibum & eorum qui ducerent uxorem, liberisque creandis operam darent*; eodem tamen *Essæorum* no-

nomine cuncti veniebant. Cujus sane oblivio meritissimum Virum in quandam ἀβλεψίαν impulit, quum de omnibus *Essenis* rogat generaliter, veluti rem absurdam: *Nam, num Essenis Filii?* & hoc utitur pro argumento. Diversa, imo adversa, erat *Hæreticorum Judaizantium*, apostolicis temporibus, de *Persona Christi* sententia: Quidam *Dominum Jesum Christum ex Joseph & Maria genitum* communi sorte nascendi, *dixerunt*. Alii *Servatorem ex Virgine natum confitentur*; immo longe adhuc augustiora habes apud *Epiphanium*. Etsi hæc erat *ἄλλη συμμορία*, *alia Societas*, *Theodoreto* teste, quæ *absurdam priorum sententiam refugeret*, *τῆς αὐτῆς ἥττω προσηγορίας*, ipsam, *eandemque nomenclationem* effugere non poterat, pariterque *Ebionitæ* vocabantur. Et ita in multis aliis. Quare nihil mirandum est, quum in nobilissima istius ætatis, & principali, controversia de *Perfectione Legis scriptæ* idem fere tenerent Karæi, quod *Antigoni* degeneres discipuli, si propterea quoque, apud vulgus, *Sadducæorum* nomine similiter fuerint traducti; licet in reliquis immani discrimine sejungerentur. Hoc quidem respectu ipse *Jos. Schaliger*, qui diversitatem utriusque sectæ acriter defendit, non voluit diffiteri *recte a Judæis dictum*, Karaim *esse partem Sadducæorum qui solam Scripturam retinebant, traditiones omnes rejiciebant*. Hac notione potuit Josephus Historicus, populariter locutus, *Hyrcanum* cæterosque *Karæos* sub *Sadducæis* quoque complecti, loco supra allegato, si sensum quem interpres expressit (quod ad causam nihil interest) maluerit quispiam retinere. Inde tandem factum videtur ut Viri Docti, tam inter Judæos quam Christianos, cum id nomen jam olim communiter datum observassent, neque in illorum potestate foret illud mutare, quo tamen *res & personę*, exigente veritate, clarius distinguerentur, *Sadduceos* in diversas כתות *sectas*, familiasve, prudenter diviserint; quod eo equidem casu utile fuit, & vehementer necessarium. Ita Karæi nonnunquam, provocantes ad R. *Azariam* quoque in *Imre Binah*, & cum eo ad *Epiphanium*. Ita exercitatissimus in literatura Hebraica scripsit *Ligtfootus*: *Sadduceorum species ad minimum duę*. Idem firmat, si quid video, *Pseudo-Josephi Gorionidis*, Hebræi, locus vexatissimus, qui doctis doctissimorum Virorum *Drusii* atque *Serrarii* concertationibus, sed alia quadam sui parte, materiam præbuit: ideoque Doctorum studium & diligentiam magis meretur. Integrum ex Editione Munsteri appingam, non adeo quidem ad rem, quæ satis est clara, probandam; quam quod illustratione, & propiore cura, adhuc videatur non nihil indigere. Verba sunt *Josippi* (aut *Josephi*) Edit. *Munsteri*, *Basil.* A. 1541. lib. IV. cap. 6. עתה אפתח לספר על' מה זה הדבר נפלה המריבה והמחלוקת בעם יי' כי הפרושים היו אומרים שמרו את התורה אשר מסרו אבותינו בידינו אשר פרשו את התורה והבושים היו באותם הימים מחלק אחר הצדוקים ולא היו מאמינים לכל' מסורת ולכל' פירוש כי אם לתורת מושה לבדה והסידים לחלק אחר: Quæ hoc modo in Latinum sermonem convertit: *Sed jam postulat locus ut aperiam causam quare, & unde, pullulaverint in populo Domini discordiæ & Sectæ. Et quidem Pharizæi sic docebant: observanda est lex, quam nobis tradiderunt Patres nostri, & quemadmodum illi exposuerunt eam.* (והבושים, *vehabboschim*, reddit) *& hi confusi fuerunt in diebus illis ab alia Secta Sadducæorum, qui noluerunt acceptare ullam traditionem & expositionem. Fuit & alia Essenorum Sectæ.* Consideranti mihi hanc pericopen nonnulla in mentem venerunt haud indigna quæ periti Lectores, maturius perpendentes, examinent. 1. Observanda est magna lectionis varietas, quæ in diversis editionibus *Josippi* occurrit, utque uno obtutu conspici queat, prout in *Veneta*, & *Cracoviensi* exemplaribus legitur, præcipuis differentiis parenthesi inclusis, exhibebo: (הנה) הפרושים היו אומרים (נשמר) התורה אשר מסרו אבותינו בידינו (מפורשו על פי החכמים) אשר פרשו את התורה (לקבלה והנה הצדוקים אומרים לא נאמין ולא נשמע לכל מסורת ולכל' פירוש כי אם לתורת מושה לבד) והבושים היו באותם הימים (אחרי) הצדוקים (ויהיו הצדוקים בישראל) לחלק אחר והחסידים (לבדם עם העם ההולך אחריהם) לחלק אחר: (*Ecce*) *Pharizæi dicebant* (*observemus*) *Legem quam tradiderunt Patres nostri in manus nostras*, (*explicatam secundum os Sapientum*) *Legem exponentium* (*secundum* Kabbalam. *At vero Sadducæi inquiunt non credemus, non auscultabimus, ulli sive traditioni, sive expositioni, sed soli tantum Legi Mosis.*) *atque* הבושים *habboschim* (*faciebant*) *in iis diebus* (*cum*) *Sadducæis* (*Qui Sadducæi erant in Israele*) *Pars altera*. Ex quo statim intelligitur quantopere hic auctor, sibi ipsi eousque dissimilis, a genuino quoque differat *Josepho*. Et quammerito Magnis Viris, *Scaligero Drusioque*, nullius habeatur auctoritatis, & recens. Omnis enim hæc diversitas a ma-

manu Doctorum est, aut descriptorum inter Judæos; eam haud raro sibi sumentium, in libris sequioris ævi, libertatem ut addant, demant, interpolent, quemadmodum ingenium ipsis suppeditare, res ferre, aut usus gentis ac Religionis exigere videtur. V. G. *Juchasin* R. *Abraham Sacuth* interpolavit Medicus *R. Schallum*; pestiferus liber *Nizzachon* aliter se habet quem edidit Clar. *Hacspanius*, ac iste quem dedit nuper Celeberrimus *Wagenseilius*. &c. Adeoque quam vix operæ fuerit pretium doctissimos homines tam acriter contendere, Tyriaque concitare maria, de sensu *voculæ* לכרם (חסידים) quæ in una editione adest, abest in altera; & qualiscumque sit, supposititii Scriptoris, aut obscuri Interpolatoris, commentatio est. II. Apparet, unde suam hauserit sententiam, de *tribus* Judæorum *Hæresibus* a *Gorionide Hebræo* memoratis, Doctissimus *Serarius*; videlicet a *Munstero*: apud quem verba sic disposita leguntur, ut distincte trium meminisse videatur *Pharizæorum*, *Sadducæorum*, & *Chasidim* חסידים, quos *Munsterus* diserte *Essenos*, *alia secta*, interpretatur. Bene an secus? jam non disquirimus. Ipse lector arbitretur. At rursus Editio *Veneta* plenior, clare facit pro literatissimo *Drusio*, quia isthic in duobus membris, geminato nomine, eadem tamen est oppositio. Primo *Pharizæorum* & *Sadducæorum*. Deinde, in secundo inciso, his הבושים *Habboschim*, illis vero חסידים *Casidim*, eadem mente respondent. Tam itaque hæc, quisque videt, dubiæ fidei sunt, quam ambiguæ definitionis. III. Explicandum adhuc restat quid sibi velit illud Epitheton הבושים, quod *Serrarius* & *Drusius* vel ut scopulum silentio præterierunt. *Munsterum* non intellexisse monet Magnus *Scaliger*, ipse aliam lectionem substituens: *Pro* בושים ait, כותים *Cutim* legendum. Sed tanti Herois mihi manes ignoscant! nititur hæc mutatio ipsius auctoritate, neutiquam librorum. Non *morosa* hæc *lectio* est solum Codicis *Munsteriani*, sed omnes quas vidi Editiones *Veneta*, *Cracoviensis*, &c. constanter sic repræsentant. Et si jam legeremus liberaliter כותים qui ista lectio quadrabit? narratur quod hi fuerint *Sadducæi*, aut certe cum iis fecerint; cum tamen כותים *Samaritani*, quod nemo melius Scaligero (contra vulgarem Judæorum errorem, & Ανιστορησίαν) agnovit, templo, fide, sedibus a *Sadducæis* essent distinctissimi. Potuitne tam pueriliter *Gorionides* scribere in eadem Hyrcani historia, junctis capitibus, quæ adversis frontibus pugnant? *Iob: Hyrcanum factum esse Sadducæum*; & simul *Cuthæos*, eorum Sacra, & Civitatem funditus eum delevisse, nunquam se vivo restituendam? suam itaque ipsius fidem debellasse necesse est, si iidem sint *Cuthæi* cum *Sadducæis*. Quod si igitur meæ conjecturæ sit locus, בושים ego verterim *Pudefacti*, quæ quasi perpetua in S. S. literis hostium Dei titulus est ac descriptio, quod *pudefiunt*. Hoc elogio in legendis M. S. S. Karæorum &c. animadverti illos & Rabbanitas se invicem aliquando salutare. Itaque in eam libens partem inclinarem per בושים *pudefactos* hic designari illos Traditionum, adeoque Dei *hostes*, ex sensu Rabbanitarum, de quibus memorat quod *iis* (Hyrcani) *temporibus steterint a parte Sadducæorum*. Sic nihil narrat quod obscurum, quod futile aut longe petitum, & non a R. Jehuda *Levita*, R. *Abraham Ben Dior in Kabbala*, *Maimonide* & aliis pridem est inculcatum. Ita manifeste patebit (quod jam quærebamus) cur *Karæi* vocati sunt *Sadducæi*? Nempe quoniam antiquis temporibus erant אחרי הצדוקים *Sadducæorum partes*, contra *Pharizæos*, *sequebantur*. Et, ut ait *Cozri*, *se invicem corroborarunt*. Hoc modo, nisi fallor, plana erunt & perspicua in Textu *Hebræo* omnia, de quo Ill: Scaliger *Quis Hebræa intelligit*? Nec ulli vitio vertendum, si in illo Literarum diluculo, quum, nulla *Karęorum* notitia, pleræque res Judæorum densa nube adhuc manebant opertæ, *Munsterus* & alii Doctissimi homines veram hujus τμήματος mentem non fuerint assecuti. Quod si forte neque jam mihi contigerit, lubens velim meliora doceri.

CAPUT VI.

Karęorum an vestigia in N. T.? Locus Luc. XI. 45. *illustratus*, Νομικοὶ *alii ac Pharizęorum* Γραμματεῖς. *Qua in re differentia constiterit? Drusius laudatus. Scribę dicti quidam quia soli literę Scriptę Legis deferrent obsequium. Probatum ex Origene, Epiphanio, Hieronymo, &c. Varia Scripturæ loca exposita; & cur* Scribas *Sectam peculiarem fecerit Epiphanius, &c.*

QUæ huc usque pro Antiquitate Karæorum disputata sunt, cum animo meo reputanti aliquoties cogitare subiit, quod idem fortassis Lectori, si illorum Natales salutarem nostri Servatoris παρουσίαν anteverterint, &

& jam tunc hoc τάγμα non contemnendam Ecclesiæ Judaicæ partem effecerit, an non alicubi ejusmodi hominum mentionem, aut tenue saltem vestigium, in Historia Evangelica detur observare? Quamvis hoc ad quæstionem, aliunde satis luculenter probatam, videatur nequaquam necessarium, neque Scripturæ N. T. si vel pertinacissimum foret, silentium magis eorum Vetustati possit obstare, quam Verbi gratia *Essæorum*, *Hemerobaptistarum*, &c. qui taciti ab Evangelistis, eo tempore nihilominus floruerunt. Quandoquidem in alios longe, & sublimiores, usus hi libri fuerunt exarati; non ad curiositatem explendam, sed ingenerandam fidem & resipiscentiam; neutiquam ut malesanorum turbonum jurgia, perfidiam & iniquitates ob oculos ponerent, sed Christi Θεανθρώπε allatam pacem, sanctissimam vitam, cœlestemque doctrinam credentibus exhiberent, idque compendio tantum. Quod si voluisset Deus extare de omnibus quæ Dominus Jesus dixit, & *fecit* γραφόμενα Βιβλία, infinita in clarissima luce collocarentur, quæ nunc tam frustra, quam laboriose, quæruntur. In iis tamen quæ nobis supersunt N. T. tabulis quædam reperiri, quæ censeas commode ad hosce *Scripturarios* posse referri, monstratore *Johanne Drusio*, summo viro, mihi videor comperisse. Locus est Luc. 11. 45. Ubi *cum Christus dixisset*: οὐαὶ ὑμῖν Γραμματεῖς, καὶ Φαριζαῖοι, ὑποκριταὶ &c. respondens quidam τῶν Νομικῶν *dixit ei*, *Magister quum hæc dicis*, *etiam nos afficis injuria*. *Q. D. non solum Scribas & Pharizæos*, *sed etiam nos* Νομικοὺς *id est Legis-peritos*. Et quæ plura isthic sequuntur; etsi non tam liquido & distincte concepta, quam quidem fecisset vir πολυμαθέστατος si uberior Karaismi cognitio suppetiisset. Textum *Lucæ* si quis accuratius evolvat, & inspiciat, deprehendet e vestigio hæc tria evidenter illic contineri 1. Νομικὸν (*Legalem* sive *Legistam*, sit venia verbis) hic a *Scribis* & *Pharizæis* discerni. 2. Ita tamen ut *injuria* loco accipiat cum Christus intonat *Væ vobis Scribæ & Pharizæi*! quasi per hæc verba & ipse, cum suis, peteretur. Notetur quod non putabat se lædi in nomine *Pharizæi*; quamdiu namque Christus vers. 42. 43. illis solis terribiles minas intentat, silet, acquiescit, & tanquam in meritos hostes fulmine vibrato quasi gaudet in sinu. Ast ubi cum incremento sermonis vers. 44. alteram appellationem conjungit *Væ vobis* SCRIBÆ, & *Pharizæi*, tunc extemplo indignatur, & reclamat: Διδάσκαλε ταῦτα εἰπὼν ΚΑΙ ΗΜΑΣ ΥΒΡΙΖΕΙΣ. *Magister Talia dicens*, NOBIS ETIAM CONTUMELIAM FACIS. Unde perspicue sequitur Νομικοὺς *a Pharizæis* ita diversos fuisse, ut adversi fuerint, & unus sub altero non comprehenderetur; at vero ἀπὸ τῶν γραμματέων *a Scribis* certo quodam sensu ita distinctos, ut simul, alio respectu, eodem nomine quidem venirent, & censerentur. Sin, audito *Scribarum* nomine non major conquerendi occasio, quam *Pharizæorum* illi fuisset. 3. Hanc injuriæ speciem præter morem, hactenus saltem, Christo usitatum, certe præter spem & exspectationem istius *Legistæ*, accidisse. Ex quo concluditur existimasse Νομικοὺς se meliori loco apud Servatorem haberi quam ut communi crimine, & exitio, cum *Pharizæis* &c. hoc modo involverentur. Id docet ejus interlocutio, inopinum veluti casum averruncantis, *Magister! hoc dicto &* NOBIS &c. Quum itaque horum distinctioni obloquuntur *Petavius*, aliique Viri quidam clarissimi, adversus solem loqui videntur. Immo adversus ipsum Christum, qui hanc distinctionem supponens, ea nihil obstante suum Væ, & anathema, ad eos quoque extendit vers. 46. Immo ET VÆ VOBIS *Legistæ*! pariter, etsi non per omnia pari de causa. Quare tandem ipse *Petavius* necesse habet fateri hunc fuisse *Scribam*, *qui non esset Pharizæus*. Rectissime. Procedamus: Cujus igitur alius ordinis, & τάγματος, rogo? *Essæorumne*? Illi ab hominum turba atque commercio alieni, sibi viventes, habitaculo & institutis hinc erant longissime remoti. Iis cum Domino, quantum legimus, nunquam aliquid negotii fuit. *Sadducæorum*? non putem. Isti nunquam Christo amici adeo aut familiares, ut ægre, vel ferrent, vel crederent si (quod sæpius fecerat) fulmen in eos hic mitteret condemnationis. Quid superest ergo, nisi ut alterius fuerit generis? Cujusnam vero, explicate definire Eruditissimis etiam Viris velut crux quædam, & difficillimum fuit. Illustris Vir *Josephus Scaliger* scripsit quasi νομικοὶ *formulas juris præscriberent*, & *actiones civiles docerent*, & *forensia magis tractarent*. Sed quid tales ad Christum? Cujus *regnum non erat de hoc mundo*; qui non plus quam *hæreditatis divisionem* curabat τὰ πολιτικά; qui tandem illis conveniet facta reprehensio vers. 46.? Itaque non sine causa hanc opinionem rejicit *Petavius*, nihil interim melius reponens. Quæsiverunt aliqui discrimen in eo quod γραμματεῖς *in*

Theo-

Theoria maxime, Νομικοὶ *in Praxi*, & *quæstionibus practicis* essent *occupati*, conamine parum fortunato; ea quippe distinctio sequioris temporis, a nostris desumta moribus, aut disciplinarum partitione, priscis Judæorum Doctoribus ignota fuit Hierosolymis. Quorum si non omnis, præcipua sane opera, & studium, in *agendis*, & regulis *Praxeos* religiosæ versabatur. Ita ut in toto *Talmude* paucissima, quæ jam vocamus, *Theoretica* fidei capita vix, hinc & inde, pertractentur. Omnium vero minime hæc hypothesis nodum propositum solvet; quoniam laudatis Lucæ Cap. xi. commatibus 42. 43. 44... Dominus Jesus de *Practicis* agit, nominatimque, quæ in iis grassatur, perstringit *hypocrisin*. Quam proxime igitur rem acu tetigit Vir celeberrimus Joh. Drusius, pulcherrime conferens locum ex *Misna Aboth*, qui sic habet: אמר רבי יוסי בן קסמא פעם אחת הייתי מהלך בררך ופגע בי ארם אחד ונתן לי שלום והחזרתי לו שלום אמר לי רבי מאיזה מקום אתה אמרתי לו מעיר גרולה של חכמים ושל סופרים אני וגו׳ Id est eodem interprete: *Dicit R. Jose, filius Kasma, quadam vice cum deambularem, occurrit mihi homo quidam; cui, quum me salutasset, salutem vicissim reddidi. Tum ille; Magister, unde oriundus es? respondi ex urbe magna Sapientum & Scribarum*. Addit, *videtur Hierosolymam innuere*. Et, *se domi habere commentarium in illum librum qui ex decem Rabbinis collectus sit, in queis R. Eliezer filius Nathan, & Moses filius Maimon, & Don Isaac Abarbenel. In eo Sapientes vocantur* בעלי משנה *id est Deuterotæ, &* בעלי תלמוד *Talmudistæ. Scribæ autem* בעלי מקרא *quasi Lectionarios dicas, aut, Scripturarios, vel Textuarios, nam* מקרא *Textus Scripturæ*. Hinc liquido habemus, fuisse quondam apud Judæos certam hominum classem qui dicebantur *Scribæ*, quod essent *Textuarii*, & Scripturæ unice addicti. Tum aliunde notissimum est, *Scribas* quoque appellatos fuisse *publicos* inter Judæos *doctores*; quorum Christi tempore plurimi Pharizæismo nomen dederant. Exinde, reor, pendet perplexi istius loci intellectus. Quum Christus Dominus horrendum & inclemens *Væ* pronuntiaret Luc. Cap. xi. non solum in *Pharizæos*, vers. 43. verum etiam in *Scribas* vers. 44. nomine quod (licet diversa de causa) utrisque tamen dabatur, urebat id Nostrum, vehementer veritum ne ipse & socii in eandem suspicionem & invidiam, hoc Christi judicio, apud populum adducerentur. Optabat ideo, prout Christus sciebat eos a *Pharizæis*, eorumque Doctoribus distinctos, sic etiam nomenclatura distinguente compellasset. Prudenter fecit hoc *Lucas*, quo facilius hanc narratiunculam caperemus, insignite vocans Νομικόν; quasi dicat qui τῷ νόμῳ, *Legi* soli deferebat obsequium. Stylo Jesum Magistrum imitante, qui, ut hic Lucas νομικῷ & φαρισαίοις, ita sæpissime *Legem*, & *Pharizæorum traditiones* invicem sibi contra distinguit Matth. 15. 6. Matth. 23. 23. &c. Aliquanto clarius hæc ratione (ni fallor) patescet quis fuerit ille monitor, & quid Lucæ Νομικός; videlicet ejusmodi sententiæ homo quem nos jam *Karæum* vocamus. Sua enim eruditio doctissimum *Sculte-tum* destituit quum scripsit *Epiphanium* τοὺς Νομικοὺς *accensere Pharizæis* & ideo recte dicere: συνῆσαν γὰρ αὐτοῖς οἱ Νομικοὶ, *eodem loco censebantur Pharizæi & Nomici; qui unum corpus & τάγμα efficiebant*. Nam plane contrarium intendit *Epiphanius*, cujus verba nec satis cepisse, neque recte interpretatus videtur. Ponamus ea, ut judicet Lector, & quoniam ad rem faciunt præsentem. Postquam *Heresi* XIV. de *Sadducæis*, XV. de *Scribis* egisset, XVI. *Hæresin* sic incipit: Ταύταις ταῖς δυσὶν αἱρέσεσι κατ' ἀκολουθίαν συνῆπται ἡ τῶν φαρισαίων αἵρεσις, ἄλλη τις, οἵτινες τὰ αὐτὰ τούτοις ἐφρόνουν. Γραμματεῦσι δέ φημι, τοῖς ἑρμηνευομένοις Νομοδιδασκάλοις. συνῆσαν γὰρ αὐτοῖς καὶ οἱ Νομικοί. Ἀλλὰ δὲ καὶ παρὰ τούτους πάλιν οἱ φαριζαῖοι ἐφρόνουν, πολιτείας μείζους ἔχοντες. Quæ sic non incommode vertentur: *Duabus hisce Sectis, apta consecutione, cohæret alia quædam Hæresis Pharizæorum, eadem cum iis sentiens; Scribas intelligo (non Sadducæos) quos interpretari licet Legis-doctores, cum ipsis enim & faciunt (aut ejusdem sunt conventus) Nomici id est legistæ. At vero diversa rursus ab his studia (gr. præter hos) sequebantur Pharizæi, severiora vivendi instituta habentes*.

Comparat *Pharizæos* cum *Scribis* in eo quod eandem fere doctrinam tenerent; separat quod vitæ rationem strictam magis & scrupulosam præscriberent; quod ut dilucide exprimeret *Petavius* transtulit: *ad horum ritus* ALIA RURSUS ADJICIEBANT. Hinc manifestum est αὐτοῖς *ipsis* non ad φαριζαίων, quod remotius; sed ad Γραμματεῦσι & νομοδιδασκάλοις, quod immediate præcessit, referri debere. Reddit namque rationem quare Γραμματεῖς, de quibus hic sermo, exponantur per Νομοδιδάσκαλοι, quia videlicet cum ipsis faciebant Νομικοί. Et quando sequentem periodum de

Pha-

Pharizæis inchoat per adverſativum, ἀλλὰ, id ſatis cum reliquis docet Νομικὸς hic cum *Pharizęis* non ut *unum corpus* & τάγμα componi, ſed ut diverſum potius opponi. Etſi non ignorem Νομοδιδάσκαλος alio ſenſu in N. T. tribui Doctori *Pharizaico* Act. 5. 34. aſt ita hic non ſumſit *Epiphanius*. Idem fatum ſcilicet hoc nomen experitur ac Γραμματεὺς, quod illo voluit *Epiphanius* hic interpretari. Et utrumque, quod Hebraicum סופר, Chald. ספרא, vocabulum, ſi unquam aliud, πολύσημον, & latiſſimæ ſignificationis, Viros *Politici*. *Eccleſiaſtici*, *Scholaſtici* muneris, ſumma, infima conditione, & multa alia pro ſubjecta materia ſignificans, de quo Viri Eruditiſſimi *Fred. Spanhemius pater*, *Joh. H. Hottingerus*, *Ligtfootus*, *&c.* bene multa ſcripſerunt hic non repetenda. Unam mihi liceat ſignificationem expromere, vulgo non cognitam, ex claſſicis tamen, & antiquis ſcriptoribus hauſtam, qua סופרים γραμματεῖς, *Scribę*, ejuſmodi notat Judæos, ac Judæorum Doctores, qui rejectis traditionibus ſolam Scripturam venerantur. *I.* Docent illud *Hebręi*. Collectio illa Commentatorum in *Maſſ. Aboth*, quam poſſedit Clariſſimus *Druſius*, סופרים explicuit per בעלי מקרא *Scripturarios*, ut חכמים per eos qui *Miſnę* & *Talmudis* traditiones recipiebant. Illum librum *Druſii* quidem non vidi, at conſtat R. *Schelomoh* Jarchi itidem ſic explicare, סופרים ibi eſſe בעלי מקרא. Quemadmodum ab alia parte certiſſimum eſt בעלי מקרא *Baalè Mikra* eſſe titulum quem ordinario ſibi vendicant *Karęi*. Millies in eorum ſcriptis oppoſite ad *Rabbanitas* occurrit אמרו בני aut בעלי מקרא *dixerunt filii*, aut *domini Scripturę*. In *Talmude Pharizaicos* Doctores ita cognominari, non memini uſpiam legere. 2. Tradunt hoc Doctiſſimi veterum Patrum, qui plurimum ſtudii in Antiquitatibus Hebraicis poſuerunt. *Origenes*: *Qui ergo non recedunt a Litera Legis* SCRIBÆ *dicuntur*, *qui autem majus aliquid profitentes dividunt ſe ipſos quaſi meliores a multis*, *ſecundum hoc* Phariſæi *dicuntur*. Adhuc illos deſcribit, *quod Legem Moſis profitentur ſe interpretari*, *& in hoc gloriantur*. Hos, quod *ſupra hęc adſcendere ſe profitentur*. Concinunt iſthæc *Epiphanio* qui *Scribas* ſectam faciens peculiarem paulo ante monuit, hoc a *Phariſęis* differre, quod hi habeant μείζους πολιτείας, licet in fidei capitibus *eadem* fere cum *iis ſentirent*. Quæ ſpecialius explicat in reſponſo ad Epiſtolam Acacii & Pauli: Παρ' οἷς (φαρισαίοις) καὶ νεκρῶν ἀνάστασις ὡς καὶ παρὰ τοῖς γραμματεῦσι, καὶ ἡ περὶ Ἀγγέλων καὶ Πνεύματος ἁγίου ὅτι ἐστι συγκατάθεσις, πολιτεία τε διάφορος. Vertente Petavio: *Mortuorum apud illos Reſurrectio ut & apud Scribas defenditur*, *iidem Angelos ac Spiritum ſanctum non negant*. *Vitę autem eximium inſtitutum prę ſe ferunt*. *B. Hieronymus* quum dixit *ex duabus familiis Sammai & Hillel*, *ortos eſſe Scribas & Phariſęos*, non alios Scribas (ut infra probandum,) intellexit. Appoſitiſſimus eſt alius *Origenis* locus, ubi occaſione dicti *omnis Scriba*, &c. enarrat quid ſit Γραμματεὺς; πᾶς ὁ μεμαθητευμένος τῇ κατὰ τὸ γράμμα τοῦ Νόμου διδασκαλίᾳ. *Omnis qui inſtructus eſt doctrina juxta literam legis*, oppoſite ad τοὺς εἰδότας τροπολογεῖν, καὶ συνιέντας τὰ τῆς ἀναγωγῆς τῶν γραφῶν. *Qui Scripturas tropologice explicare ſciunt*, *quęque ad earum ſpectant Anagogen*. Hebraice dixiſſet בעלי מקרא & בעלי הקבלה ſecundum ea quæ ſupra audivimus: 3. Quin ipſum nomen Γραμματεὺς, ſi bene examines, nos eo manu veluti ducit: ut enim קראי *Karai Scripturarius* eſt a קרא *Kara Scriptura*, ſic Γραμματεὺς eſt a γράμμα, quo *lex* & S. S. *Literę* deſignantur. 2. Cor. 3. 6. 2. Tim. 3. 15. Eo libenter referam dictum *Epiphanii* quod Γραμματεῖς eſſent γραμματικήν τινα ἐπιστήμην ὑφηγούμενοι *literalem quandam ſcientiam profeſſi*, quæ ex Scripturæ litera reſultabat. 4. Suadent tandem hujus appellationis origo, & quaſi incunabula. Primus *Ezras* cap. VII. 6. ſpeciali titulo סופר *Scriba* vocatur. Non eſt dubium quin ille unice Legi Scriptæ adhæſerit; eaque ratio ſubjungitur verſ. 10. 11. Eum ſui dogmatis auctorem & ſtatorem paſſim celebrant Karæi. M.S. *Chillouk* עזרה הסופר ונחמיה בן חלכיה . . . הנביאם ושארית אחיהם רחם רתנו ושבילם שבילנו כאשר יעידו בנו *Ezras*, *Nehemias filius Helcię*... *Prophetę* (iſtius temporis) *& reſiduum fratrum ipſorum*, *quale illorum inſtitutum tale eſt noſtrum*, *illorum ſemita*, *noſtra ſemita*, *quemadmodum & pro nobis teſtantur*. Ab eo videntur Doctores Textuales (cujuſmodi omnes initio fuerunt) titulum Scribæ ſumſiſſe. Notabile eſt quod in *Ezra libro* III. *apocrypho* propterea non modo vocatur Γραμματεὺς, verum etiam Ἀναγνώστης, quod ab ἀναγινώσκω, ſicuti קראי a קרא, utroque *Lego* notante. Ex quo autem *Lex oralis* invaluit, ſimplicitatem vicit ſuperſtitio. Illius patroni, partim quod in eadem *Cathedra Moſis*, & *Ezrę* ſederent, partim quod סופר erat veterum Antiſtitum nomen, ut antiquitatem mentirentur, & hujuſmodi velut deceſſoribus

bus, & affaniis suis fidem conciliarent atque auctoritatem, hunc titulum סופרים ad sese rapuerunt. Quin *Mosen Prophetam*, (quo crederes *Mosi* per omnia similimos) in Paraphrasi sua Chaldaica ספרא *Scribam* quoque appellarunt. Ab eo igitur tempore istius vocabuli simplex olim notio, inter Doctores & sectas facta est duplex & ambigua, immo quodammodo contraria, ut multis vocibus in lingua Hebraica usuvenit; & τύραννος, σοφιστὴς, &c. apud Græcos in bonam & malam partem capiuntur. Non abjecerunt nempe, hoc elogium, a patribus acceptum, *doctores Textuarii*; sed ad sera tempora, *Origenis* testimonio, servaverunt. *Est ergo videre usque nunc apud Judæos sedentes super Cathedra Mosis Scribas, & Pharisæos*. *Scribas* eo sensu, illic intelligens, prout supra exposuerat. *Traditionarii* vero sua hominum inventa passim his nominibus quoque venditabant: מפי הסופרים *ex ore Scribarum* accepta. Non potuit non hinc oriri Ἀμφιβολογία sæpe, & quæ fraudi fuit multis, ipsi etiam *Epiphanio*, idearum confusio; quam etiam ille Luc. XI. in auditoribus Christi metuens, ideo interloqui sustinebat. Fuit enim Γραμματεὺς, nt declarat Lucas, νομικὸς *Legista*, non φαρισαῖος, & *traditionarius*. Quemadmodum vero *Lucas* duo ista nomina prius exactius definit per posterius, ita de *Scribis* qui *erant juxta literam Legis instructi*, ambo conjunctim adhibuit *Origenes* talem vocans Νομικὸν Γραμματέα, Neque aliquis antiquo affixus præjudicio, ac si nomen Γραμματεὺς modo *munus*, & non *Sectam* simul denotaret, sic cogitet, fuisse forte istos Scribas *penso* (ut sic dicam) atque *professione* magis quam sententiis & *opinione* discretos. Similiter ut in *Academiis* alii Theologiæ & S. S. *Literarum*, alii *juris Canonici* adeoque Ecclesiasticarum Traditionum Professores. Nihil quippe magis foret ab usu & constitutione Judæorum alienum. Nusquam id legitur. Nec fieri poterat. Non diversi sed iidem Doctores *Scripturas* per *traditiones* explicabant, τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ διὰ τὴν παράδοσιν ἀκυροῦντες *Mandatum Dei refigentes per traditionem* hominum. Antiqui denique Patres, & illi cummaxime qui aliquid noverunt in Hebraicis aliter hæc tradiderunt, quibus in rebus facti, quæ propius ab eorum temporibus aberant aliquantulum credi oportet; præsertim quum ansam calumniæ præcisurus asseveret Epiphanius se talia ἐκ παραδόσεων ἀκριβώσαντα ἐκθέσθαι *ex traditionibus* (majorum) *accurate pervestigata exponere*. Viderentur mihi isthæc (modo idem erudite Lector tibi) de Scribis Textuariis, tam luculentis Veterum testimoniis, non penitus male stabilita. Juvat nunc, sed ita ut tuo judicio omnia subjiciantur, facere experimentum, num hæc si recipiatur observatio, parumper lucis Historiæ Evangelicæ, priscis quibusdam Patribus Ecclesiæ aliquantulum patrocinii queat afferre. Adeoque ipsa sibi novum hoc pacto pretium, & firmamentum. Talem nobis videri Scribam istum Νομικὸν Luc. XI. 45. jam supra diximus; adjuvat *Syrus* qui ספרא transtulit. Atque inde pressius adhuc probari jure quis existimet, quod tres illæ sive Facti circumstantiæ, sive Personæ Characteres quos ibi ex Textu eruimus nulli æque quam Karæo seu Textuario possint convenire. 1. Illi etenim a Pharizæis erant diversi. 2. Eodem tamen titulo Γραμματέων, ut jam monstrtum, subinde veniebant, quo & Pharizaici Doctores. 3. Illi Jesu Nazareno, propter communes hostes Pharizæos, erant amici, & alia quacunque Secta faventiores; cui, quoties Traditiones & instituta hominum initio Ministeri sui severe reprehenderet, & confutaret, premebant pollicem; ac vehementer studebant, etsi progressu temporis ubi aliæ quæstiones de Deitate Messiæ, Tumplo, abroganda Lege &c. agitabantur, æque ac reliqui evaserint infesti & iniqui. Eousque non male Karæis cum Christo, hac quidem, parte externa specie convenire videbatur, ut meminerim ante multos mihi annos Orobionem dicere Amstelodami Christum nostrum *Karæum* fuisse. Invenimus Zenam Νομικὸν, æque ac Apollo, inter Evangelii antistites. *Unus Scribarum*, qui Jesu docenti acclamabat καλῶς καὶ ἀληθῶς *bene & ex vero dixisti*, Marc. 12. 32. quem Dominus vicissim commendat quod νουνεχῶς ἀπεκρίθη *intelligenter respondisset*, & *non longe abesset a regno cælorum* (nt cognoscas propius *arma virumque*) apud Matthæum loco parallelo describitur νομικὸς *Legista*. Et sane per νομικοὺς hujusmodi fere *Textuarios* in N. T. notari haud obscure exinde firmatur, quod omnis disputatio quæ cum iis acta legitur non *traditiones* aut *Kabbalam*, sed *Legem scriptam*, ejusque genuinam interpretationem, & praxin, spectaverit. Quod si Νομικὸν illo Matthæi loco lubeat, ut mihi quidem admodum allubescit, sumere pro *Textuario*, indignum non erit notatu quod sic uno hoc capite Matthæi memorabitur amplissima Christi & universalis victoria, de quatuor quæ tunc Scholas, urbem,

bem, & aulam tenebant Sectarum insidiis, & oppugnatione, feliciter ac sapientissime triumphantis. Primo accedunt *Pharizæi* juncti cum *Herodianis* vers. 16. ut quicquid responderit laqueo implicaretur: aut vulgi odium, aut Majestatis vindictam incurrens. His in pudorem actis impudentiores in scenam prodeunt *Sadducæi*. vers. 23. 24..... ubi hos ex Scripturis & Dei virtute confutavit, prorumpit quarto aliquis Νομικὸς *Legista*, &, pro sua hypothesi, nodum nectit ex *Lege*, *quodnam sit maximum mandatum?* vers. 35. 36. Quem Servator tam dextre solvit, ut roganti, cum elogio, extorserit assensum loco parallelo Marci cap. 12. 32. Sane quominus fuerit hic νομικὸς Matthæi ex Pharizæorum factione, ut vulgo existimatur, multa prohibent; quod apud *Marcum* nullum quidem nomen, aut mentio, *Pharizæorum* appareat; sed tantum Γραμματέως vers. 28. 32. id est, בעל המקרא *Textuarii* ex superioribus. Inde clarius dixit Matthæus νομικόν. 2. *Pharizæi*, dum hæc disquisitio institueretur, non adessent, sed abiverant consultaturi. vers. 34. quibus vers. 41. demum redeuntibus tum Christus ipse dubium proponit de *Filio Davidis* qui simul posset esse ejus *Dominus?* itaque illud αὐτῶν *ipsorum*, vers. 35. *Unus ex ipsis, Legista*, non ad *Pharizæos* (recesserant quippe inituri consilium vers. 34.) verum ad ἀκούσαντας ὄχλους vers. 33. referendum videtur. Ex quorum medio hic prosilit, vacua velut arena, cum Domino congressurus, πειράζων *capiens experimentum* an, qui reliquas sectas quæ *Scripturas ignorabant* aut adulteraverant, tam facile vicerat, eadem sapientia & promptitudine de ipsa Lege sibi Legistæ posset respondere? Quidni ex hac observatione singularem cum emphasin, tum elegantiam verba Sospitatoris accipiant apud Luc. 10. 25. 27.? Quando interroganti νομικῷ *Legistæ*, *quid faciens sit habiturus hæreditatem vitam æternam?* respondit: ἐν τῷ νόμῳ τί γέγραπται; πῶς ἀναγινώσκεις; *in Lege quid scriptum est? quommodo LEGIS?* poterat prius sufficere, *Quid scriptum est?* quique nunquam verba inania profudit Christus eo etiam fuisset contentus; sed quia res erat cum νομικῷ *Textuario* argute pungit, nomen alludens, קראי מה קורא אתה *Legista quid legis?* Qui Legem noctu dieque versas, & meditaris, in ea omnia necessaria ad salutem contineri recte tueris, nunquid merito mirum te talia quærere? ac si id in Lege non clare extaret & *legeretur*: *qui fecerit ea vivet in eis*, & similia. Ac, dum ita *Scribas*, in quantum vox aliquando notat *Textuarios*, eosdem facimus his locis cum νομικοῖς *Legistis*, pulchre sacris Evangeliis consentiet *Epiphanius*: cum *Scribis*, hujus quidem generis, itidem conjungens νομικοὺς & νομοδιδασκάλους, *Legistas* & *Legis doctores*. Quin, ulterius *Origenes* progressus, quod toties in Evangelio repetitur *Scribæ & Pharizæi*, quandoque sic explicat ut per *Scribas* non intelligendos censeat *Doctores Pharizaicos*, ut passim interpretes, verum *Scribas* hujusmodi *Textuarios*. Postquam ad Matth. 13. 52., supra, *Scribam* definivisset qui, opposite ad Scripturarum *Anagogen* & mysticos Kabbalistarum sensus, *nudæ literæ credit eamque tuetur*, subdit: οὕτως δέ τις διηγήσεται καὶ τό. καὶ ὑμῖν Γραμματεῖς καὶ φαριζαῖοι, ὑποκριταὶ! ὡς παντὶ εἰρημένον τῷ πλὴν τοῦ γράμματος μηδὲν ἐπισταμένῳ. *Sic autem aliquis explicabit & illud* Væ Vobis SCRIBÆ & Pharizæi Hypocritæ! *quasi unicuique dictum qui præter literam nihil scit*. Ejusdem Capitis XXIII. Matthæi versum secundum, *Scribæ & Pharizæi sedent super Cathedra Mosis*, de iisdem *Scribis* similiter exponit loco ante adducto. Rem ipsam plane mihi persuasit, fuisse *Scribas* inter Judæos hoc nomine, & nominis sensu, quem jam declaravimus. De intellectione loci Matt. 23. 2. 13. nolim præstare; aut sine Quiritium suffragiis solus & præceps aliquid decernere. At tamen neque temere rejiciendum est Origenis in talibus judicium & testimonium. Non contemnendæ forte pro eo maturius cogitanti rationes occurrent. V. gr. Cum notissimum sit in *Pharizæorum* ordine non modo *Doctores*, sed & *plebejos* infinito numero, immo & *mulieres*, comprehensas fuisse; si his commatibus *Scribas* accipias de *Doctoribus Pharizaicis*, tum καὶ φαριζαῖοι *Et Pharizæi*, mox additum, de *Plebe Pharizaica*, seorsim a Doctoribus, necessario erit capiendum. Manifeste namque distinguuntur: Non *Scribæ Pharizæi*, sed *Scribæ* ET *Pharizæi*. Observemus una quod tamen de *Pharizæis*, æque ac de *Scribis*, asserat Christus illos, *sedere in Cathedra Mosis*. Quonam hoc pacto tandem poterit competere plebejis? sed si cum *Origene* Γραμματεῖς *Scribæ* interpreteris de isto hominum genere qui soli *literæ credunt*, *eamque tuentur*, res expedita est. Tam enim *Textuarii*, quam *Traditionum Patroni* tunc erant Synedrii assessores; & utrique populo jugum obsequii durissimum imponebant, quod fastu, hypocrisi, aliisque vitiis ipsi clanculum

culum excusserant. Ne quis dubitet קראים Karaim *Textuarios* in membra Synedrii admissos, discamus ex Talmude, integrum ex iis aliquando constitisse. De his enim explico quod habetur in *Massech. Sanhedrin*: *Filiam sacerdotis, quum scortata esset*, *combustam* hoc modo, ut *circumponerent ei fasciculos sarmentorum*. Id dum objicitur ibi Traditionum doctoribus, quibus placuerat combustionem fervente plumbo in guttur ingesto peragendam, respondent לא היה ב״ד של אותה שעה בקי *non fuit Domus Judicii istius temporis satis perita*. *R. Joseph* pressius ב״ד של צדוקי׳ היה *Synedrium istud constabat Sadducæis*. Quo nomine *Karæos* a Rabbinis designari in suis disputationibus, supra abunde probatum. Hi nempe nihili facientes novas explicationes & glossemata Pharizæorum, in hujusmodi vivicomburio Mosis cum Legem, tum consuetudinem, sequebantur; Talesque erant hi *Sadducæi*, exponente Jarchi, שדורשין מקרא ככתבו *qui explicant Scripturam* (non ex traditione) sed *ex eo quod scriptum est*. *Sadducæi*, Epicuræa sententia, non essent forte furti aut Venereæ voluptatis tam rigidi osores, & si vel essent horrendum mihi, & incredibile, quum pauciores essent secundum *Josephum*, impiam Epicuri sententiam in Ecclesia Judaica, & augusto illius Senatu, omnibus omnino Judicibus animo sedisse. Karæos autem solos aliquando, deturbatis Pharizæis, illic dominatos *Joh. Hyrcani*, & *Alexandri Jannæi* &c. temporibus ex historicis Judæorum manifestum est. Accedit, si *Scribæ* de Doctorum *munere* solum, & non *secta* hic accipiantur, quod vix congruens adeo & usitata locutio emergat: *Rabbini* (Pharizaici) *& Pharizæi sedent*, &c. quam novum, & insuave, auribus allabitur si in aliis Sectis nostrorum temporum ita divisim quis conjungeret V. C. *Doctores & Romano-Catholici*, *Senatores Ecclesiastici & Lutherani*, *Ministri & Calviniani*, & ita porro, hoc aut illud dixerunt, fecerunt. Optime *Secta* cum *Secta* componetur: *Romano-Catholici & Reformati* gerunt Mosæ-Trajecti Magistratum. *Lutherani & Calviniani* alicubi Cathedram occupant Professorum, &c. Ac quemadmodum, ratione factionum habita, in ipsis Evangeliis sæpe combinantur modo *Pharizæi & Sadducæi*, modo *Pharizæi & Herodiani*, sic eodem respectu, ex mente *Origenis*, hic loci consociantur *Scribæ & Pharizæi*, hoc est *Textuarii & Traditionarii*; ex utraque classe etenim, quin etiam ex pessimis *Sadducæis*, in illud Collegium aliqui cooptabantur. Sic *Scribæ & Pharizæi* idem volet quod aliquoties φαριζαῖοι ϗ Νομικοὶ, *Pharizæi & Legistæ*, apud *Lucam* Cap. VII. 30. & XIV. 3. Neque de nihilo est quod inter Evangelistas in solo *Luca* hæc occurrat copulatio *Pharizæi & Legistæ*; qui post *Matthæum* scribens omnia ἀκριβῶς *accuratissime* fuit *persecutus*. Et ope hujus nominis ænigma istud Luc. XI. 44. 45. parum intellectum, & sine eo nunquam satis intelligendum, facillime dedit explicatum. Ego autem hæc non affirmans sed inquirens differo; ad sensum Origenis attuli quæ succurrebant; in re obscura censens amplius deliberandum. Certus si alicubi vocis *Scribæ* explicatio Origeniana obtinere debeat, quod mihi fit verisimile, non tamen ubicunque illud, seorsim aut conjunctim, occurrit semper & statim *Textuarium* denotare. Commonuimus jam quam late pateat, & variæ sit significationis. Habebit itaque eruditus Scripturæ interpres patentissimum hac ratione campum in quo ingenium suum & ἀγχίνοιαν exerceat, dispiciens quibus locis quæ notio quadrabit. Ad faciendum indicium hæc sufficiunt de Scripturis. Nunc videamus quomodo Veterum Patrum causa, & intellectus, hinc possit juvari. *Epiphanius*, aliique in Sectarum catalogo proprium quoque locum *Scribis* assignarunt, vehementer eo nomine maximis viris vapulantes. *Scribarum ordo neque Judaismi Hæresis fuit*, *neque* πρὸς Φαριζαίους ἀντιδιαστελλόμενοι, *nam & Scribæ plerique Pharizæi*, &c. ait *Petavius*. Videlicet non alios *Scribas* noverat, quam publicos Doctores a *munere* sic appellandos; hoc tibicine nititur immerita κρίσις. Ast ubi nunc constat fuisse hominum ordinem qui *Scribæ* propter dogma vocabantur, quia בעלי מקרא *Baale mikra* erant, *scriptæ* tantummodo *Legi* addicti, postquam hoc peritissimi in Hebraicis Patres Origenes, Epiphanius, Hieronymus tradidere, & haud tralatitio Judaicæ Misnæ, & Christianæ Antiquitatis consensu, faventibus Evangeliis, confirmatum est, an non evidenter patet diversa opinione sejunctos fuisse, & Petavii potius inscientiam quam Epiphanii distinctionem animadversionem mereri? Dicit de iis idem *Epiphanius*, quod *eodem fere tempore quo Sadducæi* in lucem *prodierint*. Exagitant illud tanquam falsissimum Docti, & si de *Sribis* intelligeretur quatenus notat Doctores Ecclesiasticos nihil esset absurdius, nam illi dudum ante fuerunt; verum si de *Textuariis* & קראים quid verius?

nam ita nihil dicit niſi quod præſtantiſſimi Judæorum Chronologi & Doctores Maimonides, R. Jehuda Hallevi, R. Abraham Ben Dior, &c. ante ſcripſerunt. Pergit porro, quod eſſent γραμματικήν τινα ἐπιστήμην ὑφηγούμενοι, transfert hæc verba Petavius: *Velut quandam Grammaticam profeſſi*. Sed o bone! Cum hi Scribæ tibi ſint *Theologi*, & Legis Doctores, an ſatis ex decoro videntur *Grammaticam*, non noviſſe, ſed publice *profeſſi*? Et ſi id nihil vetat, an jam tunc inter Judæos *Grammatica* fuit ἐπιστήμη, in artis aut *diſciplinæ* formam redacta? quod ſeris poſt Reipublicæ excidium temporibus demum factum, & a R. Juda Chioug omnium primo, anni nondum ſunt octingenti, ipſi Pharizæorum ſucceſſores tradunt Rabbini; de quo poſt alios conſulere licet Doctiſſimum R. Simonium. Quanto ſatius eſt hæc conferre cum iis quæ Origenes de *Scribis* memoriæ prodidit: tales *dici*, *qui non recedunt a litera Legis*; & *Epiphanii* verba, quemadmodum nos ſupra, interpretari. Περιττὴ καὶ σοφιστικὴ ὑφήγησις *interpretatio* (Scripturæ) *ſophiſtica*, *quæque modum excedit*, quam iis tribuit optime convenit cum eo quod Rabbini de Karæis obſervant quod ſint מתחכמים בטענות ובתולדות in nectendis difficultatibus, & conſequentiis ſagaciſſimi, ut Clar. Buxtorf. habet: *Rationibus ac argumentis ingenioſis, & ſpecioſis, ſuam ſententiam confirmant*. Ita pauliſper patrocinium *Epiphanii* ſuſcepimus; ſunt tamen, fatendum eſt, in eadem Hæreſi quæ defendere, aut ſecum conciliare non poſſumus. Poſtquam hæc poſuit quæ neque vera ſunt, neque commodum ſenſum admittunt niſi accepta de *Scribis Textuariis*; mox ea ſubjungit de traditionibus & exercitationibus abſtinentiæ a Venere, &c. quæ non his ſed *Scribis*, hoc eſt Doctoribus, *Pharizæis* competant; quibus mox quoque adſcribit; ſive hæc ab ignato acceperit, ſive *amphibolia*, quam diximus, vocabuli *Scribæ* deceptus hæc ipſe confuderit; ſub eodem titulo complectens quæ quidem Scribarum erant, ſed diverſorum. Ad Cap. VII. Comma 14. Jeſaiæ prædicentis Meſſiam *futurum in petram offenſionis duabus domibus Iſrael*; beatus annotavit Hieronymus: *Nazaræos* (*qui ita Chriſtum recipiunt ut obſervationes Legis Veteris non amittant*) *duas* (Domus) *familias interpretari Sammai & Hillel: ex quibus orti ſunt Scribæ, & Pharizæi*. Magna confidentia maximi Viri iſta rejiciunt, atque confutant: *Quomodo Scribæ ab iis ortum haberent, quorum frequens in V. T. eſt mentio?* Verum an ſerio poſſumus exiſtimare quæ pueri norunt, & qui nondum ære lavantur, ea neſciviſſe *Hieronymum?* qui Ezram recenſuit, Prophetas tranſtulit, S. Scripturam admirabili judicio, improbo labore, diutiſſime tractavit; ut nihil dicam de Hiſtoria, non inveniſſe *Scribas* doctores ante ætatem Hillelis? non credibile. Alios igitur in animo habuit, *Scribas* videlicet qui diverſam a *Pharizæis* בית *Domum*, & diſcipulorum *familiam* conſtituebant; quum ordinarii Rabbini & Doctores, Chriſti tempore, ut plurimum ipſi eſſent *Pharizæi*. Agit de Scribis quos apud *Origenem* legerat; qui ex ſchola *Schammai*, & non *Hillelis*, prodierant. Atque ita ſe prodit jam tunc aliquo modo noviſſe, quod non pauci Doctorum hodieque ignorant; plures ſaltem *Karæos* ſectæ ſuæ antiſtitem & fautorem R. *Schammai*, quemadmodum R. *Hillel Pharizæorum*, habere & oſtentare. *R. Moſes Beſchitzi Karæus* in libro M. S. מטה אלהים, loco capite proximo plenius adducendo, לפי שאנו הקראים יחד סמוכים ונשענין מרב שמאי ובית דינו .... והרבנים קבלו מרב הלל הזקן ובית דינו *Quandoquidem nos Karæi pariter innitimur* (poſſet etiam verti *ordinati ſumus*) *& ſuſtentamur a R. Schammai, & domo judicii ejus .... Sed Rabbanitæ* (*doctrinam*) *acceperunt ab Rabbi Hillel ſeniore, & domo judicii ipſius*. Hæc mens *Nazaræorum* dum ſcripſerunt, *Scribas* (Textuarios) a *Schammai*; ab *Hillele Pharizæos* oriundos; quæ ſi fuerat bene perſpecta, ab immerita eos cenſura liberaſſet. Si vero Joſephus *Pharizæos* repetit ἐκ πάνυ ἀρχῆς; *ab admodum antiquo*: Sciendum eſt, *Hillelem* longe plus ſeculo floruiſſe antequam iſta *Joſephus* ſcriberet; & cum varii ſint Hæreſeon gradus, atque incrementa; ſeminibus Pharizaiſmi dudum antea jactis, ſub *Hillele* tamen ἀκμὴν & veluti vigorem cœpiſſe. Quod vero hæc Eruditiſſimus Pater hauſerit a *Nazaræis*, fidem mihi non elevat, ſed roborat magis: quia teſtes σύγχρονοι, & domeſtici; adeoque multo melius, quam quiſquam recentiorum, ſunt Judaicorum geſtorum periti. Sint *Hæretici*, errantes in doctrina libertatis Evangelicæ, quid tum? an ideo mox mentiuntur in patria Hiſtoria? fuerint, ut ſane fuerunt, *Judaizantes*, tanto minus hoc *Jeſaiæ* ſtigma propheticum celeberrimis & maximis Judæorum Doctoribus vel temere, vel falſo, inuſſerunt. Atque hæc ſpeciminis loco ſufficiant.

CA-

CAPUT VII.

Corruptus Ecclesiæ Judaicæ status post Captivitatem ex M. S. S. Karæis. Remedium adhibitum origo ἐθελοθρησκείας, & divisionis. Joh. Hyrcani convivium. Hinc ejus odium lethale in Pharizeos, ut & Jamnæi filii ejus. R. Simeon Ben Setah fugit Alexandriam. Redux Kabbalam jactat. Ex M.S.S. varii errores in historia emendati. Gradus Pharizaismi. Quibus artibus crevit? Schammai an faverit Karæis, & Hillel Patronus Pharizæorum? &c.

VErum tempus jam dudum, & ordo nos vocant, ut de schismatis inter utrosque causis, & proxima Origine, aliquid commentemur: quæ ut melius constent sibi, atque intelligantur, res paulo altius repetenda videtur. Observant, nec immerito Karæi, post Captivitatem Babelis solutam, Sacerdotes & populum, quibus inexpectata liberatio, redditæ Patriæ & antiquarum possessionum recens beneficium, si non avitæ Religionis amor, ingentem zelum & alacritatem in divino cultu accendere debuerant, e contrario in vitia & corruptionem præcipites sese dedisse. Sive hoc fecerit divini cultus destructo Templo diuturna intermissio, sive Gentilium servitus & contubernium, sive propria cordis pravitas atque duritia, aut simul hæc omnia. Auctor saltem M. S. libri Chillouk septem crimina enumerat quorum rei erant, augendis *post mortem Prophetarum* peccatis: מאנשי בירת שני למדנו שבעה דברים אחרינו מות הנביאים וסיעתם האחד כי כהני בירת שני היו רשעים והתירו להקריב לחם מגואל במזבח יי׳ וכן עור ופסח וחולה שאסרה התורה שנאמ׳ מגישים על מזבחי לחם מגואל וגומ׳ וכתיב כי תגישון עור לזבוח אין רע וגומ׳ והשני הכשילו רבים בתורה כענין האמור ופושעים יכשלו בם וכן בזה הכשלתם רבים בתורה שחתם ברית הלוי וגומ׳ והשלישי היו נושאים פנים בתורה שנאמ׳ כפי אשר אינכם שומרים את דרכי ונושאים פנים בתורה והרביעי שנא׳ שנאמ׳ ובעל בת אל נכר והחמישי היו חומסים וצוררים לנשותיהם שנאמ׳ על כן יי׳ העיד בינך ובין אשת נעוריך אשר אתה בגדת בה והיא חברתך ואשת בריתך והששי שהיו מחללים את השבת שנאמ׳ ראיתי ביהודה דורכים גתות ועומסים על החמורים והשביעי שהיו בועלים נשים האסורות שנאמ׳ גם בימים ההם ראיתי את היהודים הושיבו נשים (נכריות) אשרודיות עמוניות מואביות ובהם יבטל׳ שאמ׳ עמוני ולא עמונית ואם כן הם שבשו ההעתקה והפילו את החלוף איך נקבל׳ ונלמוד מהם תורה ומצוה או כל ההעתקה.

Quæ in hunc fere sensum vertere licebit, *De iis qui circa tempora domus secundæ vixerunt septem res accepimus, postquam Prophetæ & illorum suffragatores essent mortui: Primum est, quod cum Domus secundę Sacerdotes essent improbi, pro oblationibus in altare Domini panem admiserint pollutum, quemadmodum pariter (* victimam *) cæcam, claudam, & languidam cujusmodi Lex arcuerat. Patet ex eo quod scriptum est (Mal. 1. 7.) offertis super altare meum panem contaminatum, atque (* vers. 8. *) cum adducitis cæcum ad immolandum nonne malum est? &c. Secundum est, quod offendiculo multis fuerunt in Lege; eo modo, quo legimus (* Hos. 14. 10. *) Prævaricatores corruent in iis, hic se res habuit: (* Mal. 2. 8. *) impingere fecistis multos in Legem, & fœdus Levi corrupistis, &c. Tertium erat, quod personas acciperent in Lege. Secundum id quod extat (Mal. 2. 9.) sicut non custodivistis vias meas, & fuit vobis personarum acceptio in Lege. Quartum: intelligitur ex eo quod dictum est (Mal. 2. 11.) duxit filiam Dei alieni.* LXX. ad studium Deorum aliorum, veteres Judæi ad superbiam referunt) *Quintum: violenter opprimebant suas uxores, unde dicitur Mal. 2. 14. Jehova testificatus est inter Te atque uxorem adolescentiæ tuæ, contra quam es prevaricatus, licet sit Socia tua, & uxor tui fœderis. Sextum :* quod *profanarent Sabbathum, prout dicit (* Nehemias Cap. 13. 15. *) vidi in Juda calcantes torcularia & onera asinis imponentes. Septimum est, quod vetitas mulieres sibi junxerunt matrimonio.* Juxta illud *(ibid. vers. 23.) in diebus quoque illis vidi* Judęos *qui duxerunt uxores (* extraneas *) Asdodithidas, Ammonithidas, Moabithidas : quod ipsi eludendo sic defendebant (* in Lege scriptum Deut. 23. 3. *) Ammonita, non Ammonitis. Quę cum ita sint, atque illi perturbaverint exemplar, & abortu quodam mutationem pepererint, quomodo tandem accipiemus ab iis? vel Legem & preceptum, aut qualemcunque formam discemus?* Plura congeri possunt; sed hæc, atque ista omnia, ad tria capita commode referri. 1. Erat magnus Legis neglectus in Doctoribus, Mal. 2. 1. 7. 8. unde sequebatur in populo contemtus atque oblivio Hagg. 1. Mal. 4. 4. 2. In administratione justitiæ, in Foro æquitas, fides, veritas sæpissime laborabant. vide Zachar. 8. 16. 17. & Mal. 3. 5. Multumque valebat προσωποληψία Mal. 2. 9. 3. In Pietatis aut Levitici cultus officiis, si quando iis vacabant, dicis veluti

luti causa, & perfunctorie, versabantur, incuriosi purum, an impurum? sanum an ægrotum? & ita porro offerent; nullo modo ut Legem legitime, νομίμως, observarent curantes. Triplici huic malo invenimus triplex quasi remedium, eos qui Prophetas exceperunt, Doctores Judæorum commendasse. אנשי כנסת הגדולה הם אמרו שלושה דברים הוו מתונים בדין העמידו תלמידים הרבה ועשו סיג לתורה loco istius in docenda Lege perversitatis, & desidiæ, jubent *multos facere discipulos*. Ne quiquam fieret injuria volunt *tarde & considerate judicium ferri*. Maxime ut populus arctius in officio omni respectu, & ratione, contineretur, mandant FACITE SEPEM LEGI. Quo denotabant, quoniam multa in Pentateucho plebs non satis capiebat, aut capere nolebat; quædam etiam ipse Legislator suis circumstantiis non semper definiverat, quo ansa istis quotidianis cavillis penitus amputaretur *in quo polluimus? in quo despeximus?* vehementer expedire ut Doctores obedientiæ nodum fortius adstringerent; & quæ vel non clare decisa, vel alias utilia videbantur, suis expositionibus & praxi pressius determinarent, addentes aliquod ἐπίμετρον; & ad abundantiorem cautelam ultra, quam Deus stricte præscripserat, ab inconsulta plebe exigentes. Ex hoc fonte manavit, cum illi tam impudenter *Sabbatum* profanarent, ut præter Sabbathi observantiam legalem, induxerint שבות *Sabbathi additamentum*, quo partem aliquam profani diei Sabbatho sancto adjiciendam scifcebant; & quædam a Mose præcise non interdicta v. g. eo die nare in aqua, adscendere arborem, &c. cavebantur nihilominus, ne illarum occasione ad vere vetita prorumperent. Quia illi, & dona passim fuerant polluta, declaraverint postea non modo impurum fore illud quod gravem immunditiem per se tetigerit, & אב הטמאה *pater impuritatis* vocatur, verum etiam aliis interpositis, & jure quodam participationis. Ita lectulus immundus fiebat, non solum in quo vir aut mulier in sua immunditie sederat, jacuerat; verum etiam si illum modo aliquid contingeret, quod isti prius tetigissent. Sacerdotes ibi ducebant alienigenas? eousque interdictum extendit ἐθελοθρησκεία, ut etiam Hebræam civem, si forte aliquando inter alienigenas captiva fuisset, *profanam* æstimarent, ut de Joh. Hyrcani matre statim audiemus. Et talia ὅσα χόνις. Ea ratione scilicet cum hominibus hic instituebant, quemadmodum Medici in definienda infirmorum dieta; aut in causarum actione Patroni quod indebitum est petunt quandoque, ut quod æquum debitumque tanto certius liceat auferre. Sic quoque si jam pro more plebs atiquid de mandatis Doctorum maligne detraheret, sapienter credebant prospectu ut vel sic tamen intra Divini præcepti consisteret sepimentum. Egerunt ista animo quidem forte non malo, consilio tamen imprudenti, ac successu pessimo; quando Deus humanam Sapientiam in re divina merito spernit, atque frustratur. Hæc enim, si quid judico, Judaici fundi calamitas, & prima est humanarum in Religione traditionum, ac Pharizaicæ superstitionis, potissima origo. Quum enim hujusmodi additamenta urgeri, laudari, inculcari a suis doctoribus & sacerdotibus passim viderent, orti sunt plures ἐκουσιαζόμενοι τῷ νόμῳ *voluntario affectu Legi operam dantes*: Ασιδαῖοι Hebr. הסידים *Boni* עוסקים ברבית התרה qui, *occupati in auctario Legis*, plus agebant quam stricto jure tenebantur. Utque ferax superstitio est, præcipue si æmulatio, & laudis cupiditas acrius studium accendant, magnum statim hæc doctrina cepit incrementum, variantibus quamquam hominum doctiorum de ea sententiis; unde Sectarum inter Judæos prima, quæ in obscuro latent, incunabula non inepte forsan repetentur. Hoc namque modo cum lex divina cum humanis inventis, frumentum cum palea propinaretur; pro diverso genio, & studiis, diversam viam insistebant: Αμετρία τῆς ἀνθολκῆς aliqui cum palea simul frumentum abjecerint: veluti hinc *Sadducæi*, cum istis hominum doctrinis, divinæ revelationis & promissorum partem non exiguam pessime rejicientes. Inde tales qui, in *Essæorum* Societatem postea coeuntes, cum superstitiosis observatiunculis sanctissima Templi, inque eo Sacrificiorum, Festorum solennia istituta parum curabant, sed in secessu quodam philosophico, meditatione, atque exercitationibus virtutum, charitatis cummaxime, totam Religionis summam collocabant: Pythagoræ & Platonis æmuli magis, quam discipuli Mosis. Quotquot prudentius servata Scripturæ totius, & solius doctrina, omnem paleam a verbo Dei segregandam statuebant ex mandato Jer. 23. 28. eam fovebant opinionem quam nostri Karæi. Qui vero & paleam & frumentum, Legem oralem cum scripta, pari obsequio & pietatis affectu recipiebant, Pharizæorum nomen propter vitæ singularem atque affectatam rationem meruere. Diffuso cum tempore per totum

tum Eccleſiæ corpus veneno, creſcentibus *occulto velut arbor ævo* erroribus, hæ tandem ſententiæ circa ætatem Jonathæ Pontificis, fratris Judæ Maccabæi, memorante Joſepho, diverſis ſectis caput ſuum extulere. Quam diu autem hic Pharizaiſmus inter pauciores gliſcebat, praxi magis obtinebat quam lege, ſuperbia & hypocriſis pietatis ſpeciem mentiebantur, multis impoſuit ipſi etiam Johanni Hyrcano, Ethnarchæ, Pontifici & ſummo viro, qui principio magnus illorum fautor erat, iiſque ſe ipſum tradiderat in diſciplinam. Donec caſu non expectato nimius illorum faſtus, & in objurgando Ethnarcho libertas hanc amicitiam plane diremit, & ingentium turbarum cauſa extitit. Hiſtoriam exhibent Joſephus Græcus. Pſeudo Gorionides Hebræus, Rabbini paſſim, atque etiam *Karæi*; ut nihil celebrius ſit ubique, aut magis famoſum. Johannes Hyrcanus rebus domi belloque fortiter geſtis magnam ſapientiæ & fortitudinis laudem conſecutus, pace Populi, ſuaque gloria lætus non modo Miniſtris ſed & primariis in Republica viris qui dignitate aut doctrina excellebant epulas inſtruit, futuras quædam, felicitate temporum, Hilaria; ſed quod ait Salomon ואחריתה שמחה תוגה *extrema gaudii luctus occupat*, præter expectationem iſthic evenit; atque eo ex convivio pugnæ ſignum, tanquam *Lapitarum*, fuit elatum. Quia Joſephus, & reliqui Scriptores in omnium ſunt manibus, ſi ex M.S.S. Karæorum ineditis, quid geſtum memorent, enarrem, non ingratum ſpero accidet Lectori; & tunc, ubi quibuſdam obſervatiunculis hiſtoriam illuſtravero, quibus gradibus & incrementis hoc ſchiſma Karæorum & Pharizæorum proceſſiſſe mihi videatur paucis explicabo. *Rabbi Caleb*, *Sapiens* dictus, in præfatione libri M.S. עשרה מאמרות hunc differit in modum:

ויהי בימים ההם בשבת המלך הורקנוס לבטח בורושלים עיר הקדש עשה משתה גדול לכל שריו ועבדיו חיל יהודה ובנימין וישב המלך על השלחן עם כל החכמים אשר היו בדור ההוא ובטוב לב המלך ביין התהלל לפני החכמים במעשיו הטובים והישרים ויושר לבו וצדקתו וחסידו ואיך הוא מקבל מוסר וחוזר מכל פועל ומעש׳ רע שיעשה ויודו החכמים בדבריו ויאמרו לו אמת כי צדיק אתה וישר ונאמן ועבד אלהים אתה וכהן גדול ולך נאה ההוד והממשלה.... וישמח המלך על דבריהם ויאמר להם אני אשמע בדבריכם ואקבל תכחתכם בדבר שאעשה חוץ מן הדין. ושם היה איש אחד מן החכמים ושמו אלעזר איש שולח מדע רע ובליעל ויעז ויאמר יחי המלך הורקנוס לעלום.... אם אהבת להוית צדיק כאשר דברת ולקבל תוכחת אמת לך רד מכסא הכהונה ודי לך כתר מלכות ויאמר המלך אל אלעזר ולמה לא תגיד לי הסבה הזה.... ויאמר כי בשבי הלכה אמך בימי אנטיוכוס מלך יון בעיר המודעית כשהצרו הגוים את שמעון אביך בהר ונלכדו נשיו והוא ברח וא״חכ עיר חזרו לשמעון כשנבר ולכן היו מתלחשים כי המלך הורקנוס הוא חלל ולכן אמר לו אלעזר שלא נאה לו לבוא בקודש הקדשים וכשמוע המלך הורקנוס את דבריו והוא זקן ושמש בכהונה גדולה ארבעים שנה קצף מאיד ויהפך לאבל ששונם ולאנחה שמחתם ולאיבה ומריבה אהבתם׃ ויאמר לחכמים אתם פשעתם כי על קללת אלעזר הזה גם כי שתקתם בשמעכם ויצו המלך ויהרגו כל החכמים ואת אלעזר שרפו באש ומאז היתה קטטה ומריבה בין מלכות בית השמונאי הכוהנים ובין החכמים והימים אשר מלך הורקנוס על ישראל לא׳ שנים ויגוע וימות ויאסף אל עמיו וימלוך בנו הקטן הוא ינאי המלך הנקרא אלכסנדרוס כי שלושה בנים היו לו שם הבכור ארסתובלוס ושם השני אנטיגנוס והג׳ אלכסנדרוס ושאל את פי ה׳ מי ימליך תחתיו ויעז לו אלהים אלכסנדרים ימלוך אחריך והוא היה נמאס בעיניו ויהי לפני מותו וימלוך ארסתובלוס בנו תחתיו כי אותו היה אוהב והוא חלל הכהונה על עצמו ויאמר די לי כתר מלכות וישם שר צבא על עם ה׳ את אחיו השני אנטיגנוס ואת אמו ואת אחיו הקטן אסר בנחושתים כי היה ירא עליהם על דבר המלוכה כאשר ענה אלהים את אביו עד שמתו גם שניהם וימלוך ינאי כפי מאמרו יתב׳ כי לא יפול דברו ארצה והימים אשר מלך ארסתובלוס שנה אחת לבד וימלוך אלכסנדרוס בן הורקנוס הוא ינאי המלך ויושע ה׳ את עמו על ידו וינקום מאויבי ישראל וילחם עמם מסביב ויבוא ירושלים וישב לבטח על כסא מלכותו ויהי ביום חג הסכות ויעל ינאי המלך על המזבח להעלות עולה כחק הכהנים ויחלו החכמים ותלמידיהם לשמוח כמאמר הכתוב ולקחתם לכם ביום הראשון פרי עץ הדר כפות תמרים וענף עץ עבות וערב נחל ושמחתם לפני ה׳ אלהיכם שבעת ימים וימלא לב אחד מתלמידים להשליך פרי עץ להכות בו את המלך וישלך והכהו במצחו ויקצוף ינאי המלך ועבדיו ויתקוטטו עם החכמים לאמור להם למה תחללו את כבוד המלך ויבוא לידי חירוף וגדוף ויעז איש בליעל מהם ויאמר לינאי הוי בן מחוללת למה תתגאה ותשתרר בכהונה גדולה ואתה בן חללה לא נאה לך הכהונה ויקצוף ינאי המלך ויאסוף ידיו מעל העל המזבח ויקרא חרב חרב על החכמים וישלחו גדודי המלך את ידם ויהרגו מן החכמים ששה אלפים ביום ההוא בחצר ההיכל וישנא גם המלך ינאי את החכמים ויהרוג מהם נ׳ אלפים מלבד אשר הרג מהם במלחמה ויהו ריב מדון בין החכמים ובין ינאי המלך עד שהרג את כלם ולא נשאר מהם בסוף כי אם ה׳ מאות חכמים גדולים שברחו ונסתרו בבירת

שמש

שמש וילך גם שם וילכוד את העיר ויתפוש את תלמידי החכמים ויביאם ירושלים ויוקיעם בעצים וימיתם על קראוהו אלכסנדרוס הדוקר במדקרות חרב׳ וימלוך על היהודים בחזקה׳ ולא נמלט מכלל החכמים לומדי התורה אלא שמעון בן שטח שהיה אח אשת של ינאי המלך כי הסתירתו אחותו המלכה.... וכשבקשה רחמים עליו מבעלת ינאי המלך החזירוהו מאלכסנדריה של מצרים שהיה נסתר שם ביום המעשה... וזה שמעון בן שטח החכם אמר שיש לו קבלה והיא התורה שבע״פ אשר אין לה רמז מן התורה שבכתב.... והורה דברים רבים בהם חוץ ממה שכתוב בתורה כמו שהזכירו החכמים עליו השלום וקיים פסוק עת לעשות לה׳ הפרו תורתך׳ שבזמן שישראל נשארו בלי חכמים והושב הוא שהיה מתלמידיהם ללמד תורה ולהורות הדת על פי כונתו ית׳ היה ראוי לתת כבוד לשמו ית׳ והוא הפר תורתו הכתובה בתורה האחרת מה שלא היו מורים בה החכמים שנהרגו ואמר לאנשים שהוא רוצה לקיים התורה על פי שהוא מקובל מהראשונים. וכבר התרחב לו הדרך היותו נשאר יחיד בדורו לדעתו שכבר מתו כל החכמים ואין מי ימחה בידו ושם הפורוש כבחירתו והיה יכול להקל במה שרצה ולהכביד במה שרצה להוסיף ולגרוע ממה שכתוב בתורה ולהורות פירושים לא יסבלום דיעות החכמים אוהבי האמת והודו לדבריו קצת מהאנשים שברור ההוא יען שתלה הענין לגדול שבישראל באמרו שזה הלכה למושה מסיני׳ וזה כדי להטיל פחד בלב האנשים האנמעים עד שנטו אחריו רבים כמו אחרים שקמו בישרשל.... (litura hic est aliquot literarum) שנטו אחרי ותירו לדברי משעין בן שטח ויצאו מכלל ישראל שהיו הולכים אחרי הרשום ככתב אמת ונהיה דבר גדול זה שנחלקו בית ישראל מאמיני תורה שבכתב לשתי כתות: כת שנפטר אחרי שמעון בן שטח לפי שמסר להם קבלתו שהורה ונקראו רבנים והכת האחרת שנשארו על מכונתם ונקראו קראים ודרכו בדרכי החכמים הראשונים ונביאים ולא יצאו ממה שכתוב בתורה ולא פרקו עול התורה שנכתב מעל עוארם ומעשה אבותיהם בידיהם ולא חששו מדברי הכל כי תוהו המהי כי לא יצוה הש״ית דבר בפה כי הכל נכתב בתורה...הנה הם הנקראים קראים כי דתם הדת הראשונה ככתוב בתורה ובספרו הנבואה לא זולתה... ואלו היו כל החכמים בחיים שנהרגו, בזמן ינאי המלך לא היתה מחלוקת כלל ביניהם כי לא היו סובלים טורח כל ההרחקות אשר בדבר׳ הקבלה שהורו כמו׳ אלא היו דבריהם פירושים לתורה לא היו חולקים עליה ומבואר שמציות האמרת קשה להמצא באיש אחד וקלם להמצואת ברבים ומי יתן וחיו כל החכמים בחיים אז וסר המחלוקת מבינינו והיינו כעם אחד וכו׳. Quorum sententia huc redit: *His temporibus, cum Rex Hyrcanus Hierosolymis urbe sancta degeret & regeret securus, convivium lautum & grande Principibus suis, & Ministris suis exercitus Judæ & Benjaminis apparavit. Evenit autem Rege mensæ accumbente, cum omnibus Sapientibus istius ætatis, postquam largius vinum dedisset lætitiam, ut coram Sapientibus inciperet gloriari de iis quæ bene, laudabiliter, atque ordine fecisset; de integritate cordis sui, de justitia, de beneficentia sua, quam facilis etiam (eorum) correctionem acceperit, mox recedens ab omni operante, aut opere malo, si quod fecisset. Quibus verbis assensum præbentes dicebant Sapientes, re vera justus es, integer, fidelis, & servus Domini; ac cum sis summus Sacerdos, admodum decenter honores & imperium geris. His illorum elogiis rex mirum in modum gavisus addidit, etiam deinceps dictis vestris morem geram, ne quidem reprehensionem ægre laturus, in omnibus quæ mihi facienda præscripseritis, extra tamen Judicii religionem. Aderat ibi forte Sapientum aliquis, nomine Eleazar, iniquam sententia & (Belial) rebellem proferens hoc dicto: Vivat Rex Hyrcanus in æternum! Quod si cupias tantopere esse justus, & diligas correptionem veritatis recipere, quemadmodum præ te tulisti, I, descende da throno Sacerdotii, & sufficiat tibi Imperii corona. Respondit Rex, ecquid mihi indicabis quam tandem ob causam? cui ille, quandoquidem in captivitatem abducta est mater tua, in civitate Modith, diebus Antiochi regis Græcorum, cum obsidione Gentiles premerent patrem tuum Simeonem in monte ubi uxores ejus captæ sunt, ipse vero sibi consuluit fuga, quæ tamen postea ad eum redierunt ex quo (hostibus) prævaluit. Istud quidem in causa fuit quod clanculum jam ante spargeretur susurrus, quasi Rex Hyrcanus foret profanus (non aptus sacerdotio) ideoque jam effutiebat Eleazar haud decorum esse ut talis ingrederetur Sanctum Sanctorum. Quando autem hoc rex Hyrcanus audiebat, qui jam senex erat, & quadraginta annos functus pontificatu, ira vehementer efferbuit, versa in luctum lætitiæ, in suspiria tripudiis, & amore pristino in inimicitiam & contentiones. Dixitque Rex Sapientibus, & vos prævaricationis estis affines propter maledicentiam hujus Eleazari, vel ideo quod hæc audita tacuistis. Hinc ex mandato Regis occiderunt omnes Sapientes, Eleazarum vero igne combusserunt. Atque ab ec tempore fuit discidium & contentio inter Reges Domus Hasmonæorum qui itidem Sacerdotes, & inter Sapientes. Tempus vero quo gubernavit Hyrcanus Israelem sunt anni XXXI. & morte ex-*

extinctus congregatus est ad suas gentes. Eique in regno successit filius natu minimus nomine Jannæus Alexander. Tres etenim filios habuit: primogenitus erat Aristobulus, secundus Antigonus, tertius Alexander. De quibus os Domini consuluit (Hyrcanus) quisnam ejus loco regnaret? redditumque fuit oraculum: Alexander post te regno potietur. Quem cum ille contemtui haberet, factum est ut se vivo adhuc Aristobulum regimini præficeret, utpote valde sibi dilectum. Et ille se indignum Sacerdotio professus, dicebat sufficit mihi corona regni; ducemque exercitus populi Dei fratrem secundum, Antigonum constituit. Matrem vero & fratrem minimum æneis vinculis implicuit, quod sibi, suoque regno, ab iis timeret secundum ea quæ Deus Patri ipsius responderat. Donec illi duo (majores) morerentur, quando regnum ad Jannæum, secundum Dei prædictionem, pervenit, cujus nullum verbbum irritum cadet in terram. Unum modo annum namque præerat Aristobolus, & mox imperat Alexander filius Hyrcani, qui est Rex Jannæus. Atque manu ipsius populum suum salvum præstitit Dominus, vindictam dedit Israeli de inimicis suis, quibuscum undequaque bellum gessit. Quum vero reversus Hierosolyma, alta pace regnum suum administraret, incidit tempus Festi Tabernaculorum. Quumque Rex Jannai jam adscenderet clivum altaris ad offerendum holocaustum, secundum ritum legesque Sacerdotii, jamque inciperent Sapientes & eorum discipuli lætari, propterea quod scriptum est (Lev. 23. 40.) sumetisque vobis die primo fructum arboris decoris & ramos palmarum, & ramos arboris densarum frondium & salices torrentis & lætabimini coram Jehova Deo vestro septem diebus, *tunc animum induxit suum quidam ex discipulis Sapientum, ut isto fructu arboris jacto peteret Regem; illiusque frontem recta percuteret. Quo facto non parum Rex Jannæus excanduit, ejusque ministri objurgabant simul Sapientes dicendo: quam ob rem prophanare sustidicendo: quam ob rem prophanare sustinetis regis Majestatem, ipsi ingerentes opprobria & contumeliam? Aususque fuit aliquis vir Belial, ex eorum numero, regerere Jannæo: væ Tibi Fili profanæ, quare te effers? quid asseris Pontificatum tibi? cum sis genitus profana, summo sacerdotio nequaquam es idoneus. Jannæus Rex hinc ira percitus manum tollit de altari, conclamatque ad arma! ad arma! contra Sapientes, & turmæ regis operi manum admoventes uno illo die in atrio templi sex mille occiderunt. Exinde odio etiam flagravit rex Jannæus contra Sapientes, quorum neci dedit tria millia præter eos quos in pugna interemit. Viguitque contentio inter Sapientes & Jannæum Regem usque dum cunctos fere occiderat & nulli tandem ex iis relicti essent nisi octingenti primi ordinis qui aufugerant & latitabant in Bethsemes. Huc statim se contulit quoque, urbe capta discipulos Sapientum captivos duxit Hierosolymam, & suspensos ex arboribus tradidit morti. Eaque de causa appellarunt Alexandrum* TRANSFODIENTEM *transfixionibus gladii (alludit Prov. 12. 18.) atque imperavit Judæis rigore quodam & violentia, ita ut ex universo ordine Sapientum qui legem quidem docerent mortem non evaderet nisi Simeon filius Setah, quem cum esset frater uxoris Jannæi Regis, Regina soror ipsum occultavit, posteaquam vero petitam pro ipso gratiam a marito suo Rege Jannæo impetrasset, redire eum fecerunt ex Alexandria Ægypti, ubi persecutionis tempore latuerat. Ille autem Doctor Simeon Ben Setah cœpit palam jactare quod ipsi esset Kabbala, sive lex Oralis, cujus ne minimum quidem indicium extat in Lege Scripta, adeoque docuit multa extra Legem Scriptam, quemadmodum Sapientes nostri p. m. passim meminerunt, locum cum maxime faciens illi dicto (Ps. 119. 126.) Tempus est faciendi o Domine, nam dissipaverunt Legem tuam. Eo quippe tempore quo Israel erat sine Doctoribus relictus, atque ille ex illorum discipulis redux esset ad docendam Legem & tradendam religionem juxta mentem (Dei) Benedicti, & res posceret ut gloria divini nominis ante omnia haberet rationem, hic contra Legem Scriptam in aliam legem pervertit, quam non agnoverant qui occisi sunt Sapientes, dixitque hominibus quod in animo haberet Legem stabilire secundum ea quæ erant accepta a majoribus. Et latissima erat porta pro lubitu data, cum unicus suæ ætatis Doctor, superesset mortuis dudum Sapientibus cunctis nullo reliquo qui ipsi obstaret. Itaque interpretationes induxit pro beneplacito, atque in ejus manu fuit elevare vel aggravare quodcumque tandem visum foret addere demere de Lege Scripta, interpretamenta docere quæ Doctores, quibus Veritas cordi est, neutiquam ferre neque se illorum judicio probare potuissent. Assensum tamen ei præbuit pars magna hominum istius ætatis, quoniam rem ad maximum in Israele Virum retulit dicendo quod sit traditio Mosis ex Sinai. Hoc autem præ se tulit ut (hujus nominis reverentia) timorem incuteret omnibus qui audiebant; ita ut multi adhæserint ipsi, quem-*

quemadmodum adhæserunt (hic aliquot characteres in M. S. meo deleti sunt, ubi suspicor fuisse *Jesu &*) *aliis qui in Israele surrexerunt. Ac fidem hoc modo habentes verbis Simeonis Filii Setah deflexerunt a regula universi Israelis sequentis quod scriptum extabat in Scriptura veritatis, fuitque hæc res maximi momenti, quod domus Israel, quæ fidem Scripturæ habebat, in duas sectas fuerit divisa: Sectam quæ sequebatur Simeonem filium Setah, doctrinam suæ Kabbalæ iis tradentem, hi vocantur Rabbanitæ. Altera secta erat quæ manebat super Basi sua & dicebantur* Karaim, *qui primorum Sapientum vestigia presserunt atque Prophetarum, neque discesserunt ab eo quod scribitur in Lege, aut jugum Legis scriptæ suis cervicibus excusserunt, sed praxis avita inter eos perstitit nequaquam sollicitos de vanis commentis quod merum essent Chaos, Deusque benedictus nihil ore tradiderit, sed omnia sint scripta in Lege.... Ecce hi sunt qui vocantur* Karaim, *quorum doctrina est doctrina antiqua, secundum id quod consignatum est in libris Legum ac Prophetarum, nihilque præterea. Quod si omnes Sapientes in vivis fuissent qui perierunt tempore Jannæi Regis non sic eruptura in nervum videtur hæc inter eos divisio. Non enim illi tulissent onus (confer Math. 23.4.) omnium absurdarum discessionum quæ in recepta* Kabbala *reperiuntur. At vero si dicta illorum veræ explicationes Legis fuissent non adeo quoque se iis opposuissent. Cæterum in confesso est quod veritas difficilius ab uno, facilius a multis invenitur. Utinam ergo omnes tunc Sapientes vixissent! a nobis schisma exularet atque essemus unus populus. &c.* Non essent hæc quidem indigna quæ collatis Josephi τȣ Ἀρχαιολόγȣ, aliorumque scriptorum locis paulo latius discussa persequeremur. Nostra certe id magis referret quam Homericas Regum contentiones, aut Græcorum factiones, & bella civilia Romanorum pernosse; quandoquidem hic caput fontis attigimus unde tot turbæ, schismata multaque mala redundarunt, quæ Ecclesiam atque Rempublicam Judæorum misere exitio dederunt. Verum hisce augustiis istud non licet. Quosdam modo scrupulos levemus historiæ, quam audivimus, ne forte aliquem animi ancipitem reddant, aut in progressu morentur. Dispiciendum verbo quis fuerit proprie iste Pontifex cujus matri vitium objecerint Sapientes? Vir meritissimus qui Cozri nobis cum Latina versione notisque suis edidit, de *Jannæo* (*Alexandro*) accepit. Melius vero noster Karæus, R. Caleb, Johannem vocat Hyrcanum: cum quod Josephus hoc aperte testatur, tum quod Simeonis uxor, cui id imputatur, non mater sed avia fuerit Jamnæi Alexandri, Hyrcani, patris hujus, conjugem Modithi commoratam nullus veterum tradit; atque in captivitatem ab Antiocho illinc abductam vix ætas & temporum ratio patiuntur. Αβλεψίας occasio est, quod cum pater Johannes vocaretur cognomine Hyrcanus, filius Johannes sed Alexander, Judæi utrumque deflexerint in ינאי *Jannai*, omisso sæpissime cognomento, prout sunt incuriosi in Historia. Consentiunt omnes famosissimi Doctoris R. Simeonis Ben Setah sororem Jamnæo Pontifici nupsisse, sed prior confusio alium peperit errorem. Raschi nempe existimat Hyrcanum eam habuisse in matrimonio, sed optime R. Caleb habet fuisse Jamnæum Alexandrum; illo enim imperante R. Simeon in Ægyptum aufugit, precibusque suæ sororis maritum placantis fuit revocatus, sicut R. Abraham Ben Zacuth, Gorionides &c. etiam confitentur. Extra controversiam non est, quot annis ad gubernaculum Ecclesiæ Judaicæ sederit Joh. ille Hyrcanus? לאחר ששימש בכהונה גרולה לרעת רזל' שמונים שנה כעשה צדוקי *secundum sententiam Rabbinorum* p. m. *obiverat summum sacerdotium annis LXXX. & factus tunc est Sadducæus*, id est Karæus, ut ante explicuimus. At veritati propior est Karæorum traditio XL. annos duntaxat illi adscribentium, cui Rabbi Gedalia in Schalschelet, aliique adstipulantur. Verisimile est vero aliquanto prius Pontificatum, qui jure hæreditario ipsi statim debebatur, quam habenas imperii suscepisse; dum Ptolomæus, sororis maritus, parricidio & sceleribus ad eam dignitatem initio adspirabat; unde explicanda est annorum quæ visitur in auctoribus diversitas. R. Abraham Ben Dior imperii annos tantum assignat XXXI. Quod Josepho fere, ipsi tamen hic varianti, concinit; dum uno loco illi triginta, alio triginta & tres annos tribuit. Neque tamen mihi numeri sollicitandi videntur. Melius conciliabuntur si una observes, quod etiam R. Caleb monet, Aristobulum filium Hyrcani primogenitum se vivo aliquamdiu in honoris societatem cooptatum; Quod tempus vel addi vel demi potuit, obviis, in Scriptura sacra & Gentilium monumentis, exemplis. R. David Ganz, ne de Josippo dicam, dum Jannæum Hyrcanum ait regnasse super Israelem annos 26. cum patre filium manifesto confu-

fudit; 26. anni namque Jannæo Alexandro debentur. Quid autem voluit sibi Eleazar cum exprobrat Hyrcano matrem ejus fuisse חללה *Chalilah*? & Pharizæi quum Alexandro objiciunt ipsum tali sanguine satum? Idem doctissimus editor Cozri exponit: & *matrem habuit suspectam quasi esset* חללה *ex illegitimo conjugio nata*. At vox חללה notat in genere *profanam*, *illegitimam*. Inter causas, cur aliqua uxor sit interdicta Sacerdoti summo, etiam esse natales illegitimos nemo ignorat; sed hos improperasse matri Hyrcani qui tandem poterit nobis persuaderi? quod nuspiam extat, & plane ab illorum ratione discedit, qui hujus maledicti causam allegant non *illegitimum* avi *conjugium*, sed quam ipsa mater subierat *captivitatem*. Ita etiam exponit R. *Abraham Ben Dior*, aliique; nisi quis illegitimum conjugium eo usque extendat, ut initum cum muliere quam Lex permittit, vetuit superstitio, etiam complectatur. Moses equidem nuspiam Sacerdotibus fœminam prohibuit quæ bello capta esset: in eo enim infortunium fuit, culpa non fuit. Id toti Israeli, eorumque uxoribus, accidit plus una vice. Omnes Sacerdotes & Levitæ qui ministrabant in Templo secundo erant, & vocabantur ab Ezra, בני גלותא *filii captivitatis*. Si itaque hæc ratio valeat omnes excedant Sanctuario necesse est. Verum istius obliti auctores Pharizaismi captivam, etiamsi Judæam & nobilissimo genere prognatam, interdixerunt Pontifici, quo *sepimentum* facerent *Legi*, ut modo dicebamus; quia dum capta fuerat, atque in potestate hostium, facile potuerat contingere quod ab iis compressa esset, & vitiata, idque tamen ob suum honorem dissimularet, quemadmodum recte R. *David Ganz* admonuit. Num vero *Joh. Hyrcani* mater vere capta fuerit a Gentilibus in incerto videtur. *Josephus* quidem districte negat *Antiqq. lib.* XIII. *cap.* 18. ψευδὴς δὲ ὁ λόγος ἦν, *Falsus erat iste rumor*, & *ideo graviter his verbis Hyrcanus offensus est*, *nec minus Pharizæi cæteri*. At vero ab altera parte suspicionem movet non modo quod in libro I. *Maccabæorum* legimus Hierosolymis occupatis Antiochi copias *Mulieres cum liberis ipsarum in captivitatem duxisse*, & post *Matthatiæ* sumtum de Judæo idololatra, Heroico motu, supplicium, ipso cum filiis fugientibus ad montana, urbem *Modin* subiisse jugum persecutoris, sed magis quod ipsi illi *Pharizæi*, qui hanc contumeliam graviter tulisse a *Josepho* dicuntur, in templo, inter sacrorum religionem, *Jamnæo Alexandro* iterum tamen hanc serio fecerint. Impudentissimi! si quod in patre esse calumniam agnoverant, filio in os audacter pro crimine rursus objecerunt. Neque videas *Hyrcanum* aut *Alexandrum* factum clare & penitus inficiari, etsi iniquissimam conclusionem, quæ hinc inferebatur, severe vindicaverint. Quin immo & factum, & conclusionem satis admisit *Aristobulus* Hyrcani filius primogenitus, dum Pontificatu ultro abstinuit, dicens רב לי כתר מלכות *Sufficit mihi Regni Corona*. Sensus verborum *R. Caleb* aliquantulum hic est ambiguus הוא חלל הכהנה על עצמו num velint quod ille *Profanum* habuerit *Sacerdotium* respectu sui? an se *non idoneum Sacerdotio*? prius videtur nimis & absurdum, & insolens; posteriori interpretationi favet cum quod *Aristobulus* & *Antigonus* fuerint amiciores *Pharizæis*, dum tertius frater *Jannæus* inimicus postea acerrimus; tum quia iisdem verbis utitur quibus abdicationem *Pharizæi* suaserant patri *Hyrcano* רב לך כתר מלכות *satis sit tibi Corona Regni*. Quod si ita se habeat, notare licet specimen qua cura & cautione *Karæi* historias tractent, ut ne quidem circumspectio *Josephi* & *Rabbanitarum* hic eo pertigerit. De *Aristobulo* namque scribunt Rabbinorum Chronologi ב זה כהנה *sprevisse summum Sacerdotium*. Quod ægre persuadeor, summum & sanctissimum decus, avitum familiæ honorem, cujus tanta in regendo populo utilitas, arroganter inepteque ab eo contemptum. *Jamnæo* exprobratum in Festo Tabernaculorum, cum citreis peteretur a Discipulis Sapientum, narrat *Josephus* αὐτὸν ὡς αἰχμαλώτου γεγονότα; *ac si ipse captivus fuisset*. Id nullo teste fulcitur; neque longævi parentis victoriis, aut felicitati temporum congruit. Quanto itaque distinctius meliusque *Karæi* produnt illos, tanquam unguem in antiquo ulcere, pristinum revocasse convitium הוי בן מחוללת למה תתנאה וכול *Væ Tibi edite ex profana, quare Te effers?* ut hoc ad aviæ captivitatem rursus referatur; quam illi mordicus, æque ac reliqua Doctorum placita, tenebant. Expendi tandem meretur qua re fretus R. *Simeon Ben Setah Alexandria* Ægypti redux, magis quam alius, præ se ferre sustinuerit שיש לו קבלה היא התורה שבעל פה *quod ipsi esset Kabbalah sive Lex Oralis?* in promptu videlicet colligere est, cum Alexandriæ *Platonis* aliorumque Philosophia doceretur, & Ægyptii veterrimo more ex literis, signis, Hiero-gly-

glyphicis nescio quæ venarentur mysteria; quemadmodum inter Judæos *Philo*, Christianos *Origenes* illic didicerunt ἀλληγορεῖν, mysticos sensus & frigidas interpretationes in Scripturis captare; ita etiam Simeonem, cum tempore suæ commorationis in ea arte aliquantum profecisset, hanc explicandi methodum ad sanctissimam Legem traduxisse; cujus ope poterat quidvis de Scripturis deducere quod animo alluberet, iis nempe fidiculis quas ad tredecim modos illos interpretandi celeberrimos *Gematriah*, *Notarikon*, *Temurah*, *&c.* postea Rabbini retulerunt. Unde confidentior factus, præsertim quod nullus antiquiorum Doctorum amplius erat in vivis qui hanc artem eludere, aut plumbeas ratiunculas confutare posset, jactare cœpit *Kabbalam*, & reconditam explicandæ Legis rationem a Mose haustam & propagatam, sibi, & suæ fidei commissam fuisse. Quæ præfiscine dicta ab homine quem Doctorum penuria, ætas, munus, Ethnarchæ affinitas, &c. admodum venerabilem reddidere, non mirandum est si in ea temporum caligine, populi ignorantia, atque admiratione occultorum, assensum invenere. Hisce ad majorem gestorum declarationem præmissis, jam difficile non erit harum disputationum progressum & quasdam successivas Pharizaicæ doctrinæ periodos, sed παχυλῶς, & quadam cum latitudine, observare. Fuit nempe, cum *Pharizaismus* quasi in utero formaretur, & cancer clanculum serperet; inde ab illis consiliariis qui *sepem Legi faciendam* mandaverant, usque ad R. *Simeon Ben Setah.* Hoc intervallo rebus novis studebant aliqui, dividebantur animi, gliscebant factiones, & quemadmodum ait Josephus: κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον τρεῖς αἱρέσεις τῶν Ἰουδαίων ἦσαν. *Circa hoc tempus* (ætate *Jonathanis*, *Judæ Maccabæi Fratris*) *tres erant Judæorum diversæ opiniones in* R*eligione*, sed latenter magis, & moderate agebant; in nervum res erupit, & in dias luminis oras prodit ista de Lege orali contentio, sub *Joh: Hyrcani* extrema, & regimen *filii Jannæi*; quando eo processerant impudentiæ, quod ab una parte fictis suis traditionibus eam vim obligandi, auctoritatemque, arrogarent, ut ex earum norma de honore & fortunis suorum Principum, atque Pontificum decernere auderent; ab altera parte *R. Simeon* novum εὕρημα ex Ægypto attulerat, quo videbatur omnibus humanis statutis, quæ hactenus tantum beneplacito & fide docentium innitebantur, per Kabalisticæ interpretationis arcanum posse colorem ex Lege Mosis, inducere. Tunc cœpit opus fervere, per jurgia, disputationes, cædes quisque partes suas tueri; faventibus penes quos erat imperium modo his, modo illis, prout suis expedire rationibus judicabant. Initio *Pharizæis*, postea K*aræis* favit *Joh. Hyrcanus*. Hos potissimum evexit *Jamnæus Alexander*, ex morientis mariti consilio, oppressit iterum *Alexandra*, Pharizæis addictissima. Duorum quos reliquit filiorum *Hyrcanus* pro *Pharizæis* stabat, amabat K*aræos* rursus *Aristobulus*, & ita porro. Publicæ disputationis, quam contra eos sustinuit *R. Simeon Ben Setah*, præsente *Jamnæo* rege, sub nomine consueto *Sadducæorum*, extat in *Megillat Taanit* notabilis Historia: בעשרים ושמונה בטבת יתיבא כנישת על דינא מפני כשהיו צדוקין יושבין בסנהדרין שלהם ינאי המלך ושלמינון המלכה יושבת אצלו ולא אחד מישראל יושב עמהם חוץ משמעון בן שטח והיו שואלין תשובות והלכות ולא היו יודעין להביא ראייה מן התורה אמר להם שמעון בן שטח כל מי שהוא יודע להביא ראייה מן התורה יהא ראוי לישב בסנהדרין וכל מי שאינו יודע....אינו ראוי פעם אחרת נפל דבר של מעשה ביניהן ולא היו יודעין להביא ראייה מן התורה חוץ מזקן אחד שהיה מפטפט כנגדו אמר לו תן לי זמן ולמחר אני משיבך נתן הלך ישב לו בינו לבין עצמו וכיון שראה שלא היה יודע להביא ראייה מן התורה למחר נתבייש מלבוא ומלישב בסנהדרי' גדולה והעמיד שמעון בן שטח אחד מן התלמידיו והושיבו במקומו אמר להם אין פוחתין בסנהדרין של שבעים ואחד וכך היה עושה בכל יום ויום עד שנסתלקו כולם וישבה סנהדרין ישראל על דעתה ובאותו היום שנסתלקה סנהדרין של צדוקין וישבה סנהדרין של ישראל עשאוהו יום טוב. Quæ huc redeunt: XXVIII. *mensis Thebet, cum sederet Consessus ad judicium, inque eo Sadducæi; quod Synedrium tunc earum esset partium, ac Rex Jannæus cum Salomina Regina simul consideret; nullusque Israelitarum illi interesset, præter Simeonem Ben Setah, evenit ut responsa & decisiones anxie quærerent, nec possent probationes ex Lege adferre; tum proposuit iis hanc conditionem Simeon Ben Setah, ut ille qui argumenta sciret ex Lege deducere* (in obscuris scil.) *dignus demum esset assessor Synedrii; qui nesciret, indignus esset loco. Accidit aliquando casus inter eos* (dubius) *neque poterant* (Sadducæi) *adducere ex Lege; unusque solum erat senex qui blaterabat, ei obloquens, concede mihi tempus! & cras tibi respondebo. Tempore concesso, cum ille rem secum sedato animo perpenderet, & probationes sibi ex* Le-

Lege deficere comperiſſet, poſtridie pudore præpeditus fuit quominus veniret, & in Synedrio magno aſſideret. Simeon Ben Setah itaque unum ex ſuis diſcipulis in ejus locum ſuffecit dicens: non diminuunt in Synedrio LXXI. *Atque hoc pede perrexit de die in diem, donec omnes* (Sadducæi) *ab acti eſſent, totumque Synedrium ex ſententia conſtitutum. Eum ad eo diem, quo abolitum eſt Synedrium Sadducæorum, & Iſraelitarum reſtitutum eſt, Feſtum fore decreverunt*. Per *Sadducæos* hic innui *Karaitas*, auctor Cozri, alii Rabbini conſentiunt, ipſaque hæc *Megilla* compilata ex vetuſtiori, quam concinnavit, ceu *Juchaſin* tradit, *R. Chananiah filius Hiskiæ*, quem ponit *Hilleli* fere æqualem; ut vero habetur in ipſo libello *Taanit*, *R. Eliezer Chananiæ filius*, & סיעתו *Auxilium ejus*. Quæ adeo non pugnant, quam ſibi potius ſubordinantur. Pater videlicet incepit, jecitque fundamenta: quæ filius ſubſtruxit & ornavit. Ita ut ſi quiddam infra eorum ætatem forte in eo occurrat, alius manu & *auxilio*, ad complementum operis, fuerit adjectum; ſicut Judæi ſæpe ſolent, in libris Chronologicis maxime, quemadmodum & Chriſtiani. Hæc igitur periodus fuit, ut ita dicam, acerrimarum diſputationum, quæ agitabantur de variis, magno utrimque fervore, in Scholis. Tunc nomen פרושים *Phariſæorum* ajunt aſſumtum. Ac pugilum paria, quæ hic potiſſimum inter ſe compoſita eminuerunt in arena, memorantur iſte *R. Simeon Ben Setah cum R. Jehudah Ben Tabbai* ab altera parte; non ſolum a *Karæis*, ſed etiam in *Talmude*, *Rabbi Hillel & Schammai*, de quibus ſtatim. *R. Eliezer* cum *R. Gamaliel*, cujus pæne ſtatuta iſte antiquaſſet &c. Et ea ratione inter Doctores diſputatum fuit, ut apud populum, diverſarum partium ſequacem, in majoris certe momenti rebus, diverſa paſſim ſententia & praxis quoque obtineret. Quod pluribus a me exemplis alias oſtendendum, operæ pretium eſt memori animo reponere, ad varias difficultates in Hiſtoria Sacra levandas. Etſi, poſtquam prævaluerunt Traditionarii, הלכה *deciſionem*, quaſi ſemper factam ſecundum ſuam hypotheſin, in Talmude produxerunt. Exemplo ſit, quod ſanctiſſimum in ea gente, *Sabbathi obſervatio*. Infinitæ erant Kabbaliſtis traditiones, quæ definiunt, limitant, excipunt quid agere, vel non, liceat; qua de re & cum Chriſto ſæpe diſputarunt Matth. 12. 1. &c. At eas non curabant omnes Judæi: non Domini noſtri diſcipuli, non ille homo Joh. 5. 10. non magis quam Samaritani, qui Religionis & vivendi regulam a Johanne Hyrcano ſuo victore cum acceperint, Sabbathum tamen obſervant ex Legis Scriptæ ſolius dictamine, ſicut *Karæi*; evidenti argumento, eum tum morem in Judæa vulgarem ipſius Pontificis fuiſſe, qui illud proculdubio iis mandavit, quod ipſe cum ſuo populo ageret, probaretque. Aſt cum ea hujus non ſint loci teſtimonium incomparabilis in hoc ſtudio Viri, *Joh. Seldeni*, lectori ſufficiet: Hillelianorum ſententiam, præterquam in octodecim capitibus, Sammæanæ quidem prævaluiſſe, *ita tamen ut dum Chriſtus in terris ageret, & aliquantum poſtea, ſecta utraque pro more hominum invicem digladiaretur, aliis hujus, aliis illius, doctrinam ſive ſequentibus ſive mordicus retinentibus*. Numero tamen & gratia longe prævaluerunt *Pharizæi*, partim favore Principum *Alexandræ*, *Hyrcani*, *Herodis* etiam quandoque, qui *Hillelem* dicitur amaviſſe; partim inſana plebis credulitate, quæ in ludicris *Kabbalæ* probationibus ſubtilitatem, in vita affectationem virtutum, in promovenda religione zelum, in civili converſatione munditiei ſtudium, eleemoſynas, reliqua; erga ſceleratos in puniendo clementiam, ſe ipſos in vivendo auſteritatem, obviis apud *Evangeliſtas* & *Joſephum* documentis, patienter nimis & ſtulte mirabatur. His artibus crevit in immenſum ſuperſtitio, & intolerabile jugum mandatorum; quæ homines dederant, non Deus. Si tanti eſſet, poſſemus multa diſtincte enumerare, quæ quiſque velut ſymbolam ad has dapes contulerit; atque in *Talmude*, Juchaſin & alibi ſparſim habentur, ſed feſtinamus. Contenti *Epiphanii* obſervationem de quadruplici Traditionum ſcaturigine proferre, ut una illuſtremus. Δευτερώσεις δὲ παρ' αὐτοῖς τέσσαρες ἦσαν. μία μὲν εἰς ὄνομα Μωϋσέως τοῦ προφήτου, δευτέρα δὲ εἰς τὸν Διδάσκαλον αὐτῶν Ακιβᾶν, οὕτω καλούμενον, ἢ Βαρακιβᾶν. ἄλλη δὲ εἰς τὸν Ανδᾶν ἢ Ανναν, τὸν καὶ Ιούδαν. ἑτέρα δὲ εἰς τοὺς υἱοὺς Ασσαμωναίου. ἐκ τούτων τῶν τεσσάρων δευτερώσεων, ὅσα παρ' αὐτοῖς νενόμισται οἴησει σοφίας, ἀσοφίας δὲ τὰ πλεῖστα αὔχεται καὶ ᾄδεται, καὶ ἐν τάξει προχειρταίας διδασκαλίας βοᾶται τε καὶ φυμίζεται. Vertente doctiſſimo *Petavio*, ſed nihil in notis adjuvante: *Quatuor apud eos Traditionum, quas* Δευτερώσεις *vocabant, fuere genera: Primum Moſis Prophetæ nomine eſt inſcriptum. Secundum Akibæ cuidam Magiſtro, vel Bar Akibæ tribuunt. Tertium Andani, vel Ananni, qui & Judas dicitur. Quarti Aſſamonæi filios* au-

auctores jactitant. *Quatuor ex hiſce fontibus manarunt ea, quæ apud illos inani quadam opinione Sapientiæ conſtituta, cum ſint inepta pleraque, prædicantur nihilominus; ac tanquam ab excellenti diſciplina profecta ſumma oſtentatione celebrantur*. Habemus hic primarios Traditionum propolas, quanquam ordine temporis turbato, quem nos ſervabimus. Primo nomine *Moſis* inſcribuntur, quæ nugacis & Kabbaliſticæ interpretationis ope, præter mentem ipſius, ex Lege deducebantur, a R. Simeone Ben Setah, & qui cum eo faciebant. Si ſpecimen velis, magnæque ſimul impudentiæ, unde pateat quod Joſephus ait, quam fuerint ipſis principibus terribiles, adi Talmud & Juchaſin. Regis Jamnæi ſervus homicidium commiſerat, ſignificant Regi: qui eum judicio ſiſtit. Non ſatis hoc erat, Regi mandant ut ipſe veniat, auditurus ſi quid forte contra ſe teſtarentur. Quo jure, & lepido argumento? quia ſcriptum eſt: *Veniat poſſeſſor bovis, & conſiſtat juxta bovem ſuum*. Paret rex (ſi non fallit Hiſtoria) atque comparet, ſed veniens aſſedit. Ne ſic quidem hic *R. Simeon Ben Setah* contentus alloquitur Regem: ינאי המלך עמוד על רגליך ויעירו בך ולא לפנינו אתה עומד אלא לפני מי שאמר והיה העולם אתה עומד שנא' ועמדו האנשים אשר להם הריב וכו': *Jannai Rex ſurge erectus in pedes tuos, ut de Te dicant teſtimonium: neque enim (modo) ſtas coram nobis, ſed Eo qui dixit, & factus eſt mundus; quandoquidem ſcriptum eſt: ſtabunt illi duo viri quibus lis eſt*, &c. Nonne oportet ſine fronte fuiſſe, qui ejuſmodi gerras pro validis rationibus venditabant, ſine aceto in pectore qui acciperent? Secundum genus παραδόσεων *Maccabæos* agnoſcit auctores hactenus, quod ipſi quædam innovaverint de pugnandi libertate diebus Sabbathi, de Feſto Encæniorum, aliaque; ac multa, ipſorum indultu atque auſpiciis, ipſo opere ſenſim induxerint *Aſſidæi*. *Annanus* tertio loco poſitus, non alius mihi habetur ac R. חנניה *Chananiah* Hiskiæ filius. Illi tributum eſt (ab iis unde hæc hauſit *Epiphanius*) quod *Hieronymus* & bene multi adſcribunt *Hilleli & Schammai*. At qua tandem de cauſa? nemo explicuit. Mihi videtur, quia cum per ſe etiam doctor eſſet inſignis ſcriptiſque inclytus, tum בביתו בית שמאי ובית הלל גזרו יח' דברים כדאיתא בפרק קמה דשבת *in Domo ipſius definiverunt Domus Schammai & Hillel decreta octodecim* (communi conſenſu obſervanda, licet in aliis adhuc diſcreparent) *ſicut videre eſt Maſſ. Sebbath. cap.* 1. Ultimus & ſecundus novarum conſtitutionum pater fuit *R. Akiba*, ille maximæ famæ & auctoritatis Doctor, qui excidio Hieroſolymorum ſuperſtes, *viginti millia habuiſſe dicitur diſcipulorum ſepultorum in circuitu urbis Tiberiadis*, ad quem audiendum ſtolide & impudenter confingunt *Moſen* de cœlo deſcendiſſe, & quoties roganti מנין לך *unde hoc probas?* reſponderet הלכה למושה מסיני *traditio Moſis eſt ex Sinai*, *admodum gaviſum fuiſſe*. Ille inquam *Akiba*, ut recte *Epiphanius*, plures & novas Traditiones induxit: in literis, immo קוצין hoc eſt κεραίαις & *apiculis*, mira quoqpe venatus myſteria. Tantumque ad veterum deceſſorum adjecit induſtriam, ut lex oralis noviter quaſi ex ejus ore prodierit, teſtante *R. Abraham Zachut* in Juchaſin: כי כל התורה שבעל פה מידו היתה לנו *univerſam Legem oralem ex ejus manu habemus*. Non deerant tamen vel ſic concertationes uti in *Talmude* &c. videre eſt; donec ſub *Antonino* Imperatore R. Jehuda Hakkadoſch omnes Traditiones probatiſſimas in Miſnæ corpus ſcripto collegit, quo nihil eſt notius. Quibus paſſim ab omnibus diſperſæ Gentis gymnaſiis Synagogiſque pro Lege receptis, calamitate temporum, urbis Templique ruina, inimicorum multitudine & ferocia, oppreſſi Karæi אחר החרבן נדלדלו עד שעמד ענן וחזקם *Poſt deſtructionem vehementer ſunt attenuati, donec Anan ſurrexit qui eos firmavit*; de quo Anane ſuo loco. Jam proceſſum ſectæ modo delineavimus utcumque. Neque hic multum reſtat, niſi ut indagemus quod Cap. præc. innuebamus, & curioſitate Eruditorum eſt digniſſimum, num famoſa illa Contentio, quæ inter domum Hillel & Schammai viguit, atque tantopere celebrata eſt, etiam, aliqua parte ſaltem, huc ſpectaverit? Affirmant confidenter Karæorum ſcriptores. R. Moſes Beſchitzi M. S. in egregio libro מטה אלהים in hæc verba: ובפרט בהיותם דעות של רב שמאי ובית דינו והקודמים לו את התורה נמצא שהבאים אחריהם לא המירום לפי שאנו הקראים יחד סמוכין ונשענין מרב שמאי ובית דינו כאשר קבלנו הוראת התורה והעתקה בה ממנו שרב ששאי קבל מרב שמעיה ורב שמעיה קבל מרב יהודה בן טבאי ובזמנו נחלקו ישראל לשתי כתות· והיה חברו של רבי והודה שמעון בן שטח ונפרד שמעון ממנו ועשה כרצונו כאשר הוא מבואר בספרי חכמינו ז"ל....והרבנים קבלו מרב הלל הזקן ומבית דינו ורב הלל קבל מאבטליון ואבטליון קבל משמעון בן שטח אשר נפרד ונחלק מכלל חכמי ישראל

ועשה

ועשה כרצונו וברה מלבו לאמר כה אמר ה' אלהים ואדוני לא אמר לזאת אומרים בתלמוד במחלוקתם בית שמאי אומרים כך ובית הלל אומרים כך הלכה כבית הלל. אמנם מודים ואומרים בעצמם כי תלמידי רב שמאי היו יותר חכמים וזריזים מתלמידי הלל׳ ומפני שתלמידי רב הלל מרובים על תלמידי רב שמאי היה נפסק הלכה כמותם בכל מקום זולת קצת מקומות שפוסקים הלכה כבית שמאי ואומרים מפני שתלמידי בית הלל היו יותר נפסקה הלכה כמותם ממאמר אחרי רבים להטות ולזה רמז שע״ה ואמר טוב ילד מסכן וחכם המלך זקן וכזיל... לזאת אתמה מהם ששכחו קרא דכתיב ולא הלכו אחרי רבים לרעות ואיך יכול פיהם ואומרים במאמר לא תסורו מן הדבר יגידו לך ימין ושמאל אפילו במה שיגידו לך על ימין שמאל ועל שמאל ימין.... והיאך יכיל פומא דנברא הדין למימר דקבלה תנצח והכתוב תצוח וכו׳: Ista hunc fundunt sensum: *Speciatim cum opiniones R. Schammai & domus judicii ipsius, eorumque qui ipsum antecesserunt, inveniantur adhuc ab iis qui secuti sunt servari immutatæ, quandoquidem nos Karæi unanimiter nitimur & fulcimur a R. Schammai & domo Judicii ejus, sicut etiam Legis doctrinam, & exemplum, ab eo accepimus. Et Rabbi Schammai accepit a R. Schemajah, ut R. Schemajah rursus accepit a R. Jehuda Ben Tabbai, cujus tempore Israel in duas sectas fuit divisus. Socius vero* (aut collega) *Rabai Jehudæ fuit Simeon Ben Setah, qui ab illo se sejunxit, pro lubitu* omnia *agens, quemadmodum hoc latius expositum est in commentariis Sapientum nostrorum f. m. Rabbanitæ autem acceperunt ab Hillele seniore & a Domo judicii ejus. R. Hillel didicit ab Abtalione, Abtalion a Simeone Ben Setah, qui divortium fecit & separatus est a regula Sapientum Israel, agens pro beneplacito; & commentus ex corde suo ut præ se ferret, ita locutus est Dominus Deus, quum Dominus non esset locutus. Hanc in rem dicitur in Talmude de dissensione illorum,* si Domus Hillel stet ab una parte, & Domus Schammai ab altera parte, decisio est secundum Domum Hillel. *Cæterum ajunt & fatentur de se ipsis, Schammæanos discipulos magis doctos atque expeditos fuisse quam Hillelianos. Sed quia Hillelis discipuli numero multum vicebant discipulos R. Schammai, ex illorum sententia facta est decisio omnibus in locis, exceptis paucis ubi judicium sunt R. Schammai secuti. Dicuntque, quia Hilleliani superabant numero Schammæanos ex illorum judicio rem decisam hoc fundamento:* quia pluribus standum est suffragiis. *In quos optime quadrat sane quod Salomon gloriosæ memoriæ scripsit:* Melior est Juvenis egenus & sapiens, quam Rex senex & stultus. *Et merito tales subit mirari, qui una sic obliviscuntur oraculi, in quo scriptum est:* Non sequemini multitudinem ad malum. *Et quomodo prævalet os eorum* (impudens) *sic exponentium illud dictum Deut.* 17. Non recedetis a verbo quod tibi annuntiabunt dextrorsum aut sinistrorsum, (*tam late extendi*) *etiamsi persuadeant tibi quod dextra sit sinistra, & sinistra dextra. Aut qua fronte possit os viri Judicii hæc verba emittere:* Triumphabit Kabbala, etiamsi clamet Scriptura? &c. Idem confirmat Rabbi Japhet, qui seriem Karaiticorum enarrans Doctorum inde a Mose & Prophetis, in catalogo sub Templo secundo sic habet: נתאי ויהושע בן פרחיה מסרוה ליהודה בן טבאי ולשמעון בן שטח ובזמניהם רצה שמעון בן שטח להרס הרשום בכתב אמת שאלילי יהודה בן טבאי אשר עמד בפרץ ונתברר הדת האמיתי דת בני מקרא.... בראיות ברורות שהביא רבי יהודה בן טבאי לחוק האמת...ויהודה מסרה לשמעיה ולאבטליון ואבטליון מסרה לרב הלל ורב הלל מסרה לבעלי הקבלה כאשר קבל מרבו משמעון בן שטח ושמעיה מסרה לרב שמאי ורב שמאי הזקן הנכבד והחסיד מסרה לבעלי מקרא וכו׳: *Nittai* (*Arbelita*) *& Josua Ben Perachjah tradiderunt* (*lampada*) *Jehudæ ben Tabbai, & Simeoni Ben Setah; & hoc tempore molitus est Simeon Ben Setach destruere quæ exarata sunt in Scriptura Veritatis, si absque* Jehuda *Ben Tabbai fuisset, qui stetit in fissura, veramque doctrinam, hoc est Filiorum Scripturæ, asseruit argumentis evidentissimis, quæ adducebat ad veræ Religionis stabilimentum. Post hunc Jehudam docendi provincia obtigit Semajæ & Abtalioni, Abtalion tradidit eam Hilleli Magistro, Magister Hillel vero Kabbalistis, quemadmodum acceperat a præceptore suo Simeone Ben Setah. At Schemajah tradidit doctrinam Rabbi Schammai, & Rabbi Schammai Senex honoratissimus ac pientissimus filiis Scripturæ* (*Karæis.*) Ægre, sat scio, hoc velut novum & insolens sibi eruditi persuaderi patientur; postquam dudum, & constantissime, audiverunt *Schammæum* una cum *Hillele* inter Traditionum Pattonos numerari. Sed ubi? in Talmude, a quibus? ab ipsis Rabbanitis; quos in Historia parum idoneos, in causa sua merito suspectos, vel testes esse, vel judices, nemo potest nescire. Non statim credamus omnibus quæ dicunt Karæi, volo: namque est prudentiæ. At non mox quoque verum habeatur si quid, in suum compendium, nugaces scripserint Talmudistæ. Ejusdem id

id judicii eſt atque æquitatis. Epicharmi iſtud Μέμνησο ἀπιστεῖν & hic & illic ex æquo ſapientiæ eſt nervus. Ubi ego quædam rationum momenta breviter utrimque adduxero, Lectoris erit arbitrari. Apertiſſime Rabbanitæ *Schammæum* vendicant ſibi; immo ſi fides narratiunculæ, quæ extat in *Maſſechet Sabbath*, ab Ethnico (נכרי Extraneo) qui proſelytus fieri cupiebat rogatus: כמה תורות יש לכם אמר לו שתים תורה שבכתב ותורה שבעל פה אמר לו שבכתב אני מאמינך ומבעל פה איני מאמינך גיירני עימ׳ שתלמידני תורה שבכתב נער לו והוציאו בנזיפה בא לפני היל גייריה וכו׳: *Quotuplex vobis eſt Lex? ei reſpondit duplex, Scripta & oralis. Cum alter regereret de Scripta tibi habeo fidem, de orali haud facile credam; fac me attamen proſelytum, ea conditione quod me Legem modo Scriptam docebis. Excanduit Schammai, & cum objurgatione ipſum abegit. Contulit hinc ſe ad Hillelem, qui ut proſelytum admiſit, &c.* Hoc pacto *Hillele* ipſo rigidior Traditionum ſatelles, & vindex, *Schammai* extitiſſet. Cum paſſim ſic inducatur a Talmudiſtis, altiſſime animo infixa iſthæc fuit hominibus opinio; nec mirum id eveniſſe Chriſtianis, cum ſint doctiſſimi, & antiqui inter Karæos, (ut ingenue dicamus quæ comperimus) qui hæc ignoraſſe videntur. Inter eos eſt *R. Schalmon Ben Jerouchan*, qui elegantiſſimo carmine M. S. vanitatem Talmudis, & Talmudicæ doctrinæ perſtringens, pari loco habet Schammai, quo Hillelem, id eſt nullo. נעיית בית שמאי על בית הלל לחלל דבריהם וגם בית הלל על בית שמאי מהפך פירושיהם זה מברך וזה מקלל בראשיהם תועבה יי׳ גם שניהם וכו׳ *Hæ vociferationes Domus Schammai adverſus Domum Hillel ad abroganda illius ſtatuta, & rurſus Domus Hillel contra Domum Schammai ad evertendas illius interpretationes. Hic benedicit, ille maledicit, per caput quiſque ſuum; & uterque eſt Deo deteſtabilis.* In contrarium vero reſponderi poſſet, R. Schalmon inter primos Karæorum, qui ſuperſunt nobis ſcriptores, non omnia vidiſſe, aut examinaſſe, præſertim quæ pertinebant ad veterem Hiſtoriam, prout fieri ſolet, in penuria librorum & auxilii, iis qui primi glaciem frangunt; ſuum itaque de his judicium tuliſſe ut in Talmude occurrebant. Cum ſequentes diligenti ſtudio, peregrinationibus & aliorum monumentorum ope, diſtinctius in rem totam, quemadmodum ajunt, inquiſiverint. Et ſane non debuit fuiſſe levis quædam velitatio, aut brevis diſſenſus qualis ſæpe inter Doctores, cætera ὁμοψήφους; ſæpiſſime & paſſim occurrit in Talmude, ſed grave, durans, & acerrimum ſchiſma, quoniam in illius memoriam *jejunium* ſingulis annis repetendum *die nono Menſis Adar inſtituerunt*. בתשעה בו גזרו תענית שנחלקו בית שמאי ובית הלל *Dieſque ille non minus infelix quam quo factus eſt vitulus aureus.* Quin magni, meo judicio, faciendum eſt teſtimonium hoc in negotio Hieronymi non modo, ſed veterum Nazaræorum quos adduxit, plane cum narratione Karæorum conſentiens, de quo in fine Cap. præced. Tum quoque quod, more a majoribus accepto, in diſputationibus ſuis ad partes vocant, & adverſarios nominant K*arei* בית הלל, nunquam, quod vidi, בית שמאי; ſexcenties deprehendes hanc cppoſitionem, בית הלל *Bet Hillel* contra בני מקרא *Bene Mikra*. Ac de Anane referunt, dogmatis ſui inſtauratore: הוא השיב על תלמידי רב הלל וההולכים בנתיבותיו *Ille reſpondit contra diſcipulos Rabbi Hillelis, qui ejus veſtigiis inſtiterunt.* Character denique doctrinæ quo Rabbanitæ a Karęis ſolebant dignoſci hic erat generatim: quod hi pręſcripta in Lege officia, in ſua amplitudine, momento, & ſpiritali fere ſenſu interpretarentur; hoc eſt, ut Judęi loquuntur, *aggravarent*. Iſti vero, dum vanis quibuſdam ſuperſtitiunculis, & ſeveriore πολιτείᾳ, videri volebant ultra quam Lex exigit pręſtare, revera tamen ejus vim & ſolidam interioris obſequii rationem ſubruerent, id eſt phraſi Judaica, *elevarent*. Hoc Chriſtus Dominus iis ſępe improperat: Matth. 5. 19. & 15. 3. & 23. 23. &c. Iſtud K*arei* de ſe dudum notarunt: hanc cauſam dantes quare pauciores habuerint ipſorum Majores, & *R. Anan*, diſcipulos quam Rabbanitę. לפי מה שהיו רבים תומכי ידי המקלים במצוות ומעטים היו אצל קדמונינו מפני שהיו מחמירים *Quoniam plures ſemper fuerunt qui manus fulcirent eorum qui leviora redderent* (Dei) *mandata; & pauciores a patribus ſteterunt noſtrorum Majorum, quia iſta aggravabant.* At idem ipſe Character rurſus optime quadrat in *Schammęi* & *Hillelis* Sectatores; nam de his memorię conſtanter prodiderunt Talmudici, in mitiorem & laxiorem partem Hillel, in rigidiorem & ſtrictam Schammai, pauca ſi exceperis, ſemper inclinaſſe. Res notiſſima eſt: atque ex conſenſu ſuorum atque Talmudis idem ſcribit, fateturque *R. Moſes Beſchitzi* in Libro M. S. מטה אלהים, *Matte Elohim*, שבית שמאי לעולם מחמירים ובית הלל מקלים וכן מורים זה ואומרים מקולי

מקילי בית שמאי ומחמורי בית הלל שבעה הלכות בלבד וזה גם כן בענפי המצוות *Perpetuo intendebat Beth Schammai, & remittebat Beth Hillel; quemadmodum & ipsi* (Rabbanitę) *confitentur dicentes; remissior erat sententia Domus Schammai, & illa Domus Hillelis adstrictior, tantum in septem constitutionibus &c.* Cruentam partes tuendi, ac cędibus in se sęviendi mutuo, rationem audivimus viguisse *Pharizęos* inter & Karæos? inter utramque hanc Domum pariter obtinuit. Narrat *Talmud Hierosolymitanum* in eodem ὑπερώῳ *R. Chananię*, ubi in octodecim constitutionibus saltem consenserant, quique conventus ad conciliandos animos, & ineundam qua pote concordiam mihi indictus videtur, eo acerbitatis & vesanię tandem prorupisse, ut a verbis deventum sit ad verbera, pro argumentis ad arma conclamaverint. תנא רבי יהושע אונייה תלמידי ב״ש עמדו להן מלמטה והיו הורגין בתלמידי בית הלל תנו ששה מהן עלו והשאר עמדו עליהן בחרבות וברמחי׳ *Tradidit R. Josua Onia: Discipuli Domus Schammai stabant inferius; & quosdam discipulorum Domus Hillel occiderunt, etsi alii dicant quod sex ex iis adscenderint sursum, ac reliqui adstiterint cum gladiis & hastis, &c.* Iste *R. Josua* quidem hic omnem culpam rejicere videtur in *Schammæanos*, adversarios Suorum; ast quum *Hilleliani* tam loco, quam multitudine fuerint superiores, nequaquam credibile est hos ita quievisse. Denique personarum notas si inspicimus atque epitheta, *Karæus* & *Schammæanus*, videas de eodem viro commutari. Ille *R. Eliezer* qui in omnia alia ivit a *R. Gamaliele*, qui קראי *Karæus* appellatus supra videtur, quemque *Karæi* suis doctoribus annumerant, sæpius tamen a Rabbinis cognomen retulit *Schammæani*. Dicat *R. Beschirzi* M. S. לא קבלו ממנו.... וזה בעבור שהיה מבית שמאי ומכנים אותו בכנוי רבו וקורין לו רב אליעזר השמאית *Non receperunt illius Doctrinam, propterea quod esset ex sequacibus Schammai; atque ideo ipsi cognomen de nomine sui Magistri indiderunt, vocaruntque eum R. Eliezer Schammaitam.* Tribuent docti his, ab utraque parte, rationibus quantum pro judicii sui acrimonia credunt deberi; hoc saltem inde perspicue mihi concludi videtur, *Schammai* non eousque Traditionibus & Pharizaismo deditum fuisse, ut vulgo existimatum fuit. Et, si non per omnia tenuerit quæ hodierni probant Karæi, hos non immerito tamen illum laudare tanquam suum, quod in pluribus saltem iis præiverit; quemadmodum a Protestantibus in Catalogo Testium Veritatis ii quoque numerantur, qui præcipuis quibusdam erroribus olim obstitere. Quam ob rem *Josephus* Historicus dum *Hillelem*, sub nomine *Pollionis*, semel iterumque φαρισαῖον indigetat, sollicite cavet ne de *Samea* (שמאי) idem dicat, sed eum vocat δίκαιον *justum*. Ut חסיד & צדיק, Ἀγαθὸς & δίκαιος, ex more suorum temporum Rom. 5. 7. ipsi Apostolo distinguuntur: sicut docti jam monuerunt. Non cavit tamen *Josephus* sibi satis a lapsu μνημονικῷ, quum confundens utrumque Doctorem Antiqq. lib. xv. Cap. 1. *Pollioni* attribuit; quod libr. xiv. cap. 17. velut a *Samea* dictum verius narraverat, quod ἐν παρόδῳ notamus. Unico exemplo, nec exigui momenti, hanc opinionem firmemus. Novimus ex Evangelio quam levi, immo fere nulla, de causa repudium miserint *Traditionarii* uxoribus, condemnante hunc morem vehementer Christo Domino, nisi ob solam causam adulterii: παρεκτὸς λόγου πορνείας. Jure amamus *Karæos* qui sanam hanc sententiam quoque leguntur secuti. R. Eliahu in celebratissimo libro אדרת *Adderet*: אין האשה מתגרשה ברצין הבעל לבד אלא בערות דבר ככתוב והיה אם לא תמצא חן בעיניו כפי מה שאמרו בעלי הקבלה אפילו הקריחה תבשילו אפילו מצא אחרת נאה הימנה כמאמר רבי עקיבא׳ ופירשו לפי זאת הדעת מלת כי כטעם או והטעם או מצא בה ערות דבר כי פשט הכתוב מכחיש זאת הדעת לפי שפירוש הפסוק הוא בשיקח איש אשה ולא תמצא חן בעיניו מפני שמצא בה ערות דבר לא שלא מצאה חן בעיניו בלי סבה וגו׳ *Nequaquam repudianda uxor est pro solo Mariti beneplacito, sed propter rem turpem tantum; secundum id quod scriptum extat* (Deut. 24. 1.) *si eveniat autem quod non invenerit gratiam in oculis ejus; quod hunc in modum exponunt Traditionarii, etiamsi* (nihil aliud esset quam quod) *adurendo corruperit ejus edulium, aut invenerit aliam ista pulchriorem, ex dicto R. Akibæ. Ideoque notionem voculæ* כי quoniam, *eo significatu accipiunt ac si notaret* או sive; *ut sensus* (Legis) *sit: si non invenerit gratiam in oculis ejus, sive deprehenderit in ea rem fœdam. Quod simplex & literalis Scripturæ sensus refellit. Vera quippe interpretatio istius commatis hæc est: quum acceperit vir sibi uxorem, & non invenerit gratiam in oculis ejus ea de causa, quod repererit in illa rem fœdam, neutiquam si displicuerit absque causa, &c.* Contendamus ista cum *Schammæi* sententia, prout ipsam Misna repræsentavit, feratque judicium Lector utri

utri factioni velit *R. Schammai* accensere. בית שמאי אומרים לא יגרש אדם את אשתו אלא אם כן מצא בה דבר ערוה... ובית הלל אומרים אפילו הקריחה תבשילו: *Domus Schammai statuit non repudiandam uxorem a quocunque, nisi invenerit rei turpis affinem; sed Domus Hillel sanxit vel ob hoc solum expelli posse si coquendo adusserit cibum.* Si Rabbanitæ de *Schammai* aliter scripserint, mirum non est: cedit enim in illorum honorem & compendium dissensum minui; virumque tam excellentis doctrinæ, quam magnæ in Republica auctoritatis, a suis partibus stetisse. Neque unicum hoc esset horum in pervertenda istac historia vel figmentum, vel oscitantia. V. gr. in *Schalschelet hakkabalah*, *R. Simeoni Ben Setach*, Kabbalæ parenti, socium adjungunt *R. Josuam Ben Perachjah*, & non *Jehudam Ben Tabbai*; quo schismatis natales obscurantur cum tamen id ex ipso Talmude possit constare, hos acriter secum invicem disputavisse. *Jehuda Ben Tabbai* occidendum aliquando pronuntiaverat in judicio עד זומם *qui falso testimonio alicui crimen capitale sciens impegerat*, quemadmodum Lex præscribit Deut. 19. 19. Cum affectata lenitate dudum hanc pœnam commutaverint in mulctam Rabbanitæ, quid faciunt? comminiscuntur *Jehudam Ben Tabbat* hoc factum perpetuis pœnitentiæ lachrymis deflevisse. Cum e contrario ab eo tempore in hunc usque diem constanter ita faciendum teneant Karæi, unumque id sit ex capitibus de quibus acriter etiamnum digladiantur. Ex dictis, & aliunde manifestum est, quantum animi & sententiarum divortium, quam μέγα χάσμα fuerit inter Hillel & Schammai. Attamen in *Seder Olam* & *Schalschelet Hakkabbala* in tantum illud extenuant, לא נחלקו כי אם בג' הלכות quasi *non dissenserint nisi in tribus capitibus*; cum *Talmud Hierosolymitanum* diserte numeret *Octodecim*, & plura sparsim in Pandectis Talmudicis colligi possint. Hæc eo pertinent exempla, ut admonearis, amice Lector, in iis quæ olim aut gesta narrantur, aut disputata, solis Rabbinis non nimium fidere; neque ex illorum testimonio, si sit in rem suam, atque alii contradicant, statim quæstionem decidere.

CAPUT VIII.

Ananis historia. Crimina quorum a Rabbinis accusatur ex M. S. S. recensita, & a Karæis *confutata. Vixit sub Rege Abujaafar. Quis ille? Quæ Ananis vita & institutum? Præcipui aliquot sectatores. Successionem etiam ostentant in pelle piscis scriptam Cairo. R. Schalmonis elegans carmen, qui R. Saadiæ Magister. Karæi cur tam pauci? diffusi tamen per Asiam, Africam, Europam, variis in locis. Simonii unus & alter error, &c.*

Educto Schismatis filo, superiori capite, ad *Anan* qui Karæorum dogmata non primus instituit, sed restituit collapsa, magisque firmavit; res monet ut qualis ille, quid genus, unde domo fuerit, quæ consilii ejus ratio? breviter enucleemus. Vixit ille circa Annum Mundi 4523. hoc est Christi 763. Oriundus ex Bethzur, sive urbecula sive Castro, prope Hierosolymam, Maccabæorum bellis inclyto; ac familia, ut fuerunt, Davidis. Celeberrini Viri Morinus, & Simonius, cum hujus mentionem fecerә, fidem accommodant narrationi quam apud R. Abraham Ben Dior, & R. David Ganz in Chronologia invenerunt; qui Vatiniano odio Ananem prosequuntur. Nos quid in eo culpent Rabbanitæ, quomodo rursum cum defendant Sui, ex M. S. S. Karæorum libris videamus. Totum hoc ingenue nobis exhibet auctor חלוק *Chillouk* Manuscriptus: וכתב בספור שקרותיו כי ענן היה לו אח קטן ממנו ושמו חנניה וענן היה גדול מחנניה אחיו בתורה ובשנים ולא רצו חכמי הדור ההא להעמידו ראש גלות מפני ויתור פריצות....וחסרון יראה שמו פניהם אל חנניה אחיו משום ויתור ענוה ובייישנות ויראת שמים שהיתה לו והעמידוהו ראש גלות באותו העת מתקנא ענן הוא וכל איש רע ובליעל הנותרים מתרבורת צדוק וביתוס ונתכון במחלוקת בסתר משום פחד מלכות הדור והעמידו ענן ראש גלות עליהם ונגלה הדבר במלכות ביום א' בשבת ונזר לתתו בבית הכלא עד יום ששי לתלות אותו על העץ כי מרד במלכות ונזדמן לו שם אדם בבית הכלא מחכמי ישמעלים גם הוא כלוא ומעותד לתלות גם אותו ביום ששי על שמרד גם הוא בדת מהמוד ונתן לו עצה וכן אמר לו לא יש בתורה מצוות שיש לאחד שני פתרונים אמר לו יש ויש אז אמר לו ראה הפירוש אשר פירשו אותי על הדת אשר אחרי אחיך ותפרש אותו אתה זולות על מנת שיהיו הרוצים כך מודים בדבריך ולתת אחר לטשנה אולי ונתן לך רשות לדבר ותשחחוה

והשתחוה ותאמר אדוני המלך לאחי על
דת אחר המלכתו או על שתי דתות וכאשר
יאמר לך על דת אחר תומר לו אבל אני
ואחי על שתי דתות אנחנו בוראי תנצל
על סגרת שתפרש לו המחלוקת והכתוב
אשר בין דתך ובין דת אחיך ויורו בך אנשי
דתך והנר כאלה ובשמוע המלך אלה
בדברים ישתוק׳ אף נחכון ענן לרמות לאנשי
דתו יאמר להם אמש נראה לי אליהו
בחלום ואמר חייב מיתה אתה לפי שעברת
על מה שכתוב בתורה והוציא להם אלו
הדברים מתוך פלפולו ומכחרו על נפשו
להנצל ממיתה ולמען לעשות לו נצח הוציא
ממון רב שחד עד שנתן לו המלך רשות
לדבר ופתח ואמר כי דת אחי על החשבון
ועבור תקופות ודתי על ראיית הירח ועבור
האביב והמלך ההוא היה חשבוני על
הירח והאביב ונמתק למלך ונתרצה לו :

Accusatio hæc ita habet : *Scribunt in mendacibus suis narratiunculis Anano fuisse fratrem natu minorem, nomine Chananjah, quem superabat Anan tam annis quam peritia in Lege. Noluerunt tamen Sapientes istius ætatis eum (Ananem) eligere* Αἰχμαλωτάρχην, *quod nimis protervus, pius parum, haberetur. Ideoque oculos conjecerunt in Chananjah, fratrem ejus, propter summam mansuetudinem, verecundiam, & timorem Domini qui in eo erat: atque hunc constituerunt Principem (Judæorum in) captivitate. Ab eo tempore cepit invidia duci cum Anan ipse, tum unusquisque vir malus & Belial, qui relictus erat de propagine Zadok & Baithos, meditatus schisma, sed in occulto; quod sibi metueret a Rege tunc imperante. Ita constituunt isti super se Anan in* Αἰχμαλωτάρχην. *Quod ubi ad Regem delatum est die hebdomadis primo, hujus sententia compactus est in carcerem, die sexto (sequenti) ex arbore* (aut ligno) *suspendendus; tanquam qui adversus Regem rebellaverat. Fato quodam evenit, eadem cum ipso custodia detineri aliquem ex Sapientibus Ismaelitarum, qui etiam illo die sexto destinatus erat suspendio, quia se opposuerat Doctrinæ Muhammedis. Hic Anano suggessit consilium, dicens: Nunquid in Lege non sunt præcepta quæ duplicem habent expositionem? Respondenti esse quamplurima, hunc in modum consuluit: Considera quomodo interpretentur illi qui fratrem tuum sequuntur: & tu affer expositionem plane diversam, ita ut simul probetur iis qui faciunt tecum, ut tradas postea Vicario Regis; forte dabitur tibi copia (Regem) alloquendi; (qua data) humi provolutus dices, Domine Rex! An constituisti fratrem meum Rectorem unius Legis, an duarum? cum responderit unius; tunc dices, ast Ego & frater meus sumus duarum* (distinctarum) *Legum Moderatores. Certoque sic eripieris, si ipsi declares discrimen, & Scripturæ pericopen, quæ causa dissensus inter te fratremque tuum, idemque qui a te stant testentur. Postquam hæc ita Regi exposueris quiescet. Præterea Anan proposuit suæ opinionis homines dolo circumvenire, narrans quasi in somnio ipsi apparuisset Elias, pronuntians eum mortis reum, quia declinasset ab eo quod in Lge scriptum habetur, quamvis astutia hoc fingeret tantum. Agitans itaque animo ut se ab intentata morte extricaret, victoriamque (in judicio) obtineret, magnam pecuniæ summam munus dedit, quo impetravit facultatem verba faciendi apud Regem, cui dixit: Doctrina Fratris mei procedit secundum calculum, & intercalationem Tekupharum. At mea doctrina secundum Lunæ* φάσιν *atque intercalationem, quę pendet ab aristę* (maturitate) *Quando autem in Religione Regis quoque ordinabant* (dies festos) *ex prescripto Lunę & aristarum, vehementer id placuit regi, ipsique extemplo fuit placatus, &c.* Isthæc, quemadmodum ante alia, etsi paulo prolixiora, κατὰ λέξιν volui excerpere, tam ut Lectores habeant specimina quædam styli, & gustum scriptionis Karaiticæ; quam quod Antiquorum dicta factaque recensenti magnopere facit ad causæ cognitionem, & fidem, ipsa testium verba audiri. Tædii si forte quid adferat tenellis auribus, apud æquum judicem facile detergebit utilitas. Sic enim existimavi semper, qui in rebus dubiis veterum gesta suis verbis, pro suo arbitrio tantum proponit, istum nimium sibi sumere, si sine teste, sine tabulis, postulet sibi alios credere, quæ ipse non plus per se novit quam cæteri; aut nimis parvi facere suos Lectores, quos, sine prævio examine & argumentis, in sua verba juraturos expectet. Eodem igitur pacto, ex ipsis Karæis producamus, qui huic calumniæ vel objectionibus respondeant. Quatuor aut quinque capita sunt accusationis 1. *Proterviam*, & *defectum divini timoris* improperantibus regerunt: אם חסר יראה היה סופו
הוכיח לראשו . . . עלו על ירושלים ואחזו
בה על שער יהודה לחלות את פני יי׳ והוא
תושיב לאבילי ציון וירושלים והשקים
דבוקים על בשרם והאפר על ראשם צפר
עורם על עצמם ושחוק אין בפיהם ודרכי
אבל בשפתותיהם עליהם קול ברמה נשמע
נהי בכי תמרורים וגו׳ *An reverentia* (*Numinis*) *destitutus fuerit argui potest ex sequentibus*: (*non responderent ultima primis*) nam *adscenderunt* (Anan cum suis) *Hierosolymam, & constanter hæserunt ad* por-

portam Jehudæ ſupplicantes Deo, ut habitacula reddat lugentibus Sion, & Jeruſalem. Sacci erant affixi carni, & pulvis in capite ipſorum. Cutis adhærebat oſſibus, aberat ab ore riſus; at contra leſſus lugubris in labiis eorum. De iis dictum: Vox in Ramah audita eſt, ploratus & fletus amaritudinum, &c. Ne ſibi, & ſuis, blandiri videantur, vel hoſtium de iis judicium facit. Rex Cozar hoc illis perhibuit teſtimonium (qui inducitur haud multum ab Ananis temporibus remotus) non diffitente Doctore Rabbanita כי אני רואה הקראים משתדלים בעבודה יותר מהרבנים וכו' i. e. vertente Clar. Buxtorf. *Video enim Kareos in cultu divino diligentiores, & ferventiores eſſe Rabbanitis*. Verum quod *Anan* vanas ſuperſtitiones, & inſtituta Rabbinicæ ϗ ἰδίας δεισιδαιμονίας non magni faceret, timens Deum non homines, hoc *defectum timoris*, atque impietatem maligne interpretabantur. 2. De *Ambitu* & petitione Rectoratus obſervant: toties fuiſſe contentionem inter Judæos de Principatu, nec ideo mutationem inductam in doctrinam; Ananem ſe oppoſuiſſe illorum ſtatutis non מקנאתו כי אם מדאגה מדבר יי' ותורתו non *privata invidia, ſed ſollicitudine ob Dei Verbum, Legemque*. חלוקת הדת היתה כבר מזמן רב בזמן הבית סביב לשנת ת'ר'כ'א' לאלף רביעי *Diſſenſionem de doctrina jam longe antiquiorem, & fuiſſe ſtante adhuc Templo, Anno circiter 621. Millenarii quarti*, qui in tempora Maccabaica incidit; ad quæ Joſephus quoque initia ſchiſmatum retulit. Addunt duplicem eſſe Anan in antiqua recenſione ſuorum Doctorum: שני נשיאים בשם ענן האחד ענן בן שפטי והשני ענן בן דויד הנשיא המפרש התורה *Unum Anan filium Saphti, ſecundum Anan filium Davidis Legis interpretem*: quibus interceſſerint XIV. *generationes*. Priorem de Principatu contendiſſe. Et poſtquam ipſi accuſatores fatentur, Anan doctrina & annis fratre Chananiah majorem fuiſſe, invidiæ & ambitionis crimen in eum & ejus fautores Rabbanitas potius redundat, qui ſibi obſequentem prætulerunr Viro quem eruditio, merita, & Lex primogenituræ poſcebant. Unde etiam Karæi queruntur: זה עשו בימי ענן והמליכו את חנניה אחיו מגזרת המלך כדי לשודד לענן וחביריו ולהשבית דת הנאנחים והנאנקים מהם וכאשר הבינו הם כי כן לבבם להרע לבטל דת אז נדברו יראי יי' איש אל רעהו והעמידו את ענן ראש בעדה והצילו את הצאן מפיהם ונתקיים בהם והצלתי את צאני מפיהם *Hoc auſi fuerunt in diebus Ananis, quod auctoritate regia detulerint principatum Chananiæ Fratri ejus, eo fine ut perderent Ananem ejuſque Socios, & abolerent doctrinam gementium ac clamantium ab ipſis. Qui cum animadverterent hanc ipſis mentem eſſe animi incommodare atque abrogare Legem, tunc locutus eſt quiſque Deum timens cum ſocio ſuo, ac conſtituerunt Anan (ſui) cætus Caput & Rectorem, eripientes gregem ex ore ipſorum, ut ſtabiliretur illud* (Prophetæ Ezech. 34. 10.) & liberabo gregem meum de ore ipſorum, &c. Tantum abeſt ergo ut hic neglectus, quo Fratri juniori poſthabitus eſt Anan, illum in cujuſdam culpæ ſuſpicionem adducere debeat, ut contra nihil ipſi acciderit quod ex Rabbanitarum relatu non factum ſit optimis eruditiſſimiſque eorum temporum Viris. Paulo ante Ananum, ejus quaſi deceſſores, vixere *R. Simeon Kajira*, qui compoſuit librum æſtumatiſſimum הלכות גדולות *Hilcot Gedolot, neque* tamen *ordinatus eſt in Gaon*. Mox *R. Acha de Schebacha*; וחכם גדול היה וחבר שאלתות שלו שכל מצות האמורות בתורה והספר מצוי בידנו עד היום וכל הבאים אחריו בדקוהו ופשפשו בו ושמענו שעד היום לא נמצא בו שום טעות בעולם אבל לא נסמך רב אחא משבחא זה לגאון מפני שנאת ראש גלות שנאותו הדור שהיה שונאו וסמך שמש של רב אחא ושמו רב נטרונאי וכעס רב אחא והלך לו מבבל לארץ ישראל ונפטר שם *Qui maximus Sapiens fuit &* librum Quæſtionum *compoſuit ſuper ſingulis præceptis per univerſam Legem, qui etiamnum in hominum manibus verſatur. Quotquot eum ſecuti ſunt, hunc examinarunt inquiſiveruntque ſedulo. Audivimus autem quod nullus in hunc uſque diem error in eo fuerit inventus. Attamen iſte Rab Acha de Schebacha non ordinatus eſt in Gaon, propter odium* Αἰχμαλωτάρχου *iſtius ætatis, qui ipſi erat inimicus. Sed ex adverſo in eum locum evexit miniſtrum R. Acha, nomine R. Nitronai. Quod indigne ferens Rabbi Acha ex Babylonia ivit in terram Iſraelis, ubi fato ſuo eſt functus*. Patet ex his, quomodo in Babylonia iſthoc ſeculo obtineret illud Ennii

Pellitur e medio Sapientia, vi geritur res.

Nam ſi laudatiſſimis, & ſuarum partium Rabbinis, ex mera loligine odioque ſervum prætulerint, nullo negotio colligi poteſt quo animo, qua æquitate, cum *Anane* fuerint experti. Qui non magis ſic ambitus quam R. Acha poſtulari poteſt; quia eadem de cauſa, pari conſilio, כל בני דתו הניחו בתיהם ושדותיהם וכרמיהם לחרבה ועלו מבבל אל ירושלים *Omnes ejus Sectæ homines*, cum ipſo, re-

relinquentes domos, agros, vineas in desolationem, ex Babele Hierosolymam concesserunt habitatum, ut ibi lugerent, prout supra est memoratum, quod ab ambitiosorum ingenio multum abludit. 3. Tertium quod illi vitio vertunt est, corrupisse Vicarium Regis, quo ipsi in carcere detento copia fieret alloquendi Regem. Karæi ingeniose retorquent, ועוד ואיך לענן ולבני דתו היו ממונות בידיהם להשחיד ולרבים כא היה להם להשחיד *Porro, quo tandem modo Anani & ejus opinionem secutis pecunia in promtu erat ad munus mittendum, & non suppetebat iis* (Rabbanitis) *qui longe plures?* præterquam quod in eo nihil illiciti fiet ad justam defensionem sibi aditum locumque parare, apud Orientales præsertim, ubi sine munere nihil agitur apud potentes. Si quid esset, propius in culpa deprehenderentur Rabbini, qui illud *decretum Regis*, quo junior & indoctior Frater posthabito Anane, Rector & Caput est constitutus, non exigua forte pecunia redemerunt. *A diebus enim Ismaelitarum, non administrabant* Αἰχμαλωτάρχαι *imperium prout conveniebat & decebat, sed acquirebant illud a Regibus tanquam tributarii*, sicut *Rabbi David* confitetur. 4. Quarto, visum *Anani* in somnio Eliam &c. quum pro versuto volunt figmento haberi, tria reponunt: nihil in eo esse insuetum, aut mirabile, si somnium habuerit & narraverit suis. Ante jam latam Legem dictum esse (Job. 33. 15.-18.) Deum peccatores *in somniis* aurem vellere, & ad pœnitentiam excitare; a peccato autem *Ananem* non immunem fuisse, vel eo nomine, quod ad impetrandam Rectoris dignitatem forte cum iis qui *faciebant homines cadere in Lege* (ex Malach. 2. 8. id est, Rabbanitis) doctrinam suam, aut consilia initio nimium miscuisset. Tandem, אי אתם אמרתם כי אליהו היה נראה לחכמים בגלוי בבירת שני יקיצים בלא שינה שהוא שקר ומכחש דבר יי' וקבלתם וענן אשר ספר כי ראהו בחלום ויתכון ולא יחוש דבר יי' ולמה לא נקבל *Quum Vestri dicant Eliam visum fuisse Sapientibus sub domo secunda aperte, vigilantibus extra somnum, quod falsum est verboque Dei repugnat, ac nihilominus iis credatis; quam ob rem nos Ananem narrantem a se visum in somnio, quod Legi non adversatur verum convenit, non reciperemus?* Neque hisce responsis neququam ineptis contenti, κατὰ τὸ βίαιον, tela adversariorum in eos remittunt. Quando dicuntur *viri Belial, qui relicti erant de propagine Zadok & Baithos*, se *Anani* conjunxisse, hinc suam stabiliunt (convitium non curantes) antiquitatem. גם מדברי אלה ידינו עליונה כי דתנו קדמונית טרם ענן *Vel ex iis ipsis* (hostium nostrorum) *verbis manus nostræ sunt superiores* (alludit Exod. 17. 11.) *patetque quod doctrina nostra sit antiquior Anane*. Et dilationem suæ liberationis huic odio & divisioni potissimum imputant. ועד אשר לא יתרצו אלה על אלה לא ישוב אף יי' ממנו שהרי הנאנחים והנאנקים בתוך ירושלים היו ומפני שהיו מעטים מהם זכותם לא הצילה את ישראל מרעותם *Donec illi cum illis in gratiam redierint furor iræ Dei a nobis non revertetur; quandoquidem ecce gementes agunt quidem Hierosolymis, ast quod aliis longe sint pauciores, illorum meritum* (*aut justitia*) *non liberat Israelem ex adversitatibus suis*, ubi jam fastus, & error Judaicus pellucent. Reliqua de consilio in carcere ab Muhammedano accepto, &c. prætereunt, quod parum intersit utrum ita se habeant, an secus? etsi magis fabulam olere diceres, cujus sunt ingeniosi artifices Rabbini. Si quis nomen istius Regis sub quo hæc contigerint aveat nosse, quid proprie fuerit *Ananis* institutum? quosque habuerit ex se natos successores, aliosque eximios discipulos, memoriam servavit nobis *R. Japhet Karæus*. והוא אשר בירר הדרך האמת אל העם שנירת אחרי העלמו ובררו ונלהו בראיות ברורות ואמתיות והוראות עצומות והערת למות נפשו. והזה בזמן אבוזעפר המלך בשנת ארבעת אלפים וארבע מאות שנים לבריאת העולם והיה ראש גליות כל בירת ישראל בבבל יהשיב על תלמידי רב הלל וההולכים בנתיבותיו וחזרו עמו עם רב מאחינו כי בירר להם האמת ובנתיבותיו ארחו כל מי שהיה בו יראת ה'. ולרבנו שאול הנשיא בנו נעתק לו ממנו.... ורב שאול העתיק לרב יאשיהו הנשיא בנו והוא לרב בנימין האונדי והוא העתיק לרב דניאל הקומצי ולרב יצחק הבוצרי ולרב דוד המקאמץ נר צדק והם העתיקוה לרב נח והוא העתיק לרב שלמון בן ירוחם ולרב יוסף בן נח ולרב יעקוב בן יצחק הקרקסאני ולרב חסור בן משיח ולרב אברהם בן יצחק הבוצרי.... ובזמניהם היה רב זעדיה גאון ז"ל הפיתומי והוא היה תלמידו של רב שלמון בן ירוחם וגו' (Anan) *ille est qui doctrinam veritatis iterum claravit populo postquam fuisset obscurata, explicans eam & revelans argumentis non minus veris, quam perspicuis, validisque demonstrationibus; vitam suam* (præsentissimæ) *morti exponens. Factum hoc est tempore regi Abuzaafar anno quater millesimo quadringentesimo & secundo a creatione mundi* (ex deficiente Judæorum calculo) *fuitque Princeps captivitatis totius domus Israel in*

in Babylonia. Hic est qui consutavit discipulos Domus Hillel, omnesque qui eandem viam instetere. Cumque eo se convertit numerosus fratrum nostrorum populus, quos evidenter veritatem docebat: & cuicunque cordi erat reverentia Numinis, illius vestigia premebat. Ab hoc transmissa est ad Saulem filium Principem. Et Rab Saul transmisit ad R. Josiah principem, filium suum. Ille autem ad Rabbi Beniamin Oudi. Iste tradidit R. Samueli Komtsi, R. Isak Botseri, ac R. David Mekamats, Proselyto justitiæ. Isti vero transtulerunt in Rabbi Noach; hinc accepturis R. Schalmon Ben Jeroucham, R. Joseph Noachi filio, una cum R. Jacobo Isaci Kirkaseni filio, atque R. Chasor filio Maschiach, denique R. Abrahamo filio Isaci Gabbozeri. Illorum temporibus fuit R. Saadiah Gaon f. m. (cognomento) *Pithomi, qui discipulus fuit Schalmonis Ben Jeroucham*, & quæ sequuntur. Seriem namqne prosequuntur ad sera tempora; quemadmodum hic, ita alibi, a Prophetarum, quin & anterioribus seculis, ordine suos Doctores deducentes. Qui cum catalogi parum ad brevem faciant Diatriben, alias cum ipsis libris, si Deus vitam & otium concesserit, commodius proferentur. Habent tamen vel in hoc ἀποσπασματίῳ Philologiæ amatores notabilia quædam, alibi incassum quærenda. Generatim hinc intelligitur, Rabbinos, post *R. Abraham Ben Dior*, temere & falso *Karæis* insultando exprobrare, ac si soli *Rabbanitæ* successionem perpetuam suæ traditionis, suorum Magistrorum & Principum captivitatis, possent ostendere. Non minus id præ se ferunt, suoque modo præstant in Ducibus & Doctoribus suis *Karæi*, quoque majorem inveniant fidem asserunt, והם כותבים את היחוס על עור דג שיהיה קים לאורך ימים וזה היחס נמצא בעיר אלקהרא במלכות מצרים אשר שם מושב נשיאי הקראים מזמן גלות ירושלים receptum esse ut *scriberetur ista familiarum successio in pelle* (cujusdam) *piscis, quæ durat in longissimum tempus, atque eam* (quam ibi exhibet) *seriem reperiri in civitate Kairo, regni Ægypti* (metropoli) *ubi Sedes constituta fuit Principum Sectæ Karaiticæ inde a captis atque excisis Hierosolymis*. Et sane Ægyptus dense semper Judæis fuit habitata. Rex iste אבוזעער probabiliter mihi videtur *Chalifa* quem *Eutychius Patricides* vocat *Abujaafar*, ע enim sæpe per F digamma exprimitur, & congruunt tempora; cœpit enim regnare A. C. vulgaris 754. 9. Jan. Alio nomine dictus *Almansor*. Fuitque & bello & pace inclytus, quin & urbem nunc *Bagdad*, (olim *Babel*) amœnitate loci pellectus magnifice exstruxit, atque *Medinatol' Salam urbem pacis* appellavit. Hic Rex, (dicebat supra *Ananis* acusator) Neomenias, &c. celebrabat ut *Karæi*; non ex calculo sed lunæ apparitione. Si nihil aliud, hoc certe dixit ex vero. Testantur id ipsum *Karæi*. R. *Eliahu in Adderet*: והנה מזה הצד ראוי לקבל עדות הישמעלים מפני שהם הולכים אחרי דעת חכמינו בענייני הראייה *Videlicet hoc respectu est conveniens ut recipiatur testimonium quoque Jismaelitarum, quia sequuntur sententiam nostrorum Sapientum in negotio* φάσεως. R. *Schalmon Ben Jeroucham* hic sexto loco a R. *Anan* memoratus, libellum doctissimum ac venustum scripsit, quem possideo M. S. quo Talmud, ejusque doctrinam acri censuræ subjicit, sed carmine: quod quanto elegantius Hebraice fluit, tanto difficilius, etsi dignissimum sit, in Latinam solutamque orationem potest converti. Scripsit vero nominatim adversus nobilissimum vetustumque R. Saadiah Haggaon; Scholæ Soranæ A. C. 891. Rectorem, quem hujus *Schalmonis* aliquando discipulum fuisse hic legimus; strenue ab ipso, R. David Ganz, atque aliis Rabbanitarum Chronologis dissimulatum. Dum autem R. *Japhet*, *Karæus*, historiam *Ananis* connectit cum Anno a creatione Mundi 4402. plus integro seculo anticipat: manifesto errore sive jam librarii, sive suo, qui revincitur a tempore regni, quem ipse nominat, *Abujaafari*. Annus quippe Mundi 4402. in computo Judaico idem est cum A. C. 642. At capessivit iste habenas imperii A. C. Vulg. 754. qui 112. est recentior. Sed indulgeamus hoc παρόραμα homini Judæo, parumque scientia historica exculto, quandoquidem a Doctissimo Critico R. *Simonio* cogimur audire: *Auctorem novæ Sectæ* (Karæorum) *certum quendam Judæum, Anan nominatum, vixisse sub secunda generatione Doctorum, quos Geonim sive Excellentes appellant*. Cum tamen R. *Abraham Ben Dior* accuratissimus inter Judæos Chronologus, disertissime sub *tertia generatione* collocet. Ac qui generationes distincte non numerant ut R. *David Ganz in Zemach*, & alii, ad ætatem R. *Jehudæ* alligent, qui ad tertiam generationem refertur. Ex quo per hunc Ananem novum vigorem & vitam quasi res & doctrina Karæorum recepit, locum non modo suum Hierosolymis, quorsum voluntario exilio cum suis asseclis ex Babylonia secesserat, tueri in hunc usque diem sese po-

potuit, ſed etiam quaquaverſum diffundere; ut nulla pars ſit mundi veteribus cogniti quo non hæc ſecta, æque ac Judæi Rabbanitæ, penetraverit; variaſque regiones atque urbes incolat, etſi non tanto numero divitiis atque potentia. Quam cum ipſis pauperiem & paucitatem maligne objiciunt Rabbini, ſuam diſcipulorum multitudinem faſtuoſe jactantes, eum in modum reſpondent Karæi ut cauſas hujus paucitatis haud frivolas aſſignent: ex frequentia Sectatorum veritatem pendere merito inficientur, ac tandem oſtendant haud tantam eſſe eorum raritatem, quemadmodum vulgo exiſtimatur. Auctor Chillouk M. S. באשר יתפארו הרבנים כי חכמיהם היו מחנה גדול וחכמי הקראים אחד או שנים או שלושה ואיך מצאו האמת המעטים מהמרובים אמרתי הבין איוב בדעת האלהים מארבעה החברים ואברהם מכל גויי הארץ וכלב ויהושע מעשרת המרגלים והנאנחים והנאנקים מיושבי ירושלים ומבראשונה מעטים היו נמצאים בטוב ואל הרע רבים על כן מגיד מראשית אחרית הזהירנו בתורתו ואמר לא תהיה אחרי רבים לרעות *Quando autem magnifice ſe efferunt Rabbanitæ quod ipſorum Sapientum magnus ſit exercitus, & Karræorum modo unus & alter, aut tres forte; & qui ſit factum quod tam pauci præ plurimis invenerint veritatem? tunc reſpondi: Jobus Dei judicio ſapientior fuit quatuor ſuis ſociis & amicis; Et unus Abraham omnibus nationibus mundi. Caleb & Joſua præ decem (aliis) ſpeculatoribus. Gementes & clamantes ſupra (reliquos) cives Hieroſolymorum. Ac jam inde a principio longe minori numero inventi ſunt qui bono addicti eſſent quam qui malo. Quamobrem (Deus) qui ab initio prænuntiat finem nos (ejus rei) in Lege ſua quoque admonuit, dicens* (Exod. 23. 2.) *Non ſequeris multos ad mala*. Idem inculcat R. Caleb præfat. ad libr. עשרה מאמרות *Aſarah Maamarot*: כי לעולם הצדיקים מעטים כנגד שאר העם וכתוב לא מרובכם חשק ה׳ בכם *Perpetuo enim juſti fuerunt pauci ſi cum reliquo populo comparentur; & ſcriptum eſt* (Deut. 7. 7.) *neutiquam propter multitudinem placuiſtis Domino*. Cauſa vero cur illi tanto inferiores numero fuerint quam Rabbanitæ & ante, & poſt Ananem, inveſtiganti mihi triplex potiſſimum innotuit. 1. Prima a *genio* ejus, quam profitebantur, *Doctrinæ*. Illi namque in præceptorum expoſitione jam ab ævo inclinarunt in partem rigidiorem, ut ſupra dictum de R. Schammai; Hilleliani in remiſſiorem; quæ cum carni & ſanguini ſit gratior, omneſque homines natura proclives ad licentiam, non aliter fieri potuit quin plurimi ſe eo conferrent. לפי מה שהיו רבים תומכי ידי המקלים במצוות ומעטים היו אצל קדמנינו מפני שהיו מחמירים על כן תקפה יד הרבנים לפעמים על עדתנו *Propterea quod multi ſunt qui manus fulciunt eorum qui leviora reddunt præcepta, ideo pauci fuerunt a Majoribus noſtris, quoniam illi ſtabant pro gravitate eorum. Hinc evenit quod ſæpius Rabbanitæ noſtro cætui prævaluerint*. 2. Altera fuit inconſulta quædam, ex illo aggravandi ſtudio nata, & nimis lata extenſio gradum in conjugio prohibitorum; quæ fecit ut, cum Rabbanitæ creandis liberis maxima cura ſint intenti, permiſſa etiam ſuis in Oriente polygamia, Karæis e contrario hac ſcrupuloſa interpretatione ne mulieres quidem ſupereſſent aliquando quibuſcum poterant conjungi; de quo ſupra pag. 42. vidimus. Quod magnam ſane debuit illorum familiis inducere vaſtitatem. 3. Tertia eſt odium, injuriæ, & continua perſecutio, quam ipſi quoties & ubi poſſunt, in Karæos movent; ubi non poſſunt, calumniis, arte, donis apud alios Principes ſuſcitant, ut ubique exterminentur. Præter judicium Dei, communem omnibus gentibus Judæorum deteſtationem, coguntur hi indies ſuorum popularium violentiam experiri. Quibus quid mirum ſi attenuentur? יפה הודה החכם רבי גדליה בעל השלשלת ל׳ מספרו שקדמוניהם מצד גאותם מרפם השררה והגדולה גרמו למחלוקת הדת וחלול ש״ש וחלול תורתו הקדושה ינקמנו דשם ית׳ מידם שמזמן החלוקה ועד עתה קלפרת השנאה תקיעה בלבותם ובכל מקום שימצאו מושבות קהלותינו בעיר א׳ עמהם צוררים הם לנו ביוכליהם בכל מיני ערהניות למחות שמנו מן העיר ומן הארץ לולי ה׳ שהעיר לב המלכות מקדם ועד עתה. וזה מעט הצאן מוצאים חן וחסד בעיניהם *Pulchra eſt ingenua confeſſio Sapientis (ipſorum) R. Gedaliah, qui ſcripſit in libro Schalſchelet pag. 30. quod Majores eorum ſuperbia, ambitione, & magnificentia ſua cauſam præbuerunt cur doctrina & hominum ſtudia in diverſas partes abiret, adeoque Nomen Dei Benedicti, & Sanctiſſima Lex profanarentur. Cujus ultionem Deus ab illorum manibus repoſcat. Ab illo quippe Schiſmatis tempore uſque in hodiernum diem intemperiæ, & odium in cordibus illorum hæret infixum. Ac quocunque modo loco contingit cætus noſtros unam eandemque urbem cum iis incolere, pro viribus nos affligunt, qua vi qua aſtutia, ut nomen noſtrum ex urbe, immo de terra abolere poſſint*. (Et voti compotes eſſent) *niſi Deus in favorem noſtrum im-*

imperantium corda & nunc & olim inclinasset, ut parvulus hicce grex gratiam in oculis ipsorum atque misericordiam inveniret. At ne vel sit tamen effectum est, ut non in *Asiam*, *Africam*, *Europam* delati sedes sibi per multa rerum discrimina isthic invenerint. *Asia* illos agnoscit, & fovet in *Judæa*, & *Hierosolymis*: quam regionem præ omnibus aliis petunt & diligunt; unde cognomen יושבי חחורבות *deserta* (Patrum) *loca incolentes* sibi pepererunt. Porro *Damasci*, *Bagdadi* agunt, cum reliqua *Assyria & Chaldæa*. Testis oculatus *Moses Beschitzi*, Scriptor Libri מטה אלהים *Baculus Dei*: qui non solum studiorum gratia per eas oras peregrinationem instituit, verum vel maxime eo curam & laborem convertit, כדי למצות סבת ממחלוקת וזמן חלוקה שבין הקראים והרבנים *ut invenire posset causam schismatis, & tempus quo cepit divisio inter Karæos & Rabbanitas*: uti habet præfatio. ושם נותו ללכת בארץ הקרושה ובארצות שאחריה בכל מקום שהקראים שוכנים שם בארץ אשור ובארץ כשדים אשר שם רבו כמו רבו כוכבי השמים וכחול אשר על שפה הים: *Proposuitque ideo proficisci in Terram Sanctam, omniaque loca quæ pone eam jacent, ubi Karæi habitarent: videlicet, in Assyriam, in Chaldæam, ubi multiplicati sunt quemadmodum stellæ Cœli, vel arena in littore maris.* Incoluisse *Arabiam*, & *Turciam*, non modo illud indicio est quod plures & vetustissimi illorum libri Arabice primitus sunt conscripti, sed etiam *Meccæ* speciatim habitavisse eo tempore quum Muhammedani urbem istam expugnabant colligi, si non liquere, potest ex interpretatione quam illorum Doctores, jam ante quinque secula, dederunt commatis XXXI. Cap. XI. Prophetiæ *Danielis*, ipso memorante *Aben Ezra* in locum; sub nomine familiari *Sadducæorum*, & *errantium* ויש לתטורה מחכמי צדוקים שפירשו זו לעתיד ואמרו כי המקדש הזיא מכה שיחוגו עליה הישמעלים והסירו התמיד החמש תפלות ונתנו השיקוץ עבודה זרה *Mirandum est quod Sadducæorum Sapientes hoc explicent tempore futuro, dicantque quod* sanctuarium *istud sit* Meccæ, *ubi Festum agitant Ismaelitæ.* Juge sacrificium *quod removerint*, *intelligi* quinque precationes; & abominationem *quam posuerunt*, *esse* cultum (illorum) Idololatricum. Synagogas Karæorum invenit *R. Beniamin Tudelensis Damasci*, *Askalonæ*, &c. In *Africa* habitata ipsis est *Alexandria*. Eo cum aliquando venisset *R. Moses Beschitzi*, Karæus, narrat *Rabbanitas* non modo memoriam servasse magni suarum Traditionum architecti, *R. Simeon Ben Setah* qui illuc, Jannæi persecutione, se proripuerat; sed etiam ostendere ædificium (nunc in Mosqueam mutatum) ubi preces suas dicere soleret; quin etiam sacrificia offere. Quod, quia notabile est, excerpam: וגם בפנים יש לו מזבח שהיה אז מקריב עולות וזבחים ואני אמרתי שלא יתכן זה שאיש כמוהו יעשה זאת (זולת מקום הנבחר) ונשבע לי שהוא אמת והוכרחתי אז לרעת זה אם כנים דבריו חקרתי ודרשתי מהם והורו לי אמת שכך היה ומאת הישמעלים שאלתי חקרתי על ענין המזבח והשיבו שזה אמת ואמרו שאנו מכבדים אותו מאוד *Intus in eo quoque est altare, in quo tunc offerebat holocausta & sacrificia; cumque ego (Moses Beschitzi) regererem, non videri consentaneum talem tantumque virum (ac erat* Simeon Ben Setah) *id designasse (extra locum quem Deus elegerat* quod pluribus probat in seqq.) *jure jurando mihi* monstrator Rabbanita, *confirmavit hanc esse veritatem; atque ita necessitatem imposuit inquirendi, & rogandi alios, ut certo scirem an sermoni ejus fides constaret? & confessi sunt mihi negotium revera sic se habere. Apud Jismaelitas etiam ivestigavi quid foret de Altari?* (nam Judæo aut Christiano non licet Mosqueam intrare) *respondentes quod esset, ut dicebant s & quod nostra Gens illud in magno haberet honore.* Si hæc adeo vera sunt, quam audacter undequaque asseruntur, habemus hic aliud veluti fanum in Ægypto, præter illud *Oniæ*, de quo Eruditis nihil adhucdum innotuerat; simulque documentum quam licenter, & sacrilege, in mandatis vere divinis versati fuerunt *Traditionarii*, dum sua commenta humanasque superstitiones severissime observari mandabant. Quod Christus Dominus plus semel in iis, & summo jure, castigavit. Cummaxime in maxima civitate Ægypti, *Cairo*, *Karæi* jam ab ultima memoria, in hunc usque diem, sedes fixere. בעיר אלקהרא במלכות מצרים אשר שם מושב נשיאי הקראים מזמן גלות ירושלים *in urbe Cairo, Regno Ægypti, ubi sedes est Principum Karæorum, jam inde ab excidio Hierosolymorum.* In *Europa* tenet ante omnes hos *Constantinopolis*: illic est ubi eam Synagogam reperit *Beniamin Tudelensis*, de qua Illust. *Scaliger Elench.* Cap. 2. illic celeberrimi Doctores; illic libri eorum aliqui, quod alibi rarissime, typis descripti; eam incolebant quo tempore urbs capta est a *Turcis*, & quemadmodum Græcæ & Latinæ literæ irreparabilem, sic nostri ingentem quoque

M. S. S.

M.S.S. Codicum tunc jacturam fecere. Hinc præcipue in reliquas regiones *Italiam*, *Moschoviam*, *Lithuaniam*, *Poloniam*, *&c.* transmigrando pervenerunt. Ita in suis narrant literis: אכן אחינו הקראים הנמצאים המלכות פולין ורוסיה גדולה של ליטא הם יצאו מבין קהלות ששוכנות בארץ ישמעל לבקשת מלך פולין ממלך ישמעל בזמן קדום מזמנים *Cæterum Fratres nostri Karæi qui reperiuntur in Regno Poloniæ, Russia, & magno ducato Lithuaniæ oriundi sunt ex iis cœtibus qui sub imperio Jismaelitarum (Turcarum) degunt; & jam tempore admodum antiquo, rogante hoc Poloniæ Rege, ab imperatore Turcarum illuc concesserunt.* Cujus facti fides sit penes auctores. Ex fine *Kabbalæ R. Abraham Ben Dior*, & *Juchasin*, omnibus constat in *Hispania* seculo duodecimo floruisse; cum doctus inter eos, אבואלפראג *Abualpragus* pro Karæorum doctrina librum edidisset contra Talmudistarum λήρυς; quem Ben Al Taras inferens in Castiliam plurimos, ut ait Juchasin, in errorem impulit; tum etiam commentarium in Genesin. Refutare eum conatus est quidem iste *Abraham Ben Dior*, pro modestia & mansuetudine Rabbinica, eum vocans זקן אשמאי *senem scelestum*, gloriatur se monstrasse לתלמידים סכלותו *discipulis stultitiam*. Ac R. Abraham Zacut scribit, ישחקו עצמותיו בגיהנם *Conteri istius ossa in inferno*. At vero horum vel argumenta, vel fulmina, ad eos cohibendos parum valuerunt, donec Rex Castiliæ Alphonsus sua auctoritate iis *silentium* injungeret. Quam, spretis honoribus atque pecunia, unicam mercedem pactus est *R. Jebuda* ab Augusto, fautore & familiari suo, pro omnibus officiis quibus Regem insigniter demeruerat. Diffusam ita longe lateque *Karæorum* Sectam plane deprehendimus. Nec ausint negare, si qui candidiores Rabbini: *R. Josepho Chajon*, Comment. in Pirke Aboth, apud Eruditiss. *Morinum* מהם נפוצו ונמשכו אחריהם גם היום בהרבה מקומות ובהרבה ארצות והם הנמשכים אחר המקרא לבד *Ab his* (Zadok & Baithos) *dispersi sunt, eosque sectantur adhucdum hodie per multa loca multasque regiones, qui soli Scripturæ penitus adhærescunt.* R. Leo de Modena agnoscit eos habitare *Constantinopoli, Cairi, aliisque Orientalibus locis; quin esse in Moscovia, illic habere Synagogas, suisque moribus vivere.* Quæ cum sint apertissima, an non doleam virum eruditissimum eundemque optimum sivisse sibi a Rabbinorum ὀνειδισμοῖς tantum imponi, ut diceret: *Vix unum jam inter Judæos Karaitam reperiendum?* & merito quis miretur, in *Historia Critica Simonii*, velut aliquid notabile, appingi in extremo margine hanc observationem; *Vix amplius conspici Judæos Karaitas in toto tractu Orientis? (dans tout le Levant.)*

CAPUT IX.

Causæ, & Capita dissensus inter Rabbanitas & Karæos præcipua: in Dogmaticis *rejiciunt omnes Traditiones plane ἀγράφυς. R. Saadia pro iis scripsit, quem R. Schalmon confutavit. Morini, & Simonii sententia de hoc ad examen revocata.* Misna *jam extitit scripta tempore Hieronymi. Controversiæ circa* Ritualia, Legem Judicialem, Gradus Matrimonii prohibitos. 2. *Cor.* 5. 1. *explicatum. Mores* Karæorum*: Magis in Scriptura versati. Mansueti. Pii. Odium internecinum inter utrosque, &c.*

NUnc ad Doctrinam eorum, & præcipua quæ controvertuntur capita transimus. Ubi tanto brevius licebit defungi, quanto jam ante Maximi Viri *Scaliger*, *Drusius*, *Seldenus*, *Hottingerus*, *Morinus*, *&c.* de his aliqua, hinc inde, tetigerunt, & quæ ad majora *Festa* pertinent, jam supra Cap. IV. a me sunt occupata. Sententiarum divortium, pro scribentium vel indole vel consilio, aliquando majus, minusve proponitur. *Karæorum* dogmata odiose traducunt Rabbini, & dissensum amplificant ut suis reddant magis invisos. Contra, ut pars infirmior, minuunt subinde Karæi, quo melius via sternatur ad concordiam. R. *Caleb* in Præfat. libri עשרה מאמרות, *Asarab Maamarot*: ותמצא היום שאין בינינו ובין אחיו הרבנים שום הפרש מהתקנות ונדרים וסייגים וקבלות שבידינו היום מאבותינו הקדושים אלא במה שאין להם רמז מן התורה כ״ש היותו הפכי או סותר לדבריה *Non invenies hodie quod inter Nos & fratres nostros Rabbinos sit differentia, quod ad Constitutiones, cautiones, sepimenta, ac traditiones, quas (uterque) accepimus a nostris Sanctis Patribus; sed tantum earum respectu quibus nullum est indicium in Lege (scripta,) immo potius contrarium, & illorum verbis repugnans.* Ita *Philippus Fridericus*, apud Illustr. Scaligerum: *Jurabat* ipsi *nihil differre a reliquis Judæis nisi in rejectione* δευτερώσεων. At hic ipse character, aliquid non habere vestigium in Scriptura, latissime patet; & in plurimos ramos sese diffundit. Quare ut hæc clariora sint, & Christianorum magis tam methodo quam captui accommodata,

ta, monſtrabimus extantiora, ubi diſſentiunt in *Dogmaticis*, *Ritualibus*, ac *Lege judiciali*; tum *Mores* atque vivendi rationem, perſtringemus; una cum lethali *odio* inter utroſque, quod ex hoc opinionum diſcrimine ſuccrevit. Caput *Doctrinæ* palmarium in quo diſſident, quorſum omnia reliqua queunt referri, eſt commentum Rabbanitarum de *Lege orali*; Melius hæc iterum ipſis *Karæorum* verbis quam meis memorabo, ſecundum ea quæ *R. Caleb* habet in Præfat. libri ſui M. S. *Aſarah Maamarot*: כבר ידעת שסבת המחלוקת אשר לבית ישראל קראים ורבנים הם שלוש סבות הסבה הראשונה שהרבנים אומרים שדברים רבים נאמרו למושה מסיני על פה שלא נכתבו בתורה ומסרם גם הוא עה׳ ליהושע עה׳ תלמידו ויהושע עה׳ מסרה לזקנים והם למה שאחריהם דור אחר וכלם נאמרו על פה ולא נכתבו ביד מושה עה׳ עד שבא זמן שהיתה התורה משתכחת ונראה לאנשי הזמן ההוא לכתבם על ספר בדיו כמו שהיה כל איש מקובל ממי שקדם ממנו ואנחנו בני מקרא לא נאמין כן אלא מה שצוה הוא יתב׳ לנאמן ביתו כלו כתבו בתורה׃ וכתוב לשמור מצותיו וחקותיו הכתובה בספר התורה הזה וליהושע עה׳ כתוב לא ימוש ספר התורה הזה מפיך .... וכתוב למען תשמור לעשות ככל הכתוב בו וכתוב למלך וכתב לו את משנה התורה הזאת ועוד לשמור את כל דברי התורה הזאת והולרת אלו המאמרים מאמרים אחרים מורים שאין המצוה כלל מסורה על פה שלא נכתבה ואין תורה אחרת לנו אלא זאת הכתובה מאתו יתב׳ הסבה השנית היא אמרם שמה שכתוב בתורה צריך פירוש על פי הקבלה האמורה לדעתם ואנחנו לא כן נאמין אלא כל מה שכתוב בתורה פירושו עמו ואם הכתוב קצר בקצת ענינים הנה הם במקומות שלא תקצר ההבנה בהם והכתוב סמך על המבין׃ וידוע שהכונת הדבור הוא לבאר חפץ המדבר וכונתו שאם לא כן אין בדבור ההוא תועלת ולשוא הוא ומי יתן וארע מי הוא המכריח לו ית׳ לכתוב התורה בדבור שאינו מובן מאחד מדרכי ההבנה שבהן יודע חפץ המדבר וכונתו עד שהוכרח הוא יתברך לבאר דבריו שכתב בתורה הכתובה ולפרשם על פה והנה הוא כתב הואיל מושה באר את התורה הזאת לאמור וכתוב תורת ה׳ תמימה ואם היתה צריכה פירש על פה אין חסרה יותר ממנה ועוד שאם הדבור לא יבאר חפץ המצוה והמזהיר לאשר לו יצוה ויזהיר׃ יכול המצווה והמזהר לומר עשיתי ככל אשר צויתני שיסבול המאמר פנים אחרים כל שכן בענינו המצות והאזהרות ושאר התורות והמשפטים שבהם ענשים אין יכול השם יתב׳ להעניש לעובר בדבר שלא נתבאר רצונו וכונתו ית׳ למוזהר׃ חלילה לאל מרשע ושדי מעול השופט כל הארץ לא יעשה משפט׃ אל אמונה ומי כמוהו מורה ית׳ ואלו יאמרו שקבלה היא פירוש במקומות התורה שהם מחוסרי תקון או שסובלים פירושים הפכיים בשוה שהם הסכלות המעיינים אמנם קבלתים זו היא ביאור לפנים מה זולת המובן מהענין הכתוב בתורה עם שכבר תהיה לפעמים הפכית או סותרת לו הנה אין זה הענין אמת ולא כן ברצונו ית׳ כי אם גזירה מהם וממשלה להם הסבה השלישית היא אמרם שהתורה הרשתה להם להוסיף ולגרוע בעניני התורה ממצוה ואזהרה כפי מה שיראה בעיני בעיני חכמי כל דור ודור אמרו ואפילו יאמרו לך על ימין שמאל ועל שמאל ימין ואנחנו לא כן נאמין כי כתוב לא תוסיפו על הדבר אשר אנכי מצוה אתכם היום ולא תגרעו ממנו ואמר לא תוסף ולא תגרע ואם תמצא דברים נתחייבנו בעשייבנו ובשמירתם ולא נכתבו בתורה בהדייא בביאור או שנכתבו ואני נחשבם כפשוטם הגלוי ואין אנו נזהרים בהם הנה הוא מצד הדרישה והחקירה היוצאת מן התורה והנודעה ממנה אחרי החכמה׃ כי התורה נתנה לחכמים להציוא דבר מתוך דבר ואין זה תוספת וחסרון כי אם גדר וסייג שלא נכשל ברשת התוספת שכונה התורה האלהית והזהירתנו בהם וגו׳: Quorum mens eſt: *Jam dudum tibi innotuit cauſas potiſſimum tres eſſe Schiſmatis, quod domui Iſraelis*, Ka*ræis cum Rabbanitis, intercedit. Prima cauſa eſt, quod ſentiant Rabbaitæ res multas Moſi eſſe dictas ore in Sinai, quæ non ſint in ſcripta Lege comprehenſæ; quas tradiderit ille P. M. Joſuæ, diſcipulo ſuo; qui tradidit Senioribus; iſti denuo his qui ſingulis generationibus ſucceſſerunt. Ita ut omnia Oretenus propagarentur; nec Moſis P. M. manu extarent exarata, uſque dum ea inciderunt tempora quibus, cum periculum foret ne Lex plane oblivioni traderetur, viſum eſt ejus ætatis hominibus conſultum ut ſcripto mandarent, quid, & quomodo unuſquiſque a ſuo deceſſore acceperat. At Nos Scripturarii hæc credimus nequaquam; ſed tantum ea quæ* (Daus) *Benedictus præcepit* (*Moſi*) *fideli in domo ſua, quæque univerſa in Lege perſcripta habentur. De quibus dictum* (Deut. 30. 10.) ut cuſtodias præcepta ejus, & ſtatuta ejus (prout quodque) *in libro hujus Legis eſt conſignatum. Cum & Joſuæ f. m. mandatum ſit* (Joſ. 1. 8.) non recedat liber Legis hujus ab ore tuo. Porro, ut cuſtodias & facias ſecundum omne quod ſcriptum eſt in eo (ibid.) *Quin de Rege etiam legimus* (Deut. 17. 18.) ut ſcribat ſibi exemplar Legis, &c. *Idque*, ut obſerver omnia verba Legis iſtius. *Ac præter hæc dicta, alia etiamnum extant docentia nullum præceptum eſſe ore datum, quod non una ſit ſcripto expreſſum. Adeoque non aliam Legem nos habere extra eam quam ſcriptam nobis tulit*

lit (*Deus*) *Benedictus*. *Secunda causa est quod statuant illa, quæ jam in Lege sunt exarata, expositionis indigere ex Kabbala repetendæ, quam ipsi pro lubitu comminiscuntur. Nos vero diversum sentimus omnem Scripturam secum apportare interpretationem suam; & si quibusdam in rebus breviter agat*, (unde nasci posset obscuritas) *alia esse loca ad manum ubi sensus pluribus exponatur, supponente Scriptura sibi cum intellectu præditis rem esse. Jam notum est cuique loquelam consensu quodam eo spectare ut declaret quid loquens sibi velit? quid intendat? quæ nisi sic sit comparata frustra est, nullaque in sermone utilitas. Optemque mihi aliquis significet quid tandem Deum Benedictum coegerit* (cum clare loqui posset) *Legem suam tali sermone, & stylo, exarare ut a nullo intelligi queat, adhibitis etiam legitimis sensus eruendi viis quibus mens loquentis & scopus solet deprehendi. Ut ita Benedictus habuerit necesse verba Legis quam scripto tradiderat, declarare atque exponere per* (aliam) *oralem? Ecce, numquid ipse scripsit*, cœpit *Moses* explanare Legem hanc dicendo (Deut. 1. 5.) *itidem scriptum est* Lex Dei perfecta est? *quod si ejusmodi explicatione indigeat* (*Legis*) *Oralis nulla magis erit imperfecta. Est adhuc amplius: nisi sermo clare proponat voluntatem præcipientis, & qui monet alterum, quid mandet moneatve; ille cui præcipitur, quique est admonitus, facile poterit causari dicens quicquid jussus sum feci: alia ratione illius dicta accipiens. Eodem plane modo se res habet in sensu præceptorum, adhortationum, reliquarumque Legum & judiciorum quæ pœnis sanciuntur, jure haud poterit Deus Benedictus transgressorem punire, ob rem aliquam de qua animi sui sententiam observaturo non satis declaravit*. Absit a Deo impietas & iniquitas ab Omnipotente. (Job. 34. 10.) Judex universæ terræ nonne faciet jus? (Gen. 18. 25.) Deus fidelis est (Deut. 32. 4.) & quis Doctor sicut ipse? (Job. 36. 22.) *Si vero excipiant, Kabbalam explicationem eorum locorum adferre quæ ordinatione præcisa destituuntur, vel admittunt contrariam sententiam parili facilitate*, (dicendum est rem in sese non ita esse) *sed solum ex imperitia eorum videri, qui Legem intuentur. Interim verissime iis hoc dicitur*, Kabbalam *istorum suggerere expositionem ejus generis, quæ a mente & sensu Scriptæ Legis plane recedit*. Taceo, quod *ante jam* notavimus, *sæpissime accidere, quod illi sit adversa, & penitus aboleat. Ecce! hic non est verus sensus; nec tale* (*Dei*) *Benedicti beneplacitum, sed tantum istorum Decreta, & allusiones. Tertiam causam præbuit dictum quod Lex iis fecerit potestatem addendi aut demendi in his quæ ad Legis præcepta vel adhortationes pertinent, prout Sapientibus singularum ætatum videbitur expedire; in tantum, ajunt, ut si vel de dextra sciscerent esse sinistram; vel de sinistra eam esse dextram. Nos autem imus in omnia alia, quandoquidem scriptum est* (Deut. 4. 2.) non addetis ad verbum quod ego hodie præcipio vobis, nec quicquam de eo detrahetis. Ac *rursus* (Deut. 12. 32.) non addes, neque diminues. *Et si occurrant forte quædam, ad quæ facienda & observanda* obligamur, *quæ in Lege non tam aperte vel explanate sint definita; aut aliqua scribantur quæ nos existimemus haud secundum sensum literalem, quam prima fronte fundit, esse capienda; Si de eo nos non simul admoneat Scriptura, eo faciunt ut scrutemur atque investigemus consequentias quæ secundum Sapientiæ rationem ex Lege deducuntur, atque colligi possunt. Lex quippe data est intelligentibus, qui rem unam ex alia norunt concluderr. Neque tamen hinc licet inferas ergo ibi* defectus *fuit, aut hic est* additamentum; *cum, potius hæc sepes sit, & cautio ne in* Additionis *laqueos incidamus; Deusque hos* (*sensus*) *in Lege divina intenderit, deque iis admonuerit*. His argumentis pugnant pro Scripturæ *αὐταρκείᾳ Karæi*, & nescio an verbis tam paucis controversiæ status distinctior poni, ac majori rationum pondere & delectu veritas adstrui potuerit. Quibuscum si comparaveris illas *Rabbanitarum* frigidæ sunt, & tela manifeste plumbea. Reciprocarunt hanc serram inter sese, pro Karæis *R. Schalmon Ben Jerouchan*, *R. Saadia Haggaon pro Rabbanitis*; quorum non excerpam disputationes, ne gravem meos Lectores; summa tamen capita delibabo, ut omnibus constet quid de *traditionibus ἀγράφοις*, ac *Talmude*, censeant *Karaitæ*. Septem rationes pro iis adduxerat *R. Saadias*, quibus peregre profecti *R. Schalmonis* gregem, aut Synagogam, ad fidem traditionum pellicere studebat, quas absens *Schalmon* epistola metrica solertissime confutat. 1. Prima erat: Mandata a Deo ציצית *fila* in vestis extremitate, & *Tabernaculorum* in festo ædificationem, quorum mensura tamen non sit expressa. Respondet *Schalmon* certam mensuram, tacente Lege, non urgendam; multa enim apud alios alia ferunt tempus, locus, familiæ & facultatum ratio. 2. Sileri מדת תרומה *mensuram Teru-*

rumæ (oblationis levandæ) qua Iſrael ſciat quantum debeat dare. R. factum ut quiſque daret liberaliter, pro beneplacito, ſine vinculo pactionis. 3. Traditione opus eſſe ad dignoſcendum quis dies ſit ſeptimus, ſeu Sabbathum. R. id omnibus notum eſſe qui ubique vivunt, quis dies ſit hebdomadis. 4. Hinc ſolum conſtare quale *vas* ſit quod capax eſt *pollutionis*? R. ſatis in Lege determinatum ſi mentem modo advertiſſet (Lev. 11. 32.) *omne ſcil. vas* aut inſtrumentum quod inſervit *operi alicui peragendo*. 5. Ad preces eſſe obligatos, nec tamen aut preces, aut precum numerum reperiri in Scripturis. R. an non legerit apud Jerem. 29. 12. *Orabitis me*, & ſimilia. Multiſque in locis precum ὑποτυπώσεις ut *Danielis*, &c. inveniri. 6. Maximopere urget quod indigeamus traditione ad ſciendum numerum annorum qui effluxerunt ab excidio Domus ſecundæ. R. ſe perlibenter velle ab eo diſcere cujus libri (ſacri) auctoritate obligentur ut hujus intervalli calculos rite ſubducant? multum hic eum laboris impendiſſe, nulla utilitate, &c. Ultimum, quoniam ad Meſſiam attinet, proferam *αὐτολεξεὶ*: שביעית נמתה אנו נצרכים אל השכל ובו נתהלה לדעת בו קץ הגאולה ותחיית המתים בנבולה: שירות נביאים וכל חוזים כל אלו נזכרים ובהם נאחזים לא מרברך ושכלך הפוחזים *Septimo dixiſti (Saadiah) opus habemus ſcire, ut gloriemur in notitia ultimi termini redemptionis, quæque illi contermina eſt Reſurrectionis Mortuorum*. (Reſpondet R. Schalmon (*in Canticis, omnibus Prophetis, ac Videntibus hi commemorantur, atque continentur; ut non opus ſit ex verbis tuis, aut ingenio, iſta repetere*. Notare licet quum *Karæi* aſſerunt *Redentionis* Characteres, & *temporum Signa*, in *Prophetis omnibus*, *Videntibus*, & *Hymnis* paſſim & abunde haberi, eos ſic ſtabilire fundamentum Evangelii; & fere gemina dicere cum *D. Jeſu*, *Luc.* 24. 44. de Meſſia eſſe *ſcriptum in Lege*, *Prophetis* ac *Pſalmis*. Et *Petro: Huic omnes Prophetas perhibere teſtimonium*, &c. *Act.* 10. 43. Dum *Rabbanitæ* hic etiam traditiones in ſubſidium vocant; a Chriſto ob ſuam inſcitiam in eo capite merito caſtigandi. Quod vero Judæi communiter, hic & alibi, Meſſiæ *Redemptionem* jam olim conjunxerint cum *Reſurrectione Mortuorum*, duplicem Apoſtolorum ætate peperit errorem: quo quidam, qui Chriſtum pro Meſſia receperant, Redentione jam peracta, ſibi aliiſque ex hoc præjudicio, perſuadebant ſecundum Chriſti adventum protenus inſtare. Aliqui e contrario inferebant factam jam dudum; quoniam multi erant anni ex quo venerat Redemptor; utque hoc tueri quadam ſpecie poſſent, tanti Myſterii & ſolaminis beneficium in quæſitam ineptamque Hymenæus & Philetus converterant Allegoriam. Poſtquam hoc modo R. Schalmon plenitudinem S. S. Literarum maſcule defendit, mutata vice incipit ipſe Traditionum arcem ac promptuarium, Pandectas Talmudicas, validiſſimo ariete ſubruere, & feliciter oppugnare. Summa eſt, *Legis Scriptæ* ἀξιοπιςίαν firmari *teſtimonio* omnium Judæorum, ubicunque ſint per orbem terrarum diſperſi; maximorum plerumque *miraculorum* auctoritate, *conſenſu* etiam τῶν ἔξω, Chriſtianorum, & Muhammedanorum, quibus omnibus fundamentis careat *Lex Oralis*. Jubet conſiderari quinam harum Traditionum conditores in ipſo Talmude laudentur, ac proferantur; non haberi *hæc dicit Deus Moſi*, *Aaroni*, &c. ut ſolet in Pentateucho & Prophetis; aſt ſic *tradit* ille *Rabbi*, aut alius Doctor, qui longe *poſt Ezram* obſignato dudum Canone (inde חותם הנבואה *Signaculum Prophetarum Malachia* ab ipſis Rabbinis vocando) fuerunt in vivis. אנשים כמונו ואין רוח הקודש בינינו *Homines nobis ſimiles, eoque tempore quo inter nos (Judæos) non amplius erat Spiritus* S. Demonſtrat ex *ſtylo* & *Idiomate Talmudis*. והנה על לשון אנשים חרשים נאמרים *Ecce lingua* (non veteri Prophetarum ſed) *hominum novitiorum efferuntur* ſex Ordines. Quumque Moſi & Prophetis optime ſecum conveniat, hic perpetuam quaſi contentionem, & *vociferationes* audiri: *Hic affirmat ille negat; hic permittit ille vetat; hic benedicit maledicit alter, caput jurans ſuum*, &c. quod a Divinæ veritatis modeſtia & majeſtate vehementer abhorret. Unde oppoſite ad Rabbinorum ſolitos ſtrepitus, atque clamores manſuetudo Meſſiæ ex eo commendatur, quod *non clamabit*, &c. Ditiſſimum argumentorum locum ſuppeditat ipſa *Talmudis Materies*: ubi culpant merito eſſe farraginem in qua putidæ & aniles fabulæ, ex Apocryphis *Semi*, Noachi filii, & *Raſim*, libris ſuppoſititiis hauſtæ: ubi ſtultiſſima plura, immo pudenda. Liber *Chillouk* M. S. adducit eyemplum כי עזרה חייב לחאכיל שומים לאדם אשר לא יתחזק אברו כדי להתחזק לנפול עם אשתו הלא זה ניאוץ ונדיפה quod Ezra obligaverit maritos (ut honeſte circuloquar) ad Venerem tardos allium comedere, ut excitentur. Quod fœdum & probroſum hic auctor jure pronunciat. Nec me-

melioris ſunt commatis quæ leguntur de *Palti* & *Paltiel* in *Gemara Sanhedrin*. Neque ignoravit hoc *B. Hieronymus* ſcribens ad *Algaziam*: *Quantæ traditiones Pharizæorum ſint, quas hodie vocant* δευτερώσεις, *& quam aniles fabulæ evolvere nequeo. Neque enim libri patitur magnitudo, & pleraque tam turpia ſunt ut erubeſcam dicere*. Unde ſimul intelligitur (quod alias probatur pluribus) jam iſthoc tempore traditiones in *Librum* congeſtas fuiſſe. Cui cum, τῷ δελτίῳ τῆς ὑποθέσεως, contradicit Doctiſſ. *Morinus* vocabulum *Libri* ad hanc ipſam *Epiſtolam*, quam ſcribebat *Hieronymus*, detorquens, ſuam mentem ſatis prodit; at eam ſanctiſſimi Patris manifeſte obſcurat, & corrumpit. De *Libro* enim *traditionum* agere patet evidentiſſime cum ex nexu, tum quod nomen δευτερώσεις cum hebr. משניות, *Miſnaiot*, prout titulus habet plane convenit; eodemque in Novella 146. quoque appellatur. Volumen fuit, & non *Oralis* tantum Doctrina, quia poterat *evolvi*; & qui tandem quæſo, niſi ex codice, in illarum nugarum, præ *Voluſi Annalibus* ſpurcarum, interiorem notitiam perveniſſet *Hieronymus*? dum bella hæc myſteria extraneos ſollicite quondam celabant; a quo more lucri cupidine, multis tribulium licet reclamantibus, hodie aliquantum Judæi receſſerunt. Longa quidem ſatis eſt epiſtola ad *Algaſiam* pro modulo epiſtolarum, ſed in comparatione libri nimis exigua, quam ut diceret ſe *evolvere non poſſe quod Libri non pateretur magnitudo*. Dic, poteratne ergo *Algaſia*? num ipſe ſuas literas voluit *evolvere Hieronymus*? An non videat vel cæcus id clare pertinere ad δευτερώσεις, & *aniles fabulas*, quæ immediate præceſſerunt? Tollamus eadem opera mendum in textu qui paulo poſt ſequitur, quod miror perſpicaciſſimos *Eraſmi* oculos, qui hanc meam editionem curavit, fugiſſe; ita excuſum eſt: *Si quando certis diebus traditiones ſuas exponunt diſcipulis ſuis, ſolent dicere:* οἱ σοφοὶ δευτερώσεις, *id eſt Sapientes docent Traditiones*. Legendum οἱ σοφοὶ δευτεροῦσι. Cum quia exprimit illud conſuetum: תנו חכמים *tradunt Sapientes*, tum quia σοφοὶ in maſculino genere cum fœm. δευτερώσεις neutiquam congruit. Denique, ut e diverticulo in viam, arguit *Schalmon*: Lex hæc ſi unquam fuerat, & ſcripto tradenda, Deus Opt. Max. illud a Moſe fieri etiam curaviſſet; quod ſi noluit ſcribi, ſed ore tantum propagari (ut dicunt) Rabbanitas violati Numnis eſſe manifeſto atque mendacii: qui ſine mandato ſuſtinuerint chartis committere, quod ore cuſtodiendum acceperant, &c. Verba ſunt: צור נתן שתי תורות כאמרתכם אחת בכתב ואחת בפיכם אם הוא כדבריכם נמצא שקר ומרדות במעשיכם קדוש נתן לכם תורת פה עדי תהיו אומרים אותה בפה כי בן היה בחכמת צור יפה למה תקקתם אותה בכתב מיופה רחום אם חפץ לכתבה אז כיר מושה היה כותבה ועתה הלא כי על פה להגות בה ולא תוחק בספר הצובה שנו דבריכם ומהגיון פה העתיקוה ובכתב הציבו שנו דבריהם והם התעיבו . . . . ומפיהם העידו כי על נפשם נפשם הכעיסו Ad eandem Dogmatum claſſem commode referentur quæ in *Talmude* de *Deo*, ejuſque Natura & operibus, indigna, quin immo blaſphema poſuerunt: que R. *Schalmon* exagitat non ſine cauſa. תועבת רבותיך אגלה אותם ואכתוב עתה מקצתם כי כלם מי יוכל להרותם *Nunc Rabbinorum Veſtrorum abominationes revelabo, ex parte tantum, nam quis potis eſſet omnia ſcribendo complecti?* mox recenſet quod dicant Talmudici, *Tres eſſe vigilias noctis & ſingulis Deum rugire ſicut Leonem*. Alibi *Rab Jitſchak tradere quod unaquaque noctis vigilia Deus ſedeat plorans propter captivitatem* (Judæorum) *dicens: Væ mihi Domum meam vaſtavi, exuſſi Palatium meum, filioſque per omnes late regiones abduxi. Tum R. Jochanan nomine R. Joſeph* docuiſſe, *unde probari poteſt Deum orare? ex eo quod invenimus* Jeſ. 56. 7. בבית תפלתי *in Domo orationis meæ*; non *in Domo orationis ipſorum; & quid precatur? ſit beneplacitum meum ut miſerationes meæ ſuperent iram meam, eamque remiſſiorem reddant*. Præterea ajunt, *Deum alligare Tephillin & Totaphot, nomenque Iſrael habere exaratum in Cidari, &c. Deum Benedictum ingredi Hortum Eden, cum comitibus ſuis, ut bibat, ſaltet & lautis epulis ſe exhilaret, &c.* Hinc progreditur ad futilia iſta quæ *R. Iſmael* garrit de *ſtatura* maxima Angeli *Metateron*, qui *ungulas* habeat *inſtar beſtiæ, quarum longitudo ad tres milliarium myriadas* protendatur, &c. Pluraque alia abſurda, quæ Chriſtiani Scriptores etiam, poſt ipſum, in lucem protraxerunt. Nobis hæc paulo diſtinctius ſunt ex *Karæorum* libris M.S.S. expoſita, ut Lector eruditus hæc conferre poſſet cum iis quæ Doctiſſimi homines *Morinus* & *Simonius* orbi literato de ſententia *Karæorum* circa *Talmud* & *Traditiones* voluerunt obtrudere. Ille ſcribens: *Sadducæis, Baithoſæis, Samaritanis eſſe commune dogma traditionum contemtum, quas tamen* KARÆI *magni faciunt, Miſnam & Talmud colunt, ſed iis auctoritatem* ſu-

supremam & divinam non arrogant. Hic in *Historia Critica*: præter *Rationem*, *Textum Scripturæ illudque quod vocamus Traditionem esse* DUO ALIA PRINCIPIA *quibus* (*Karæi*) *nituntur*. At quam *Talmud colant* & *Misnam* ex dictis ni fallor patefcit: dum ut הבל תועבת רבנים חרפה גדפה סכלות *Vanitatem*, *abominanda Rabbinorum*, *Ignominiam*, *Dei Blasphemiam*, *stultitiam*, &c. hic *R. Schalmon*, & alii aperte traducunt. Tam longe abest eos *niti Traditione*, ut *alio a Textu Scripturæ & Ratione principio* fidei, ut contra non aliud se admittere proclament, nisi S. Scripturam, & consegnentias ex ea legitime deductas. Præter ante memorata, explicet nobis *R. Caleb* M. S. verbis *R. Tobiæ*, quem hanc in rem quoque adducit: ואמר רבי טוביה העובר שכל העתקה שאנו מודים בה יש לה רמז מן הכתוב ואם יאמר אמר שהעקה פלנית אין לה סיוע מן הכתוב אין זה אלא מקצרון יד שכלו ברמז ההוא ואין בקבלתנו דבר שאין להרמז מן הכתוב והכתוב פירושו לא שהוא פירוש לכתוב כל שכן להיות הקבלה ההיא הפכית או סותרת לענין הכתוב בתורה כמו שכן הענין הקבלה שהודו בה אחינו הרבנים' ולכן נחשרה קבלתם בעיני משכילנו' עם שיש לה עוד דברים רבים וענינים לא יכילם לב המשכיל וכבר הזכירום החכמים עה' בספריהם ולכן לא הורו בה כי היא רת חרשא מקרוב באה לא שערוה אבותינו הראשונים... ער שקמו אנשים אחרים ופירשו התורה על פי קבלתם שהודו בה ושבדו מלבם... ער שנכשלו רבים בזאת התחבולה ונוקשו ונלכדו בה רבים מהבאים אחריהם... *Dixit R. Tobiah Obed* (aut *serviens*) *omnis custitutio quam nos recipimus insinuatur in Lege. Et si aliquis forte dicat hæc aut illa constitutio* (*tua*) *caret præsidio in Lege; in causa est ipsius imperitia. Etenim non est Kabbalæ* (id est Doctrinæ) *nostræ pars, nulla excepta, quæ non implicite contineatur in Scriptura; sic ut Scriptura eam exponat, non illa* (Kabbala oralis) *exponere debeat Scripturam, quanto minus ut sensum S. S. Literarum pervertat aut confutet? Quemadmodum hoc modo se res habet cum Kabbala cui credunt fratres nostri Rabbanitæ, quamobrem merito Doctoribus nostris fuit suspecta. Quomagis plurimæ in ea & res sunt, & argumenta, quæ judicium sanum & intelligens haud poterit ferre. Quorum jam dudum Sapientes nostri p. m. in suis libris mentionem fecerunt. Ideo quoque* (profitentes) *se eam non probare, quoniam Lex nova est, atque in propinquo orta, quam primi Patres nostri ne per conjecturam quidem noverunt . . . . Usque dum surrexerunt Novi homiaes qui instituerunt Scripturam explicare secundum Kabbalam suam, quam ex ingenio suo confictam profitebantur. Donec per hanc corruptionem multi offenderunt, magnaque eos sequentium turba capta est, & illaqueata*. Pergit: Cum viderent, quotquot Deum timentes, tam ingens offendiculum poni in Israele, alteram Legem! & eadem facilitate posse aliquando alias & alias noviter superinduci, separationem ab iis fecisse, secundum Dei mandatum, ut Legem sensu simplici interpretarentur, neque ex ingenio: ער שיהיו אור השכל ופירוש התורה על פי הכונה האלהית nisi *quousque lux Rationis, & explicatio Legis cum scopo Dei* (loquentis) *conveniunt*. Hæc equidem, quæque plura præcesserunt, tam difficulter cum dictis Clariss. *Morini* & *Simonii* conciliare queam, quam facile est conjicere cui scenæ hæc serviat assertio, illi qui modo Critices perlegerit præfationem. Adeoque immerito mihi videtur hic *Seldenus* ὁ πάνυ a Critico notari, ac si minus recte scripserit, *Karæos hæreditaria avitarum explicationum transmissione uti* quidem, sed *non Traditionum*, *qua traditionum*, hoc est. quæ *sola tradentium auctoritate niterentur*, non probatione scripturaria, quasque ad S. Scripturæ normam & sensum examinare, rejicere, aut corrigere non liceret, cui unice vim obligandi deferunt Karaitæ. Ast merito forte habebuntur instabiles isti, & αὐτοκατάκριτοι qui hic scribunt Karæos Talmud & Misnam colere, Traditiones ut distinctum a S. S. Literis credendi principium admittere, &c. & alibi tamen ubi ingenue agunt, atque inter suos, contrarium rotunde coguntur fateri. Audite *Joh. Morinum*, in Literis ad illustrem Virum *Petrum a Valle*: *Talmudistæ Samaritanos, quos Butæos* (Cutæos opinor) *vocant*, τοῖς קראים *adnumerant; hoc est, Hæreticis quibusdam* QUI TRADITIONES NULLAS ADMITTUNT. *Aridæque literæ mordicus adhærent*. Idem confirmat in suo responso nobilissimus *de la Valle*, qui plures eorum in suis peregrinationibus vidit, *Seldenumque* planissime tuetur. *Contra* οἱ *Quarraim* . . . *literalem tantum sensum observant, nulla admissa interpretatione, neque traditione Majorum*. Differunt quoque in modo & ordine legendi פרשיות & *Sectiones Legis*, cum *Haphtarot* Sabbathis in Synagoga: eumque in finem תקון *peculiarem dispositionem* quo tempore quidque prælegendum, a Rabbanitis discrepantem, sequuntur. Qui passim extat inter M. S. S. hoc initio: זה ענין תקון הקראים אשר תיקנו

אותו

אותו חכמי ישראל הראשונים אשר קמו אחרי הנביאים ותיקנו זה בעבור להיות יודעים איך יקראו התורה על השנה פשוטה ועל השנה המעוברת וגו׳ *Hæc ordinis ratio est Karæorum, quem ordinarunt primi Sapientes Israelis qui surrexerunt post Prophetas, eo fine ut notum foret quonam modo Legem prælegerent cum simplici anno, tum intercalari, &c.* Speciatim dicunt hunc morem fuisse observatum *a* ר׳ גנאי בריך ראש בית דינו של עזרא כוהן גדול *R. Gannai Benedicto, qui caput fuit Senatus Ezræ summi Sacerdotis*. Ad quam formam R. *Anan* Princeps & alii rursus lectiones revocaverint. Tanti non est hæc singulatim exponere; id modo notamus, majorem Karæos curam & judicium adhibuisse quo lectionum ordo sic disponeretur ut suo tempori, & loco, materies melius quadraret; eandem Paraſcham si opus sit quidem duobus Sabbathis repetentes, aut geminantes duas, si sic argumentum sequentis *Paraschæ* suo diei rectius congruet. Finiunt mense *Tisri* Legis lectionem Sabbatho, & sequenti demum Sabbatho rursus incipiunt. Dum inani δεισιδαιμονίᾳ Rabbanitæ eodem die quo desinunt, iterum redauspicentur: ut ansam calumniæ diabolo præcidant: quasi *absolvissent Legem quidem, sed nollent amplius legere*. Si quis, quomodo sese hic gerant, specimen velit, de fine & principio illorum *Tikkoun* audiamus: ubi dixisset aliquos Sapientes absolvere Legem die octavo *Azeret* Festi Tabernaculorum, subdit: אבל יותר טוב ונכון שיתחילו בשבת וכן ישלימו בשבת כתיקון כל המשכילים והלמדים יפול המועד שמיני עצרת בשבת משלימין בו בשבת ובשבת אחרת מתחילים התורה שהוא יום עשרים ותשעה לחודש תשרי ובשבת שרוצים להתחיל התורה כשישלימו התפלה יושבים הקהל כמנהג וכתיקון ומשימין לפניהם תורות חומשים ומתחיל הרב והנבבד שבקהל ברכת תורה ומתחיל ואומר זכרו תורת מושה או יוי׳ חפץ כמנהג ואחר כן אומר אישור על התורה בנינון ובטעם ... ומננים ננון גדול חצי הפסוק אומר המתחיל וחציו הקהל ועוד משנה הפסוק המתחיל ומשלים אותו וקוראים כל הקהל כל הפרשה וכול *At melius longe est & convenientius ut initium Sabbatho fiat, & finis, secundum constitutionem Sapientum & Doctorum. Quod si festum octavi* (diei) *Azeret in Sabbathum forte inciderit, tunc isto Sabbato absolvunt: alteroque* (sequenti) *Sabbatho rursus inchoant Legem, qui dies xxix. Mensis Tisri. Eo autem Sabbatho quo visum est Legem incipere, peractis precibus, tota sedet congregatio more recepto secundum constitutionem, & ponunt ante se Leges* πεντατεύχους. *Quique in eo cœtu est Doctor, & maxime hororatus incipiens, præmissa Benedictione Legis, dicit:* Mementote Legis Mosis (Mal. 4. 4.) *vel* Dominus sibi beneplacet, &c. *prout obtinet consuetudo. Postea recitat* ischour (Beatitudinem) *super Lege, modulamine suo & accentibus* (adduntur quædam preces) *ac tunc cantillant cantu maximo; dimidium commatis inceptor, aliud dimidium congregatio. Deinde repetit versum inceptor, idemque eum absolvit. Totusque cœtus Paraſcham perlegit, &c.* reliqua omittimus. Hæc sufficiunt ut possit curiosus Lector cum Rabbanitarum more conferre; Et si hæc revera tam essent antiqua, quam præ se ferunt, hoc est, a *R. Gannai* Præside Senatus sub Ezræ tempus instituta, quod nos haud præstamus, isthinc nonnulla Judaici ritus illustrare. De quibus in Ritualium & *Festorum* negotio præprimis contenderent, antea jam est a nobis occupatum, quum actum est de Sectæ hujus antiquitate quæ illinc valide adstruebatur. At quia tunc parum, aut nihil, de *Festo Azymorum*, cum Pascate conjuncto, diximus id jam verbo agamus: ubi denuo, manifesto vetustatis indicio, inveniemus eos cum *Domo Hillelis* disputantes. *R. Aaron, Ben Eliahu* M. S. his verbis סדר חד השבועות Tractationem *Festi Azymorum* incipit: יש לדעת כי החלקה רבתה בין במ׳ ובין בה׳ *Sciendum est hic magnum esse dissensum inter Scripturæ asseclas & Discipulos Hillelis*, In quatuor capitibus modo videamus. 1. Disputabant quis dies foret מחרת השבת Lev. 23. 10. 11. quo offerendus *Manipulus*. An postridie Festi, primi diei Azymorum, en postridie Sabbathi Hebdomadarii, de quo non opus ut aliquid dictis addamus; consuli possunt Clarissimi Viri Ligtfootus & Meyerus. 2. De *Operibus* quæ sin licita vel illicita in Festo Azymorum. E. C. *Depsere Domus Hillel* hoc tempore permittebat, quibus non ita consentiebant Karæi; distinguentes simul inter vocabula שבת *Sabbathum* & שבתון Lev. 23. 39. hoc insigniri ait *R. Aaron* M. S. קצת המועדים שיש בהם התר מעשה אוכל *ex parte Festa in quibus opera quæ ad esum pertinent conceduntur*, quod dubites an satis solidum sit si conferas vers. 32. 3. Quousque sit exterminandum *Fermentum?* Verba mandati *Exod.* 13. 7. ולא יראה לך המץ ולא יראה לך שאור בכל נבולך *non conspicietur apud Te* (*sibi*) *fermentatum; neque videbitur apud te fermentum in cunctis limitibus tuis*, sic aliquando *Hillelis discipuli* eludebant, ut vexantes voculam לך *apud Te*,

crederent satisfactum officio si fermentatum ex domo sua, & potestate, translatum Gentili venderent, aut mutuo darent; tantumdem post septem dies recepturi, אומרים שיבטלנו מלבו *dicentes quod aboleant affectu* aut *corde suo*. Quem fucum & vafritiem merito exagitant Karæi, quoniam Deus perdendum & comburendum sancivit. 4. Quartum est de *Desti duratione Exod.* 12.15. & 13. 6.7. &c. Jubentur comedere Hebræi infermentatos panes *per septem dies*; at *Deut.* 16. 8. invenitur: *sex diebus comedes Azyma, &c.* Quid hic Rabbanitæ? ex relatione R. R. Eliahu in Adderet בעלי הקבלה אומרים שהוא רשות ולא חובה מפני שהכתוב אחד אומר שבעת ימים תאכל מצות וכתוב אחר אומר ששת ימים תאכל מצות וביום השביעי עצרת לי' אליך ודרשו מזה ואמרו כי אחר שהכתוב חייבו בשבעה ואחר כן חייבו בששה לכך ויצא השביעי מכלל וגו': *Doctores Kabbalæ ajunt* hic homini *relictam libertatem; & non (ad septem dies) esse obligatum; propterea quod Textus unus dicit* septem dies comedes Azyma, *at sequens* sex dies comedes Azyma, & die septimo erit collecta Domino Deo tuo. *Hinc ita colligentes dicunt, cum prior Scriptura obstrinxerit ad septem, posterior solum obligat ad sex, & septimus ab illa regula eximitur.* At hisce saniores *Karaitæ* recte contendunt, cum ex aliis locis, tum Conjunctione ו *septimum* eodem censu comprehendi; ideoque tantum distingui quod officii & sanctitatis adhuc aliquid præ reliquis superaddatur. *Sabbathi* utrique, tam Karæi quam Rabbanitæ, sunt rigidi observatores: sed tamen apud hosce affectatio major & παρατήρησις, apud istos plus ingenuæ simplicitatis. Præcipua adeo quæ hic inter eos viget controversia est, quod quæ in Scripturis Sabbatho prohiberi videntur, Karæi nude & simpliciter accipiunt; Alii exceptiunculis suis & traditionum prætextu non raro elevant, aut, quod Christus ait, ἀκυροῦσι. V. gr. disputantes inveni de *Opere* quousque debeat processisse antequam Sabbathi violationem inferat? *R. Eliahu* כל העושה חלק מחלקי מלאכה אחת יקרא עושה מלאכה הפך דעת בעלי הקבלה שאמרו שאם לא השלים לא יקרא עושה מלאכה *Quicunque partem faciet alicujus operis* (vetiti) *censetur ac si opus fecisset, contra sententiam Doctorum Kabbalæ, docentium eum talem haud appellandum nisi opus compleverit totum.* De *Personis* quarum ministerio liceat uti: Traditionarii tenent, si in Civitate ubi Gentiles, aut alius Religionis homines, una habitant cum Judæis, si hi aliquod opus Sabbatho peragant in proprios usus, permissum esse Hebræo isthoc uti & frui ipso Sabbatho; contra Karæi apud *R. Eliahu* אמרו שכל מה שיאסר לישראל בשבת אסור לישראל ליהנות ממנו בשבת אפילו אם עשהו גוי *Statuunt quod quicquid vetitum est Israelitæ agere in Sabbatho, interdictum est illi ex eo utilitatem quoque capere in Sabbatho, etiamsi actum sit ab extraneo.* Potissimum vero contendunt de quibusdam *rebus* quæ, & quousque prohibitæ aut permissæ paulo ante parare, ut Sabbatho inserviant. De duobus tantum monebo quæ non modo acerbissimæ litis *Rabbanitas* inter & *Karæos* vetus fuere suscitabulum, verum etiam ipsorum Karæorum secum invicem sententias & praxin commiserunt. Extat mandatum in Lege, Exod. 35. 3. לא תבערו אש בכל מושבותיכם ביום השבת *Non accendetis ignem in omnibus habitaculis vestris die Sabbathi.* Dignum argumentum in quo se non exerceat, sed fatiget, Judaica cum superstitio tum subtilitas: tam acriter multisque seculis de hujus præcepti mente contenderunt. *R. Eliahu* in celeberrimo libro *Adderet* hoc Textu laudato ait: חכמי ישראל נחלקו לשתי תורות גדולות התורה האחת הם בעלי הקבלה אשר אמרו שהמבעיר והמכבה אחת מארבעים אבות מלאכות פחות אחת ופרשת פסוק שהטעם חבור האש בפתילה ביום השבת עצמו ואמרו כי אם יבעיר ישראל האש או הנר ביום ששי וימצא בשבת בוער אינו באסור ובכלל התירו כל המעשים נולדים בלי חבור המתחיל שנעשים מאליהם כגון לפתוח התעלה מיום ששי להשקות הגן בשבת ולאסור הריחים לטחון בשבת ולהעניל הזיתים מיום ששי להיותם זבים בשבת ולהדליק הנר מיום ששי שיהיה דולק בשבת כל אלה והדומים להם אשר יקראו מעשים נולדים בלי חבור המתחיל לכך בנגיעה אחת כפי החכמים. והתורה השנית הם חכמי הקראים אשר אסרו כל המעשים הנולדים בשבת ואמרו שהמעשים הנולדים בכלל לא תעשה כל מלאכה על דרך מעבר' *Sapientes Israelis hic discedunt in duas magnas Sententias (confessiones.) Una est Doctorum Kabbalæ, dicentium quod si quis* accendat *aut* extinguat *sit una ex* Matricibus operum *quadragiata minus una* (agnosce eandem loquendi rationem Judaicam 2. Cor. 11. 24.) atque *Versum* (citatum) *hoc sensu exponunt: quod vetetur tantum flammæ immissio in elychnium ipso die Sabbathi. Censentque si Israelita ignem accendat vel lucernam sexto die, ita ut reperiatur adhuc ardens die Sabbathi haud esse interdictum .... Et generatim permittunt omnia opera quæ effectum sortiuntur sine præsenti concursu (conjunctione) in-*

ceptoris, etsi illis causam præbuerit. V. gr. aperire aquæ-ductum dum adhuc dies sextus est ut hortum irriget Sabbatho. Alligare molas ut molere possint Sabbatho. Premere olivas cum adhuc dies sextus ut destillent in Sabbatho, & plane eodem modo allucere lampada die sexto, ut ardeat Sabbatho. Hæc omnia & his similia vocantur ipsis ex ore Sapientum, Opera producta sine præsenti concursu inceptoris, *qui tetigit impulitve unica tantum vice.* (die licito) *Secunda vero Sententia est Doctorum Karæorum qui vetant, omnia opera Sabbatho in effectum deducenda. Judicantque omnia acta quæ sic producuntur in genere* præceptorum negativorum *esse reputanda* opera *per modum transitus* (aut Residui.) Arguunt præterea Karaitæ, si nihil aliud verbis illis (Exod. 35. 3.) innueretur illud jam satis interdictum fuisse generali Lege *de nullo opere faciendo*; verum ideo Deum hoc speciatim cavisse, ne quum lampades solerent accendi in usum Sanctuarii, illa res a privatis traheretur in exemplum. Quid hic proprie juris fuerit & quæ mens Legislatoris Doctis lectoribus integra permittens arbitria, hoc scio, sive jam obsequio sive superstitione, apud multos Judæorum antiquitus eum rigorem fuisse observatum ut focus Sabbatho non luceret. Ita quidem Alexandrini interpretes, vulgo LXX. sub *Ptolomæo* videntur accepisse dum transferunt: Οὐ *καύσεται πῦρ ἐν πάσῃ τῇ κατοικίᾳ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων. Non ardebit ignis, &c.* Et hinc explicandus est omnino *Rutilius* scribens in suo itinerario de gente Judaica:

> *Radix stultitiæ cui* frigida Sabbatha *cordi*,
> *Et cor frigidius Religione sua est.*

Cujus epitheti causa Doctissimis viris vel in ignavia Sabbathinæ quietis, vel in cessatione persequendarum litium paulo longius quæsita, hinc proxime repetenda fuit, quod Judæi Religiosiores ignem Sabbathis haud nutrirent, ipsique brumæ tempore cum foco suo frigerent. Talis erat ille *Judæus conductor*, qui insuper *aquam* a *Rutilio* & comitibus *libatam*, *grandia* clamabat sibi *damma* inferre, quoniam sic integer liquor a Gentilibus polluebatur. Interim necessitas omnibus ratiociniis potentior eo *Karæorum* aliquos adegit, ut lucernæ saltem usum, ne longa nocte & tædiosissimis tenebris candidissimo sacroque die damnati torperent, in quibusdam regionibus postmodum admiserint. Hinc dissensus in hunc usque diem, & diversa observatio viget inter Karæorum Synagogas Ægypti, Damasci, Terræ sanctæ &c. Et Lithuaniæ, Poloniæ &c. quarum illæ damnant accensionem lucernæ in usum Sabbathinum etiam pridie; quam ad septentrionalem plagam vergentes admittunt, secuti *R. Jehosuah*, aliosque mitiores Doctores. Et sane quemadmodum inanis & scrupulosa fuit in Karæis istis anxietas, tantum laborare ut vetitus Lege appareret *Lucernæ usus*, qui non modo innocens, sed meditationi Scripturarum pietatisque officiis admodum utilis & necessarius multis locis temporibusque intelligitur, præsertim quum taceat Scriptura; Ita ab altera parte vana superstitione & superbia Rabbanitæ inciderunt in *ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς*, non modo libertatem tuentes quod facile poterant; sed jam, quod nuspiam extat, adhibendæ lucernæ mandatum urgentes ac summam necessitatem: dum lucernam accendens præfari debet: ב' א' י' א' מה' אשר קדשנו במצותיו וצונו להליק נר של שבת *Benedictus tu Domine Deus noster rex mundi, qui nos præceptis tuis sanctificasti, & Lucernas Sabbathinas jussisti accendere.* Sic amant in alia, quantum possunt, atque extrema fere ire factiones.

> *Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.*

Pariter ut in negotio conjugalis *συνουσίας*, interdicunt ista Sabbatho *Karæi*. *R. Eliahu* in *Adderet*, & liber *Chillouk* M. S. in fine; uterque adfert aliam, & quidem analogicam, rationem: prior quia *Sanctificandum* est *Sabbathum*; atque ad *Sanctificationem* etiam facere hanc abstinentiam, declarante ipso Mose, Ex. 19. 10. 11. coll. 15. *Chillouk* minus probabiliter: ואמרו כי העבד משרת ביום וזה עבדך ביום עבדך בלילה והוא שכב עם אשתו ויולידה והילדים יהיו לארוניו ככתוב האשה וילדיה תהיה לארוניה ועל זה יהיה אסור כי הוא עבודה E contrario, adhortatione & promissis amplissimis maritos, præsertim Sapientum discipulos, ad amplexus ea nocte invitant Rabbanitæ. At quanto satius fuerat hæc aut omittere, aut mittere Eleusin? nec hujusmodi impuris determinationibus sanctissimæ Legis castissimas ceremonias fœdare. Alius locus est qui crucem figit expositoribus *Karæis*, Exod. 16. 29. על כן הוא נותן לכם ביום הששי לחם יומים שבו איש תחתיו אל יצא איש ממקומו ביום השביעי *Propterea dat vobis die sexto panem duorum dierum, manete quisque apud se, neque egrediatur quisquam e loco suo die septimo.* Quem literaliter haud capiendum docent, quia motus homini na-

naturalis, ad multa naturæ & pietatis officia necessarius, præsertim adeundum locum Sacrorum, &c. Unde quidam Hebr. תחת hic definiunt cujusque *domum* aut *tentorium*. Et מקום de *urbe* aut *castris*. Alii aliter se expediunt apud R. *Eliahu* qui plures adducit; Etiam ipsum R. *Anan* Sectæ instauratorem, qui incessum admiserit Sabbatho ad duo millia cubitorum; ut de termino itineris Sabbathici paria fere cum Rabbanitis faciant, nisi quod itionem magis ad loca, vel exercitia sanctitatis restringere videantur. *Sabbathi originem*, quos ego vidi, *Karæi* repetunt ab institutione & temporibus Mosis. Dumque aliquando mota inter eos fuit difficultas num Sabbatho circumcidere liceret, quod in eo multa opera concurrerent? conclusum est licere, inter alias hac ratione, teste R. *Eliahu* in *Adderet*: ואומרים שהיא מצוה ראשונה מזמן אברהם אבינו ע״ה קודם נתינת מצות השבת ולכן היו מלים בשבת וכשבאה מצות שבת אחרי כן אי אפשר שבאה לבטל המילה ביום השבת . . . ולזאת הסבה בעצמה התירו גם זבח הפסח לעשות בשבת מפני שהיא מצות קודמת ממצות השבת וכו׳ *Dicebant quod* (Circumcisio) *esset antiquius mandatum jam a tempore Abrahami Patris nostri p. m. dudum ante datum præceptum de Sabbatho*, *ideoque* libere *eo die circumcidunt*. *Quoniam cum Sabbathi præceptum postea demum supervenerit, fieri non potest datum esse illo fine ut circumcisionem* (octavo die, etsi sit) *in Sabbatho aboleret . . . Et hac ipsa eademque de causa concesserunt quoque Sacrificium Paschale peragi in Sabbatho; quia & hoc præceptum est quod Sabbathi institutionem antevertit*. Gemina plane diversis verbis, sensu eodem, inveni in libro M. S. quantivis pretii R. *Aaron filii Eliæ*, post nobilissimum librum *Adderet* summæ doctrinæ & auctoritatis, quem cum paucis tanquam pretiosissima λείψανα Bibliothecæ Golianæ mihi comparavi. Admonet tamen una R. *Anan* illustrem illum, & *R. Joseph Kirchefeni* maluisse circumcisionem administrari in fine Sabbathi, ut sanandi cura & labor incideret in diem profestum. At contra de *Rabbanitis* ait: ב״ה חייבו המילה בשבת מפני שמצות עשה והשבת מצות לא תעשה ועשה דוחה את לא תעשה וגו׳ *Domus Hillel potius obstringebat homines ad Circumcisionem in Sabbatho; quandoquidem hoc præceptum affirmativum est, & Sabbathi illud Negativum. Affirmativum vero pellit negativum, &c.* Hinc habemus quo jure & confidentia istis Servator oggerere potuerit Joh. 7. 22. *Vos circumcidítis hominem in Sabbatho*. Quamque firmo talo nitatur ejus conclusio vers. 23. Εἰ περιτομὴν λαμβάνει ἄνθρωπος ἐν σαββάτῳ, ἵνα μὴ λυθῇ ὁ νόμος Μωσέως; ἐμοὶ χολᾶτε ὅτι ὅλον ἄνθρωπον ὑγιῆ ἐποίησα ἐν σαββάτῳ; præcipue si regula non modo observetur utriusque Sectæ communis: סכנת נפש דוחה את השבת *discrimen vitæ Sabbathum jubet postponi*, sed etiam admittatur pulcherrima distinctio, quam tradunt *Karæi* apud eundem *R. Aaron* M. S. inter *opera Dei*, & *nostra*. Ideoque tam emphatice Legislatorem dixisse Exod. 20. 9. *Sex diebus facies* כל מלאכתך *Omne* OPUS TUUM. להורות כי מלאכתנו אסורה ומלאכת שמיה הוא בהתר *ut doceat quodcunque opus nostrum* (vitio semper, aut labore marcidum) *vetari; Cœli vero opus cummaxime licere*. Et quid est *Cœli opus*? ἀγαθοποιῆσαι. *Decet itaque Sabbatho benefacere*, & *hominem incolumem præstare*. Sic ἡ πίστις ἔργον τοῦ Θεοῦ. Sed quo me non abriperet benigna materiæ ubertas? Progrediendum est ad quædam *Vitæ civilis* ac *Legis Forensis* specimina. Ubi merito primæ debentur quæstioni, perplexæ non minus quam magni momenti, quousque se, ex Legis Mosaicæ mente, extendat graduum cum sanguinis tum affinitatis matrimonio jungendorum interdictum? Ad minutias usque ac περιεργίαν hic scrupulosi sunt & omnia contulerunt, examinarunt, excusserunt *Karæi*, ubi plus semel illorum, cum labore ac studio, ἀγχίνοιαν subiit mirari; quam sagaciter omnia quæ ad istam causam faciunt indagent, aut odorentur. Integros de hoc argumento scripserunt tractatus, quos compilare harum non est angustiarum. Vulgatiores modo canones Karæorum, & notabilia quædam disputationum cum Rabbinis capita memorasse, Lectorum curiositati atque instituto faciet satis. Primo disquiritur generatim an illi gradus recensiti Lev. 18. sint tam stricte accipiendi, ut nihil ultra ex mente Dei hic Israelitis prohibitum fuerit nisi quod totidem syllabis ibi legitur expressum; an vero in harum Legum expositione & observantia Analogiæ & argumentationi a simili, vel a minori ad majus, &c. sit locus? Prius Traditionariis placet, posterius Karæis videtur, *mutatis* velut *clypeis*: dum qui solent ex divinis præceptis plura extundere quam quidem in iis est, hic intra τὸ ῥητὸν amant consistere; quique literæ magis adhærebant, obligationem hic late extendunt. חכמי ישראל בעניין העריות נחלקו למתי תורות גדולות התורה האחרת הם בעלי הקבלה

שאמרו

שאמרו שאין הקש בעריות אמנם דרכו על הכתוב לבד . . . התורה השנית הם חכמי הקראים שקיימו ההקש בעריות ואמרו שהכתוב הוריענו הערת ההקש בענין העריות בכמה מקומות *Doctores Israelis in causa incestus* (aut vetitorum graduum) *dispescuntur in duas admodum contrarias opiniones. Una est eorum qui stant pro Traditionibus, & tenent quod non admittenda sit sequela vel argumentatio in negotio incestus; ideoque incedunt unice secundum id quod scriptum habetur. Altera opinio est Sapientum inter Karæos, qui argumentationes in casibus incestus propugnant, asserentes sacram Scripturam nobis indicare per consequentiam aliquid pro vetito gradu habendum pluribus in locis.* Fundamenta quibus utraque se tuetur sententia, prout R. *Eliabu* Karæus exhibet, reducam in compendium ne excrescat nimis commentatio. Ajunt Traditionarii si Deus voluisset locum relinquere syllogismis & comparationi, postquam vers. 12. vetuerat *revelare nuditatem amitæ*, superfluum erat vers. 13. meminisse *nuditatis materteræ*; & ita vers. 9. post *filiam Patris*, *Matris* quoque *filiam* interdicere, quandoquidem hæc ex *Analogia* facillime tum colligerentur. Contra respondent *Karæi*. 1. Si jam in omnibus clare nequeant exponere, propter curtam scientiæ supellectilem, cur aliis tacitis hæc tam diserte voluerit exprimere Legislator, in quibusdam tamen id satis intelligi. Præceptum Sabbathi quidem terdecies repeti, cujus repetitionis ratio nihilominus non adeo sit in propatulo. Et quid ni dicamus pauca hæc expressa esse speciminis loco, ut exempla Moses præberet quomodo in similibus esset procedendum? 2. Hanc esse Legis naturam & constitutionem ut sequelas, modo proximas & evidentes, in sua expositione non recuset, constanti ipsorum Rabbinorum exemplo: dicente R. *Eliabu* הנה בבטול ההקש במאמרים הנבויים תפול כל התורה בכללה והנה ר' אברהם בן עזרא ור' משה המימון זכרו לברכה כל מה שדברו בטעמי המצות וטעם ספורי עניני תורתנו הכל מיוסד מהקש מצות אחרות שנתבאר בתורה סבותיהן וטעמיהן *Si quis collationem illationemque excludat in dictis Propheticis, ecce tibi, necesse est ut tota Lex concidat. Quamobrem quicquid R. Aben Ezra, atque R. Moses Maimonides benedictæ memoriæ commentati sunt de sententia præceptorum, & ratione enarrationum sensuum nostræ Legis, id totum fundamentum habet suum in comparatione aliorum mandatorum, quorum causæ & rationes in Lege explicatius traduntur.* Consequens est, iniquum videri quæ exponendi methodus per universam Legem regnat, velle eam hoc capite Lev. 18. exulare. 3. Quoniam res ipsa docet multa esse in vetitis habenda quæ tamen nominatim non recensentur hoc loco, sed per argumentationem eliciuntur. Quorum quædam exhibent indicia: הא' שהכתוב לא הזכיר אסור הבת וידענו זה מהקש קל וחומר אחרי שאסר בת הבת כל שכן ברת עצמה (א') *Scriptura non meminit interdictam esse filiam; quia id satis intelligitur* argumento a minori ad majus, *postquam filiæ filiam vetuit duci* vers. 10. &c. .ב. שהכתוב אמר ערות אחי אביך לא תגלה ומהקש גזרה שוה ידענו אסור אחי האם ואחר גם כן אסר אחות האם והרית מקום להקיש בעריות (ב) *Ait Scriptura: Nuditatem fratris patris tui non revelabis* Lev. 18. 14. *inde concluditur* argumento a pari, *Fratrem Matris eadem ratione vetari. Modo iterum interdicit* sorore Matris vers. 13. & *ita relinquit nobis* hic *locum concludendi* similiter de *vetitis* ejusdem generis. .ג. מדרך השכל שהאסור על חברו מפני עלה בשתחיה העלה ההיא בעצמה במקום אחר ראוי להיותו באסור להקיש מהכתוב אל הבלתי כתוב שמשפט אחד להם מפני שנתנה התורה לחכם להבין דבר מתוך דבר (ג) *Ex* dictamine sani judicii *habetur: quod uni vetitum est propter causam, quæ eadem obtinet in alio, esse consentaneum ut hoc isti pariter sit interdictum; & de eo quod scriptum est colligi debere, quod alibi non diserte scriptum reperitur, ex parili jure. Data quippe Lex est intelligenti, qui potest unum ex alio elicere.* Hoc volunt quod Jurisconsulti: Ubi eadem est ratio, illic idem jus merito obtinere. (ד) Retorquent exemplum *Rabbanitarum*, qui prohibent fœminas XIX. diversi gradus, & conditionis, quas omnes *R. Eliabu* enumerat: אף על פי שאמרו שאינו לא מן הכתוב אלא מדברי הסופרים *etiamsi dicant hoc non esse ex Scriptura, sed verbis Scribarum.* Et sane R. Aben Ezra, cogitur ipse fateri hic ultra literam progrediendum, quod in textu non *interdicatur uxor Avunculi*, sed *Patrui uxor* tantum vers. 14. quarum tamen par est conditio. Exinde conatus inferre *Kabbalæ* necessitatem: והנה מה יעשו הסומכים במצוות על התורה לבדה כי לא אסר הכתוב אשת אחי האם ולא אם האב ולא אם האם על כן אנחנו צריכין לקבלה *Et vide, quid hic facient qui in præceptis sola Lege nituntur? Neque enim Scriptura* (diserte) *vetat* ducere *uxorem fratris materni; nec Matrem sive Patris, sive Matris; ideoque indigemus Traditione*, quæ hunc suppleat defectum. Ad

quod *Aben Ezræ* dictum utile fuerit tria verbo admonuisse: primum est, eum, *R. Schelomo*, aliosque recentiores *Rabbanitarum* Doctores, & Interpretes isthæc interdicta latius extendere quam habet τὸ ῥητὸν, adeoque cum supra p. 135. fin. & 136. init. *R. Eliahu* affirmat *Traditionarios hic unice secundum illud quod scriptum est incedere;* videri id strictius aliquanto de *Domo Hillelis*, quacum sæpius disputant, aut orientalibus Rabbinis, ubi auctor noster vixit, intelligendum. A quibus hi in diversum abierint; ut sæpe pro locis, & tempore, in quibusdam variat Doctorum opinio; manente tamen utrobique hoc discrimine, quod ejusmodi prohibenda *Rabbini* ab auctoritate *Mosis*, per Kabbalam; *Karæi* ex S. *Scripturæ* dictatis per legitima *sequelam* arcessant. Quare secundo, ignorat vel dissimulat adversariorum suorum sententiam *Aben Ezra*, quando iis imputat ac si *Lege niterentur* eousque, ut nihil tenerent nisi quod Scriptura totidem verbis tradit. Cujus contrarium antea patuit. Tertio denique nullius ponderis esse argumentum quod hinc cudito pro Kabbala; quia ex Analogia Scripturæ, & justa consecutione hoc satis firmatur interdictum, vel ipso judice: ויתכן שלא הזכיר אשת אחי האם כי נלמוד מאשת אחי האב, *Et recte se habet quod mentionem uxoris avunculi hic omiserit, nam datur hoc intelligere* ex eo quod legitur *de uxore Patrui*. Cur igitur necesse est hic Kabbalæ opem implorare? At vero si ad omnia quæ singulis fere incisis disputantur excurrerem, finis non esset, & in proximo tædium. Alius hæc sunt instituti. Octo Canones aut *Vias* solum producam unde vetitos gradus repetere solent, aut æstimare Karæi, ex quibus facile Lectoris sagacitas de reliquis judicium feret. Ita R. *Eliahu*, juxta mentem antiquioris Magistri, שהזכירם החכם ר׳ שלומה הנשיא *qui eos commemorat*, *R. Schelomo Principis* Captivitatis: הדרך הראשון יקרא הקש הערך והוא הנקרא בפי החכמים גזרה שוה כמו שאסר הכתוב אחי האב באמרו ערות אחי אביך והקשנו בזה בשווי הערך ואסרנו גם אנחנו אחי האם: *Prima est Via Argumentum a* Comparatione. *Quod in ore Sapientum sonat paritas judicii, vel rationis: Quemadmodum quando Scriptura interdicit Patris fratre* (*Lev.* 18. 14.) *dicendo*: turpitudinem Fratris Patris tui (non revelabis) *inde nectimus argumentum a comparatione similium, & nos interdicimus quoque fratre Matris*. הדרך השני יקרא הקש קל וחומר כמו שאסר הכתוב בת הבת ומקל וחומר אסרנו הבת וגו׳ *Secunda via est Argumentum* a minori ad majus: *Sicuti cum probibet Scriptura filiæ filiam* (vers. 10.) *hæc ratione magis ipsam filiam prohibemus*. הדרך השלישי הקש מעלה כתובה כמו ערות אשה ובתה לא תגלה את בת בנה ואת בת בתה לא תקח לגלות ערותה שארה הנה זמה היא והודיע הכתוב עלת האסור שהוא מחוך שאר באמרו שארה הנה זמה היא והנה העלה בזה הפסוק כתובה *Tertia via est, argumentum* ex causa *quæ legitur* expressa. *Ex gr. Turpitudinem Mulieris & Filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, & filiam filiæ ejus non accipies ad revelandum turpitudinem ejus, quia caro illius sunt. Ecce! hoc scelus est* (ἀσέβημα LXX.) *ubi indicat Scriptura causam interdicti, quæ est ex carnis* (proximitate) *dum dicit*: Caro ejus est, ecce hoc est scelus! *ita causa hoc commate perscripta est*. הדרך הרביעי הקש מעלה מוצאה כמו ערות בת אשת אביך מולדת אביך אחותך היא לא תגלה ערותה׳ כי ראו החכמים עלת האסיר בזה שהוא שני שארים על שני שארים מפני שהם עקר ופרח על הקר ופרח והקישו מזה לאסור כל שני שארים וזאת העלה תקרא עלה מוצאה בחלוף העלה הכתובה בפסוק הקודם כי היא כתובה באמרו שארה הנה זמה היא *Quarta via est argumentum ex* causa exeunte (consequentia) *ut* (quando dicitur) vers. XI. *Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, Soror tua est, non revelabis turpitudinem ejus: animadverterunt sapientes causam interdicti in eo esse, quod sint duæ proximitates juxta duas proximitates; quia radix sunt cum suo germine juxta radicem cum suo germine; propterea hinc intulerunt vetandas esse duas ubicunque proximitates, & hæc* causa *vocatur* exiens (vel *consequentia*) *ideo quod supra scriptum extat in commate* 17. Caro illius sunt, scelus est. הדרך החמישי הוא הכתוב רצוני לומר העריות שנאסרו מגלוי הפסוקים תזכרנו *Quinta via est* Scripturæ litera. *Volo dicere turpitudines quæ vetantur aperte in Versibus* (Lev. 18.) *a nobis memoratis*. דרך הששי מה שנודע לנו מההעתקה שכל ישראל מודים בה והוא אסור הששה שארים ואף על פי שלא נזכר הבת *Sexta via est, illud quod notum est ex constitutione, in quam consentit universus Israel; estque interdictum sex proximitatum*, (Parentum, liberorum, nepotum, utriusque sexus) *etiamsi filia* (in Lege) *haud memoretur*. Tum VII. est משמע כוח הדבור ויקרא אל פחוי כמו אסור אח האם עד למעלה מאמרו אמך היא *Quod ex vi Sermonis* (aut *rei dictæ*) *intelligitur, & vocatur El Pachovi, quemadmodum vetatur Matris frater, & porro in linea adscendenti, vi hujus dicti* vers. 13. *Matris tuæ est caro.*

ro. Tandem VIII. שהאסור על חברו השכל נם הוא אסור עליו כמוהו בין שיהיה מעלה כתובה....ובין שיהיה מעלה מוצאה *Quicquid interdictum est alicui hoc etiam, dictamine intellectus, vetitum est ejus socio, qui ipsi est similis* (per Analogiam nos diceremus) *sive jam sit ex causa quæ scripta* .... *seu quæ per consequens elicitur*. Aliam adhuc viam *R. Jehosua* tentavit דרך ההנכרה *sed Sapiens Rabbi Joseph Videns*, cæterique Karæi non probarunt, & ista quidem hactenus.

Quæ autem de gradibus conjugii vetitis ex Lege huc usque disputata fuerunt, novo insuper & insigni errore, sic Rabbinorum Schola accepit, tanquam si Hebræos natalibus & antiquo genere, quos Paulus dicit φύσει Ἰουδαίους, modo tangerent, neutiquam προσηλύτους, & in morem Judæorum transgressos obligarent. Cum enim Proselytus novus homo, & בקטן שנולד *ut infans recens natus* haberetur, quo Petri locutio respexit 1. Pet. 2. 2. inferebant subtilissimi Doctores quod, cum antiqua religione, omnem patriam quoque cognationem ejuraverat, omnem necessitudinem ex animo deleverat; adeoque nulla prisci sanguinis esset vel memoria vel cognatio. Ex *Massechet Jevamoth* id clare notarunt *Maimonides*, *Bartenora*, alii bene multi. Ille in *Hilcoth* אסורי ביאה sic scribit : כותי שנתנייר ועבד שנשתחרר הרי הוא כקטן שנולד וכל שאר בשר שהיו לו כשהוא כותי או כשהוא עבד אינן שאר בשר *Cuthæus* (*quivis gentilis*) *ex quo factus est Proselytus, & servus postquam est manumissus, ecce censetur tanquam infans natus. Omnisque carnis propinquitas, quæ illi fuit cum adhuc Gantilis esset vel Servus, jam non amplius propinquitas reputatur*. Quod tam universe hic ponitur, admittit nihilominus quandam respectu *Matris* (§. יג׳ sequenti) limitationem: גר אסור בשאר האם אחר שנתנייר מדברי סופרים ומותר בשאר האב אף על פי שיודע בודאי שזה שארו מאביו *Proselyto interdictum est cognatione suæ Matris post susceptam Religionem, ex statutis Scribarum: sed licita est ipsi propinquitas Patris, etiamsi liquido constet carnem esse Patris*. Nec aliter *Bartenora*: גרים אין להם שאר מן האב *Proselytis non sunt propinqui respectu Patris*. Cujus, inter Patrem & Matrem, diversitatis causa, ne hoc caput nimis excrescat, alibi melius reddetur. Hoc itaque fundamento potestatem fecere a Gentilium vanitate ad fidem veri Dei transgressis quamcunque mulierem, ex familia Patris, ducere quæ allubesceret; abolito videlicet per novam Religionis professionem omni antiquo propinquitatis vinculo; *quod*, uti *Gemara* habet, דרחמנה אפקרה לזרעם כזרע בהמה *Misericors* (Deus) *commune ducit semen illorum quemadmodum illud Bestiarum*. Quamobrem *Maimonides*, secundum mentem Rabbanitarum exinde concludit: לפיכך נושא הגר אשת אחיו מאחיו ואשת אחי אביו ואשת אביו ואשת בנו אף על פי שנשאת לאחיו או לאביו או לאחי אביו אחר שנתגירו *Propterea ducere potest Proselytus uxorem sui Fratris paterni, vel uxorem patrui, quin & UXOREM PATRIS, & uxorem filii; etiamsi ducta sit fratri, PATRI, aut Patruo, modo ad Judaicam Religionem transierint*. Quod observare placuit, ut expositionem istius casus matrimonialis adjuvemus qui extat 1. Cor. v. 1.... Nunquam enim mihi persuadere potuit, aliquem inter Corinthios, quorum fidem & gratiam Paulus tantopere extollit Cap. 1. iri repertum, qui eo prorumperet audaciæ ut Novercam sibi matrimonio jungeret; vel ipsam Ecclesiam negligentiæ; ut tale crimem utcunque toleraret impunitum; nisi aliquis color & defensionis specieo objecta fuisset. Non alia autem benignior, aut magis in promptu succurrit, quam si ille jam factus Christianismi Proselytus, putaverit se hac recepta Proselytorum conditione uti citra noxiam posse, quæ inter Judæos, quorum ingens Corinthi copia, obtinebat; quo magis eandem Legem Mosis *Christiani* cum *Hebræis* habebant communem, ideoque jura se æque late extenderent, ut nomen & Religio frequenter ab Ethnicis confundebantur. Cum itaque Noverca privignum, & juniorem, spe lucri & blanditiis, in ea mollitie morum & civitatis, forte pelliceret ad nuptias, ille facilius, ut orbitror, hoc prætextu & defensione usurus consensit. Nec vetus admodum videtur istæc impia definitio, certe præcipuus istius assertor & proxeneta, auctori *Ceseph Misnæ* ad locum *Maimonidis*, laudatur *Rabbi Akiba*, celeberrimus ille Traditionum architectus. דגר מותר באשת אביו כרע׳ וכו׳ *Proselyto permissa est Uxor Patris, secundum R. Akibam, &c.* qui cum esset Pauli σύγχρονος, & acerrimus hostis Evangelii, tanto magis horribili & conspicua omnibus pœna Apostolus tradi voluit incestuosum *Satanæ ad carnis perniciem* vers. 5. Non modo quod carne peccasset, & gliscenti malo ad exemplum spectanti efficacissimum initio, ad alios deterrendos, remedium par esset adhiberi, verum etiam ut de infami ac spurca Magistellorum traditione, atque στρεβλώσει, Christianæ Doctrinæ sancti-

ctitas & verecundia spectabili Dei judicio ita triumpharet. Debuit utique singularis subfuisse ratio cur Paulus, præter morem suum, fuerit in peccatorem tanta usus severitate. Existimat Celeberrimus Ligtfoot hunc Corinthium copulasse sibi novercam dum *Pater adhuc esset in vivis*; eo referens cum aliis interpretibus verba 2. Cor. 7. 12. *Scripsi vobis non ejus respectu, qui injuria affecerat, nec ejus respectu qui injuria affectus erat*, qui injuriâ affecerat *plane est incestuosus*.... qui injuria affectus *Pater absque dubio*. Non magnopere quidem intercedam, deliberandum tamen censeo: Si vivens Pater, erat etiam factus Christianæ fidei Proselytus, vel non erat? Si quoque Christianus, quæ solvendi conjugii occasio? Quæ licentia? Si mansit Ethnicus, ut credibile est, unde tanta illi cum Paulo necessitudo, tam magna ejus habita ratio, ut propter *injuriam* qua *affectus erat* gentilis, ignotus, & de qua rumore Paulus tantum inaudierat 1. Cor. 5. 1. unice crederetur Epistolam ad Corinthios exarasse? Illud 2. Cor. 7. 12. commodius forte alii alio, & ad ipsum Paulum retulerunt, præcipue si vers. 2. & temporum historiam conferas, quod nunc non agitur. Tum, aut Pater retinere voluit uxorem? Et sic nulla Lege aut via, sive Judæorum sive Gentilium, potuit contrahere cum filio. Aut ante, facto divortio, expulerat? & quæ tam gravis *injuria* tunc illi *fiebat* si filio cederet, quam omnibus permiserat, declarans jubensque res suas sibi habere?

Cæterum meretur non minus aliquanto accuratius ab eruditis expendi quæ proprie sit *Karæorum* de Polygamia, & plurium uxorum contubernio, sententia. Dudum est quod Maximi viri orbi voluerunt persuasum, Karæos *Polygamiam* aut *digamiam* damnare, & ita *exponere* locum Lev. 18. 18. quasi eo prohibeatur.

Testis datur *auctor Pesiktæ* ita scribens: „ quot errores errarunt Caræi qui „ dixerunt *Mulierem ad sororem ejus non* „ *accipies*, istæ sunt duæ uxores, &c. Magno mercarer vir summus locum paulo proprius ubi hæc leguntur in *Pesikta* indicasset! nam neque ad locum Lev. 18. neque in tota illa Parascha, nomen *Caræorum* invenitur, quod pro illorum antiquitate novum cæteroquin suppeditaret argumeutum, quoniam illic veterum Rabbinorum commentationes enarrantur. Utor autem editione Veneta optimæ notæ. Reprehenduntur ibi quidem שאמר שתי נשים בעלמא אסורות *qui dicerent duas uxores vulgo interdictas*, & pro ratione adducitur, partim שאין להם דת ולא חוק *quod nullum tale possint proferre decretum aut Legem*, partim exempla Patriarcharum & Davidis, Salomonis, &c. piorum sub V. T. Verum an hi Caræi? An Christiani? An alii sint? nullo nomine in meo quidem exemplari ad Lev. 18. 18. innotescit. Absit tamen ut fidem honoratissimi merito viri in dubium vocem; potuit habuisse alud exemplar, potest alio loco reperiri. Cumque integrum librum evolvere mihi per otium nunc non liceat, lubens ipsius testimonio acquiescam, & sunt nonnulla sane in textu indicia unde colligas forte Karæos scriptoris animo observatos fuisse; id ergo tantum una monebo si hæc olim fuerit eorum opinio, mire Doctores, & tempora variasse. Pauci etenim qeos ego legi nunc nihil exhibent tale. Quocunque potius modo illud אשה אל אחותה לא תקח וגו׳ *feminam ad sororem ejus non accipies &c.* omnem quercum excutientes, exponunt; quam ut de muliere una, alia vivente non ducenda, generatim interpretentur. Immo clarissimis verbis velut rem inter suos notissimam, certa conclusione, affirmat *R. Eliahu auctor Adderet* contrarium: סוף דבר מותר לישראל לקחת נשים כמוה שירצה לא לאופן צרור בעונה על שיוסיף בשנית ולגרוע מהראשונה אלא להיות מספר העונה בכלן בשוה. וכן בשאר דברים כגון שאר וכסות׳ ובה׳ אמרו שלש ישא אדם יותר מארבע נשים׳.... לא לפי דעת האומרים שמאמר לא תקח מופסק והטעם שלא יקח כל עקר צרה לאשתו וכו׳ *Summa tandem huc redit, quod licet Jisraelitis tot ducere uxores quot libet, ea tamen Lege ne sic coarctet τὴν συνουσίαν ut secundæ uxori adjiciens, priorem defraudet.* (vid. Exod. 21. 10.) *Verum officium conjugale per omnia æquiparetur, quemadmodum in reliquis victu & amictu, &c. Contra traditionum Patroni sciscunt, non capiet homo plures quam quatuor uxores.... neque secundum mentem dicentium quod locutio* לא תקח, non capies, *sit præcisa; sensus namque est & intentio, ne causam det* (radicem capiat) *quæ uxor ipsius ad angustiam redigatur*. Hæc, & similia quæ apud *Karæos* occurrunt, quandoquidem ego cum iis quæ hac in re de *Karæis* eruditissimi homines tradidere, qui meus est stupor, conciliare non possum, aut statuendum est *Karæos* in re maximi momenti, & quotidiani usus sibi turpiter in os contradicere, nulla abhibita excusatione vel φαρμάκῳ; aut circumspicienda doctioribus erit ratio qua hæc *Eliæ* axiomata cum superioribus, utraque

que cum veritate, bonis avibus, queant in gratiam redire.

Ubi jam nullus ſanguinis gradus, Lex nulla obſtat quo minus puellam *eligat*, & *dicat Tu mihi ſola places*, diſpiciendum eſt quo vinculo ipſi deſpondeatur. Hic iterum a noſtris hominibus diſcrepant Rabbanitæ ex *Maſſechet Kiddouſchin* & סמ״ג *Moſis Mikkotzi* ſic inſtituentes: מצוה עשה לקדש אשה בכסף או בשטר או בביאה וכלו בעדים *Præceptum affirmativum eſt deſponſare ſibi feminam vel Arrha argenti, vel ſyngrapha, vel congreſſu maritali, ita tamen ut teſtes ſint conſcii*. At Karæi non unum ex his, ſed omnia ſimul requirunt; ſic R. *Eliahu* in *Adderet*: בעלי הקבלה הרבו לדבר בענין הקדושין על דעתם שהאשה נקנית באחד משלושה דברים שזכרנו ולפי זה יקרו להם ערמות אמנם חכמינו עמדו על הרשום בכתב אמרת כפי מה ששערה החכמה האלהיה להיות קדוש האשה בשלשתם יחד שאם יחסר אחד מהם לא ההיה מקורשת ולפי זה לא יקרו להם ערמות *Doctores Kabbalæ multis exponunt negotium Deſponſationis, & ſecundum eorum ſententiam uxor acquiritur uno quoque* modo *ex* tribus *qui ſunt memorati: unde ipſis doli* (aut *malæ fidei*) *aliquando emergit occaſio. Verum noſtri Sapientes firmiter inhærentes ei quod exaratum eſt in Scriptura veritatis, & quod viſum cœleſti Sapientiæ, ut Deſponſatio uxoris fieret per hæc tria ſimul, & ſi vel unum deficiat non ſit* (legitime) *deſponſata, & ita omni dolo anſa præciditur*. Sane caute admodum, & graviter hac in re procedunt. Quando enim placitam & conſentientem quiſpiam ſibi cupit deſponſare, ſecundum Scripturam ajunt (credo reſpicere Ruth. 4. 2. . .) colligit in unum decem Viros, ex honoratiſſimis qui iſtic loci ſunt, & Sapientes maxime, qui eum de gradibus vetitis, & officio, &c. queant inſtruere; atque in manu capiens illud quod dotem conſtituit, dat Patri ejus, vel Tutori, vel (quod rarius) illi ipſi: & tum ſolenni formula pactum nuptiale concipitur, ipſo profitente: בברית הר סיני ובחקי הר חורב אני מארש ומקדש את פלונית בת פלוני היות לי לאשה על טהרה וקדושה כמוהר בכתב ובביאה כדת משה וישראל הטהורים והקרושין ... ואח״כ נותנים המוהר ההוא בידי הנערה וכותבים שטר וחותמים עדים במשפט *In Fœdere Sinai, & in inſtitutis Horeb ego mihi conjungo & deſpondeo τὴν δεῖνα, filiam τοῦ δεῖνα, ut mihi uxor ſit in ſanctitate & munditia, juxta ſtatutum Moſis, & Iſraelis puri & ſancti . . . Exinde dotem tradunt puellæ in manus, ſcribunt tabulas & teſtes pro jure recepto obſignant*. Nunc unicum caput in Judiciali Lege modo adjungimus, quia jam olim controverſum, & finis eſto; nempe de *Pœna* qua *falſus* de induſtria *teſtis* plectendus venit, ſi alius necem volens & ſciens perjurio fuerit machinatus. Vocatur hic Hebræis עד זומם *Teſtis falſum excogitans, doloſus*; de quo ſine exceptione tenent K*aræi*, poſt Scripturas, cujuſcumque criminis fratrem ſuum accuſaverit falſo, ejus pœnam ſententia Judicum ipſi luendam. ספר דינים *Judiciorum Liber* Karaiticus M. S. ועד זומם לענוש אותו כאשר זמם בכל דבר ודבר שנאמר ועשיתם לו כאשר זמם לעשות לאחיו *Teſtis falſus puniendus eſt ea ratione, quæcunque tandem ſit, quam alii moliebatur inferre, quoniam ſcriptum eſt*, atque illi facietis quemadmodum iſte fratri cogitaverat *Deut.* 19. 19. Aliter tamen viſum eſt Traditionum patronis: qui teſtem in capitali delicto mendacem nihilominus morte plecti noluerunt, cum ſcelus tempori deprehenderetur; uti in Talmude videre eſt. Unde obſervari poteſt, cum Sectæ hujus iterum Vetuſtas; quandoquidem hæc res jam ætate *Simeonis Ben Setah*, adeoque diu ante Chriſtum natum, inter Rabbanitas & noſtros, diſceptata fuit, quemadmodum ex *Juchaſin* eſt intelligere, ubi iſtius Rabbini vitam deſcribit. Tum etiam quibus auctoribus, & qua ſpe freti, teſtes mendaciſſimi in Chriſtum Servatorem tam prompte, & impudenter proſilierint. Neque reverenter magis, aut bene cum tota *Lege Talionis* Rabbanitæ fuerunt experti, quæ extat commate ſequenti 21. *Anima pro anima, oculus pro oculo, dens pro dente, &c. oculus tuus non parcet*; cujus τὸ ῥητὸν urgent & obſervant *Karæi*; e contrario admiſſa redemptione in כופר *mulctam pecuniariam* Rabbanitæ pridem hanc pœnam commutarunt; uti videre eſt in *Cozri* & R. *Schelomo* in loc. De ratione & methodo qua jugulanda ſint animantia, & aves, acerrime quoque diſputant; ſed quia hæc lanionibus magis quam doctis conveniunt cum aliis miſſa faciemus.

Quandoquidem autem nihil plus animos dirimit quam qui ex Religionis diverſitate, ejuſque doctrina, oritur diſſenſus, præprimis in populo, cujus animi non minus ſuperbi ſunt, quam iracundi; cuivis facile patet quantum eorum, omni articulorum genere diſſidendentium, hinc factum fuerit χάσμα atque diſcidium. Ita tamen ut non paulo mitius tractent Rabbinos *Karæi*, quam Karæos *Rabbanitæ*. Prout fere ſem-

ſemper videmus qui pro humanis ſtant commentis longe acriores, quam qui pro Dei Lege; dum quod cauſæ deeſt, impetu ſupplent animorum. Odium plus quam Vatinianum ex hiſce colligi poterit. 1. Quod vix in eadem civitate commorari queant, niſi Magiſtratus auctoritas Karæos validiſſime protegat, adeo ipſis omni parte & modo non ſolum incommodant; ſed infeſtiſſimi ad necem uſque Rabbini eos perſequuntur; ut in Hiſpania factum ante memoravimus, & Karæi paſſim conqueruntur. Atque ea ratio potiſſima videtur, quod in his oris publice nulli vivant, nec ſi ſint forte innoteſcant, quia tantus eſt numerus & potentia Rabbanitarum ut iis reſiſtere non poſſent. Ubi vero regia protectione tuti degunt in eadem urbe ut in Polonia, Cairo, & Conſtantinopoli, &c. ſeſe ſeparant quantum poſſunt. Conſtantinopoli ita habitant ut muro intergerino disjungantur. Cum illic peregrinaretur *R. Benjamin* erant circiter *duo millia Rabbanitarum, & quingenti Karæi*, iſti ab uno hi ab altero *latere* וביניהם ובין הרבנים שהם תלמידי חכמים מחיצה *atque inter eos & Rabbanitas, qui ſunt Diſcipuli Sapientum eſt maceria faciens ſeparationem*. Quo habitandi more illud Pauli Μεσότοιχον Eph. 2. 14. queat illuſtrari. 2. Conſequens eſt, quod nec menſa, neque cubili ſe invicem dignentur. Utrique hoc pariter refugiunt. *Karæi* teſtantur eouſque ſpectaſſe divortium עד שאסרו עליהם מאכלם ונשואיהם *ut interdixerint eorum* (Rabbanitarum) *cibis & matrimoniis*. Tantundem, & majore cum contemptu, ſtatuerunt Traditores, apud *R. Mordechai Japhe*, in celeberrimo ſuorum Jurium Syntagmate, dicto לבוש הקראים אסור להתחתן בהם *Cum Karæis vetitum eſt contrahere affinitatem*. Notarunt id jam Doctiſſimi Viri *Leo de Modena*, & poſt eum *Clar. Buxtorfius*. Sed ratio quam adferunt quod *Karæi* ſint ממזרים *ſpurii*, non videtur mihi literaliter capienda. Karæis enim major caſtimoniæ cura eſt, & ſtrictiora connubii jura quam Rabbanitis; tantillum in ritu ſponſaliorum diſcrimen, quod ſupra nos quoque tetigimus, pactum ſolennis conjugii illegitimum reddere nulla ſpecie poteſt. Ita deberent omnium gentium liberi pro ſpuriis reputari, quod abſurdiſſimum. Sed notio iuſtius vocabuli hic potius ſumenda ſenſu metaphorico, ut ſint ſpurii ratione Religionis, & Doctrinæ, atque iſtius *conjugii* quod *Deus* iniit cum ſuo populo; quo ſenſu & Prophetæ Hoſ. 1. & 2. Capp. & antiqui Rabbini haud raro uſurparunt; ac Chriſtus ipſe eorum ſe uſui loquendi attemperans Phariſæis exprobravit quod eſſent γενεὰ μοιχαλὶς Matth. 12. 39. nequaquam filii Abrahami. Joh. 8. 39. 40. 3. Quod iram Divinam, & *anathemata* ſibi invicem terribili ratione denuntient. In libello M. S. חלוק *Chillouk* Karæi querelas & punitiones Dei apud Prophetas in malos paſtores, Rabbanitis applicant: & Legis ſcriptæ corruptioni longiſſimam imputant captivitatem. Poſtquam de ſtatu Eccleſiæ Judaicæ degenere ultima illius ætate quædam præmiſere, ſubdunt: ועל רועי גלותינו אמר על הרועים חרה אפי ואם רועינו אל משכנות תורתנו ירעו אותנו למה יחרה אף יי׳ עליהם וישמירם לעתיד ויצילין מירם שנאמר והצלתי ארץ צאני מירם וגו׳ ואם בתורתנו נלך למה הרכה גלותינו ולא נמצא צרי למכתינו והלא מלכות רהכה וכספא נתמעטו ימיהם מצדקת הצדיקים אשר בימיהם אף על פי שהיו הם הנכברים ונחושא הריקנו על רוב אשמותינו... והיא מלכות יון ופרזלא עם חספא על מה ארכה מלכותם והיא מלכות אחת מלכות ארום והם הגלונו והם יעבירונו עד היום ותמיד אנו זועקים זכור יי׳ לבני ארום וגו׳: *Atque de Paſtoribus captivitatis noſtræ dictum eſt* (Zach. 10. 3.) exarſit ira mea contra Paſtores. *Quod ſi ad caulas Legis noſtræ Paſtores noſtri nos deduxiſſent, quare ira Domini contra iſtos efferbuiſſet? Ideo cuſtodiet eos futuro tempore & vindicabit eos ex manu ipſorum, eo quod dictum eſt*, (Ezech. 34. 22. &c.) & eruam gregem meum ex manu eorum. *Quod ſi in Lege ejus ambulamus, quare in tam longum protenditur captivitas noſtra, & non invenitur opobalſamum noſtris plagis? Numquid enim Regni* Aurei *&* argentei *dies imminuti ſunt propter juſtitiam juſtorum qui iſtis erant diebus* (Confer phraſin Matth. 24. 22.) *etiamſi eſſent graviſſima? tum &* Æneum *nos evacuavit* (c. ἐκένωσε Phil. 2. 7.) *quod* Græcum *eſt imperium; At vero* ferrum cum luto, *quod unum eſt imperium, nempe regnum* Edom, *cur tandem tam diu prolongatur? ut nos captivos detineant, in ſervitutem adigant ad hunc uſque diem; licet continuo clamemus: Memento Deus, Filiorum Edom, &c.* quo Chriſtianos deſignant. Volui hanc totam exgibere pericopen ex M. S. tam ut videat Lector quomodo, & de quibus Prophetias, nominatim ſomnium, & ſtatuam Nebucadnezaris *Karæi* interpretentur; quam quia Chriſti concionibus luculentum adferunt domeſtico teſtimonio firmamentum, de Judaicorum paſtorum apoſtaſia & corruptelis, itidem ſæpe ex prophetis, perorantis. Tandem me-

merito veteribus dictum, Judæos quotidie contra Chriſtianos precari, quod tamen plerumque hodie diſſimulant, aut inficiantur. Viciſſim ab altera parte Rabbanitæ multo acerbius diris devovent *Karæos*. Vocare iſtos שמותיים *excommunicatos*, cap. 2. jam declaratum. Curioſum eſt quomodo ſolenni ritu Hieroſolymis illa fuerit peracta quotannis excommunicatio; id *R. Abraham Zachut* in יוחסין memoriæ poſteritatis reliquit, enarrans *Tabernaculorum Feſto* Rabbanitas, in eo tractu habitantes magna frequentia, in *monte Oliveti figere tuguria*, *ſibi invicem gratulari*, *benedicere*, *&c.* והמינים חונים כנגדם כשני חפישי עזים והיו הרבנים מוציאין ספר תורה ומחרימין שמות המינין בפניהם והם שותקין כמו כלבים אלמים לא יוכלו לנבוח *At vero Hæretici* (Karæi) *caſtramentantur e regione ipſorum*, *veluti duo parvi greges caprarum* (1. Reg. 20. 27.) *tunc Rabbanitæ*, *producto Legis codice*, *anathemate percutiunt nomina Hæreticorum*, *in ipſorum præſentia; illi autem tacent*, *quemadmodum muti canes qui nequeunt latrare*, *&c.* 4. Eouſque hoc odium procedere quidam tradunt, poſt *Leonem de Modena*, ut ſi vel pœnitentia ductus *Karaita* ad cœtum ſeſe Rabbanitarum adjungere vellet, eum hi nequaquam reciperent. Et ſane claris verbis id tradit R. *Mordechai* in: ואין מקבלים אותם אם רוצים לחזור *Neque recipiunt eos etiamſi velint redire*. Sed tamen verbo admonendum eſt, hæc ſimpliciter & generatim poſita ab Eruditis admittere ſuas quandoque limitationes, ne quis ſe inducat in errorem. De admiſſione ad communionem Rabbanitarum debuiſſent Viri Docti diſtinguere inter eos qui ſinguli, & ultro forte accedunt, tales difficulter admittunt; veriti dolum, & ne reliquos ſuis antiquis præjudiciis corrumpant. Sed qui *victi* potentia & auctoritate Rabbanitarum *coacte* ad illorum ritus & fidem alicubi *redeunt*, recipi R. *Mordechai* non diffitetur. *Iis quoque* ait *permiſſum connubio jungi*. מותר להתחתן בהם. Aſt non alio jure, aut more, quam fit cum *Proſelytis; ubi ſponſalibus vel repudiis nullus eſt locus*. Quod vero Clariſs. *Simonius* inquit *accepiſſe ſe in Oriente talem Karæum elocari mancipio*, *&c.* diſtinctius legi potuerat in memorato *Rabbi Mordochæi* libro: ועוד רובם מתחתנים בעא וכשחוזרים אינם אלא כגרים המותרים בישראל *Quod perſæpe* (non ſemper) *tales deſponſent* conjugi *alterius Religionis* (non præciſe *mancipio*) *&* *ſi tunc ſe convertant*, *non eſſe in alio ordine quam Proſelytorum*, *quorum matrimonium Iſraelitis permittitur*. Atque ex hac conſuetudine, ni fallor, iſtud quod vulgo jactatur manavit, Karæos a Phariſæis in ſuam ſocietatem non recipi immediate, ſed aliam ipſis prius fidem v. gr. Muhammedis aut Chriſtianiſmi profitendam, & ex hac tunc mediate admitti. Quod verum non eſt de ipſorum perſonis, id tantum quod frequenter fidei alius compari copulentur. Iſtud etiam quod de lethali odio dictum eſt, diverſam cum hominum reſpectu, tum temporum habet rationem. Ante Ananum, & obſignatum Talmud, familiarius ſe mutuo utebantur, quandoque communi operam dantes præceptori. Ita *Mar Sutra*, & *Rab Houna* in utriuſque ſectæ catalogo tanquam Doctores recenſentur; & *Rabbi Jochanan*, ille inclytus, *Ben Saccai*, היה תלמידו של הלל הזקן ושמאי *diſcipulus fuit & R. Hillel Senioris & R. Schammai*. Permiſſa tunc videlicet cuique pleniſſima libertate amplectendi ſectam quam, & quouſque, vellet; uti Joſephus ſuo ipſe exemplo teſtatur. Sed poſtquam *Ananis* ope vulnus antiquum recruduit, tunc maxime averſio in legem abivit. Ipſa Karæorum obſervatio eſt: שנאוהו הרבנים והיו רוצים להעבירו מן העולם ... ונזר לזועתו להנתק ולהנזר מכל וכל מן הרבנים *Rabbanitæ* (Ananem) *penitus oderant*, *adeo ut ſtuderent illum e vita tollere . . . ideo ille ſuæ partis hominibus præcepit ut ſeſe avellerent*, *&* *abſcinderent omni loco*, *&* *ratione*, *a Rabbanitis*. Non parum quoque diverſa hominum indoles illi rigori addit, vel demit. Generatim loquendo maxima eſt inter utroſque averſio; at hoc non impedit quo minus humanius aliqui ſeſe gerant, & colloquantur. *Rabbi Saadiah Gaon*, qui non nimis diu floruit poſt R. *Anan Hannaſi* & cujus commentaria in Danielem extant in Magnis Bibliis Venetis, diſcipulus fuit R. *Schalomon Ben Jerouchan* inſignis Karæorum ſigniferi. Qui R. *Moſen Beſchitzi* Karæum circumduxit per Alexandriam, & multa monſtrans varios cum eo ſermones miſcuit, de quibus ante, erat Judæus Rabbanita. *Aben Ezra* in Lev. VII. 19. Karæum amice ſecum contuliſſe ſub nomine *Sadducæi* commemorat. Et Judæus aliquis ejuſmodi, non ita diu eſt, literas mihi ab Karæo attulit; etſi non raro etiam accidat ſi in Rabbanitarum manus venerint quod reſignent, ſcindant, aboleant. Hæc eo pertinent, ut odium ſectarum ſane quam ingens; homines tamen ſectæ addictos non omnes æque inhumanos, ut quoque uſuvenit in ſchiſmatis Chriſtianorum, credamus.

CA-

CAPUT X.

Articuli fidei Karaitarum X. Celebris R. Japhet in eos commentarius. Unde A. Ezra tam accuratus sensus literalis interpres? Sententia illorum de S. Libris & horum interpretatione. De Deo & attributis. De Creatione ex nihilo, & de Adamo. Ejus immortalitate, esu carnium permisso. De Libero arbitrio. De statu animæ separatæ. Hortus Eden. Gehenna. Instituta Practica quædam. Fides. Adoratio non tribuenda Angelis, &c. Eorum mores. Et vivendi ratio a Gentibus aliis sejuncta, &c.

PRopofueram hisce defungi, & ubi præcipua dissensionis capita jam fuimus executi rivos claudere; sed quia opellæ hujus compages & complementum quasi exigere videtur aliquid de illorum Dogmatis, licet non controversis, & moribus addere, in hoc caput placet ἀθρόως modo conjicere. Articulos fidei, quos Rabbanitæ *Maimonidem* fere secuti tredecim numerant, quibus nihil est notius vel obvium magis, *Karæi* ad decem contraxere. Quos hoc ordine dispositos inveni. הקראים פה אחר מסכימים אל אלה העשרה עקרים: העקר הראשון שכל זה המציאות הגשמי ר״ל הגלגלים וכל אשר בהם נבראו. ב. שיש להם בורא ולא ברא נפשו. ג. שאין לו דמות והוא אחד מכל צד. ד. כי הוא שלח משה רבינו ע״ה. ה. כי הוא שלח עם משה רבינו תורתו התמימה. ו. לדעת המאמין לשון תורתנו ופירושה ר״ל המקרא והפירוש. ז. שהשם ית׳ נבא שאר הנביאים. ח. שהשם ית׳ שמו יחי בני אדם ביום הדין. ט. שהשם ית׳ נותן לאיש כדרכיו וכפרי מעלליו. י. שהשם ית׳ לא מאס לאנשי הגלות אמנם הם תחת יסורי השם וראוי להם בכל יום לקנות ישועתו על ידי משיח בן דוד *Karæi omnes uno ore consentiunt & confitentur hos decem Articulos fundamentales. Articulus I. Quod omnis existentia materialis, videlicet orbes & quicquid in iis est sunt creata. II. Quod horum creator ipse sit increatus. III. Quod nulla illi similitudo, ipseque unicus ex omni parte. IV. Quod miserit Mosen Magistrum p. m. V. Quod cum, & per Mosen, nobis demiserit Legem suam perfectam. VI. Quod tenetur fidelis linguam scire nostræ Legis ejusque expositionem, hoc est Scripturam ejusque interpretationem. VII. Quod Deus Benedictus Spiritu Prophetico duxerit reliquos Prophetas. VIII. Quod Deus Benedictus vivificabit filios hominum in Judicii die. IX. Quod retribuet Deus Benedictus unicuique juxta vias suas, & fructum operum suorum.* X. *Quod Deus Benedictus non reprobavit populum in captivitate* (antiqui præjudicii reliquiæ Rom. XI. 1. 2.) *etiam dum castigationibus Dei subjacent; sed conveniens est ut vel unoquoque die accipiant Salutem suam per Messiam filium Davidis.* In hos X. Articulos celebratissimum scripsit commentarium, præter alios, *R. Japhet Levita, Magnus Doctor*, quique testibus Karæis היה רבו ומלמדו של רבי אברם אבן עזרא *Rabbi fuit & Magister R. Abram Aben Ezræ;* quod notatu dignum confirmat non solum quæ modo de commercio inter utriusque sectæ homines haud penitus intercluso monebamus: verum causam pandit quoque unde *Aben Ezra* Karæos plus quam ullus aliorum Interpretum Judaicorum ad partes vocet in suis commentariis, quia nempe propius noverat; & cur פשט *literalem sensum* Scripturæ melius ac nervosius quam quisquam tribulium exponat, quia in juventute a præceptore in hoc genere studii versatissimo didicerat. In explicandis hisce suæ fidei articulis non pauca adducunt, & stabiliunt *Karaitici* Doctores, quæ sunt καλοῦ κόμματος, atque in apricum produci mererentur; nunc tamen non nisi extremo mihi digito quasi per satyram attingenda. Adorant plenitudinem Scripturarum, ut satis vidimus, admissis etiam scriptis Prophetarum, contra quam aliqui perperam putarunt. Immo illos מקרא *Mikra* per excellentiam vocari observant, quia præcipue clara voce *legebantur*. הכד׳ ספרים ספרי קודש *Viginti quatuor libri*, iidem qui Rabbanitis & Protestantibus, iis sunt *libri sacri*: Apocryphorum nulla reverentia, vix ulla mentione. In linguas eos vertunt quoque vernaculas; Versionis eorum *Arabicæ, Græcæ*, quam magni æstiment, &c. meminit jam Clariss. *Simonius*. Hoc tamen faciunt magis ignorantia plebis & temporum coacti, quam animo lubenti. אם לא תוכל כמה שתרצה תרצה כמה שתוכל *Cum non potes quod vis, velis quod potes:* ait de hoc negotio *R. Eliahu;* adornatas enim has versiones eo quod *homines istius ætatis non essent linguæ sanctæ satis periti*. At si illorum consilio votisque esset locus, omnes linguam sanctam a teneris addiscerent, quo articulus VI. spectavit. Duasque ejus mandati officii adferunt rationes. Quod licet mens Dei ex versionibus quoque queat intelligi, haud-quaquam haberi ea vi, claritate, & elegantia. Deinde observant כי יש השאלות שונות לכל לשון ואי אפשר שיועתקו בלשונות אחרות *esse di-*

diversos in singulis linguis loquendi modos, metaphoricos cummaxime, *quos vix possibile sit in alias linguas*, (ubi non obtinent istæ metaphoræ) *recte transfundere*. Probant, cum exemplo *Hebræorum* & *Arabum*, qui *Græcos Philosophorum libros* in suum quisque idioma verterunt, nec eadem semper ratione, unde *aucta* sunt *dubia*. Tum *gentium* experimento; האומות שהעתיקו ספרי הקודש אל לשונם לא יכלו להעתיק כלל המלות אשר בם וכתבו אותם בלשון הקרש לקושי העתקם Quoniam *gentes quæ transtulerunt sacros libros in linguam suam, nequaquam potuerunt omnia quæ in iis sunt vertere vocabula. Ideoque* sæpe *scripta reliquerunt lingua sancta, propter interpretationis difficultatem*. Sed hoc in animalium, gemmarum, &c. nominibus, ac dictionibus ἅπαξ λεγομένοις modo usuvenit. Lubensque hic R. Eliam interrogem si eruditissimi hic hærent interpretes, collatis etiam aliis linguis, & historiarum ope, an melius sese expediet promiscuum vulgus? Ipsi Karæorum Doctores orali institutione verum istarum vocum sensum sciunt tradere, vel non sciunt? Non sciunt? hærent itaque in eodem cum interpretibus luto. Sciunt? Doctos beabunt si genuinam proferant significationem! quamque erit tunc facile hanc notionem, emendata versione, suis locis inserere? & sic levatum erit quod movet Translationibus obstaculum. Interim quod Linguæ S. studium tantopere suis auditoribus commendent, ut jam ab anno quinto vel sexto ætatis pueros illi discendæ admoveant, merito probamus; quæ porro discipulis & Magistris saluberrima suggeruut monita jam sicco pede transeuntes. Laudabilis Interpretandi Scripturas apud eos lex obtinet, ut Rationem quidem adhibeant tanquam scrutinii instrumentum, ipsas vero Literas sacras, & dictata Prophetarum ut lapidem Lydium, & unicum fundamentum. סוף רבר כל דרוש ודרוש שנמצא אמתתו על ידי החקירה מהמתאחר אל הקודם ומסכים למאמרי הנבואה נאמר שחקירתנו חקירה אמתית ותולרת החקירה מסכמת לאמת ותהיינה שתי הנרות בשתי ידינו נר דתנו ונר חכמתנו ובשלא תסכים בהם נאמר שלא ירדנו לסוף רעת החקירה ההיא בידיעה האנשית ונקבלה ממאמרי הנבואה ואם היה מן האפשר לרעת השכל האנשי כלל המושכלות לפי דרכיו והקרמותיו לא היה צורך אל הנבואה אמנם הנבואה באה כרי להשלים ידיעת המשכלות שלא הגיעו בידיעת השכלי ולכן באה באותות ומופתים משונים בטבעי הנמצאות כרי להוריע לבני ארם שהיא ירדה לסור הענינים כרי שיאמנו דבריה באותם שלא יבינם השכל האנושי וגו׳ *Summa rei est, quod omnis expositio, cujus veritas eruitur ope ratiocinii, ex uno aliud inferentis, si cum dictis Prophetiæ conspirat, de ea dicemus, nostrum scrutinium est verum scrutinium; quoniam ejus conclusio consentit Veritati. Suntque velut duo lampades in duabus manibus nostris, Lucerna Legis nostræ, & Lucerna intellectus nostri. At vero si forte iis* (Prophetiæ dictis) *non consentiat, tunc dicendum est, quod ad fundum & finem hujus examinis penetrare non queamus humana sagacitate; &* (fide) *accipiemus quod dictat Prophetia. Etenim si possibile fuisset humano intellactui omnia quæ intelligi debent secundum omnes vias suas, & propositiones, notitia complecti, Prophetia non fuisset opus.* (Nota omnes Scripturas vocat הנבואה *Prophetiam*, plane ut *Petrus* προφητείαν γραφῆς) *Verum jam data est Prophetia ut suppleat intelligendorum notitiam; hac parte qua per lumen intellectus ea attingere nequimus. Propterea venit* comitata *signis & prodigiis*, *quæ entium* quandoque *naturam immutarunt*, *ut vel hoc ipso hominibus significetur, illam pertingere ad intima rerum & sensuum arcana, quo illius* (Legis) *verbis habeant fidem, in iis etiam quæ humanus intellectus haud capit*. Egregie! De DEI natura multa quoque philosophantur quæ probes: *necessariam* ei sua perfectione asserunt *existentiam*. Perfectiones Dei, & cognomina quæ illi in Scripturis tribuuntur dispescunt trifariam: מהם לנפש מהם לעלה ומהם לא לנפש ולא לעלה. Vocant לנפש quæ nos *Essentiæ* aut *vitæ* possumus interpretari; שכהחיובים בעצמותו תמיד *quæ semper & necessario insunt illius essentiæ*. Videlicet quod sit נמצא חי יורע רוצה יכול *Existens, vivens, sciens, volens, potens*. Quædam לעלה ut *Causæ operanti*. כגון שיכונה לו תאר מה בעבור פועל שיעשה בעת מה.... כגון רחום בזמן שמרחם וקנא בזמן שמקנא וגו׳ *sicut quando cognomen accipit ab aliquo opere, quod facit certo tempure. V. Gr. Misericors eo tempore cum miseretur, zelotes quoties* ζηλοῖ. Alia iterum לא לנפש ולא לעלה *proprie nec ejus Essentiæ, nec illi ut operanti* tribui ajunt, sed in relatione ad alia, & *operatione nostræ mentis*, ut ראשון נברל קרמון *Primus, separatus* a materia, vel peccato (confer Hebr. 7. 26.) *antiquus*, &c. Omnium autem attributorum quæ Deo vere competunt agnoscunt identitatem ex parte Dei, adeoque *simplicitatem* ut nos appellamus. וקראו אותם ספורים עצמיים והטעם הם עצמו ועצמו הם ואינם דבר חוץ מעצמו *illa vocant Attributa essen-*

ſentialia, *ea de cauſa quod illa ſint Ipſe*, *& Ipſe illa*, *nihilque aliud ſunt præter Ejus eſſentiam*. An non ſic ſanior eſt Judæorum quam Chriſtianorum quorundam de Deo doctrina? numnam hoc idem cum eo: *Nihil eſſe in Deo quod non ſit ipſæ Deus?* Diverſitatem tamen admittunt in effectis, quod Solis illuſtrant exemplo, qui emollit, indurat, exſiccat, vivificat, &c. nulla ſui vel pugna vel diverſitate. Hinc & ſtabiliunt Dei *immutabilitatem* אמנם הוא לעולם אחר בלי שנוי.... כי החלוף והשנוי הוא מצר המקבלים לא מצר הפועל *Ille revera unus idemque eſt in æternum*; *Et* (quæ contingere videtur) *varietas ac mutatio*, *fit ex parte* objectorum *quæ* actionem *recipiunt*, *& non ex parte ipſius Operantis*. De Creatione hæc quidem profitentur: הבריאה על דעת המאמנים היא על שני פנים יש בריאה שיתהוה דבר ויש שיתהוה דבר מלא דבר אמנם הבריאה התמידית היא דבר מדבר לפי מה שאנו רואים כי האפרוח מביצה והאדם מזרע.... והבריאה שהיא מלא דבר תהיה לפי רצון השם והעלה להודיע עוצם גבורתו *Creatio ex credentium ſententia peragitur duplici modo: Eſt creatio qua res exiſtit ex re alia; & eſt Creatio quæ fit ex nihilo. Per continuatam Creationem* (Pſ. 104. 30. id eſt, conſervationem) *una res ex alia producitur*, *ceu videmus pullum gallinaceum ex ovo*; *hominem ex ſemine*.... *ſed Creatio ex nihilo illa eſt quæ fit ex Beneplacito ſummi Dei ad ſignificandum robur potentiæ ſuæ*. Hæc non male concinunt Doctrinæ Apoſtolicæ; quibus ratione *termini a quo* (ut loquuntur in ſcholis) eſt מלא דבר ἐκ τῶν μὴ φαινομένων Hebr. 11. 3. *Cauſæ efficientis*, Apoc. 4. 11. διὰ τὸ θέλημά σου (Θεοῦ) εἰσὶ καὶ ἐκτίσθησαν, id eſt, לפי יי'. Reſpectu denique *intentionis* uſuſque, ut inde perſpicerentur ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, καὶ θειότης Rom. 1. 19. להודיע עוצם גבורתו. Adeoque חומר הראשון *materiæ primæ* æternam negant exiſtentiam, quam *Dei Beneplacitum antevertit*, & produxit; quod argumentis haud contemnendis contra הפילוסוף *Philoſophum* (Ariſtotelem reor intelligunt) eunt probatum. Primum hominem credunt factum non modo *bonum*, verum & *immortalem*. ואמרו כי הנה אדם הראשון אם לא היה אוכל מעץ הדעת לא היה מת.... אמנם היה חי לעולם *Docent porro*, *ecce! Adam primus ſi non manducaſſet de arbore Scientiæ non fuiſſet mortuus*, *ſed revera vixiſſet in æternum*. Didici quoque ex R. *Aaron* M.S. illos jam inde ab Adamo jus tribuere hominibus, & conſuetudinem mactandi animalia in ſuum alimentum. Probantque ex *Dominio* quod Deus Opt. Max. Adamo in omnia *animantia volucres* & *piſces* tribuit; ex *tunicis pelliceis* quibus primos parentes Deus induit; ex diſcrimine *mundorum* & *immundorum animalium*, cujus ratio maxime in victu habetur, quod jam ante diluvium obtinuerit. Tandem quod הנזון עם המזון תחת זון אחר וכו' *nutrimentum cum eo quod nutritur ejuſdem conveniat eſſe generis*, *&c. Providentiam* Dei extendunt ad omnia, & multis Chriſtianorum oculatiores, curam ejus & regimen tam late patere ſciſcunt atque ejus Scientiam, pari nempe paſſu ambulantes. סוף דבר פסקו ואמרו שכמו שהידיעה היא בכל דבר כן ההשנוה בכל דבר *Res huc redit: definite ſtatuerunt quod quemadmodum Scientia Dei eſt omnium rerum*, *ſic etiam ejus Providentia circa omnia & ſingula verſatur*. Quod ſi quædam nobis minus recte atque ordine videantur accidere, illud omne לקוצר דעתנו *defectui intellectus noſtri* acceptum ferri debere. In iis vero quæ Legem, Juſtificationem, & Naturæ vires attinent, &c. communi Judæorum fermento apparent fere inquinati. Omnem Moſis Legem tenent immutabilem in perpetuum. Homini poſt lapſum *liberum* in virtute ſequenda aſſerunt *Arbitrium*, *ideoque ſcriptum* הנה נתתי לפניך את החיים ואת הטוב וכו' ubi pro הטוב, quod vitioſe excuſum, leg. המות *Ecce propoſui tibi vitam & mortem*, *&c. elige* ergo. Subſcribuntque profanæ illi ſententiæ, dictoque ſacrilego *Veterum* Doctorum: בעבור זה אמרו הראשונים כל בידי שמים חוץ מיראת שמים Qui *propterea dixerunt*, *omnia ſunt in manu Dei*, *præter timorem Dei*. Quemadmodum hoc idem a Rabbanitis etiam laudatur. Non negant quidem influxum Dei atque auxilium, (de quo alias, illuſtrandis Panli cum Judæis diſputationibus, uberius, bono cum Deo, dicemus) verum una tenent ejus determinationem & eventum ab homine pendere. והטעם אף על פי שהמזג מוכרח בפעולותיו אמנם הנפש היא בעלת בחירה ורצון *Senſus eſt*, *licet ille divino indigeat neceſſario influxu in ſuis operibus*, *anima nihilominus manet domina ſuæ electionis & voluntatis*. הכנה præviam *diſpoſitionem* quoque in homine ponunt, undecunque jam repetatur a *natura*, *ſtellis*, *temperamento*, *&c.* ſecundum quam *formam* & influxum *bonitatis* recipiat. בחוט חסד המחוח יקבל כל אדם צורה כפי הכנתו *per funiculum* (inſtrumentum diviſionis olim) *gratiæ ſe expandentis accipit unuſquiſque formam ſecundum diſpoſitionem ſuam*. Quod ὕφομα cordis humani, liberrimæ li-

liberantis Gratiæ dispensationi audacter sese opponens, Paulus toties ideo convellit, & deturbavit: 1. Cor. 12. 11. *Spiritus S. distribuit unicuique* κατ' ἰδίαν *sicut ille*, non homo, *vult*. Rom. 11. 6. 33. 36. 1. Cor. 4. 7. Eph. 2. 8.-- 10. *Servati per fidem; non ex operibus, ne quis glorietur.* Et si per fidem *non ex nobis, Dei donum est*. Cumque ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς *in bonis operibus* vivimus, non nostra *dispositio* est prævia; sed προητοίμασεν ὁ Θεὸς ἵνα ἐν αὐτοῖς περιπατήσωμεν *præparavit ipse Deus, ut in iis ambularemus*. Denique quicquid & quantum hid est, Θεοῦ ἐσμὲν ποίημα κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ *Dei sumus figmentum, creati* (ex rudi & terrea massa) *in Christo Jesu*, &c. *Ipse fecit nos, & non nos ipsi, populum suum, & oves pascui ejus.* Psal. 100. 3. Cæterum non desunt inter Karæos qui *quatuor* תכונות *dispositiones animæ* pridem notarunt: generatim, *Mortis & Vitæ, Sanitatis & ægritudinis.* Mortuæ *cognomine appellatur quæ majorem in modum peccatis est inquinata, &* alias רשע *improba* dicitur. Viva *habetur quando immunis est a morbo peccatorum; atque in bonis operibus incedit, cujusmodi Vir* justus *vocatur.* Sanitas *est quando rerum existentiam, nexum ordinemque recte apprehendit, id est* sapit. *Ægritudo est, stultitia ejus, talisque homo cognominatur* stultus, *aut* plebejus. *Istæ dispositiones inter se rursus permixtæ sex adhuc alias pariunt constitutiones: quarum duæ sibi invicem oppositæ simul esse nequeunt;* vivens *videlicet &* mortua; sana & ægra. *At quatuor reliquæ dari possunt, quemadmodum* Viva *&* Sana, Viva *&* ægra; Mortua *&* robusta, Mortua & ægrota. *Quæ* in primo censu est *Viva & Sana adhærebit seculo superiori, secundum id quod scriptum est* 1. Sam. 25. 29. *Anima Domini mei colligata sit in fasciculo viventium*, & ita de reliquis. Si nihil aliud, docent ista quam ex usu, quam intelligibiliter, quam apposite! Christus & Apostoli, ad *Judæos* fere verba facientes, peccatores ut *mortuos; & ægrotos;* Sanctitati studentes & regenitos tanquam *vivos, sanosque* passim descripserint, cum apud Hebræos olim, & ad sera usque tempora, hæc adhibita fuerit metaphora. Ita nemini latere potest quo sensu, qua elegantia dixerit Servator: *Sine mortuos suos sepelire mortuos. Sani medico non egent, verum ægroti. Quæ cupiditati indulget vivens est mortua*, & ejusmodi sexcenta. Sic ratio patet ac respectus plurimarum Scripturæ Phrasium quæ huc alludunt, hoc præsupponunt. Quid sibi vult apud Apostolum *Sani in fide? Sana Doctrina? Sani sermones?* si non suppar ejus quod Karæi vocabant בריאה h. e. Veritatis, Sanctitatis & cœlestis Sapientiæ pleni? De *animabus* per mortem a corpore solutis tenent, pro suis statim meritis, præmium aut pœnas consequi: סוף דבר אמרו שמה שראוי להאמין כל בעל אמונה בזה הוא שהנפש אחרי המות אם זכתה לעלות בעולם השכלי אשר הוא נקרא עולם הבא ינרן להדבק במושכלה תהיה חיה לעולם ואם היתה נזופה ומנורשת מטעונה מצר עבירות הלאתה תהירה בצער ודראון והולעתה לא תמות ואשה לא תכבה וזהו הנקרא גיהנם *In summa dixerunt, illud quod conveniens est ut quisque vere fidelis credat ea de re, hoc est: quod mens post mortem si digna est, adscendet in mundum intellectualem, qui* Seculum *vocatur* futurum, *&* Hortus Eden (confer Luc. 23. 43.) *ut intellectualibus affixa vivat in æternum. At si culpæ obnozia sit, & repulsa* ab habitaculo (Deut. 33. 57.) *propter transgressiones suas dolebit, vivetque in anxietate & ignominia, ubi vermis ejus non moritur, nec ignis extinguetur, & id est quod dicitur* Gehenna. Addit R. *Eliahu quosdam* opinari *malorum animas* detrudi in *corpora Bestiarum* per μετεμψύχωσιν, & hanc pœnam illis imponi, &c. Sed merito illud ridet, vocans דעה מקולקלת *pravam opinionem*. Palmarium caput est de *Messia;* ultimo loco positum, non ut ejus dignitatem elevent, sed quia ut venturus adhuc expectatur. Lustremus quomodo illum describant, unde? & quando? credant adfuturum. Pingunt regem terrenum, & violentum victorem, in quo veterum præjudiciorum & perfidiæ vestigia observes, neutiquam characteres Prophetarum. צריך שתדעהו שהמלך המשיח יהיה מזרע דויד עה' ולא יוסיף על הכתוב ולא ינרע ולא יבטל דבר ממנהג העולם ולא יעשה שום חרוש במעשה בראשית ולא יצטרך בקיום היותר משיח בעשיית נפלאות ולא לחיות מתים אמנם יקבץ נרחי ישראל' וילחם מלחמות השם וינצח כל האומות מסביביו ויבנה המקדש במקומו ועוסק במצות כדוד אביו ויכריח כל ישראל ללכת במצות התורה וחקיה: אמנם אם לא יעשה אחר מאלה רע שאינו מלך המשיח אבל הוא כאשר מנהיני האמורה שבאו אחר דוד *Scitu opus est, quo eum rite cognoscatis, Messiam Regem futurum ex semine Davidis p. m. qui nihil adjiciet, nihil detrahet de Scriptura, neque rem ullam de consuetudine Seculi alrogabit, aut quicquam innovabit in opere creationis. Non necessaria erit ad probandam Messiæ excellentiam Miraculorum patratio, vel suscitatio mortuorum. Verum* ille

ille expulsos Jisraelis congregabit, bella geret Domini (Nominis) & omnes populos circumquaque subjugabit, exstruet sanctuarium loco suo, observationi mandatorum studebit, ut David pater ipsius, cogetque omnem Jisraelem incedere in Legis præceptis & institutis. Quod si vero ex his nihil fecerit, scito quod non sit Rex Messias, sed velut unus ex rectoribus populorum qui Davidi successerunt. Hujus loci non est ista vel expendere, vel confutare. Quivis videt quam laxa, quam tenuia hæc sint; cum pro magnificentia cœlestium bonorum, quæ Prophetæ prædixerunt; tum pro tot seculorum ἀποκαραδοκία. Quid quod prima illa *Jesu Nazareno* quoque conveniant, qui ex semine Davidis, nihil addidit Legi vel dempsit Matth. 5. 17. &c. Quum vero *Miracula* ex censu judiciorum Messiæ expungunt, hoc ipso & Prophetis obloquuntur Jes. 35. 5. 6. &c. & ab antiqua Majorum discedunt doctrina, qui omnino ab eo Miracula expectabant Joh. 7. 31. Causæque tandem suæ desperationem produnt manifestissime, quod nulla ejusmodi divinæ missionis aut virtutis documenta de suo fictitio Messia ausi sperare, talem modo effingunt qualem quivis turbo & rebellis Judæus, modo fortis sit & felix, numeroso exercitu instructus, possit repræsentare. Et quando tandem, rogo Karæos, Judæi talem virum pro Messia amplectentur? Antequam *vicerit* & *templum ædificaverit*? Sic nondum satisfecit γνωρισμάτων hic ab *Elia* datis; sic fides in eum nullo fundamine nitetur; sic facile a quocunque impostore decipi poterunt, ut ipsum *R. Akiba* per Ben *Cosba* circumventum memorant hoc loco: בזמן רבי עקיבה היה בן כוזיבא המלך והיה רבי עקיבה חושב שהוא המלך המשיח והיה נושא כליו ואח' נהרג ומזה ידעו שלא היה המלך המשיח *Temporibus R. Akiba hunc esse* promissum *Regem Messiam, ideoque tulit ejus vexilla; sed post illo occiso agnitum fuit illum Messiam non fuisse.* Cui Judæo accidere non poterit, quod sapientissimo illorum Doctori, si propere etiam judicium ferat? expectabit igitur, credo, prudens Hebræus donec omnia hæc ante peregerit? Quando itaque, & per quos bella geret, vincet, ædificabit sibi relictus ille Messias, si hunc eventum omnes debebunt prius præstolari? Ita dum Scripturis dissona adoptant, ne sibi quidem consentanea loqui comperiuntur. Messiæ comitem *Prophetam adjungunt* נביא עמו. Ut pariter videmus Joh. 1. 25. etsi ab Elia illic, & Messia quidam distinguere videantur, cum *Prophetam* de *Elia* Karæi explicent secundum id quod scriptum est: *Ecce ego mitto vobis, &c.* Adventum hujus, *articulum fidei* statuunt certum, & nunquam vero fidei inficiandum. כי ביאתו דרך האמונה מחוייב *Ejus namque adventus via Fidei est necessarius. Signa* vero *temporis* quando aderit, nulla adhuc distincta & pressa apud eos inveni. Idem iis quod fratribus *Rabbinis* accidit; dum genuina ex Scripturis neglexere, alia quibus fidant non habent. Immo æque ut isti *numerare fines* prohibent: כי אין ראוי לחשוב קצים בזמן ביאת המשיח כי ככר טעו בו רבים *Consultum haudquaquam est fines computare de tempore adventus Messiæ, quoniam multi dudum in eo errarunt.* Tamen על דרך השכל *quantum ingenio colligi potest* אפשר קרוב *fieri potest* (ait R. *Elias in Adderet*) ut *sit propinquus.* אמנם אנו מייחלין אותו בכל עת ככתוב פתאם יבוא אל היכלו *Nos certe Eum omni tempore expectamus, secundum illud quod scriptum est: cito ad Templum suum veniet.* Quod citi adventus promissum cum testudineo sui Messiæ gradu illi tam difficulter conciliabunt, quam allatas tarditatis causas forte probabunt cordati Lectores. Duæ potissimum extant apud *R. Eliahu*: una est: לפי דעת בעלי חכמת הכוכבים אם נתאחר הוא לסבה שכוכב שבתי הוא כוכב ישראל והוא מאחר במהלכו ולכן בבוא הקץ ברצון השם יבוא *Ex sententia eorum qui Astronomiæ sunt periti, si moretur (Messias) ea de causa est, quod stella Sabbathi* (Saturnus) *sit stella Israelis; ille autem in cursu suo sit tardior. Quapropter cum terminus aderit, veniet ex beneplacito Dei.* Altera petitur ab ipsis Judæis, quod se non digne satis ad hanc gratiam consequendam præparaverit: אין המנע הישועה כי אם מצד אנשי הגלות לכן ראוי להם לקוות כל יום יום ישועת השם כי הוא מדרכו למוכן לקבל השפע *Nullum est Salutis obstaculum nisi ex parte hominum ipsorum qui in Captivitate versantur.* Ideoque *convenit ut* (vita in melius mutata) *unoquoque die Salutem Domini* (vid. Luc. 2. 30.) *præstolentur. Hæc quippe illius via est, influere in eum qui* bene *dispositus est ad recipiendum* Gratiæ *influxum.* Quasi fortuna Populi Hebræi, qui Deo solo duce & rectore gloriatur, a positu penderet irrationalium stellarum! Saturnum tardigradum non novisset Omniscius, quum velocissimum tamen Uncti sui adventum polliceretur! Aut denique præviæ hominum dispositioni beneficium referri debeat acceptum. Quod ex mera liberrimæ voluntatis bonitate indignis Deus pro-

promisit; ivitque nihil tale scientibus vel petentibus oblatum. Jes. 65. 1.

Quod *Mores* & vitæ instituta Karæorum attinet, hæc visum est breviter notare. Domi, sive in vita privata, habetur exacta cum munditiæ tum frugalitatis ratio, quod ad victum amictumque. Discrimen ciborum mundorum & immundorum, horumque interdictum propterea mandatum putant: כי מםקצתם יקרו חלאים טבעיים ומםקצתם יקרה עובי הנפש החיונית אשר היא משכן הנפש השכלית ויתעורו עיני השכל מלראות יה בארץ החיים *Partim quod morbi quidam naturaliter inde proveniant*, (v. gr. ex porco lepra) *partim quod anima vitalis inde hebes fiat & nubila, quæ habitaculum quasi est mentis rationalis, & obcæcati fiant oculi intellectus ne videant Deum in terra viventium*. Ubi jam abest immundities severissime prohibent ne quis stomachum licitis nimium gravet, quoniam *Propheta* dicit אל תהי בסובאי יין בזוללי בשר למו והוא אזהרה שלא יאכל אדם בשר יותר מדי שבעה ר"ל יותר מקיום נפשו ואם יאכל יותר מהם הוא הדין לכל מאכל חייב סקילה כי בטן רשעים תחסר ne sis inter compotores vini, & carnis helluones. *Quo admonemur ne homo plus carnis comedat quam requiritur ad ejus nutrimentum, hoc est, ut sese vegetum sustentet; quod si amplius comederit* (*eadem quoque ratio de aliis alimentis*) *judicio lapidationis tenetur: venter* quippe *impiorum indigebit*. Si gravior hæc pro delicto pœna cuipiam videatur, attendat eos non statim eo & temere prosilire, sed demum post varia hortamenta, increpationes, flagellationem; quæ omnia si spernat, lapidandus est. מיסרין אותו בדברים או בשבט ככתוב ויסרו אותו ואם הוסיף ושנה סוקלים אותו *Castigant eum primo* verbis, *deinde* virga; (huc allusit Apostoli sermo 1. Cor. 4. vers. 16. παρακαλῶ *adhortor*, *&c.* vers. 21. τί θέλετε; ἐν ῥάβδῳ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς;) *secundum illud quod scriptum est*, & castigabunt eum, *at si nihilominus pergat redeatque ad ingenium, lapidandum tradunt*. Præterea considerant hoc vitium ἀσωτίας non ut simplex aliquod peccatum, sed radicem & principium omnium scelerum reliquorum. Ubi enim patria abligurierit bona, quidvis committet ut pecuniam corradat, quæ in sumtus novos queat sufficere; ישפוך דם לקחת ממון למלאת תאותו *ut sanguinem* non vereatur *effundere*, *quo nummos acquirat ad explendam cupiditatem*. Quare principio obstantes prodigum, sua dilapidantem bona eadem censura involvunt. וכן הנותן ממונו במאכלות ובמלבושים יותר משיוינם והמפזר ממונו יותר מכותו יקרא זולל וסובא וחייב סקילה כל זה כשירבה בעשייתו *Eodem modo se res habet cum eo qui pecuniam suam dispendit in* delicatis *cibis*, *& vestibus* pretiosis *ultra quam par est; & nummos prodigit ultra facultates*, *talis* merito *vocatur* Comessator, & Potator, & *obnoxius fit lapidationi, si multum & perseveranter hoc egerit*, & si castigationes minores præcesserint, ac *Domus* stet *Judicii; qui ut tradunt Sapientes* (in mitiori istac censura) *adjurabant tales, ne pergerent in peccatis*. Quod si perseverarent tamen, lapidatio sequebatur; non modo ob peccatum, sed perjurium & contumaciam Deuter. 17. 12. Ac pertinaciter ita in peccatis versatus κατ' ἐξοχὴν חוטא *Peccator* iis salutatur. שההולך בדרך זו ארבעה יקרא חוטא *Qui in hac via iterum iterumque ambulat, peccator vocatur*. Inde claret quid proprie in N. T. sit ἁμαρτωλός. Intelligendum vero est pœnam hanc exerceri in eos salva Republica Hebr. at captivitatis tempore בנדוי censura *Separationis* in eum animadvertunt. Audiat hæc Christianorum quorundam mollities, & resipiscant!

Parsimoniam licet & temperantiam ubique sectati, ab altera parte tamen sollicite refugiunt superstitiosum ciborum delectum, atque abstinentiam affectatam, in qua nullam vel mercedem reponunt vel utilitatem; *Paulo* concinentes: Col. 2. 21. 23. 1. Tim. 4. 3. 4. לכן ראוי לכל אדם שלא יאסור על עצמו אלא דברים שאסרה התורה כי בזולתם לא יהיה לו שכר ועל כיוצא לאלו אמר שלמה אל תהי צדיק הרבה ואל תתחכם למה תשומם *Ideo indecens est unicuique homini ut sibi interdicat ullius rei usum, ultra eas quas vetuit Legislator: exceptis namque his nullum illi erit emolumentum. Ac de similibus dixit Salomo:* Ne esto nimium justus, nec nimis sapias tibi, cur enim desolaberis?

De *tonsura* capillorum suas quoque regulas habent, post Mosen, *Barbæ* vero cum maxime; quam quousque datur intonsam promittunt, ad decus & gravitatem. נהגו חסידי ישראל שלא לגלחו אלא בכדי שלא ימנע המאכל ומנהג טוב הוא *Solent enim pii Israelis eam non tondere, nisi in quantum opus est, ne esus impediatur, quæ consuetudo optima est*. Verum his minutiis non lubet immorari. Tota victus, & indumenti ratio huc potissimum spectavit: כל מי שהוא מזרע הקודש אסור לו ללכת בדרכי הגוים בין בלשונו בין בהליכתו בין באבילתו ובמלבושיו *ut omnis qui erat ex sancto semine prohiberetur in gentium institutis, sive quod*

ad

ad sermonem & mores, *sive quod ad cibum & vestitum ambulare*. *Parentes* in summo jubent *honore* haberi, ex quinto præcepto. Eumque honorem ad omnia, quæ pietas vel præstare potest vel exigere, retulerunt כבוד בכל אופן בין בדברים בין במעשה *honorandi omni modo atque respectu*, *cum verbis tum opere*. *Verbis* sic colunt ut in *bonum de iis loquantur*; *nomen sine honore non memorent*, iis aliquid *dicentibus non* audeant obstrepere aut uspiam *contradicere*, *excepto si quid Lex* aliter habeat &c. *Opere* autem, partim officiis civilitatis: *assurgendo*, *obviam eundo*, *ut Salomo matri*, sese *incurvando* &c. partim re sua, *nutrientes*, *vestientes pro* eorum *dignitate & sua virili*. Dissimiles adeo *Pharisæis*, in quibus contrariam sæpe ἀστοργίαν & inhumanitatem Christus justissime reprehendit Matth. 15. 4. 5. Ingens etiam, immo nimius, honos est quo prosequuntur suos *Doctores*, imprimis מפורסמים בחכמה *sapientia excellentes*. Præter *occursum*, & alia modo memorata, insuper licitum haud est, *locum*, quem illi solent, *occupare*; in eorum *præsentia considere*, *nisi præcipiant*, *sede!* Ita *neque apud illos consistere*, *nisi dicant consiste!* *Nefas vero illinc abire*, *nisi veniam rogans impetraverit*, *& tunc recedet neutiquam illi tergum obvertens*, *sed gradietur retro*, *facie illius faciem spectante*. *Si videat eminus præceptorem*, *ibit huic in occursum*, *deducetque ad locum quo tendit*. *Non simpliciter nomine suo appellabit*, *sed addet* מורי ורבי *Dominus meus & magister*. Non potest discipulus jam idoneus ad docendum *scholam aperire*, *etiamsi in remota regione* אלא ברשות רבו *nisi permissu sui Magistri* &c. *Qui præcedit in Ecclesia tenetur tota congregatio illi honorem exhibere*, *& voci ejus auscultare*. Quando tres aut plures una ambulant, לעולם תלמיד חכם יהיה באמצע *discipulus sapientis æternum erit in medio*. Satisne hæc sunt? sed longius adhuc provehi sustinuere. לא יסתור את דבריו החולק על רבו חולק על השם *Non confutabit Magistri sententiam*: Et, *qui disputat cum Præceptore*, *est tanquam si disputet cum ipso Numine*. Isthæc, & plura quæ omittimus, ostendunt non exiguum in *Doctoribus Scripturariis* quoque fastum & αὐθάδειαν, adeoque si illos γραμματεῖς Matth. 23. de *Karæorum* Magistris, post *Origenem*, explicemus, de quo abunde dictum est, sat causæ fuisse Christo Domino, cur iis quoque superbiam, affectatam nimis auctoritatem, & προκαθεδρίαν, titulorum *Rabbi*, διδάσκαλε, similiumque ambitum merito exprobraret? vers. 6. 7..... Quin paria hac parte fecisse cum Rabbanitis, ut merito junxerit Servator, hoc indicio esse potest, quod illorum sententiam, ac notissimum effatum, quo amor patris præceptoris honori postponitur, adoptent quasi, & imitentur. *R. Eliahu* scribit: *Kabbalistici Doctores dicunt quod major honos habendus Magistro quam Parenti*: *ac si uterque simul fuerit abductus in servitutem* Magistrum *prius potiusque quam Patrem redimendum*. *At si forte Pater quoque sit* תלמיד חכם *doctus*, *aut doctoris discipulus*, *etsi non eo gradu quo Rabbi*, *tum præferendus est Pater*. Multum ad gratiam contulisse antiquis doctoribus oportet, si vera sunt quæ scribunt de iis, & se eos imitantibus *Karæi*: quod *gratis* fere docuerint, nisi premente admodum temporum necessitate: אינם נוהגים כמנהג חכמי הרבנים לעשות להם אלהי כסף ומנהיגי זהב שלימדים על מנת להקרא רב ועל מנת לאסוף ממון אכול לשבעה ולמכסה עתיק רק מנהגם כמנהג החכמים הקדמונים שהיו משתכרים אפילו במלאכות פחותות כדי להחיות נפשם והיו עושים תורתם קבע ומעיינים בחכמה *Non solent agere Karæi ex more Doctorum Rabbinicorum*, *ut deos argenti faciant sibi*, *& duces auri*, *dum docent hoc fine scopoque ut Rabbi vocentur*, *magnam vim pecuniæ congerant*; *ut comedant ad satietatem & pretiose vestiantur* (Jes. 23. 18.) Ecce! quam justa & verax est, ipsis Judæis testibus, *Jesu Nazareni* querela! modo viderent ipsi censores *manticæ quod in tergo* fuit aliquando, si non *est*; addunt namque, *sed consuetudo Karæorum eadem est quæ sapientum antiquissimorum*, *qui vilioribus subinde opificiis operam dare haud detrectabant*; *quo se ipsos alerent*, *ac certas nihilominus horas legis studio vacabant*, *sapientiæque erant intenti*. Hinc nisi fallor ratio, una saltem ex potissimis, elucescit, quid *Paulum* moverit Apostolum, cum summo jure, quod astruit aliquoties, posset vivere impendiis Ecclesiarum, tamen maluerit Evangelium suum ἀδάπανον τιθέναι, & manibus operatus sibi victum quærere σκηνοποιός. Videlicet ne amore, industria, & generoso opum contemtu videretur cedere illis saltem Judæorum doctoribus, qui gratuitam institutionem subdole venditabant; adeoque ne suspicioni vel calumniæ ansam præberet, quasi suum in Evangelio commodum, non suorum auditorum salutem tam calide consectaretur. Illuc verba respiciunt: ἵνα μὴ ἐγκοπήν τινα δῶμεν τῷ Εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ. 1. Cor. 9. 12. Et quamquam hanc charitatem de se solis prædicent

Ka-

Karæi, inficiandum non eſt, ſi non tunc ſuccedente ſaltem ætate, Rabbanitas aliquos gratuitam pariter inſtitutionem Legis vel ſcriptæ, vel oralis, induxiſſe, de qua re diſputant in *Miſna tractatu de Votis*. Cæterum hoc erat, ceu Paulus multis rationibus, & exemplis, commonſtrat non mandati, ſed indebitæ libertatis; prudens conſilium pro iſthoc loco, & tempore; nequaquam perpetuum inſtitutum. Æquitas enim, & lex utriuſque Teſtamenti ſancit: Quod *qui altari ſerviunt*, *una cum altari partiuntur*. 1. Cor. 9. 13. 14. Ipſa natura iſtud ethnicos docuit, inter quos innumera extant cum dicta, tum facta magnorum virorum, quibus palam faciebant præceptori, a quo animi culturam, cum virtutis ſtudio hauſeris, magnam ſatis mercedem ſolvi, honoremque exhiberi non poſſe. Vulgata ſunt Alexandri in Ariſtotelem, Gratiani in Auſonium, Valentiniani Junioris in ſuum præceptorem apud *Themiſtium*, exempla. Quin *Eumenius Rhetor*, cujus *Clivis* imago adhuc eſt conſpicua, in oratione ſua commemorat ſe *Galliarum juventuti* erudiendæ præfectum *a liberaliſſimis Principibus juſſum*, præſertim a *Conſtantino*, *Salarium in Sexcenis millibus nummum accipere*. Quod hic repeto ut cogitent ſerio docti num ſummi Viri correctio, quam hujus loci habet comment. ad Svetonii Othon. cap. IV. mutans *ſexcenis* in *ſexagenis*, eo quod tanti philoſophantium ſtipendium fuiſſe tradat *Tatianus*, ipſa non indigeat emendatione. Etenim præter codicum fidem, eadem ſumma adhuc cap. XVI. ac cap. XIV. in ipſa Cæſaris Epiſtola, iteratur. Fuerat *Eumenius* Imperatori *Memoriæ Magiſter*; munere quod non abludit multum ab eo quem jam *Cancellarium* vocamus, quomodo & Hebræis מזכיר *Maſcir* appellatur. Ut, hoc relicto, *Profeſſionem Oratoriam repeteret*, majori ſane quam ordinario Magiſtrorum præmio oportuit invitari. Dicit ideo clare Cæſarem *tercena illa ſeſtertia quæ Sacræ Memoriæ Magiſter acceperat geminaſſe*, *addita pari ſorte*. Numnam putabit Vir eruditiſſimus in illa honoratiſſima ſtatione tantum *triginta* ſeſtertia *Eumenio* data, quorum *ſexaginta* ſint *ſors geminata*? Denique ad collapſæ *ſcholæ*, magnique *operis reſtitutionem* ſuum hocce *ſalarium deſtinabat* optimus Rhetor, ad quam *inſtaurationem* qui poterant quæſo ſufficere ſexagena? Verum hoc ἐν παρόδῳ.

Vidimus quantopere præceptores coluerint; de Amore *proximi* quid teneant nunc indagemus. Pharizæis hic aliquanto ſanius, ſed longe tamen infra perfectam Evangelii ſanctitatem philoſophantur. Ex quo hanc, omnis æquitatis inter homines certiſſimam aureamque regulam, forte tranſſumſerunt: Ne quid alteri faciamus quod nobis factum nolimus. Idem enim iiſdem pæne verbis inculcant: הענינים שלא יקבלם האדם לעצמו כן ראין אוי לעשתם לאחיו וגו': *Omnia quæ homo non libenter in ſeſe admitteret*, *nefas eſt ea adverſum fratrem tentare*; hinc inferunt quoque (præter multa particularia quæ tranſimus) *vetitum eſſe fratrem*, *ſive in te peccaverit*, *ſive in Legem*, ſtatim publice, vel *multis audientibus redarguere*; *ne te oderit*, &c. *At ſi non convertatur de via ſua mala in pudorem agunt*, *& ignominia illum afficiunt coram pluribus*, *donec reſipiſcat*. *Quod ſi non reſipuerit*, *ſola Domus Judicii eum devovet diris*: Nunquid hæc gemina ſunt diſciplinæ gradibus, & modo quem legimus in Chriſti Eccleſia uſurpatum? Matth. 18. 15.... *ſi frater in te peccaverit*, *corripe eum ſolum inter te & ipſum* & quæ ſequuntur. Rurſus: *qui peccant* aperte, *redargue in præſentia omnium*, *ut cæteri quoque timeant*. 1. Tim. 5. 20. Et ſi illi dicunt hoc fieri ad incutiendum *pudorem*, idem dicit alibi Apoſtolus 2. Theſſ. 3. 14. *Notate non obedientem*....*ut erubeſcat*. Quin ut *Karæi* hanc cenſuram in propatulo appellant התוכחה ברבים *increpationem inter multos*, *Paulus* eodem ſignat vocabulo 2. Cor. 2. 6. ἡ ἐπιτιμία ὑπὸ τῶν πλειόνων. Interim tamen non magis ac Pharizaici doctores capiunt quam late pateat *Proximus*, reſtringentes ad *fratres* ſuos, & gentem Hebræam. Neque quouſque charitas & remiſſio procedant: *Amicis* volunt benefacere, *veniam petentibus quidem ignoſcere*, אמנם לאנשים אשר גמלו רע ולא חזרו למוטל מחילה אינו אסור לנקום ולנטור מהם *Sed vero viris qui malum rependunt*, *nec ad benefaciendum revertuntur*, *ut remiſſionem* poſſint *accipere*, *nullo modo interdictum eſt eos ulciſci*; *& adverſus eos iram ſervare*. At quanto benignius, caſtiuſque doctrina jubet Evangelii, Math. 5. 44. *Sed Ego dico vobis*, *inimicos diligite*, *benefacite iis qui vos oderunt*, *&c.* Ex qua utriuſque doctrinæ comparatione clariſſimum ſimul evadit, quibus ἀρχαίοις id eſt Hebr: קדמונים ſuum id *Ego dico* Chriſtus opponat? non Legi videlicet; ſed iis qui, contra Legem, erant tam parce φιλανθρωπεύοντες. A domibus & foro in Synagogas, & ad exercitia divini cultus potiora procedamus. De lectione Legis, & Scripturarum meditatio-

tione jam eſt occupatum. *Precandi obligationem*, & mandatum repetunt ex Lege, ratione, ipſiuſque hominis indigentia. Nomina quibus orationem ad Deum indigetant ſeptem imprimis recenſent. שבח ותודה ודוי ובקשה תחנה צעקה וקריוה והם שבע Quorum הודה & שבח cum εὐχαριστία, התנה & ודוי cum προσευχὴ & δέησις, בקשה, ac duo alia, cum ἔντευξις, apud Paulum 1. Tim. 2. 1. commode poſſunt conferii. ἔντευξις enim *Heſychio* eſt ἀπάντησις κατὰ τῶν πλημμελησάντων *interceſſio contra eos qui agunt inique*. Et hujuſmodi *petitio* protectionis & auxilii ad Deum ardenter, & elato *clamore* ſæpius dirigi ſolet. *Ordinem*, quo preces inſtituendæ, haud male diſponunt hoc modo. 1. Primum initio eſt *laudatio Dei propter opera ſua*. 2. Deinde *profeſſio veritatis*, *potentiæ*, *Majeſtatis ejus*, *&c.* aliarumque perfectionum, quas in *mundo creando & conſervando manifeſtat*. 3. *Confeſſio peccatorum*. 4. *Petitio* veniæ, & *remiſſionis* iniquitatum. 5. *Deprecatio*. הטעם להתחנן השם על העונות שיסלחם בדרך חסד *ea de cauſa ut Deus propitius ſit ex gratia peccatis; eaque remittat per viam* immeritæ *benignitatis*. *Locus* precum publicarum eſt *Synagoga*, aut *Beth Hammidraſch*; ut olim cummaxime *templum*, פאת השתחויה במקדש היתה לפאת מערב תפך אמות העולם שהיו משתחוים בצוא השמים *Angulus vero verſus quem adorabant in Sanctuario* (ut hodieque) *erat angulus occidentalis; oppoſite ad gentiles per mundum, qui ſe proſternunt verſus orientem, propter fidem eorum in exercitum Cœlorum*. *Numerus* ejuſmodi precum quibuſdam *ſeptenarius* ex Pſ. 119. 164. aliis *ternarius* Pſ. 55. 18. *dualis* pleriſque conſtituitur: *Mane* & *Veſperi*, circa horam jugis ſacrificii, cujus occupant locum; quia & עלות השחר היא תפלת המלאכים *in adſcenſu auroræ precationis Angelicæ* ipſis tempus habetur, ex Job. Cap. 38. 7. Ut omnia redigam in compendium, quas requirunt in precaturo conditiones præcipue *perſonas* attinent, vel *materiam*, vel *geſtus*, aut *linguam* qua preces fundentur. In perſona exigunt ut ſit בוגר *pubes*, בעל ידיעה *intelligens*, נקי *purus*; etſi de eo adhuc diſputent an טמא *impuro* precibus interdictum ſiet? Inque ſignum puritatis poſtulatur ut *conditio ab eo qui preces dicet*, *ut manus pedeſque lavet*, quia id faciebant *ſacerdotes ſacrificaturi*, ובגלות התפלה תמור קרבן *& tempore captivitatis oratio cum oblatione permutatur*, cum maxime tamen *manus*; ſecundum illud Pſal. 26. 6. *Lavo manus meas in innocentia, & circumeo altare tuum Domine!* Tum, ut *intentio ejus* non vagetur; ſed *defixa ſit in precibus ſuis*. Sinceritatem quoque urgent ante omnia להיות לבו שוה עם פיו *ut cor ori examuſſim reſpondeat*. Sed de fiducia in Meſſiam, aut ejus merita, altum eſt ſilentium. *Materiam* orationis magnam partem conſtare volunt *ex decem fidei articulis*, prout hi ad laudandum, aut petendum aliquid conducunt. Ingentem quoque cautelam atque *delectum* præſcribunt *in* titulis & *epithetis Dei*, quæ precum initio veniunt adhibenda; ut gravia ſint, appoſita, non multa nimis: quam enim Chriſtus in precibus Βαττολογίαν increpuit Matth. 6. 7. & illi explodunt לא ירבה בשיחה בטלה בתפלתו *Nequaquam inanem ſermonem* (idem eſt Hebr. quod λόγος ἀργὸς Matth. 12. 36.) *quiſpiam in precibus ſuis multiplicabit*. Hujuſmodi quædam epitheta enarrat *R. Eliahu* Init. Cap. VI. Inter alia illud *Unitatis*, ubi mihi iſtud notabile videtur, quod eum ait אחד ולא באחד *unum, & non in unum*; qua phraſi Hebraica, niſi fallor, *Johannis* Apoſtoli itidem Hæbræi locutio, & diſcrimen iſtius ἓν, & εἰς τὸ ἓν 1. Joh. 5. 7. 8. optime queat illuſtrari. Non conveniunt vero ſatis Karaitici doctores, qua ratione preces ſint concipiendæ; quidam carmine volunt, alii ex verbis Prophetarum, alii tandem diſtinguunt: ut *preces neceſſariæ* ſtatæque ſint ex dictis Propheticis; alia, quæ intermiſcentur, carmine juxta cujuſque intentionem. Exhibet porro R. Eliahu ſpecimen ſeptem illorum generum orationis, quæ diſtincto nomine principio inſigniverat. Nempe תפלת חובה *Oratio debita* diverſas illas orandi *vias*, aut rationes *ſeptem*, quas memoravimus, *in ſe* ſæpe *comprehendit*. Sicut in eorum oratione ſolenni, ut ipſi obſervant, invenitur שבח *laudatio*: *Pſalmus* videlicet XXXIV. 2.... cum קומו *ſurgite*, &c. Neh. IX. 5.... ההודאה *Confeſſio*: *audi Jiſrael*, &c. cum *Pſalmo* 136. 1. - 26. *Benignitas ejus durat in æternum*, ubi *eſt memoria veterum miraculorum*, *quæ Deus fecit Jiſraeli*, &c. Hinc *cum his jungit Pſalmum diei*, *qui quoque eſt confeſſio*. *Poſtea ſedens confitetur in hæc verba*: *Et nunc quid dicemus Deus noſter? &c.* Ezræ 9. 10.... Inde dicit *Domine clamavit ad te*, &c. Pſ. 141. 1.... Ubi *modus eſt* בקאה *rogationis*: dum ait, *diſponatur oratio mea tanquam ſuffitus coram te!* &c. *Rogatque ut oblationes fiant in veritate & ipſo facto, non ſolis modo dictis*, *dicendo*: *Benefac ſecundum beneplacitum tuum Zioni, extrue muros Jeruſalem;*

tunc delectaberis sacrificiis justitiæ, holocausto, & solidis, &c. Pſ. 51. 20. 21. *His copulat Psalmum* XXIX. 2. *Date Deo gloriam filii potentium*, &c. *In quo itidem confessio habetur, cujus est sensus, quod omnia ex manu ejus pendent, id est, quod per decretum suum* (*hoc enim* vox *hic significat*) *omne quod ipsi collubitum est facit*, &c. (confer Eph. 1. 11.) *mox subdit Psalmum qui sensum habet deprecandi aut petendi, ex orantis arbitrio. Exinde Psalmum* cui titulus *precatio Mosis*. Pſalm. 90. 1.... *Ut notam faciant captivitatis suæ difficultatem, supplicantes & quærentes* Finem Salutis. *Secundum id quod scriptum est: Appareant opera tua servis tuis, & decor pulcherrimus Domini Dei nostri super nobis*. v. 16. *Addit hæc Jeremiæ commata: Cap.* 14. 21.... *ne spernas propter nomen tuum*, &c. Atque *hæc exhibent* צעקה *Vociferationem ad Dominum, ob memoriam fœderis; quod cum patribus percussit*, (inde Judæorum converſionem ſuo tempore futuram Paulus etiam repetivit Rom. XI. 27. 28.) *Adjungit iis quinque Sanctitates, in quibus est* קריאה *exclamatio, respondentes quinque libris Legis*: Prima eſt: ואתה קדוש Pſ. 22. 4. *Et tu es Sanctus. Quod refertur ad librum Geneseos*, ubi *per novam mundi productionem*, &c. *Dei existentia* comprobatur. Secunda eſt: Jeſ. XLVII. 4. *Redemtoris nostri nomen est* יהוה *Exercituum, Sanctus Jisraelis. Alludit* iſtud *ad librum Exodi, in quo est historia liberationis ex Ægypto. Tertia est*: Jeſ. 6. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus est* יי *Exercituum! Quod occulte referunt ad librum Leviticum; in quo monita sunt Sanctitatis per sacrificia*, &c. *qua Jisrael reliquis gentibus antecellit*, & ſeparatur. *Quarta est*: Ezech. 3. 12. *Benedicta sit gloria* יהוה *de loco suo*, quod cum *quarto libro* convenit (Numeri) *ubi est ordinatio vigiliarum Tabernaculi, & modus perfectionis Nubis in qua erat Gloria*, &c. Quinta eſt: *Audi Israel Dominus Deus tuus Dominus, unus* Deut. 6. 4. *Illudque loco quinti est libri in quo hoc comma habetur*.... אמנם הוא אחר פשוט מכל צד בלי שום רבוי מאופני הרבוי *Revera ille unus est simpliciter; ex omni parte, sine ullo modo multiplicationis quicunque* tandem eſſe poſſit. Poſt aliqua adhuc, & recitationem *Paraschæ Zizith*, & quaſdam Dei legiſque laudes ex *Seder*, &c. *cecidit in faciem dicens, in te confisi sunt Patres nostri* Pſal. 22. 5. *petitque supplicans remissionem & misericordiam, pro se, & pro populo suo Israel, & instauratione Jerusalem*, &c. *Tandem obsignat, & finem facit tacita prece, secundum illud quod invenimus de Hanna* 1. Sam. 1. 13. Hæc fere ſumma eſt, ac ratio orationis & cultus veſpertini inter *Karæos*, a quo matutinæ preces non multum, niſi quorundam Pſalmorum, qui mane magis conveniunt, permutatione differunt; quam viſum fuit hic breviter occaſione oblata exhibere; ne qui Rabbanitarum preces ad unguem novimus, hæc penitus ignoremus.

Jam licet ad *Gestus* progredi quibus *Karæi* inter orandum utuntur. Ubi annotatam inveni פרישת ידים *Expansionem manuum*, ſecundum id quod ſcriptum eſt: ופירש ידיו אל הבית הזה & *expanderit manus suas ad domum hanc* 1. Reg. 8. 38. Ubi Karæus ex memoria laudans hoc dictum ידיו ſcripſit pro ſynonymo כפיו *palmas suas*, quomodo in omnium optima edit. Veneta Bombergi 3. Voll. fol. aliiſque eſt excuſum. Deinde בריכה כריעת ברכים, *flexionem genuum*, & προσκύνησιν. *Juxta illud Psalm.* XCV. 6. *Venite procumbamus & genuflectamus*. Singula vero ſic probant & diſcriminant: השתחויה היא שחית הראש *Histachaviah est inflexio capitis*. הבריעה *Hacceriah cum crura adhærent* (applicantur) *Habbericha*, eſt *cum quis genubus suis nititur* (conſiſtit hebr.) ut ſcriptum eſt 2. Chron. 6. 13. *& incurvavit se genua*. והקידה Et *Hakkida* eſt *demissio verticis*, cujus inflexio humilior eſt quam in *Histachaviah*; quod ex Gen. 43. 28. parum firmiter, meo judicio, probant. ונשיאת ידים & *Elevatium manuum*, juxta id Pſ. 134. 2. *Tollite manus vestras ad Sanctuarium*. ונשיאת עינים & *Sublatio oculorum* ex ſcripto Pſ. 123. 1. *Ad te levavi oculos meos*. והעמידה & *Statio*: *ut stemus tempore matutino*. Nehem. 9. 5. *Surgite, benedicite Domino*. והרמת קול בצעקה *Elevatio vocis per clamorem*; ſecundum illud Pſ. 77. 2. *Vox mea ad Dominum & clamavi*, &c. ותפלה בלחש & *Precatio submissa voce*; *ad* imitationem *Scripturæ* 1. 1. Sam. 1. 13. *Labia tantum ipsius movebantur, at vox non audiebatur*. Tanti vero faciunt iſta, & de genere hoc alia, ut *sine iis*, ſuo quæque loco, *preces vix* videantur *suis numeris absolutæ; ratio est quia omnia membra ad Dei cultum, & hymnos, apta nata sunt; ex eo quod scribitur* Pſ. 35. 10. *Omnia ossa mea proloquentur: quis tui similis est Domine?* Neque his contenti alia adhuc requiſita de *vestitu*, *loco* &c. adjungunt. ויש עוד תנאים אחרים שהשכל גוזר אותם כגון תקון הגוף תקון המלבוש ותקון המקום תקון הגוף הוא להשוות רגליו זה בצד זה ועינים מכונים למקום השתחויתו ולהניח ידיו אל לבו הימני על השמאלי׃

השמאלי לא על חלציו עומד באימה ופחד כעבד לפני אדוניו תקון המלבוש צניעות הבגדים מהלאה וכול' *Ac sunt præterea aliæ conditiones quas ipsa sciscit ratio; uti sunt statura corporis, dispositio vestimenti; & loci ratio. Statura corporis est, ut pari ordine pedes ponantur, hic juxta illum, ut oculi recta dirigantur ad locum suæ adorationis, ut reponantur manus in cor, dextra super sinistram, nequaquam vero in lumbis suis, atque stat in tremore & timore* (μετὰ τρόμου καὶ φόβου Phil. 2. 12.) *velut servus coram Domino suo. Dispositio vestium: ut alæ vestimenti sint ultra se invicem, adeoque eum transgressæ, qui eo vestitur. Secundum morem* החשובים *eorum qui sunt in æstimatione*, (eadem plane phrasis quæ Gal. 2. 9. οἱ δοκοῦντες) *& ritum ministrorum coram suo Rege.* Loquitur ex consuetudine suæ regionis. *Ratione loci* commonent cum *Rabbinis*, ut precans *depressiori loco consistat*. (יעמוד) Proprie magis itaque quam vulgus assequitur interpretum Poeta dixit:

Ede ubi CONSISTAS? in qua te quæro Proseucha?

vultumque habeat obversum Hierosolymis. Monentes una, *non esse consentaneum ut loca suæ precationis multiplicet, sed unum condictumque locum* observet. Cui præjudicio, libertatem N. T. tuiturus, contrait Paulus, precationem etiam solita ipsis metonymia per נשיאת ידים *Elevationem manuum* innuens, dum *vult viros in omni loco precari, puras manus levantes* 1. Tim. 2. 8. Respectu denique *sermonis*, est oratio quæ *elata voce* clare profertur, ut ordinario, vel בלחש *tacito murmure*, atque hoc modo orant בביאת המשיח ולבנות היכלו וזולתם *pro adventu Messiæ, ædificatione Templi ejus, &*, quæ huc pertinent, *pluribus*; sive jam hæc submissa rogent voce, ut eo intimior sit animi affectus; quemadmodum ad *Hannam* modo provocabant; sive, quod magis suspicor, id fiat ob metum gentium ubi habitant, quarumque excidium, cum adventu Messiæ sui, & exspectant, & precantur. Quod ad *personas*; oratio est vel *plurium*, ut in Synagoga, &c. Vel *unius*, & privatim. Prior tamen longe majoris ipsis habetur efficaciæ: אף על פי שבתפלת יחיד יצא מידי חובתו אין תפלת יחיד כתפלת הצבור כי אין השגחת הכלל כפרת כי ההשגחה בכלל בעצם וראשונה ובפרת בשנית *Licet enim aliquis prece solitaria satisfaciat officio; non est oratio unius comparanda cum oratione totius congregationis, sicut non æqua est providentiæ cura erga genus & invidua; nam providentia erga genus per se ipsam est, & primo loco; erga particularia tantum secundario.* Quicquid de hac sit ratione, quæ nauci; gemina mens tamen Rabbanitarum comperta est; qui ideo decem requirunt ad minimum ut in *congregatione Jisraelis* promptius oratio exaudiatur; de quo viri doctissimi bene multa tradiderunt: & quorsum nos verba Christi aliquatenus respexisse credimus Math. c. 18. Judæi numerum sectantur inter precandum; atque inde certam & faciliorem exauditionem sibi inepte promittunt; ego vero in uno *nomine meo* hoc vobis addico, & si jam non *decem*, sed vel *duo in quamcunque rem consenserint in terris ut eam petant; iis a Patre meo in Cœlis obtinget*. De *Lingua* vero, & idiomate quo preces debent constare *Karaitici* Doctores sic scribunt: רוב חכמים פסקו שלא יתפלל המתפלל אלא בלשון הקודש לא זולתו מפני שלשוננו שפה ברורה שאין בה שמות לענינים מגונים ועוד שהכתוב חייב לקרא בשם יהוה ממש וזה לא יתכן בזולת לשון הקודש *Maxima pars Sapientum definita statuunt sententia, precari non debere quemquam, quum precaturus est, ulla alia lingua quam sancta. Quandoquidem lingua nostra est lingua pura, in qua non sunt nupta verba, aut sensus obscœni.* (id non usque quaque verum esse, facile noverit qui quid sit שגל & similia habuerit compertum) *tantoque magis, quod nos Scriptura obligat ad vocandum Deum nomine ipso* יהוה *proprie, quod non quadrat in alium sermonem præter sanctum.* Objiciunt sibi quidem exemplum *Danielis qui Chaldaice oravit* cap. 6. Sed respondent *Danielem id non fecisse ex ignorantia liguæ S. verum ut intelligere possent qui ei erant perfecti*; atque ita suspicionem amoliretur. *At si fuisset inter filios Jisrael, illum lingua S. precaturum fuisse*. Præter rei quæ agitur probationem, hinc duo non temnendi usus datur intelligere. Primo Judæos *Karæos* non esse tam superstitiosos atque sunt *Rabbanitæ* in proferendo Dei nomine τετραγραμμάτῳ, dum *obligatos* sese profitentur ad *appellandum* eo Numen ממש *proprie*, & in *substantia sua*, adeoque, ut ego capio, quemadmodum in se sonat, suisque vocalibus exauditur. Deinde ex tali opinione Hebræorum, quæ preces non nisi lingua sancta concipi voluit, natus videtur iste dissensus in Ecclesia *Corinthiorum*, & ex dissensu Paulo necessitas de eo aliquid monendi ac statuendi 1. Cor. cap. XIV. Haud diffiteor fuisse qui donum, quo pollebant, linguarum fortassis sic intempestive ostentarent: sed putem quando vers. 14. 15. 16. de *precibus, hymnorum cantu, & gratia-*

tiarum *actionibus*, loquitur, *ignota lingua* quibusdam Corinthi in fidelium cœtu peractis, ad *quas idiota Amen respondet* nequiret, Paulum hoc ulcus tangere, & hanc potissimum linguam respicere; qua, velut sanctiore, ex Judæis conversi (quorum non una de causa magna erat in credentium conventu auctoritas) concipere preces solebant: quas Corinthii, & qui crediderant ex gentibus, neutiquam assequebantur. Multa id suadent. Illud *Amen respondere*, quod urget tanquam argumentum ad hominem, nuspiam gentium, nisi inter *Judæos* obtinuit. Hac lingua orantes se πνεύματι, non interno solum Spiritus motu, sed & ipsis *Spiritus S. verbis* בדברי נביאים ut supra, orare poterant gloriari. Quin quæ hic enumerantur species προσευχαὶ, ψαλμοὶ, εὐχαριστίαι ipsæ illæ sunt תפלות, מזמורים, תודות, quas Hebraica dialecto celebratas in Karæorum liturgia modo videbamus. Unde, si quis accuratius adhuc vellet inquirere, suspicari posset ex Karaitica maxime schola istos prodiisse. Cum quia eorum plures videntur ad Evangelium, quam Pharizæorum, transgressi; ut pote Christo propiores, de quo ante diximus; tum, quod linguam S. in precibus constanter magis & rigide hi urserint quam Rabbanitæ: qui קריאת שמע *Keriat Schemah*, consequenter & preces dialecto Chaldæa, Græcaque reddi, ceu notum est, permisere; quod præstaret nota lingua dicere, quam nulla. Ex hoc tamen *Karæorum* statuto nihil iis præsidii est, qui sacra ignota populo celebrant lingua, quia Hebraicam isti notam habent inter suos; & quo vulgo sit notissima articulo fidei VI. unumquemque ad illius studium obligant, puerosque applicant jam teneros, & sexennes. Quam commendant precaturis sacræ Literæ *fidem & pœnitentiam*, non obliviscuntur etiam *Karæi*: צריך להיות בתשובה וביראה תמיד כדי שינצל מרשת הרשע וזה לא יהיה כי אם בתפלה *Necessarium est* (homini) *ut in resipiscentia & timore perpetuo versetur, quo eripiatur ex reti improbi, quod nisi per preces non potest obtineri*. אמונה *Fidem* multis inculcant, & extollunt, nec in re nota verbis est opus; duo tantum notabo: quod velint tam certo & universali obsequio eam Scripturis mancipatam, ut ne quidem per modum disquisitionis liceat hic veritatem in dubium vocare. אין ראוי לעיין האדם במחשבת לבו על עקרי התורה והאמונה לדעת אם הם אמתיים אם לא כגון לחקור אם השם נמצא או לא אם נתנה תורה מן השמים אם לא וגו׳ *Non decet hominem cogitationibus cordis sui ita speculari articulos radicales Legis, & Fidei, ut dispiciat num veri sint, nec ne?* V. gr. *disquirere num Deus existat, vel non? an data Lex sit e Cælo, an non?* &c. Duplicem ejus adferunt rationem, Quod hæc jam dudum satis superque sint comprobata; שלא ימשכו אחרי דעתם הקצרה וידמו שמחשבתם הגיעה אל האמת ורוב מן החוקרים באלה הדברים יצאו לידי מינות . . . . ולזה אמר הכתיב ולא תתורו אחרי לבבכם ואחרי עיניכם אשר אתם זונים אחריהם. *Ac ne forte abstrahantur ad obsequendum curto ingenio; & imaginandum sibi ac si cogitatio sua* (melius) *attigerit verum. Cujusmodi rerum multi indagatores in hæresin lapsi sunt. Et huc spectat quod scriptum est: Num.* XV. 39. *Ne incedatis ex dictamine cordis vestri, vel oculorum, quibuscum soletis meretricari*. Si curiosa & petulans, ad elevandam fidem, hic vetetur disquisitio, bene est; at grave & pium examen ad firmandam veritatem, & errantes convincendos ipsa nequaquam refugit Scriptura. 1. Cor. 10. 15. Alterum quod observari volebam his verbis continetur: לכן אמרו החכמים שכל מי שיבטח לשום נמצא מן הנמצאות ובפעולה מפעולותיהן הוא בכלל עובד ע״ז והעובד אותו חייב *Propterea dixerunt Sapientes, quod qui confidit* (aut fiduciam ponit) *in quocunque ente ex omnibus entibus* (præter Deum) *aut in aliquo opere ex operibus eorum, ille in genere*, & censu, *est Idololatrarum, & qui id colit est reus*. Videant quos contraria praxis condemnat; ego Socinianum rogo ut sedata mente hanc thesin cum Evangelii gestis, verbisque Christi comparet, imprimis Joh. 14. 1. πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν; καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. *Fiduciam non in ullo ente*, quantumvis excellenti, præter Deum *collocandam* sana saniorum Judæorum doctrina est; Prophetarum est: Jer. 17. 5. ipsius Christi est; hoc ipso tamen loco eandem cum Deo *fiduciam in sese* deposcit Servator. Qui si merus homo tantum erat, licet eminentissimus, & non Deus, num talis delicti scandalum auditoribus objecisset? num plus de Patris ἐξοχῇ atque *honore*, quem tamen *quæsitum* venerat Joh. 8. 49. 50. quam hostes Judæi delibavit? num (quod absit!) sophistam egit cum dicta firmaturus statim adjecit, Philippo vers. 8. Patrem sibi, ut Moses Deum, monstrari petente, vers. 9.... ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα.... ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί, &c. Hæc nisi quid majus dicant quam homini comperit, quomodo id quod, omnium sententia, nemini nisi Deo potest deferri Christo vin-

dicabunt? Sinceram denique *fidem* eousque statuunt & utilem & necessariam, ut inde magis quam ex operibus æstiment Jisraelitam genuinum. Ponamus illorum verba, quæ Pauli disputationem cum Pharizæis, aliisque in *Epistola ad Romanos*, super hoc titulo aliquantulum forte adjuvabunt: צריך שתרעהו שכל מי שהוא מזרע ישראל ואינו מאמין באלה העקרים או באחד מהם אינו בכלל ישראל ואין ראוי לאהוב אותו ולא לקראו בשם אח אפילו שיהיה עושה כלל המצות ולא יהיה מן הנכנסים לגן ערן ויקרא אפיקורוס.... ואם יהיה מאמין בהם ויורע אותם בריאה ומופת לפי מה שסדרנים הוא ישראל גמור אפילו שלא יהיה מזרע ישראל וראוי לאהוב אותו כאח בן ישראל ואפילו שיעבור בקצת מהמצות לתגבורת תאוה לא על צד החפץ.... ויהיה מן הנכנסים בגן ענן והוא יקרא בעל אמונה אמתית והוא ראוי להקרא איש וכול׳: *Operæ pretium est* advertere *ut eum agnoscas, quod unusquisque qui est ex semine Jisrael, & non credit hisce* decem *articulis, vel uno excepto, non est in censu Jisraelis, neque convenit ipsum amare*, (melius mitiusque Evangelium amorem jubens, interdicit modo familiaritatem Rom. 16. 17. 2. Joh. vers. 10. &c.) *aut fratris nomine compellare; etiamsi omnia* cæteroquin *mandata observaverit, neque inter eos erit qui in hortum Eden intrabunt, sed vocandus est Epicureus. At vero si quis habeat iis fidem, & agnoverit argumentis & demonstrationibus (non* בקבלה *auctoritate traditionis* uti mox se explicant) *juxta ea quæ nos ordine proposuimus, iste est* Israelita *perfectus, licet haud ex semine Israelitico sit oriundus; decens est illum amare, tanquam fratrem, Jisraelis filium: etsi transgrediatur aliqua ex parte* Legis *mandata, violentia suæ cupiditatis victus, & non ex lubentia voluntatis*, (qualem se Paulus depingit Rom. VII. 15. 23.) *hic erit ex iis qui in hortum Eden recipientur, hic vocandus est Dominus* (confessor) *veræ fidei; dignusque qui* איש Vir *vocetur, &c.* quod longe excellentius nomen iis quam אדם *homo*, &c. Advertamus ergo ejusmodi emphasin in isto quoque vocabulo ἀνὴρ Eph. 4. 13. Jac. 3. 2. &c. Non exigua lux, vel uno hoc loco, Paulinæ scriptioni posset inferri, si hoc jam ageremus, & multæ hypotheses convelli, quas Judæis Pauli adversariis affingunt interpretes quidam inconsulti; ut suis principiis Apostoli sensum, quo jure quave injuria, accommodent. Intelligitur V. gr. ita saniores Judæos fidem non sejunxisse ab operibus: צריך להיות מעשיו נמשכים לאמונתו *Necesse est ut opera cujusque cum fide sua conjungantur*. Non voluisse justificari operibus perfectis, &c. Tum, quæ in Scriptura memoratur, *perfectionem* ad amplissimum fidei obsequium & cognitionem, ut 1. Cor. 2. 6. Hebr. 5. 14. non ad obedientiæ pensum pertinere, &c. Quæ magni quidem sunt usus, sed alius, si Deo videbitur, loci. Hoc jam modo volebam, non multum abludere fundamentum *Karæorum* ab illa Apostoli conclusione, verum Israelitam esse ἐν κρυπτῷ non ἐν τῷ φανερῷ. Non in *carne*, sed *fide* Rom. 2. 28. 29. Et si quis Hebræus a fide sit devius, nihil illum Abrahami genus, aut Legem Mosis juvare; si Gentilis recte credat & vitam instituat, nihil gentilem originem, apud Deum in negotio salutis, nocituram. vers. 25. 26. &c.

De fide jam satis. *Adoratio religiosa*, quæ hujus conjunctissimus vel comes est, vel fructus; Rom. 10. 14. non minus quam fiducia, soli Deo tribuenda docetur. לכן אין ראוי לו לעבור והא להשתחות אחד מהנמצאות כגון מלאך גלגל וכוכב או אחר מארבע יסורות או המורכב מהם וגו׳: *Ideo non est conveniens colere aut adorare aliquid existentium* creaturarum, *veluti* ANGELUM, *Orbes cœlestes, aut Stellam, unum ex quatuor elementis, vel quicquid ex iis componitur... Et qui hoc debilitat* (vel extenuat) *totam Legem infringit*, propterea mox *præceptum* additur: *non facies tibi sculptile, aut similitudinem quamcumque* ad colendam eam. Utque ansa præcidatur certius Iconolatriæ, in ipsa domo ad usum civilem ornatumque habere vetuerunt *imagines prominentes*, edolatas vel tornatiles: quæ *figura* non modo, sed & *extensione* hominem, aut alia animalia, referrent; planas vero cælatasque, quod in iis nil solidi est, adeoque manifestum erroris ἀνπόδοτον, utcunque tolerarunt. אסור לאדם לצייר בביתו או בטבעתו שום דבר מהדברים הנעבדים לעובדי ע״ז בצורה בולטת אלא אם יהיה בצורה שקועה הדבר עובר כי זה נקרא חרות אבל הבולטת דומה למסכה *Interdictum est unicuique in domo sua, vel moneta sua, aliquid earum rerum, quas colunt extranei cultus fautores, affingere, figura prominenti; sed si sit forma subsidente, transeat, isthæc enim cælatura appellatur, at prominens imago ad* מסכה erectam *statuam* Scripturis interdictam *accedit*. Immo & in *moneta* ipsa *rei*, qua abutuntur *Idololatræ*, cælaturam prohibent: quia *cum ceræ, &c. imprimeretur, sic quoque promineret*. Nec diversa est sententia *Rabbanitarum* apud *Maimonidem*. Quæ, ut multa alia, a Judæis ad primos Christianos dimanavit, & inter

ter Græcos in hodiernum usque diem perdurat hactenus, ut nullam *imaginem sculptam* aut *excisam*, quam potius ut idolum execrantur, sed *pictam* vel incisam solummodo, in templis admittant. Unde mox elucescit cum illa mulier *αἱμοῤῥοοῦσα* Math. 9. 20. 22. a *Matthæo* ut Judæa inter Judæos inducatur, nullo apud ullum Evangelistam Ethnicæ originis aut religionis, sed contra *fidei* indicio; quam genio gentis, consuetudini temporum, Religionis Judaicæ principiis adversetur incerta illa narratio apud Eusebium, quasi *statuam* suo Servatori pro gratiarum actione ipsa erexerit. Dumque Eusebius *gentili consuetudine* factum asserit, an non ipse satis id insolens, & displiciturum Judæi confitetur; suaque adeo vineta cædit? unde enim piæ & *credenti* feminæ consilium erigenda statua imitari morem Gentilium, cum statuas per patriam Legem didicerat ab unguiculis detestari? Hinc causam deprehendimus cur effigiei *pictæ*, vel *incisæ* V. gr. Pastoris in calicibus Eucharistiæ apud *Tertullianum* aliqua alicubi mentio, licet perparca, adhuc apud Veteres; quia hæc erat figura שקועה *depressa*. Sed צורה בולטת *Imaginis prominentis & statuæ*, vel levissimum exemplum (si discesseris ab figmento Hæmorraissæ) diligentissimi Iconolatriæ Patroni primis seculis Christianismi haud possint proferre; cum nostri tam multa in contrarium. Hinc habemus cur Patres *Eliberitani* Can. XXXVI. de *picturis* tantum loquantur, quæ tunc incipiebant gliscere, neutiquam de *Statutis*; nempe tunc nondum Christianis in usu. Tandem judicium ferri forte poterit quoque ex iis quæ in *signanda moneta* Judæi observata commemorant, de variis nummis qui *Jesu*, *Salomonis*, &c. *forma prominenti*, velut a Judæis cusi, exhibentur apud *Hottingerum*, *Wagenseilium*, alios celeberrimos viros. Ji autem, quibus ægre persuadetur ullos antiqui *κόμματος* Siclos superesse etiamnum, hoc argumento nequeunt pugnare; quoniam forma prominens solum *earum rerum* vetatur, quas *colunt extranei*: in quorum catalogo *Urna Mannæ*, aut *Virga Aaronis* non comprehenduntur. Quin ut tanto majorem suis Idololatriæ incuterent horrorem, omnem usum, lucrum, utilitatem quamcunque, quæ ex instrumentis ejus, aut connexis capi poterat, severe admodum interdixerunt pridem, cum aliis Hebræis, *Karæi*. אסיר ליהנות מכל מין ע״ז ומכל מה שהוא תקרובת לע״ז כגון לקנות ע״ז עצמה ולמוכרה או נפלה בגורלך והיא תחת רשותך אל תהנה ממנה... אמנם הבהמות שהוכנו לתקרובת ע״ז הכל אסורים כש׳ כשיעשה בה סימן ע״ז הפך דעת בה׳ שאמרו שהבהמה מותרת בהנאה כשלא יעשה בה סימן ע״ז: *Vetitum est quicquam utilitatis accipere ab omni specie cultus extranei, aut ex omni quod pro munere oblatum est* quomodocunque *Idolo. Ita non licet Idolum ipsum emere, aut vendere. Et si sub sortem cadat tuam, veniatque in potestatem, nil inde capias emolumenti.* Postquam de locis, aliisque disseruit, porro pergit; *Certe Bestiæ, quæ destinatæ & aptatæ sunt in munus Idoli, in universum interdicuntur; quanto magis vero cum jam in iis signum extranei cultus est datum.* Quod tenendum dum *contra sententiam Traditionariorum, qui sentiunt permissam esse ejusmodi bestiam usui, quandiu nondum signum Idololatriæ in se recepit.* Id statim, ceu quivis videt, peperit dissensionem; atque iis Judæorum qui inter gentiles habitabant, curam quotidie, & anxiam inquisitionem, an? & quousque hoc animal Deo forte cuidam sacratum? Auxit sollicitudinem receptus iis Christianismus. Per quem sublato jam ciborum discrimine, & diverso more mactandi, boves & pecudes in gentilium tabernis, & macello, emebantur; non sine ritus Idololatrici suspicione, vel contagio. Atque hæc origo est potissima operosæ illius & molestæ disputationis in prima Apostolorum Ecclesia toties, & tam multis locis agitatæ, de usu εἰδωλοθύτων. Quod scire interpretum, moneri lectoris interfuisset. Quum itaque sub œconomia N. T. non minor esset fuga vel aversio Idolorum, 1. Joh. 5. 21. & hisce suis imbuti principiis Judæi Christianæ Religioni nomen darent, ubi, jam vocatis ad Messiæ notitiam gentibus, erat usus macelli publici, occasio conviviorum, &c. mox metus hinc Hebræos Christianos incessit; hæc cura coxit indies sub imo pectore, ne per illam libertatem, quod nefas erat, alicubi forsan ex *bestia* vel pecude *comederent* Idolis aliqua parte consecrata; adeoque ex ea *caperent utilitatem*. Opus erat periculosæ plenum aleæ, & adhæc incertæ difficillimæque inquisitionis. In duas ideo partes scindebantur sententiæ. Quidam animo fortes audacter omnia esu licita pronuntiarunt. *Rom.* 14. 2. *parte prima*. Hi nimis suam γνῶσιν & *scientiam* jactitabant 1. Cor. 8. 1. 10. Quo nomine & fundamento οἱ Γνωστικοὶ multa indigna fædaque postmodum invexerunt in Ecclesiam. Alii scrupulosi, & fide infirma, ut omne contagium & discrimen certo effugerent, *oleribus* tantum *victitabant*. *Rom.*

Rom. 14. 2. *parte poſtr.* *Scandalum* ex nimia fratrum licentia arripientes 1. *Cor.* 8. 13. *fin.* Hæc ſemina paſſim gliſcebant συῤῥοίξεως, animos & vitam iſta turbabant. Quid ergo hic facerent Apoſtoli? Prudentia opus erat, & firmo pectore. In Concilio propterea Hieroſolymitano, in Hæbræorum gratiam, omnibus credentibus ex gentilitate graviter edicunt Act. 15. 20. Απέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων. Αλισγήματα vocant ab ἀλισγέω, idemque quod μολύνω Eccleſiaſtici Cap. 40. 29. pro eo quod Hebræi dicerent פסולות, הועבות. Quare *Eſychius* expoſuit θυσιῶν μιαρῶν. Verum hoc generali interdicto cum omnes qui intercedere poterant caſu, & circumſtantiæ ſingulares, nequaquam dirimerentur, Spiritus S. per *Paulum* debuit hoc paulo preſſius clariuſque ad inſtructionem ambigentium definire. Præfatur ſe, & omnes ſuos, naturæ rerum, quod πᾶν κτίσμα θεοῦ καλὸν, & libertatis Chriſtianæ, cæterorumque quæ ad hanc cauſam faciunt, æque *notitiam habere*, ac iſti, qui ſibi hac parte magnopere placebant. Interim non temere, vel imprudenter ea libertate utendum. Non expedire ut quis εἰδωλόθυτα comedat. 1. Si ante ſciat Idolo dicatum: ſi habeat συνείδησιν εἰδώλου, eamque ἀσθενῆ 1. Cor. 8. 7. etſi non idololatricum in finem præciſe proponatur. 2. Malum eſt ſi בשמו eo *nomine* comedat, & reſpectu: ὡς εἰδωλόθυτα 1. Cor. 8. 7. *med.* Quod variis indiciis colligi poſſit; ſit palam dicatur, ſive in *convivio* fiat *ſacrificali* gentilium 1. Cor. 19. 14. 18. 20. S. *Cyprianus* ideo *Martialem*, Epiſcopatui inhiantem, reprimit, quod *Gentilium turpia & lutulenta convivia in collegio diu frequentaſſet*. Sive in *Templo* ipſius *Idoli*, vel εἰδωλίῳ 1. Cor. 8. 10. 3. Si infirmus frater, accepto illinc ſcandalo, in via veritatis vel ſalutis hoc facto retardetur 1. Cor. 8. 9. 13. Ubi horum omnium abeſt metus ac periculum, & probe juris ſui gnarus eſt quiſpiam, non damnans ſecus ſentientes Rom. 14. 3. nec a ſua ipſe damnatus conſcientia, verſ. 5. 22. 23. illi permittit Apoſtolus edere, ſine curioſa factorum inquſitione 1. Cor. 10. 25. *quicquid venum exponitur in macello*. Quia ſi forte ſe inſciis fictæ Divinitati alii quid contra fas ante obtulerint, poſtquam in ſua erat poteſtate, accipiebant tamen & utebantur fideles tanquam a vero Deo datum, cujus id erat ſolo jure & Dominio, quemadmodum *tota terra ejuſque plenitudo*.

Quæ ad noſtrum magis inſtitutum ſpectabant, & in *Doctrina Moribuſque* Karæorum notabilia præprimis videbantur, ſic breviter quidem perſtrinximus. Ex quibus unicuique, niſi fallo, pateſcet, quemadmodum communis toti reprobæ genti duritiei & ἀπιστίας rei teneantur, ita ab altera parte nec ingenii acrimonia, nec doctrinæ ſanioris atque imprimis Scripturariæ opibus, neque inaffectatæ probitatis ſtudio, ulli Judaicarum Sectarum ſecundos debere reputari. Quo factum eſt, quod inter ipſos adverſarios qui animi quadam moderatione utuntur, hanc laudem iis ſubinde non ſuſtinuerint denegare. Eruditione & vetuſtate inter ſuos celeberrimus *R. Jehuda Levita*, Cozareorum Regem inducit, ipſe vix contra dicturus, de iis hoc modo teſtantem: כי אני רואה אותם משתדלים בעבודה יותר מהרבנים ואני שומע פענותם יותר סבריעות ויותר מפיקות לפשט התורה id eſt, vertente celeberrimo Buxtorfio: *Video enim illos* (*Karæos*) *in cultu divino diligentiores & ferventiores eſſe Rabbanitis, animadverto etiam illorum rationes validiores eſſe, & ſenſui literali Legis convenientiores.* Iterum poſtea: אך הקראים הם משתדלים בשרשים ומתחכמים בתולדות *Verumtamen Karæi accurati ſunt in radicibus,* (fundamentis Legis) *& in illationibus callidi & ſapientes.* Quod ſi hæc ad animum revocaſſet, aut occaſionem nactus fuiſſet penitius in notitiem Karaitici dogmatis ſeſe inſinuandi *Joh. Hen. Hottingerus*, nequaquam ſiviſſet inclemens hocce de iis judicium ſuo calamo excidere Vir candidus & πολυμαθής: *Quotquot Karaitarum ſacris, ſi quæ apud GENTEM PÆNE PROFANAM ſunt, erant initiati, &c.* Impudentia videlicet calumniandi Rabbinica integerrimum virum decepit, daturum cum multis exemplum, quam non ſit decens aut tutum alius judicio inauditum & ignotum ſua ſententia leviter condemnare.

C A-

CAPUT XI.

Nomina & successio Doctorum inde ab Ezra, quos Karæi sibi vendicant; nec sublestæ fidei statim convincenda. Præcipui quidam, cum doctrina tum vetustate, indicati. Literæ R. Menachem Karaitæ ad Aquilam proselytum. Liber Grammaticus Karæorum. Propior assertio quod per בה׳ Domus Hillel *notetur. Karæi punctationem admittunt. Ubi tamen in Codice S. non sequantur? Cæteroquin exemplarium conformitas. Karaitici studii usus.*

Restat, & est operæ pretium, ut aliquid de insignibus illorum *Doctoribus* & *Libris*, præter ea quæ sparsim sunt indicata, subjungamus. *Doctorum* seriem, qui eandem cum iis doctrinam, in præcipuis certe capitibus tenuerunt, continuato ordine hunc in modum recensent, inde a Mose per Prophetas ad Ezram; quos non opus est persequi. Hinc procedunt: *Ezra Domusque judicii ejus docuit eam* (*Legem*) *Simeonem Justum, magnum Sacerdotem post Ezram, super quem pax. Simeon tradidit Antigono Sochæo .... Antigonus tradidit eam Josepho filio Joezer, Viro Zeridæo, & Josepho Filio Jochanan Hierosolymitano. Isti tradiderunt Nittai Arbelitæ ac Jehosuæ Ben Perachjha. Nittai vero & Jehosua filius Perachjah tradiderunt eam Jehudæ Ben Tabbai Ben Setah. Atque iis temporibus voluit R. Simeon Ben Setah abjicere quod exaratum est in Scriptura veritatis, nisi Jehudah Ben Tabbai in ruptura stetisset. Perquam clare exposita est vera doctrina, doctrina filiorum Scripturæ; confirmata, & restituta integritati suæ, quemadmodum fuerat olim, &c.... Jehuda & Simeon tradidere eam Semajæ & Abtalioni. Abtalion tradidit eam Rabbi Hilleli, Rabbi Hillel tradidit eam* לבעלי קבלה *Kabbalæ studiosis, quemadmodum acceperat a Præceptore suo, a Simeone Ben Setah. At Semajah tradidit Rabbi Schammai, Senior ille venerabilis & pius tradidit eam* לבעלי מקרא *Assectis Scripturæ, quos Rupes æterna custodiat atque vivificet; iis præbens auxilium, perdens vero hostes & adversarios eorum, qui malum iis machinantur! Rabbi Schammai tradidit eam R. Cahana Sacerdoti filio Alav-Eni, qui aquas* (munditiei) *paravit Vaccæ rufæ sub domo secunda, filio Abjatharis, filio Jedajæ Sacerdotis.... Et R. Cahana tradidit eam R. Simei filio suo. Et Rabbi Simæi Sacerdos tradidit eam R. Jehochanan filio suo. Et R. Jochanan Sacerdos tradidit eam R. Zadok filio suo. Et R. Zadok Sacerdos tradidit eam R. Ezechiel filio suo. Et R. Ezechiel Sacerdos tradidit eam R. Achitoub filio suo. Et Rabbi Achitoub Sacerdos tradidit eam R. Jeschuah filio suo. Et R. Jeschuah Sacerdos tradidit eam R. Nethiel Sacerdoti filio suo. Et R. Nethiel Sacerdos tradidit eam R. Heman Sacerdoti filio suo. Et R. Heman Sacerdos tradidit eam Oni Sacerdoti filio suo. Et Oni Sacerdos tradidit eam R. Zephanjah filio suo. Et Rab Nathan Princeps tradidit eam Rab Cahana filio suo. Et Rab Cahana Princeps tradidit eam Mar Soutra filio suo. Et Rab Mar Soutra Princeps tradidit eam R. Choni filio suo. Et R. Choni Princeps tradidit eam R. Caphnai filio suo. Et R. Zephanjah Sacerdos R. Schemarjah Sacerdoti filio suo. Et R. Caphnai Princeps tradidit eam Rabbi Chaninai filio suo. Et R. Chaninai Princeps tradidit eam R. Bostenai filio suo. Et R. Bostenai Princeps tradidit eam R. Chasdai filio suo. Et R. Schemarjah Sacerdos tradidit eam R. Souta filio suo. Et R. Chasdai Princeps tradidit eam Domino nostro David filio suo. Rabbi Souta Sacerdos & R. David Princeps tradiderunt eam R. Anan Principi, super quem pax sit. Atque ille est qui doctrinam veritatis iterum claravit* populo, *postquam abscondita fere erat.* Claravit autem & *manifestavit argumentis evidentissimis, verisque, ac demonstrationibus validis, exposuitque animam suam morti. Et ad R. Saul Principem, filium ejus, ab eo delata* (doctrina) *est. R. Saul vero transtulit ad R. Josiam Principem filium ejus. Iste ad R. Benjamin Haondi. Ille detulit ad Rab Daniel Hakkomtzi, & R. Jitzchak Habbotzeri, & Rab David Hammikamatz Proselytum Justitiæ. Illi transtulerunt ad Rab Noach, iste ad Rab Schalmon Ben Jerouchan, & Rab Joseph filium Noach, atque ad Rab Jacob filium Juschak Kirkeseni, &c. Eorum ætate fuit Rab Saadiah Gaon Happitomi. Fuitque hic discipulus Rab Schalmon Ben Jerouchan. Atque R. Joseph istius* (Saadiah) *tempora attigit*, eousque *ut vixerint simul, & illi objiciens, eum* vehementer *urserit suis argumentis*; quemadmodum *commemorat in libro suo* Maor, *composito* A. *quatermillesimo sexcentesimo & nonagesimo* (computi Judaici) *post creationem. Hi transtulerunt ad Rab David filium Boaz, filium Jehoschaphat, filium Josiæ Principis, & Rab Abouali, &c. & Rab Joseph Videntem, filium Rab Jacob Hakkir-*

kirkezeni ; ille est qui composuit Magnum librum Præceptorum , ubi descendit etiam *ad singularia & particularia quæque , pulcherrimo modo. Hic transtulit eam porro ad Salomonem Principem & R. Aaron Aboual Pirga , atque ad R. Abraham Hoursaleni Babylonium , &c. Et illi deinceps transtulerunt ad Rab Jeschuah , filium Rab Eli , qui exposuit totam Legem , Prophetas , & ἀγιόγραφα ; fecitque* librum Recti *super, omnibus præceptis . Et ad Rab Japhet Hallevi , & ad Rab Iisrael , & ad Rab Bozeri , qui totam Legem explicuit , &c. Illi transtulerunt ad Rabbinum nostrum Chasdai , filium Hiskiæ , filium Schelomoh Principis . Illi ad Rabbinum nostrum Aaron Habitai , & Rabbinum nostrum Japhet filium Zair : translaturos eam ad R. David Bozetz Haddamith , & ad Rabbinum nostrum Boaz , filium Schelomoh Principis , filium David , filium R. Chasdai Principis , super quem pax*. Ita ab origine, usque ad tria secula ante suam circiter ætatem , filum & seriem *Karaitarum* deduxit , post R. *Japhet* , R. *Moses Beschtzi* , in celebratissimo libro suo מטה אלהים , subjungens hoc ἐπιφώνημα :
עד הנה עזרנו ה׳
ומצאנו העתקה אמתית והיא שלשלת העתקת
דת האמתית כאשר העתק איש מאיש עד
זמן מושה רבנו עה׳ והוא משען אמתי שנוקר
עיני האומרים שדת בני מקרא חרשה לזאת
הוכרחתי לבאר האמת מתוך ספרי החכמים
כתיבת ידם ונכתבו קרוב לשלש מאות שנים
כאשר מצאתי אותם במצרים ליד ראש
הדור החכם השלם נשיא אלהים רבינו
שמואל הנשיא יצו׳ בן רהר׳ שלמה הנשיא :
Huc usque nos Deus adjuvit , ut veram translationem inveniremus ; quæ catena est secundum quam deducta est Doctrina veritatis , prout unus ad alium transtulit , inde usque a tempore Mosis Magistri nostri , super quem pax . Estque hoc fulcrum veredicum , ut eruamus oculos dicentibus , quod Doctrina filiorum Scripturæ est nova. Ideoque coactus sui exponere veritatem ex Libris , quos Sapientes sua manu exararunt , scriptique fuerant jam annis trecentis , cum eos invenirem in Ægypto , ope Sapientis Perfecti principis Dei Rabbenu Samuel , qui dux erat & caput ejus generationis ; (custodiat eum rupes ejus & Redemptor ejus !) ac filius Rabbini & Domini nostri R. Schelomoh Principis. Neque illa tantum ratione, descendentes a Mose ad sera tempora , hanc exhibent διαδοχὴν ; verum & ordine retrogrado , hoc modo ; *R. Boaz recepit a R. Japhet filio Zair , & R. Japhet a Rab Chasdai* , & sic porro. Qui in numerum redacti *summam* constituunt *quinquaginta quinque generationum , a R. Boaz ad Mosen* Prophetam. Cogitabis, mi lector, vel etiam objicient Rabbini , forte fictum hunc esse catalogum , quemque in rem suam Karaitæ otiose concinnarint . Ego ut ejus veritatem certo præstare non possim, tamen hoc facile intelligo , quod talis causatio quoque non sufficiat ad eum arguendum falsitatis , nisi graviores rationes accesserint. Relinquatur itaque loco per me suo, donec ex aliis *Karæorum* Codicibus , & Historiarum consensu , major lux , & certior fides adferatur. Hoc saltem pro iis facere negari non potest, quod affirment historica fide se sic a Majoribus accepisse . Eo fundamento credimus Rabbanitis suos enumerantibus Magistros ; quid ni pariter *Karæis* , qui præceptorum observantissimi eorum memoriam , suis quique locis, grati coluerunt ? Accedit quod hæc series inventa & observata sit in *Ægypto*; in qua regione Judæi pacate satis , & tolerabili conditione , multorum seculorum decursu degerunt ; hoc prætextu gloriantes quod in *pelle piscis* cujusdam quæ *maxime durabilis* descriptam habeant *genealogiam & seriem ab ætate in ætatem cum cura servatam*. נשיאי יהודה
אשר הם תומכים את דת הקראות.... וזה
היחס נמצא בעיר אלקהרא במלכות מצרים
אשר שם מנשב נשיאי הקראים מזמן גלות
ירושלים *Principium Judæ qui confirmarunt doctrinam Karæorum . Invenitur hæc recensio in urbe Cairo in regno Ægypti , ubi fuit locus habitationis Principum Karæorum , a tempore quo capta fuit Hierosolyma* . Denique si ad fidem faciendam aliquid confert Scriptorum diligentia, & labor inquisitioni impensus, nusquam fuit major quam in *R. Japhet* , *Mose Beschitzi*, ejusque *præfatore* & cæteris unde hæc fuerunt repetita. Fuit enim iste *Moses* versatus in *linguis Hebræa* , *Arabica* , *Græca* , *Hispanica* , & *peragratis Assyria* , *Chaldæa* , *Palæstina* , *Ægypto* aliisque terris , omnes *cœtus* ubi essent *Karæi* adiit ; omnes *libros perquisivit* , *ut originem & rationem hujus Schismatis indagaret*. Si prodest integitas; tam veri & recti tenaces, si non aliquanto magis, *Karæi* quam *Rabbanitæ* passim deprehendentur. Si causas mentiendi procul habere ad persuasionem juvat ; cur *Karæi* ejusmodi antiquitatis monumenta fingerent exigua aut nulla iis illecebra fuit , qui non ex vetustate sed verbo Dei veritatem se æstimare profitentur ? *Rabbanitis* vero vetustam Doctorum successionem ostentare summa & indeclinabilis est necessitas , quod inde pendet omnis suæ traditionis firmitas & veri similitudo . Quin ut non leve indicium veri

veri allegant, quod non pauci hujus censûs ab ipsis quandoque Rabbanitis memorentur; & ætas, qua *R. Saadiah Gæon* in hac ferie ponunt ut discipulum sui R. *Schalmon Ben Jerouchan*, cum Chronologia Rabbanitarum exacte consentit. Quicquid sit, inde nobis nomina saltem insigniorum inter ipsos doctorum habentur; quibus cum aliis, quos in hac matricula, ubi plures σύγχρονοι extabant, brevitatis studio omibmus, addi debent antesignandi R. *Jehuda Haebel* scriptor doctissimus libris אשכול כופר. R. *Eliahu Beschitzi* auctor libri inter suos æstimatissimi, quem in hac diatriba passim attulimus, אדרת אליהו *Pallium Eliæ*; *Constantinopoli* vivens, ubi & liber excusus, suisque חכם *Sapiens* & פוסק *decisor* vocatus. Et R. *Aaron*, qui ut *magnus Sapiens*, & *Divinus Philosophus* ipsis celebratur, dictus אהרון האחרון *Aaron posterior* ad prioris distinctionem, qui justo volumine instituta Karæorum complexus mihi Manuscriptus ex Goliana Bibliotheca bonis avibus fuit redemptus. Possetque multo major hic mihi cum auctorum, tum librorum Karaiticorum catalogus texi, quam vulgo innotuit, verum id aliorsum pertinet. Ex antiquissimis paucos, pro specimine tantum, delibemus. Primæ debentur partes cuidam opusculo, quod se oculis usurpasse commemorat sedulus ille antiquitatum venator *Moses Beschitzi* his verbis: וחזיתי דוכרן עובדא הרא דהווא בין רבי אליעזר הגדול ובין רבן גמליאל הנשיא בנו של רבן הלל הזקן *Vidi* Memoriam facti cujusdam *inter R. Eliezer Magnum*, & *Rabban Gamaliel Principem*, *filium Rabban Hillelis senioris*, &c. Notant una hunc *Eliezerum* fuisse discipulum R. *Jochanan*, (quod R. *Abraham Zacuth* in יוחסין quoque confirmat,) & doctrinæ Schammæanæ addictiorem. *Hillel* erat Traditionum, ut omnes credunt, Patronus; *Schammai*, ut Karæi volunt, fautor ipsorum. Mirum itaque non est R. *Eliezer* & *Gamaliel* tanquam diversarum partium habuisse contentiones. Firmantur hæc admodum ex iis, quæ de R. *Eliezer* discipulo R. *Jochanan* jam antea vidimus, ubi & הקראי *Karæus* palam cognominabatur. Istarum contentionum videtur hæc, aliqua parte, *Memoria* & narratio; quæ utinam alicunde adhuc perquiri, comparari, haberi posset! quam multa inde, præsertim in hoc de Karæis negotio, edoceremur! Alius ad manum est libellus, cujus cum titulum inspicerem gavisus aliquid reperisse videbar ultimæ antiquitatis: sic habet: זאת האגרת ששלח רבינו מנחם קראי לעקלס הגר אצל רבי סעדייה הרבן אודות הלכות שחיטה *Hæc est Epistola, quam misit Rabbenu Menachem Karaita ad Aquilam Proselytum, apud R. Saadiah Harabban, de ratione & modo mactandi.* Non noti mihi erant ex Historia inter Hebræos alii, quibus hoc nomen עקלס, cum suo præsertim epitheto הגר, aptare possem, quam *Onkelos* auctor Paraphraseos Chaldaicæ in Legem, & Ἀκύλας, qui V. T. in linguam transtulit Græcam circa *Hadriani* Imperatoris tempora. Nec, quos consului, vel Rabbini vel Karæi mihi potuerunt alium indicare. Proclive adeo erat uni ex hisce, posteriori maxime, ex eodem literarum sono & ordine, hanc Epistolam adscribere; re tamen, & Epistola penitius examinata, apparuit mihi iis posterior; & R. *Saadiah*, apud quem erat hic Aquila, esse eundem illum R. *Saadiah Happitomi*, quem *Gaon* salutant. At vel sic est satis vetusta; vixit enim & floruit ille R. *Saadiah* seculo nono labente. Serioris autem scriptionis manifestum est mihi argumentum, quod in ea mentio fiat non *Misnæ* modo sed & integri *Talmudis*, cujus authoritatem in fine optat aboleri *cum adventu* Messiæ. והקב״ה ישלח לנו במהרה מורה הצדק והשיב לב א׳ע׳ב׳ו׳ב׳ע׳א׳ וישבית המשנה והתלמוד וההלכה ויורנו מדרכיו ונלכו באורחותיו *Sanctus vero Benedictus quantocyus mittat nobis* Doctorem Justitiæ! & *reducat cor Patrum ad filios*, & *cor filiorum ad Patres*, *cessare faciens* Misnam, & Talmud, & Halacha, *doceatque nos de viis suis, ut in semitis ejus ambulemus!* Ipsius *Ananis*, Karaitici dogmatis Restitutoris nullus, quod sciam, liber superstes est, nisi laudata hinc illinc ab aliis fragmenta. Sed qui ex propinquo ejus ætatem sequebatur, magna cum voluptate mihi lectus est, ingenio & elegantia præstantissimus *R. Schalmon Ben Jerouchan*, qui cum *R. Saadiah Happitomi* disputans, degenerem discipulum ad incitas redegit. Hujus itidem tempora attigit *R. Joseph* Sapiens, qui, omni intentione R. *Saadiæ* probe percepta, etiam contra ipsum librum *Hammaor* exaravit. Agmen claudat *R. Aaron* primus, *filius Joseph*, cognomine קדוש ה׳ *Sanctus Domini*, professione medicus, sub finem seculi XIII. Hic scripsit multa bonæ frugis & reconditæ scientiæ; inter alia celeberrimum librum המבחר *Mubchar*, *brevem Commentarium in Legem*, & ספר המבחר דקדוק לשון הקודש הנקרא כליל יופי *Scientiam Grammatices linguæ S. qui liber inscribitur Perfectio Pulcbritudinis*; quem cum vulgatis Hebræorum Grammaticis con-

conferre, & volupe & utiliſſimum foret. Plurimi & varii generis, ſive ad S. Scripturas, ſive ad alias ſuæ Religionis partes illuſtrandas, ab iis conſcripti nunc quidem mihi tacebuntur; quando quæ tetigimus, hinc atrum loliginis ſuccum evidenter ſatis oſtendent quo *Abraham Ben Dior*, & *Rabbanitæ Karæis* improperant: הסינים לעולם לא עשו שום טובה לישראל ולא ספר שיש לו חיזוק תורה או דבר חכמה ואפילו שירה אחת ונחמה אחת כי כלם כלבים אלמים לא יוכלו לנבוח Quod *Hæretici in æternum nihil boni Iiſraeli fecerunt, nec librum ullum quo Lex ſtabiliatur, nec quid quod ſapientiam redoleat, immo ne unum quidem Canticum aut ſolamen; ſunt quippe canes muti, qui poſſunt latrare*. Inde vero tempus non patitur, ut in hanc de illorum *Scriptis* atque *Doctoribus* materiam ulterius memet diffundam. Unum verbo tantum monemus, occaſione quod *R. Eliezer* iterum inductus eſt modo diſputans cum *Gamaliele Hillelis* nepote, nos Cap. IV. ubi latius de hac re agitur, abbreviaturam בה׳ quæ in *Adderet Eliahu* & paſſin occurrit, aliquoties fuiſſe interpretatum *Beth Hillel*; quod quam ob rem fecerim nunc paucis declarandum eſt, quo omnis λογομαχία, quam cane pejus & angue odimus, evitetur. Non ignoro equidem, immo non repugno variis in locis hoc ſcriptionis compendium בה׳ poſſe legi quoque בני הקבלה, vel בעלי הקבלה, ut Rabbanitæ aliquoties ab eodem auctore plenis vocibus vocantur; ſed cur aliis in locis ubi eſt בה׳ per literarum initia exaratum aliquando præferam בית הלל in cauſa eſt, quod contentio & ſciſma, uti probatum, contra *Domum Hillelis* cummaxime exarſerit. Quod בה׳ & בהא׳ antiquitus apud Judæos, ac per totum Talmudem, *Beth Hillel*, &c. nuſquam *Kabbalæ filios* notaverit; ſuper quo juniores conſulere poterunt *Celeb. Buxtorfii Abbreviaturas*. Et quia auctor mihi fuerat *Maimonides*, apud quem legeram, poſtquam mentionem fecerat iſtius *Rabban Gamalielis ſenioris*, hæc digna notatu: בן רבן שמעון בן הלל הנשיא והוא הלל הבבלי אשר אליך נסמכו כת מן החלמים האחרונים ועל דעתו היתה ונקראת בית הלל *Quod hic filius erat Simeonis, filii Hillel Principis. Qui erat Hillel iſte Babylonius, cujus* auctoritate *nititur Secta Sapientum poſteriorum, ejuſdem cum eo ſententiæ, quæ* ideo quoque *Beth Hillel* appellatur. Sicut etiam ejus Sectatores *Hillelianos* vocari dudum Clar. *Hottingerus* notavit. Tandem quia diſputatio cum בה׳ non raro de iis rebus inſtituitur, quibus locus aut uſus non erat niſi Templo adhucdum ſtante, quo tempore nomen *Beth Hillel* centies de die ſonabat; aſt iſtud *Filii Kabbalæ* nondum huc uſque inveni uſurpatum. Advertere etiam licet hoc *R. Moſis fil. Maimonis* teſtimonio, iſtam *Hieronymi* ſententiam de *Pharizæis* ortis ab *Hillele*, Doctiſſimis viris fidenter exploſam, ſupra nobis utcunque excuſatam atque defenſam, valide rurſus, & domeſtico teſte, ſtabiliri. Quod ſi tamen hæ pagellæ in lectorem forte incidant, qui illud בה׳ per בעלי קבלה mordicus legi velit, ſenſu abundet ſuo; noſtra parum aut nihil potius intereſt, quum res eodem recidat, & veriſſimum ſit, utriuſque partis conſenſu, שהרבנים קבלו מרב הלל *Quod Rabbini doctrinam ſuam ab Hillele acceperint*, adeoque eodem telo utrique petantur. Nunc, partim quia promiſimus, partim quia ubi de libris Karæorum diſquirimus, liber omnium Sanctiſſimus, Codex S. Scripturæ, qualis extat apud *Karæos*, ſilentio plane præteriri non debet, etſi noſtri temporis, & hujus opellæ limites jam longe ſupergreſſi, pleniorem iſtius argumenti tractationem ad commodiorem locum rejicere cogamur. Exemplaria Bibliorum ſua *Karæi* profitentur cum illis *Rabbanitarum* conſentire. Propterea quod illorum diſpoſitio & סדור facta ſit ab *Ezra*, qui ante ſchiſma vixit; quemque æqualiter utrique venerantur. *Punctationem* non quidem rejiciunt, ut vir magnopere de Phylologia meritus videtur ſenſiſſe; attamen nec cæco impetu ubique ſequuntur. Ubi R. *Aſcher* a R. *Naphtali* in variis lectionibus diſcrepat, poſteriori magis accedunt, continuata Doctorum ſuorum ſententia, & Codicum fide. Et planiſſime verum eſt, quod ante monui, licet conſpicuus & admirabilis exemplarium ad fidem integritatis faciendam ſit inter utroſque conſenſus, tamen ubi ſuperſtitio aut ineptiens περιεργία Punctatorum vel Maſoretharum alicubi manus injecit, *Karæos* non modo id non probare, non ſequi, ſed graviter potius caſtigare. Notum eſt quibuſdam vocibus, parum (ut credebant) honeſtis, aliena puncta ſubdita propter εὐφημίαν. Vehementer id diſplicet *Karæis*: tanquam ſi iſtis auctoribus Spiritus S. neceſſe haberet diſcere ſermonis verecundiam, atque honeſtatem; ideo auctor *Chillouk* M. S. S. inter alia minora exprobrat: כמו כן נכתבים חרייונים דביונים עפלים טחורים וכאלה רבים עתה אם בדרכים הנכתבים ונמסרים מפי הנביאים נתחלפו אם כן שאר הדברים והתורות אשר לא נכתבו מפי הנביאים קל וחומר שלא יכתבו

Et

Et ita scriptione (punctorum quorundam) הרביונים (2. Reg. 6. 25.) transmutari voluerunt a legentibus, in דביונים, & עפלים 1. Sam. 5. 6. 9. 12... & 6. 4.) in טחורים*; pluraque ejusmodi Nunc vero, si iis in locis quæ scripta sunt & transmissa ex ipso ore Prophetarum aliquid fuerit* ab iis *mutatum, quid factum erit de rebus & Legibus non scriptis ex ore Prophetarum? tantoque facilius quod scripto non servarentur*. Sic manifeste hanc mutandæ lectionis damnant licentiam; & insurgunt ex hoc facto, contra *Legis ore acceptæ* portentum. Tam accurati observatores, censoresque rigidi *Rabbanitarum* cum a tot seculis fuerint *Karæi*, quis potest ambigere si dolo malo S. textum *Rabbini* tractassent, si consilio aut neglectu gravia, inque rebus magni momenti, admisissent ἁμαρτήματα, hoc silentio haud fuisse suppressuros, qui in leviora tam severe animadvertunt, adversarios & speculatores? Consequenter isthinc subnasci pro ἀξιοπιστία, & integra satis Codicis Hebraici fide, invictissimum argumentum. Verum id exequi impræsentiarum pluribus non magis licet, quam luculentis aliquot speciminibus ostendere Karaitici studii, & librorum temere negatam, in re sibi nondum comperta, Clar. Carpzovio utilitatem. Ego sane tam dulces & amplos hinc fructus jam cepi, & uberiores capi posse confido, ut nihil magis ad eruderandam Hebræorum antiquitatem, ad ritus & mores vere vetustos a fictis dignoscendum, ad intelligentiam priscorum librorum & rerum in ea gente gestarum, ad illustrationem cumprimis S. Scripturæ, (in qua vel unicum locum rectius explanasse, maximi laboris & operæ pretium mihi habetur) facere existimem, quam si quis *Karæorum* libris, una Rabbinorum collatis, cum judicio utatur. Nonnulla quamvis tenuia, ut spero, vestigia hæc Diatribe jam signavit; meliora si Deus Optimus Maximus faverit, & hæc non ingrata accidant Doctis, deinceps consequentur.



LEVINI WARNERI
DISSERTATIO
DE
KARÆIS.

CAPUT PRIMUM.

IN frontispicio hujus tractatur oculis publicis exponendum putavi, quod Judæus Karaita asseruit de Christo his verbis: ולרעת אוהבי האמת יוש׳ הנוצרי חכם גדול היה איש צדיק וחסיד ירא אלהים ולא הורה שום חק ומשפט זולת תורת האלהים הכתובה כלי שכן שיגזור חפך או סותר ממה שכתב מושה ע״ה בתורה:
h. e. *Ut autem veritatis studiosi cognitum habeant* Jesum Nazarenum, *fuit is Sapiens magnus, vir justus & bonus, timensque Dominum, neque docuit institutum ullum, aut præceptum extra legem Domini scriptam, quamvis nonnulla tradiderit illi adversa, quæ* Moses *in Lege scripsit*.

Difficilius cognoscuntur placita scitaque Karæorum, eorumque interpretamenta, quæ in Legem & Prophetas scripserunt, propter penuriam veternm librorum, qui & pauci apud eos reperiuntur, & mutili sunt. Sic R. Elias: ולפי שלא נמצאו אצלנו מספריהם כי אם מאט מזער וגם הם בלתי שלמים לכך יקשה לנו לברר דבריהם רק על פי הסברה מלשון. הלב נבריע בהם.

Quin & phrasis eorum parum plana sensusque obscurior est propter causam, quam אהרון בן יוסף indicat his verbis. (*Locus hic non erat expressus.*)

Erant etiam prisci Karæi verbosiores in commentariis suis, quod idem *Aharon* affirmat: & supra memoratus R. *Elias*, qui sequitur *Aaronem*.

Nec solum libri veteres apud eos desiderantur, sed & recentiores sunt infrequentes, & ex eis multi truncati: imo ipsorum Karæorum numerus non est adeo magnus, & loca, in quibus impræsentiarum degunt, cognoscuntur pauca, qualia sunt Ægyptus, (*Cair*) *Gaza*, *CPolis*. Atque hic quidem sub Impp. Græcis magna illorum erat multitudo, & nunc vulgaris est illis usus Gr. L. quam fere puriorem retinuerunt, quam alii. Hoc tempore supersunt paucissimi, plerique propter persecutiones Rabbinorum & Turcarum oppressionem se contulerunt in Tartariam, ubi propter insignem, quam prædicant, justitiam Chani ab omni injuria & extorsionibus sunt immunes. In aliis regionibus, si excipiatur Polonia, ubi etiam sunt Karaitæ, ignorantur, uti ipsi illi affirmant, & post multas alias sciscitationes intellexi.

Profundi quidem Rabbinorum odii frequens in scriptis Karaitarum mentio. Inter alios R. סהל suadens mutuam amicitiam ita ait: הדרך הזאת וכ׳ (*Reliqua hujus loci desiderabantur.*)

Paucitate tamen Karaitarum nihil derogatum iri veritati, licet a pluribus illa impugnetur, sic conmonstrat auctor: וכאשר יתפארו הרבנים כי חכמיהם היו מחנה גדול יחכמי הקראים אחד או שנים או שלשה איך מצאו האמת המעטים מהרבים. אמרתי ואיך הבין איוב בדעת האלהים מארבעה חברים מכל גויי הארץ וכלב ויהושע מעשרה המרגלים והנאנחים והנאנקים מיושבי ירושלים ומבראשונה מעטים היו הנמצאים כטוב ואל הרע רבים על כן מגיד מראשית הזהירנו בתורתו ואמר לא תהיה אחרי רבים לרעות ונביאנו אשר בגלות בבל הם חכמינו ואלופינו אשר יחזיקו ברתינו כמו יחזקאל הנביא ודניאל וחנניה מישאל ועזריה ועזרה ודיעו וחגי זכריה ומלאכי ולולי אלה עידינו אזי חיים ולפי שלא רכ׳ בלעונו Et alius hoc sensu:

Ideo vero non esse se numerosos ajunt, quod errori communi non subscripserint. Sic hoc sensu auctor pag. 2. ובבית שני לא שבו גם הם לכפלה ולא נקראו.

CAPUT II.

Appellantur inter se communiter קראים Karæi, itemque בעלי המקרא & בני הקרא ut ait pag. 1. מפני כי לא יאמנו בתורה החדשה Nominantur etiam, sed raro, ראש עננים, Ananæi, ab ענן, qui fuit הגולה & magnus doctor inter eos, adeo, ut scribat de eo Auctor p. 4. וכל אשר ביד הקראים ממנו להם

Non tamen jurant in verba ejus, vel pro

pro ejusmodi oraculis illa habent, quæ erroris plane sint expertia, unde auctor: מפני שידע

Rabbini eos indigitant הצדוקים *Sadducæos*, ut Rambam in commentar. super *Massecheth* אבות ad sententiam אנטיגנס & Aben Esra initio commentarii in Legem: והדרך השנית Idem alibi eos vocat הסכחישים & החולקים

Licet ipse *Aben Esra* in multis consentiat cum ipsis, uti notat auctor p. 7. הלא תראה שבפשטי מאמרי הנבואה מסכים ברוב לדעת רבנו יפת ולדעת הז״ל וטען לרבי שלמה הצרפתי במאמר בין הערבים טענות מסכימות לדעת חכמינו ז״ל ובן נמי במאמרים אחרים במאמר וספרתם לכם ממחרת השבת שאמרו היא שבת בראשית היתה ובטל ג״כ טענת ר׳ סעדיה: וזה הוא במעלם לכל מה שטען לחכמינו ובן אמר שהאליה תקרא חלב מן התורה בפי מה שכן דעתנו ב״ה ומטיב להרבה המקובלים שעומדים בעד הפשט: ואמר באחד מספריו אם דבריהם אמת בטלת התנאי וזוכר את המקובלים בשם קדמונים ולא בשם חכמים: ובכלל יותר טען עליהם ממה שעניין עלינו ואם אננו מגלה זה בגלוי. ולכן יהי רצון ממריה דעלמא שיגלו בראש גולים המגלים עלינו גלוי מאמרים אשר לא כן:

Notandum h. l. obiter, quid senserint *Zadok & Baithos*, qua causa vel opinione inducti Rabbini Karæos vocarint צדוקים & ביתוסים. Inter alios, qui de hoc argumento scripserunt, sic auctor (*Affertur locus bene longus.*)

Et in libro כוזר בשער השלישי, (liber *Cosri*) זמן אנטיגנוס

Postea subjicit: ובימיהם התחילה ריעות הקראות וגו׳

Interpretabantur vero Legem tantum secundum literam, & nudum verborum sensum, de quo ita auctor: ושתי כתות אלה.

Atque eam ob causam pertraxerunt multos ad partes suas, ut procedente tempore in ingentem numerum excreverint, qui sententiæ illorum subscriberent. In quam rem idem auctor ait: בזה היה מן האפשר וגו׳ Verum Karæi magnam sibi a Rabbinis injuriam fieri contendunt, qui vocentur ab illis Sadducæi & Baithosæi, a quibus sint remotissimi. Ita auctor pag. 3. רחוקים הם מאתנו כרחוק מזרח ממערב

Et si, inquiunt, sequeremur eos, & illorum amplecteremur sententiam, utique laudandi a nobis forent, & honorifica aliqua mentione in libris nostris nominandi, quod contra fit: ex modernis quoque Rabbinis ר׳ יחזקיהו de illis ita: והיא חשובה וגו׳

Sed quia ejusmodi illis nomina induntur, cum, ut supra ostensum, nihil habeant cum secta illorum commercii, respondent Karæi, & odio, quo iis sint expositi, tales appellationes inveniri, & quia in quibusdam idem sentiant Sadducæi, quod Karæi, generaliter ita vocari. Ita una mente negant Cabbalam, traditiones Legis oralis; sic una voce consentiunt מחרת השבת esse שבת ממש ut legitur in אגרת קריה נאמנה & auctore אשכול: אבל ביתוסים אמרו כימועד הכופר חג השבועות לא יהיה אלא יום ראשון כדיבור בעלי מקרא נגרו: Ita eodem auctore unanimiter vetant ducendam בת האח ובת האחות והרומה לזה אף אסר: Item כדברי בעלי המקרא: האליה והעיבור והמעובר:

Ut melius hæc intelligantur, sciendum primo, Karæos celebrare festum illud &c. Verum, inquiunt Karæi, male ideo concluditur, ששניהם כאחד, duos illos pro uno haberi. Addit ולא יתחייב זה כי אם כפרו בפרשים ובכללים ולאשר ראיה מהכתב ולאשר אין להם ראיה מה שאין כן אנחנו:

Quoniam injecta fuit mentio Sadducæorum & Baithusæorum, visum hic fuit, licet extra valorem instituti esse videntur, etiam alios sive hæreticos sive schismaticos inter eos memorare, prout in Karæorum libris notantur: *Et quidem de scissione illa, quæ stante templo facta*, intellectum volunt illud: ואחם סרחם מן הדרך וכשלתם רבים בתוכה Unde Karæus contra Talmudistas pag. 1. ואם מכשלי רבים בתורה ונושאי פנים היו אנשי בית שני ואם נושאי פנים בתוכם חכמיה אין נקבל מהם העתקה או קבלה או כל מאומה: Et ab eo usque tempore multiplicatæ sectæ pag. 1. ומאז ועד היום Non nominat dictus auctor Samaræos, שמרונים, qui ad hunc usque diem reperiuntur, mihique sermones cum illis habiti Sichemi, nunc Napulosa, uti templum habent. De illorum opinionibus sic autor libri, אשכול הכופר pag. 31. דת השומרונים זו היא. לא יודו בנביאי י׳ זולת משה ויהושע ע״ה ולא יאמינו בכתבי הנבואה של נביאי ה׳ לבד בתורת משה וספר יהושע ע״ה גם לא יתערב עמם בשמחתם ובאבלותם כהן שלהם כי אם הוה כמסגל וקדוש יחיד ונירדי ושב ובלי חטא בעיניהם ועושה עצמו כי אין לו חטא ועסק בנירוני ושעשועי ועסקי עולמך בטענתם ומנחנם ורתם גם לא. יודו בבית המקדש מפי אלהינו מפואר ומקודש ואינם מתפללים נגדו כי אם בתפלתם מתפלילים ומשתחוים נגד שילו אשר שכן בה האן וממנו נקרש ולא לעולמית הקדש הוא כמקדש ככתוב זאת מנוחתי עדי עד וגו׳ וגם מקריבים קרבנות כדין תורת משה עד היום הזה בלי מקדש והכהן שלהם הוא המקריב ואינו נושא אשה ואינו מטמא בכל טמאה ונרחצים

ונרחצים מקרי ומטמאה ומי שיגע בהם בגדיהם ופשעים מעליהם אבן על זו מנהגם כן סיפר לנו דוד בן מרואן אלרקי הנודע באל מקמץ כתב בספריו להגיד באזנינו. כי הוא נתחכם בכתבי הערלים ובספרי רפואות. אף הודיע בספריו כי השמרונים ירחצו מטומאת קלה אם יגע אחד באחר מי שאינו מדעתם. ומקרישים חדשיהם בעבור ואומרים כי הוא עבר ירבעם בן נבט מלך ישראל ברחיצת וטהרת בגדיהם אם יטמאו יביאו כלי וישיטו אותו הבגד הטמא בתוכו ויסגרו ראש הכלי ובמים יכניסוהו. ובזולת רחיצת מימיך גיאול וטומאת הבגד ההוא בדעתם בלי רחיצה כי נטהר ככתוב במים יטהר. והם שתי כתות האחת קוראים בוטאן והשנית דוסתאן האחרת מורה בתחיית המתים כאשר טפי הנביאים נזכר כתוב תשלך רוחך יבראון וגו' וכתיב יחיה מיתיך: דת שני אינו מורה בתחית המתים וגם תחלימו בקריאת התורה דברי פסוק וכל העם רואים את הקולות אין נראות בעיניך: הפסוק המתחיל ויאמר קין אל הבל אחיו הוסיפו בו קום נצא השדה: וכך פסוק ובני ישראל אכלו את המן ארבעים שנה כתבו אכלו את המן במדבר ובשדה ארבעים שנה כך הוסיפו בדברו תורתך ועניך ספור יעקב כתוב כל נפש בניו ובנותיו שלשים ושלש אומרים שלשים וששה הוי וטעת הסופר: וקידוש חדשיהם לדרוש את הירח עת הופרדו מהשמש חרסה זו נואמים כי היא עת ילידתו והיא עת ראש החודש ובעת ההיא ראויות התפלה והקרבן על חדש ולוי הירח טרם בוא התחרסה בשעה ההיא לפניך חברו כנחרו מתירים ביום השבת כל מה שתקנו המחליפים שיאכלהו ממאכל חם ומשקה שיש חוהו את הפרי אשר יכרת בשבת וכמרומה לזה התירוהו ויש להם דברים רעים וחלופים שלא מתורת ה' הדשוהו ואין כתעותם ומנהגם: כי כל מנהג ודת שהודם וסותר ומחליף ראוית ודברי תורתינו הקדושה הישרה הישנה והנאמנה אסור לדרוך בה ככתוב כל דרך בה לא ידע שלום וכתיב כל באיה לא ישובו ולא ישיגו ארחות חיים חיו עולמך עד כאן

De Sectis illis item auctor אגרת קרית כת השומרונית שאין hoc modo: נאמנה דתם מאמנה אלא בתורת בן עמהם ובתלמידו בן נון לבד והם מגישים עולות ומקריבים קרבנות על עצם היום הזה בלי היכל ה' ומקדשו וע"פ ירבעם בן נבט דורך תיקון חדשיהם אשר שנאו בפשו יתברך: וכתב דת משוי העכברי וכתב דת אל בתל ודת תפליפיים ודת כותיים ודת משה אל זעפני ודת ישמעיאל אל עכברי. ודת עובריה האספני ודת גדאויה ודת קרעייה והולת אלה כתוב ודתות אחרות שונות שעמדו לישראל ומרו ועצבו את רוח קדשו כמו שבאר באר היטב החכם ההרסי הילתו שאמר שמחורבן בית שני עד היום הזה קמו בישראל כשיעור י"ד דתות וכל המעיין בספריהם וחזה כל זה:

Sciendum quoque, ut redeamus ad propositum, Karæos pro differentia opinionum in duas partes dividi. De eo החלק האחר (p. 43.) כתר תורה Subjungere hic volui nomina eorum, qui a veteri tempore clari & conspicui fuerunt inter Karæos. (*LAcuna hic erat, quam enarratio Doctorum Karaiticorum implere debebat.*) Autor alius eos hoc modo recenset &c.

Omnium celeberrimus inter recentiores existimatur, de quo pronunciant Karæi, sicut Rabbini dicunt de *Mose Maimonide*.

Aharon ille, uti referunt, fuit רהבן, qui cum postea vidisset librum aliquem Aaronis, quo confutaret Rabbinos, dixisse fertur וירא

De fundamento controversiarum, quæ sunt inter Karæos & Rabbinos.

Primariæ inter eos controversiæ, a quibus reliquæ derivantur, in tribus consistunt punctis. Sic auctor כתר תורה ואלם השנויים אשר יש בינינו ובין בעלי המקרא כפן קבלתם וגו' (*Hic locus exstabat bene longus.*)

Idem quoque tradit Auctor libelli: אשרי תמימי דרך his verbis: כבר ידעת שסבות מהחלוקות אשר לבית ישראל רבנים וקראים מן שלש סבות: (*Locus erat longior.*) Momenta illa tria hæc sunt (1) Mosi tradita esse multa a Deo, quæ non sint in Lege scripta. (2) Legem ex traditione interpretandam esse. (3) a Sapientibus vel addi Legi, vel demi de ea posse, prout consultum fuerit visum.

Citati illi duo Karæi ad ea Cabbalistis respondent: & primum quidem auctor כתר תורה sic: &c.

Ac pari sensu alter: &c.

Patet hinc, quid sentiant Karæi de Lege orali Cabbalistarum, quæ causa fuit, quod ab illis discesserint. Ita habet liber inscriptus Kether Thora: אמנם יראי השם וגו'

Eodem sensu in opusculo, cui titulus: אשרי תמימי דרך pag. 30. וכראות זה R. *Sabal* contra Cabbalam p. 79. הלואת חשבתם

Liber impressus, Cabbalistas inter se dissidere: זה אומר בכם Et in אשרי תמימי דרך non tantum discordem esse Cabbalam, sed etiam contra Legem Dei pugnare. Verba ita habent: והנה אם היתה

In hanc sententiam quoque R. *Eliiabu Beschtzi*: ואתם עדת נעלו השכל והתבונה הביטו וראו אל דברי האנשים שאומרים שיש תורה אחרת חוץ מתורת משה רבינו ע"ה וגו'.

Hæc

Hæc ut eluderent (inquit jam citatus autor) Cabbalistæ , & inter eos מה אשמר כתבת׳ ait הגאון חפיחומי Atque ita : פירש התורה תורה שבכתב והמצוה תורה שבעל פה כי כל המצוות בסיני נתנו למשה בימים ההם שעמד בהר וכן כתוב ואתה פה עמוד עמדי עד כאן דברי התשובה עליו Ad quod respondet memoratus Karæus : כי מה שאמר כתבתי דבק עם לוחות האבן לא עם התורה והמצוה זה צריך אהוב שיאמין בו כי כתבתי הוא אחר התורה והמצוה והיה ראוי שיהיה קודם מהם. ועוד אנה מצא זאת האברה כי הש׳ לא כתב רק עשרת ולמה לא יהיה כתיבת התורה גם כן בצווי.

Et in כתר תורה omnia esse scripta , nihilque relictum traditionibus , pag. 45. והנה וכתבו שני לוחות אבנים וגו׳

Unde vana & falsa esset secunda illa lex. Sic Kether Tora : ודברו על ה׳ סרה בדברים אשר נאמרו מפי הגבורה במצוות התורה וספוריה וגו׳.

Quæ lex nova est & commentum humanum , de quo in tractatu, qui inscribitur : אשרי תמימי דרך

Quomodo vero Kabbalæ illi seu Legi orali primo conciliata fuerit auctoritas , ut fidem apud homines invenerit , ita in supra citato opusculo docet ובדי להפיל וגו׳.

Neque hoc patrocinatur veritati Legis illius secundæ , vel excusatior erit sequacium error , quod prisci eam fuerint amplexi , & pro vera habuerint , quo sensu R. *Sabal* scribit : דעו אחינו ישראל כי כל אחר וגו׳

Ex illis, quæ producta fuerunt, satis liquet , quid sentiant Karæi de Lege Orali . Interea tamen non plane rejiciunt Talmud vel dicta חכמים sapientium , de quo audiendus auctor tractatus אגרת קריה נאמנה qui sic habet : בעלי המקרא המאמינים בה׳ ובמושה עבדו ובתורתו ובשאר ספרי הנבואה כולם ובפירוש החכמים הכוללים ובדבריהם מאמנים שיש להם סיוע מהכתוב כי אמריהם אמרי אבותינו הם ולא הנחנו כללם רק אותם שאין להם סיוע מהכתוב וגו׳

Imo jubentur Karæi legere Talmud juxta eundem autorem, qui notat החכם רבינו נסים בן נח שהוא

Sciendum vero h. l. est , Karæos etiam agnoscere modum aliquem traditionum , quem ההעתקה vocant, & a vulgatis Talmudistarum traditionibus plane diversum constituunt. De ea sic in tractatu : אשרי תמימי הדרך pag. 38. הח׳ ההעתקה המשלשלת שהענינים שבה אינם לא מן ולא מן ההשכל וגו׳

Eodem sensu in libro , cui nomen אדרת אליהו , cujus hæc sunt verba : אמנם יש מצות אחרות שנתגדלו בהם בזמן אבותינו ונתנהגנו בהם ואינם כתובות בתורה וכו׳

Et auctor אגרת קרית נאמנה in hanc sententiam : להיות שיש שתי מיני העתקות בערך שתי כתי ישראל האחת היא העתקות אחינו בה׳ אשר הורו בה אין כל דבריה בלי תועלת והם אשר להם סמך מהכתב וגו׳

In opusculo אשרי תמימי דרך etiam notatur differentia , quæ est inter קבלה & ההעתקה his verbis : והנה אלו היתה קבלתם חלוקה וכל׳

De tempore separationis.

De tempore quo separati fuerint Rabbini & Karæi , non eadem inter illos est sententia : Rabbini , ut legitur in libello . . . . tradunt , ætate *Anan* demum innotuisse Karæos, ideoque , quia secta sit novitia , dogmata ejus quoque nova & parum vera esse . Ad quam conclusionem ibidem sic respondetur : ועוד לא היה כדבריהם

Autor Karæus כ״ת תורה de tempore , quo divisi sunt , hæc habet : ואין החלוק בין קראין לרבנן אלא אחרי צארת ישראל בגלות הקשה &c. Audienda quoque de hoc argumento verba opusculi Karaitici אח״ד *quæ sic habent :* ואמנם הזמן אשר נחלקו

Et R. סהל Karæus hoc sensu notat pag. 54. וגם אחרי התימת הזון Inter Rabbinos etiam est R. *Jebuda Levita* (quem Karæi in iis , quæ res Karaiticas spectant , propius attingere verum ajunt) qui in libro כוזרי refert scissionem illam ad tempora *Jebuda ben Tabbai & Schimon ben Schetach* , qui scilicet subsecuti sunt אנטיגנוס איש סוכו , pertinere. Hæc sunt ejus verba , prout citantur in epistola Karaitica אגרת קריה נאמנה

Videndum nunc est , quem modum observent, quibusve utantur regulis Karæi in explicanda Scriptura. Autor opusculi: אשרי תמימי דרך notat octo regulas primarias, quibus explicanda sit Scriptura : הדרך האחת היא הפשט שאין שום אדם וכ׳

Hoc sensu scribitur etiam in tractatu אדרת אליהו his verbis , וממה שצריך שתדעהו עוד שיש מצות רבות לא נזכרו בתורה בפירוש &c.

Ad h. l. quoque referenda illa, quam tradit R. יפת הלוי hoc modo ודע כי אמרו הרבנים אין מקישין בעריות ולכן החמירו כל ערוה אירה &c.

Addi hic possunt , quæ notavit idem R. *Japheth* ad verba illa Scripturæ : לא יקרחו ולא יגלחו ולא ישרטו Ita vero habet pag. 20. ואשר אמר בשאר

Ad-

Adjungam nunc aliquot excerpta, ex quibus clarius pateat, quomodo Rabbini & Karæi exponant Scripturam. Locum illum cap. (*locus non erat expressus.*)

Referunt Rabbini ad חכמים Sapientes & Doctores, qui soli teneantur scire, & interpretari legem. Contra Karæi non de Magistris solis sed generaliter de omnibus promiscue verba illa intelligenda esse docent. R. *Japheth* de eo sic differit: ואמר לפניהם

Terminum vitæ Karæi secus, quam Rabbini sentiunt, fixum & immotum esse credunt. R. *Aharon* ad verba illa: שיש קצב משוער ויקרבו ימי ישראל notat עם היות וכו׳ Et notæ ad *Aaronem* sic וכו׳

Verba illa *Exod.* XIII. 16. יהיו לאות ידך ולטוטפות Rabbini κατὰ τὴν διάνοιαν & metaphorice intelligunt. R. *Japheth* hoc sensu: פתרתו טוטפורת מסובבות כמו והטף אל דרום אשר פתרונו הסב פניך אל פאת דרום וטעמו הוא כטעם ולזכרון בין עיניך שאמר בפסוק העליון והוא מנהג בני ארם כאשר יחפצו שיזכירו דבר ישימו אותות על אצבעותיהם להזכירהו הרבר אשר הם חפצים לעשות אותו על כן חייב ה׳ כשׁ שישימו מעשה במצרים לפניהם תמיד לזכור אשר חייב עלינו לתת הבכורות ודברה כלשון בני ארם: וכו׳

Sic ad illud Genes. XXXVII. 15. וימצאהו איש והנה תועה בשדה ubi R. Aharon per איש intelligit מי שנמצא & additur in citatis antea notatis כלומר אחד

Et quod scribit in *Levitico* c. XIV. 4. ועץ ארז Karæi (scilicet R. *Japheth*) adversus Rabbinos ita explicant: יהיה עץ

Quo referenda quoque ejusdem auctoris verba: ויבשר מזולתו אלה &c. Ingens quoque inter illos est controversia de חשבון. Notum est, Rabbinos sequi traditionem, Raræi vero insistunt soli הראייה Fundamentum rei consistit in explicatione horum verborum החודש הזה לכם De eo sic R. Aharon pag. 100. sq. (*Locus afferebatur bene longus, qui toti huic dissertationis colophonem imponebat.*) (*a*)

(*a*) Hactenus *Warnerus*, (*inquit* Wolfius Bibliothecæ Hebr. Tom. IV. pag. 1096.) qui ipse interdum *Karæorum* loces, ad quos provocaverat, alias vero expresserat, quos, nimis utpote longos, & a *Triglandio* in sua de *Karæis* dissertatione ut plurimum allatos, hic repetere nolui. In fine harum Obsevationum *Warnerus* diversitatem Scripturam Sacram interpretandi, quæ inter *Karæos* & *Rabbanitas* intercedit, paucis aliquot exemplis repræsentavit. Hæc ut rectius pateat, consultum puto, suppeditare excerpta ex *R. Aaronis* fil. *Josephi*, Karæi, commentariis in aliquot libros Biblicos, de quibus Vol. I. & III. num. CLXXXIII. dixi. Descripsi illa excerpta ex Codice Legati Warneriani in Bibliotheca *Lugduno Batava*, quem Catalogus editus nusquam commemorat, mihi autem inter cetera ejus invenire licuit. Præfert is numerum XX. & præter hæc specimina, similia ex aliis Karæorum, v. c. *Jepheth* commentariis in libros Biblicos petita exhibet. Accipe itaque primo loco ea, quæ ex *Aaronis* hujus commentariis in libru *Josuæ* & *Judicum* petita sunt.



R. AA-

R. AARONIS KARÆI EXCERPTA IN JOSUÆ.

CAPUT PRIMUM.

Verſ. 1. כל לאמר טעמו אמר לו (לאמר
11. כנראה שלא אכלו (הכינו לכם צדה
ישראל מן תבואת ארץ ישראל אלא מחרת
הפסח שנ׳ וישבת המן ממחרת. ומלת צדה
שם כלל בפסוק המזון. והכרוז לא היה
אלא אחר שוב המרגלים ואין מוקדם
ומאוחר:
Ibid. אותו יום (כי בעוד שלשת ימים
אינו יוצא מחכלל הלא כת׳ בעוד שלשת
ימים ישא פרעה ואחריו ויהי ביום השלישי
ואחר הכרוז אמר ולראובני ולגדי מה שאמ׳

CAPUT II.

Verſ. 1. כענין ונתתה כל (אשה זונה
ממלכות הארץ:
7. דבר הפסוק (והאנשים רדפו אחריהם
ובא כמ׳ והירים ידי עשו:

CAPUT III.

Verſ. 2. שהיו (מקצה שלשת ימים
המרגלים יושבים בהר כי שילוח המרגלים
היה ביום רביעי לחדש ורביעי לשבוע וביום
ראשון שהוא שמיני לחודש באו המרגלים
ואז הכריזו שוטרים:

CAPUT V.

Verſ. 2. האמרו שוב כמ׳ השמר (ושוב מל
לך פן תשיב את בני שמה ושני כנגד
היוצאים ממצרים שהיו מולים וזו פעם
שנייה:
9. כי העם הנולד (את חרפת מצרים
במדבר היו ערלים והיו בחרפה כנגד
היוצאים ממצרים שהיו מולים כי חרפה היא
לנו כמ׳ לחרדת אליהם:
11. אחר שהקריבו (ויאכלו מעבור הארץ
העומר. ואם היה משנה שעברה מה הצורך
הכת׳ לומר ממחרת הפסח מצות וקלוי:
13. במראה הנבואה (וירא והנה איש
ולפי שיהושע ילחם מלחמות יי׳ ראה וחרבו
שלופה בידו:

CAPUT VI.

Verſ. 15. שבעים (ויהי ביום השביעי
כנגד יום שהחלו להסב את העיר דשמיני
למנין כי היה שבת ביניהן: וכפי סדר
המקראות יום שני:
26. בתחלת יסוד הבנין (לשבוע היה
ימות בנו הבחור ובגמר העיר בהצבת
הדלתות ימות בנו הצעיר:

CAPUT VII.

Verſ. 5. בוודאי היה אותו (עד השברים
מקום שברים לפי שאמ׳ במורד כי בורחים
היו:
11. שראה עכן שנפלו (וגם כחשו
כישראל שלשים וששה איש ולא הודה:
16. לפני אלעזר (ויקרב את ישראל
שעל ידי אורים ותומים יוצא הגנב:
Verſ. 24. בין (ויעלו אותם עמק עכור
יריחו ובין העמק היה הר לכ׳ אמ׳ ויעלו:

CAPUT VIII.

Verſ. 13. של אורב כלומ׳ (ואת עקבו
סופו
Verſ. 32. ר״ל ספר (משנה תורת משה
אלה הדברים:

CAPUT IX.

כל מקום שיביא (אל המקום אשר יבחר
שם ארון ברית יי׳:

CAPUT X.

Verſ. 12. לא נכתב מה דבר (אז ידבר
ונאמר ששאל והתחנן מהשם מיעמיד
חשמש אז יהיה מה שאמר ויאמר
Ibid. היצרך להעמיד (וירח בעמק אילון
הירח עד שלא יפגע באור השמש ויראה
בלוקה. ושמא האור עמד ולא חגלגל:
Verſ. 13. נראה יום גדול (כיום תמים
משל חבירו:
21. לא הגיע מהם לבני (לא חרץ
לבני ישראל לאיש אחד את לשונו:
40. כמ׳ ואשר הנחלים שם (והאשדות
מקום:

CAPUT XI.

Verſ. 8. שהיו שם מים (ועד משרפות מים
נובעין חמים:

16. הר המוריה והנכון (ואת הר ישראל
הוא ביתאל שקראו יעקב כן:
18. שאם היו רוצים (כי מאת יי׳ היתה
להשלים ארת ישראל היו מקבלם כי גם
במלחמת מצוה חובה קריאת השלום ואם
יקבלו עליהם מס ועבדות ושלא יעבדו ע״ז
כדי שלא יחטיאו את ישראל יניחום חיים.
ולא חרה אף ישראל באנשי גבעון כי אם
בעבור שרמו את ישראל ולא קבלו מס
ושעבור אלא חפצו להיותם שוים עם ישראל
שנ׳ באו עבדיך לשם יי׳:

CAPUT XII.

Verſ. 23. שם אומת מקבצה (מלך גוים
מעמים:

CAPUT XIII.

Verſ. 3. והעוים משפחה איזה (והעוים
מפלשתים ומפני שהש מידום כפתורים
שהם מפלשתים שנ׳ כי שודד יי׳ את
פלשתים שארית אי כפתור הזכיר העוים
עם פרזי פלשתים כי נשאר לעוים שאר
ארזים:
9. היא מבדלת תחומי (והעיר אשר בתוך
סיחון הגבול מואב:
12. פעם היה מושב מלכותו (אשר מלך
בעשתרות ופעם באדרעי:
25. והלא כת׳ לא תתן (וחצי ארץ
מארץ בני עמון לך ירושה והתשובה
נתבררה בדברי יפתח גם יל׳ כי מארץ
רפאים שיירשוה בני עמון תנע לישראל
ליקה אבל מה שכבשי בני עמון מאחרים
מותרת לישראל:

CAPUT XIV.

Verſ. 12. אולי מלה זו (אול יי׳ אתי
לפעמים והנה טעמו באמת כמ׳ אולם אני
אדרש לא אל׳. כי כפי דעתי אין היוד
באולי והמם באולם עקר כדעת זולתם:
13. והלא היא לכהנים (ויתן את חברון
שנ׳ ויקרישו את קרש בגליל תלמד שלא
נתנו לכלב כי אם בזנותיה. ועוד שכל אותם
הערים נקראים בשם חברון:
15. נקרא כן בעבורו (קרית ארבע
ובעבור שלשת בניו:

CAPUT XV.

Verſ. 18. הסתות לעתניאל (ותסיתהו
שיתן לה רשות שישאל מארת אביה שדה:
19. כלו׳ מקום שיהיה (הנה לי ברכה
מבורך כי ארץ נגב ויובש נתנה לי
25. חצור חדתה כפי (וחצור חדתה
הנראה אינה עיר אחרת
36. יל׳ גדרה וגדרתים (והגדרה וגדרתיים
עיר אחרת
41. הראוי ובית דגדן כי (וגדרות בית
לכ׳ יעלו במנין שש עשרה

CAPUT XVI.

Nil occurrit.

CAPUT XVII.

Verſ. 5. חמשה בתי אבות (ויפלי חבלי
כי הוצא מהן חפר מהיה אבי צלפחד כמו
שמפורש בתורה וה׳ לבנות צלפחד:
15. טעמו אם זר (כי אז לך הר אפרים
לך הר אפרים או ענינו כי גם אני יודע כי
אז לך:
17. מפני שהיה שבט (ויאמר יהושע
מנשה חצי שבט לא נתן לו גורל בפני
עצמו אלא חברו עם אפרים שנ׳ וינחלו בני
יוסף מנשה ואפרים:

CAPUT XVIII.

Verſ. 22. שתים הם ביתאל (ובית אל
שישמה לוזה היתה בחלק בני יוסף וביתאל
שהיא סמוכה לעי׳ היתה בנחלת בנימין:
28. מנין הערים מכריח (והלע האלף
לני שתהיה צלע עיר אחרת והאלף עיר
אחרת ובן חסר ו׳ו קרית:

CAPUT XIX.

Verſ. 29. כמ׳ ועד חבל (מחבל אכזיבה
ארגוב
35. עיר אחת (הזרים זר
47. יותר מאשר נחלו (ויצא גבול בני
והולך ומפרש כי למרו ללשם וישבו בה וי״א
הפך זה כלומ׳ היה חבולם פחות מהם ולכ׳
עלו ונלחמו עם לשם כי כמ׳ שימצא המם
ומורה לתוספת כן יורה לגירוע לפי מקימו.
ובספר שופטים תוכיח מתי נלחמו ואין
מוקדם ומאוחר בנבואה כי לשם היא ליש
לפי דעת רוב המפרשים:
50. על ידי אלעזר באורים (על פי יי׳
ותומים:
51. הגורל לא היה (בגבול בשלה
במספר ההרים אלא על רחב הגבול וארכו:

CAPUT XX.

Verſ. 6. מעת עמדו למשפט (עד עמדו
שאם יצא מחויב לגלות ישב שם עד מות
הכהן הגדול:

CAPUT XXI.

Verſ. 3. יש לשאול (ויתנו בני ישראל
אחר שאמ׳ הכת׳ מאת חרב חרבו איך נתנו
משבט יהודה שש ערים מכלל ומשבט דן
ארבע וכלל עריו י״א. ונא׳ כי ערי יהודה
היו גדולים ומשל דן היו קטנות:
11. נתחלפה התנועה ובא (אבי הענוק
כמ׳ ויהי לי שור וחמור:
12. מלמד שלא נתנו (ואת שדה העיר
לכהנים כי אם גוף העיר ומגרשיה:

א״עפ שהיה מספר (כל ערי הלויים 41.
הלויים מעט מכלל השבטים לקחו מח׳
כמ׳ ערי . . . שלשה שבטים אולי צרך כל
גולה היה מאא הלוי:

C A P U V XXII.

אותם שהיו במלחמה (או יקרא Vers. 1.
כי שלחם כולם גם ראובן וגד
השומרים הערים מעבר (חלקו שלל 8.
לירדן בבזה יקחו חלק:
להיות למראית עדות (גדול למראה 10.
ולא לזבח
פי׳ פיאה ומקום (אל מול ארץ כנען 11.
ומ׳ ויסב מאצלו אל מול אחר:
שהמשכן נקבע בשילה (ויקהלו 12.
ונאסרו הבמות:
היה נשיא לבית אב (ואיש ראש 14.
וראש לאלפי ישראל:
שיש לנו חלק בארץ (כי עד הוא 27.
ובמזכח יי׳:

C A P U T XXIII.

ובפל׳ למדו כלומ׳ יהיו כמ׳ (ולשוטט
שוטים להכות וליסר בצדיכם:

C A P U T XXIV.

כמנהג העברי (וארגן לעשו Vers. 14.
להחל׳ מאשר השלים כמ׳ פן יראה
בעיניו:
יש ספרים שהריש (ועתה יראו 14.
בשורק וגם הוו כן וטעות הוא כי האלף
נחה בצווי כדי שלא ידחה מנזר׳ יי׳ ראה
וכפי אותם הכפרים הוא במשקל זכורו:
ו״ל מקרא כלב תמים ויהיה (בתמים
תאו בכל מקום :
אצלי כתב (בספר תורת אלהים Vers. 26.
הברית הזאת בספר שהוא הורית השם
ועבודתו ובו חקותי ותורותי כי לא יתכן
שיהיה בספר תורת משה:
ובמקום אחר תמנת (בתמנת זרח 30.
חרס כמו שמלה שלמה:
ותקיים דבור יעקב (קברו בשכם 32.
אבינו ע״ה ואני הנה נתתי לכה שכם אחד
על אחיך אשר לקחתי:

LIBER JUDICUM.

CAPUT PRIMUM.

על ידי אורים (וישאלו בני ישר׳ Vers. 1.
ותומים:
ר״ל מי ילך כמו יעלו בתחו (מי יעלה
לשבט שמון שנחלת (ויאמר יהודה 3.
שמעון ובללת בנחלת יהודה:
מנהג הכתוב כשירצה לפרש (וילך 10.
הענין הנזכר עוד מבארו במקומו:
יתכן אחר ששב יתרו (ובני קיני 16.
מהר סיני אל מדין לקח בניו וכל ביתו ובא
אל ישראל:

i. e. יריחו (מעיר התמרים Ibid.
לשון חפש ואינו יוצא (ותירו Vers. 23.
כמו כשלג ילבינו:
גם זה ראיה (וישם את הכנעני למס 28.
לכדי במלחמת מצוה:

C A P U T II.

יש אומרים (ויעל מלאך יהוה Vers. 1.
הוא יהושע ויש אומרים הוא פנחס והנכון
הוא שר צבא יי׳ אשר נראה ביריחו ושם
כתו׳ ויחנו בני ישר׳ בגלגל והכתו׳ מדבר
בדרך כני עם:
הוא מקום שנקרא (אל הבוכים Ibid.
לאחר כן:
עתיד התחת עבר עבר (אעלה Ibid.
ואפשרות השלח והשלוה נמצא בעברי ענין
אחד:
ו״ל שזה (והיו לכם לצדים Vers. 3.
מקרא מקוצץ וטעמו יהיו לשכים לצדדים:
וכבר שלח רק כתב (וישלח יהושע 6.
זה עוד כדי להזכיר ויעבדו את יי׳ והזכירו
וימה כדי לומר וגם כל הדור ההוא

C A P U T III.

שאין הכנענים (רק למען דעת Vers. 2.
נלחמים בישראל ונוצחים אותם כי למען
יעבדו את יי:
i. e. (רק אשר לפנים לא ידעום Ibid.
שהיו עובדים את יי:
בולל שני (ותשקט הארץ Vers. 11.
השעבור והשקט ומונה אותם שאם לא
כן יעלו הרבה כל השנים הנזכרות בספר
זה ואין יותר מחפ׳ שנה מיום צאת ישראל
ממצרים עד יום שנבנה המקדש:
כמו ואל׳ (איש אשר יד ימינו 15.
כמו ואל תאטן עלי:
פיר׳ אמה וכן וגמדים (גמד ארכה 16.
במנד לותיך אנשים קצרי קומה כמדרת
אהרן:
מקום שפוסלים שם אבנים (מן הפסילים
ויש לומר פסילים ציורים כמו פסל:
עלייה עשויה לישב (בעלית המקרה 20.
בה הרוח ביום חום כי מנהג המלכים
והשרים להיות בתי קיץ ובתי חורף:
החלב או הלחב (ויצא 22.
פיר׳ לפי מקומו ו״א (הפרשדנה Ibid.
ז״ל הכרס והוא הפרש ותהיה הדלת ניספה:
ימ׳ שהיה לבית החיצון (מתפרדונה 23.
מקומות להושב בני האדם סדרים סדרים
סדרים והנכון שאין לו דומה. וההא לשניהם
נוסף רפי שהי מלעיל והזוגין לתפארת:
ר״ל כל איש שמן וחשוב (כל שמן 29.
וגבור כענין ויהוג במשמניהם וכן וישמן
ישורון כלומ׳ ותחזק ונתגבר:
כמ׳ שפירשתי (ותשקט הארץ 30.
בארבעים שנה:

C A P U T IV.

שם מקום ו״ל (נחרשת חגוים Vers. 2.

מלשון החרש והאמיר כלומ׳ יער ויהירה
הגוים כמ׳ מלך גוים אחד ובא בהא הדעת
כמ׳ ויפקדם בטלאים:
שם אישה ולהיותו ברק (אשת לפידות 4.
הוא דרך סברא מי לפיד וברק דומה
במענה:
משפטו והיא (והיא יושבת Verſ. 5.
דבורה יושבת תחת תומר ורבים כן. ארח
חקיך אשמר את עמ׳. ולהיות תומר שם
מקום מלת תחת תכחישנו רק כמ׳ כתמר
מקשה. ותומר ותמר אחד. והזכיר זה שלא
נמצאת בעירה כששרתה רוח אלהים עליה:
ושלחה וקראת לברק. ואילו היה ברק לפידות
אישה היה כת׳ ותשלח לאישה ברק:
כמ׳ בית לחם יהודה (מקדש נפתלי 6.
שנסמך על שם עצם:
אינגו נוגע רק טעמו (לכה ומשית Ibid.
תמשוך אותם בדברי שמך ופתויי תמוך
יריאים לצאת במלחמה מפני סיסרא:
הזכיר זה בעבור (וחבר הקיני Verſ. 11.
יעל:
כסות עשוי מן (ותכסהו בשמיכה 18.
צמר והצמר וראה למעלה מן הארגז:
כמ׳ נבל יין לפעמים (נאוד החלב 19.
בסמיכים הכלי אל אשר בתוכו:
ונקראו הצדעין ככה מפני (והיתד ברקתו
דלות הבשר וכיחושו קיוב הלשון רקות
נשר:

CAPUT V.

יא ברוח הקודש (ותשר דבורה Verſ. 1.
אמרה השירה הזאת אעפ שאין בה עתידות
ומנהג הנשים ירועה:
אימתי נוקם השם (בפרע פרעות 2.
ית׳ נקמות ופורעניות בעבור ישראל
כשיתנדבו העם וישובו ממעשיהם הרעים
ויברכו את י׳ וים בפרוע פרעות מלשון ופרע
את ראש האשה. כשפרעו בני ישראל על
דברי תורה נמסרו ביד אויב עתה בהתנדבם
יברכו ה׳ על הישועה שעשה להם:
תפש המלכים (שמעו מלכים Verſ. 3.
והרוזנים והכל בכללם ולפעמים יהיה הצווי
בכלל לא לאדם מיוחד כענין חזקו ידים
רפות. סלו סלו המסלה:
החלה לספר (יהוה בצאתך משעיר 4.
גבורות השם שעשה עם ישראל כי כבוא
ישראל אל הר שעיר בשנת הארבעים אז
היה להם זכם לאור עולם:
כלי לשון כמנהג (משרה הארום Ibid.
השיר והזכירה ישועת ישראל ואשר כבדם
השם יתעלה במתן תורתו בנזכר זה סיני.
ואש׳ אמ׳ ארץ רעשה כעניין ותבעט ותרעש
הארץ שמורה על מלחמת הגוים. וכן אלה
מתימן יבא. ועזרת השם ית׳ לישראל
והתפארם בתורתו. אינגר כי אם בלכתם
בעבורת השם ותורתו. כי הוזכו בהתנדב עם:
ברגש הלמד שהוא (חדלו Verſ. 7.
באתנה כלי תועלת רק לתפארת:
וי״ל יבחר אלוהות (יבחר חדשים 8.
מושיעים חדשים דור דור ופרוסיו בעבור
עצמה וברק:

עבר כמ׳ כי הפץ (אז לחם 8.
פרשתיו כי האויב (בארבעים אלף Ibid.
מבריח ארבעים אלף בישראל עד שקמתי
דבורה:
כמ׳ צחר צחר (אתנות צחרות Verſ. 10.
קרוב מלשו׳ לתנות (שם יתנו צדקות 11.
את בת יפתח:
החלה לספר השיר (אז ירד שריד 13.
שאמרה עורי עורי דבורה ובאו מלרע.
כחבירו לבשי עוז. אז ירד יש׳ שהיה שריד
ופליט לארירי עם למחנה סיסרא וממם
לארידים נוסף כמם במצלתים נחשת. אמרים
אמת ה׳ וכל זה לא היה מגבורות המריד
אבל ה׳ ירד לי בגבורים ורד בשקל יצו ה׳
החלה לומר מי ומי (מני אפרים 14.
ההולכים למלחמה. מן שבט אפרים שרשם
עלו והלכו להלחם העמלקי מאריך אי אפרים
בא בנימין ונתחבר בעממיך ומן מכיר ירדו
מחוקקים וחושבים בנערכת המלחמה ואיך
ינצחו לאויב ולכמ׳ בן משבט זבולון אפילו
הסופרים ומופרים ומושרים בשבט סיפר הם
ירדו למלחמה:
משפתי המערכות (בין המשפתים 16.
קרוב מלשון שפות הסיר: ור׳ יפת ז״ל אמר
מני אפרים זה יהושע שנלחם עם שורש
עמלק שנ׳ ויחלוש יהושע. אחריך זה שאול:
בעממיך כנגד עמלק. מני מכיר גדעון ויאיר.
ומזבולון אילון הזבולוני. ושרי היור
נוסף והוא תולע בן פואה. ואמר החכם
הנזכר נראה כי דבורה משבט יששכר. באמור
עם יששכר. ואינו קרוב:
קול המחנות (לשמוע שרקות Verſ. 16.
מי הנוצח:
דרך משל או כדרך (מן שמים נלחמו
ועל צבא המרום במרום:
נוגע. ונמצא יוצא הלמוני (אז הלמו 22.
בל ידעתו. וכן רבים הנה וחלפה רקתו עם
כחציר יחלוף:
וכנראה שהיתה מרון (אורו מרוז 23.
קרובה ולכ׳ ארוה:
שכל מי שלוחם (לעזרת יהוה Ibid.
מלחמות ישראל וקרא לוחם מלחמות יי׳ כי
מלחמות יי׳ ארני נלחם:
בירת העזר עם גבורי (בגבורים Ibid.
ישראל:
רל הוא תואר לפסל (בספל אדירים 25.
והיוד והמם נוספים כמ׳ פר בן בקר התמים.
וגם יקרא כלי עור ספל הלא הספל מים:
תשלחנה הנון (ידה ליתד תשלחנה 26.
נוסק מנון כי בוש קצירה תשברנה. וי״ל כל
אחת ואחת מודיה לפי שאמ׳ וימינה להלמות
והוא שם כלי המקבת:
מוסב על ליתד מעברה (וחלפה Ibid.
מצד אל צר ויתכן שיהיה וחלפה מוסב עלי
על כחבירו ויהיה יוצא:
בפל הדיבור ומה שאמ׳ (נין רגליה 28.
כ״ה אלהים יריבו לפירושם:
דרך סברה (בעד החלון נשקפה 28.
ויל ברוח הקדש:

CAPUT VI.

פעם (והורה אם זרע ישר' Verſ. 3.
לשו' יחיד ופעם לשו' רבים:
יבול כמ' יקום והנכון (יבול הארץ 4.
הם הפוכים ולא מספיק לשנים ולא שה
ושורה:
יא זה פינחס ויל' הוא (איש נביא 8.
גרעון ומנהג הכת' לכלול הענין נאחר כן
שבו מפרש:
מעתה יהיה (יהוה עמך גבור חיל 12.
השם עמך ותהיה גבור החיל:
בא בדרך אל קום (הנה אלפי 15.
שטעמו אל בפי הרל במנשה:
עורנו מוסב אל (עורנו בעפרת 24.
גרעון כל עופר' אמ' לו השם:
ירוע כי שור (קח את פר השור 25.
שם לגרול ולקטון כמ' שה. ואמר אשר
לאביך נוכל ממאמרו את המזבח הבעל
אשר לאביך: כי פר היה יואש מגדלו כדי
להקריבו לבעל. ולכך לא הזכיר מה עשה לו
גרעון. כי לא היה צריך בזה. ומאמר ב'ה
כי שמנה דברים הותרו באותו לילה חוץ
ושר וכלי שרת ולילה ועצי אשרה ומוקצה
ונעבר און כולם בפי' מבואר. כי אמר ופר
השני רק פר השור והבעל אשר זנו ישראל
עליו היו שבע כאשר הורה בראש הענין
ויתנם ה' ביר כרין שבע שנים ולב חראה
שלא העלה גרעון כמגבת שבנה כי אם הפר
השני לברו. ומפרשים שרצו להחזיק דברי
קרמונינו אמרו שהיו מפונים שבע שנים
ומו ו' ופר נוסף:
יש לומ' באותו (ויעש לילה Verſ. 27.
לילה שנ' ויהי בלילה ההוא:
ירבעל וירובשת אחד הוא (ירבעל 32.
בחזון הלילה וסופו (ויאמר גרעון 36.
מוכח וישכם ממחרת:
מלשו' לא זורו לשו' (ויזר את הגזה 38.
שחיטה:

CAPUT VII.

ריצרף הוא שאמ' (ויצפר Verſ. 3.
ואצרפנו לך כמ' להקרת קהלת ו'ל כמ'
ולצפירת תפארת לשו' סבוב:
ר'ל תצינ אותו (על ברכיו לשתות 5.
לבר כררך הבט ימין וארה שהיה ראוי
וראה בשמאל:
מלשון צלי אש. (והנה צליל לחם 13.
ונכפל עיניו כ'ת בינה הגיני ויש לפרשו
מן לקול צללו שפתי וטעמו והנה רעש לחם
שעורים לכ' אמ' מתהפך:
וכבר נפל או יורה (ינפל האהל 13.
על ראש האהל:
פתרון החלום. ונאמר (אין זאת 14.
שברו כי אמר הפותר אין זאת בלתי אם
חרב גרעון והחרב לעולם חותכת ושוברת
העצמות והבשר. כי צליל לחם הוא גרעון
שהיה נחשב בעיני מרין לאוכלו כלחם
ורימהו לחם שעורים אם מצר שהוא בזוי
כנגר לחם חטים אם מצר שהוא הקורם:
והפותר אמ' אין זאת רי אם חרב גרעון:
היא האשמורת (ראש האשמרות 19.
השניות בשליש השני של לילה:

CAPUT VIII.

ער וליחורת (מלמעלה החרס Verſ. 13.
החמה והנכון הוא מקום תמנת חרס
לשון יסור כמ' יורע צריק (ירע בהם 16.
נפש בהמתו. ו'ל שהוריע להם מה עשו
ואז חכם בקוצי המרבר שהיו יושבים בסוכות
ושם הקוצים סוכות שנ' התמלא בשיבות
עורו:
אתה כמוהם והם (כמוך כמוהם 18.
סמוך כמנהג כל שני כפון. כעם ככהן:
כמ' וימכרו את (כי ישמעאלים הם 24.
יוסף לישמעאלים. ואחר כן ויעברו אנשים
מרינים. וכת' על פני כל אחיו נפל:
כמ' אפור (ויעש את גרעון לאפר 27.
שעונה בעתירית עשהו לענין זה לא כצורתו
ולכ' זנו אחריו כל ישראל:
והם כהני (וישימו להם בעל ברית 33.
במות לעז או הטעם שזנו אחרי הבעלים
ועברום אמצתיים לאלהי ישראל כאלו משו
בעל ברית לשם ית':

CAPUT IX.

קלי כוח (אנשים רקים ופחזים Verſ. 4.
מלשו' פיו במים:
נתחלפה התנועה (החרלתי את רשני 9.
כי הוא בשקל העמרתי. ויש מרקרקים
שהוא מבנין הפעל שלא נזכר שם פועלי
בשקל הנחלתי לי ירחי שוא ותוסב הקמץ
לחירק כמ' כי החליתי אעפ שהוא החליתי
בקמץ והוא החרלתי בסגול ובכל זה משל
שהניחו הנכבר ובחרו האשר והוא אבימלך
שהוא בן פילגש והוא פחות כנגר אחיו.
והחררשנים דרשו העצים הם ישראל והזית
הוא גרעון ותאנה היא בנו וגפן בן בנו והוא
שאמר משל בני גם אחה. ואחרים אמרו
הזית הוא עתניאל. תאנה רבורה. גפן הוא
גרעון:
שהיין על הנסרים (אלהים ואנשים 9.
בעבור חשבון שלם (את בניו שבעים 18.
אין הפא מקפ' בעבור חסרון הא':
שם מקום ואינו לשו' (בתרמה Verſ. 31.
תימית כמ' רעת זולת' אעפ שעשה זה
בלט ובסתר שלא היה נראה שהוא נוטה
אחר אבימלך:
שמה לשממה ולהשחתה (ויזרעה מלח 45.
בענין ארץ פרי למלחה. ומלת זרועה
משתפת זורע שולה. והרבה כייצא זה:
כמ' בצריכים (ויבואו אל צריח 46.
ובסלעים שכן שן הסלע והוא עליון וי'מ כי
נקרא כן ששם עומר וצועק וצורח לכל
אשר יראה:
ושם היה ע' (בית אל ברית Ibid.
שלהם:
הוא נפאה שכם (הר צלמון 48.

CA-

CAPUT X.

שם איש אבי אביו (בן דודו Verf. 1.
משנה ההיא כמ' בית (בשנה ההיא 8.
בבשר ובלחם :
הטלחמה (ותצר לישראל 9.
מלת נפש תאמר על (ותקצר נפשו 16.
הרצון לאסור שריו בנפשו כאילו קצר רצונו
מלחרות בם :
פטע' ויצפק ברך (ויצעקו בני עמון 17.

CAPUT XI.

שבא אליה דרך (בן אשה זונה Verf. 1.
עראי. ונקרא גלעדי שהולידו גלעד שנ' ויולד
גלעד את יפתח ואין זה גלעד בן מכיר
והשנים יוכיחו:
בלא אשה ובנים (אנשים רקים 3.
מנ' קצה שכן מנהג (והיית לנו לקצין 6.
שהוא ראש לישב בראש העם שהוא קצה:
ויתכן להיות הנון שורש דן כל קצינין:
חצי ארץ בני עמון (כי לקח ישראל 13.
שלקח נר:
ע'או של מואב היתה (כמוש אלהיך 24.
ונראה שגם בני עמון נטו אחרי כמוש:
מזה ראיה לרבר (שלש מאות שנה 26.
ששנות השעבור נבללות עם שנות השופטים:
לא כל יוצא רק אשר (והיה היוצא 31.
יכון שיוצא לקראתי:
במקום עולה וי'א אר' (והעליתיהו עולה
העליתהו עולה. כמו מכה אביו ואמו ולא
העלה את בתו עולה כאש' חשבו דלי חרעת
כי כן בת' ואבבדה עד' בתולי ולא אמר
לעצמה:
בלומר (אין לו ממנו בן או בת Verf. 34.
מנפשו. ודעת בעל המסורת ידועה ה' סבירין
ממנה וקרי ממנו:
איר מן המצפה (וירדתי על ההרים 37.
אל' ההרים: כי המצפה מקום גבוה יט מן
אריר בשיתי חפוך. והנכון לשון הליכה בענין
ולא ירד עמנו מלחמה:
ענין הפסוק (ותהי חק בישראל 39.
הבא אחריו. לא כמו שאמרו בה שנזכר
חזק שלא יעשה אדם עד כבה. ואמר שאלו
הלך אל' פנחס או פנחס בא אצלו היה
מתיר נדרו וזה בפירושים אחרים מוחלין
לו.

CAPUT XII.

בבני עמון כו' (ובני עמון מאד Verf. 2.
אלהים שלחני ירוחו:
אותם (כי אחרו פליטי אפרים 4.
שנשארו והיו פלטים בתחלה היו מפחיתים
את הגלעד מה אתם נלעד בתוך אפרים
ובתוך מנשה. וי'א כי אמרו. היו מכירים בני
גלעד את פלוני כי גלעד בתוך אפרים בתוך
מנשה:

CAPUT XIII.

א'עפ שב' לא (ואשתחו עקוה Verf. 2.
יהיה בן עקר הכת' מדבר על הרוב:
כי זרה אלהיו על' (כי נזיר אלהים 5.
ראשו:
כל האכל' (וכל טמאה אל תאכל 14.
שנכנז עמו יין או חומץ:
הנשר יקרא לחם. (לא אכל בלחמך 16.
את קרבני לחמי :
י'א עתרת שרתה (והחל רוח יוי 25.
עליו רוח יוי פעם ראשונה וי'א מלשון
ותפעם רוחי והנכון אגלי מלשון פעמי דלים.
והאורת וירד שמשון תמנתה. ומאמרו רוח
ה'. כן מנהג הכת' להתלות רוב הפעולות
על השם:

CAPUT XIV.

הוא (כי תאנה הוא מבקש Verf. 4.
מבקש ובשר שיהא מוסב אל השם:

CAPUT XV.

י'א אם (אם תעשון כזאת Verf. 7.
תשרפו את אשתי ולא תשיבוה לי לא
אשקוט כי אם נקמתי בכם. ואצלי ויאמר
וכבר אמר אם כזאת אתם רגילין לעשות
לתת אשתו של זה לזה:
שוק הוא ההולך רגלי (שוק על ירך 8.
וירך הוא הרכב. וי'ל הכה אותם עד שנפלו
והיו שוקיהם על ירכותיהם כדרך החללים:
הוא שן הסלע (וישב בסעיף סלע Ibid.
כדמות סעיף האילן וכן תחת סעיפי הסלעים.
וי'ל הוא כענין בנקרת הצורים מלשון מסעף
פארה:

CAPUT XVI.

נפתה (ואנחנו נתן לך איש Verf. 5.
לשון עבר. וטעמו אנחנו ערבים בזה ובאלו
הכסף נתננו בידך והנה סרני פלשתים היו
חמשה ויתן כל אחד ואחד אלף ומאה כסף:
וי'ל נתן לך איש בלומ' בעל זולות שמשון
ויהיה וו חסר מן אלף ומאה כסף:
פי' ר' דוד הקמחי שהם (יתרים לחים 7.
שבטים כי מרה ענין לחבלים הנעשים
מהפשתן או מקנב להוות לחים או יבשים.
וקראם יתרים כן עושים מן השבטים עודם
לחים שיוכלו לקפל אותם. ויפא פי' ויתכן
שיהוי יתרים מן נלד לב' אמר לחים כי
ברצות אכם שיהיו חזקים מכנים הנלד במים.
הקטרת כוננו חיצם על יתר:
הם קוצותיו. ור' (מחלפות ראשי 13.
יונה אמ' מפני שהן דומין לסכינין נקראו כן
שנ' מחלפים השנה ועשרים. ואצלי מפני
שהטיאר מתחדש במו העשב כנזכר חציו
וחלף נקראו מחלפות:
כי נחתך וסר (כי יהודה סר מעליו 20.
אלהים שעל ראשו:
י'א ענין (והימישני את העמדים 26.

מטוט.

מטוט. והנכון לא ימיט. ומלת ארת תחת
אל כמ׳ והראה את הכהן:

CAPUT XVIII.

Vers. 1. ים׳ (ויהי איש מהר אפרים
פרשה זו ופרשת פילגש בגבעה בתחלת
השופטים היה: וראיתם וישימו להן בני דן
את הפסל כל ימי היות בית האלהים
בשילה. ופילגש בגבעה כת׳ על יבוס אשר
בירושלים לא נסור אל עיר נכרי נראה
שלא כבשו לירושלם. ואין צורך:
Vers. 2. י״א אמר זארת (ויאמר לאמו
דלילה לפי שכת׳ אלף ומאה כסף וזו דרך
סברה:
3. י״א אמר להשובה (וישם ארת אלף
והנכון וישב השני וכבר השיב:
7. אמו היתה משבט (במשפחת יהודה
יהודה ואביה לוי:

CAPUT XVIII.

Vers. 1. לפי שהמלך (אין מלך בישראל
שולט ומושל ומזהיר נקרא כל מי שיוכיח
וזהיר בלך בשם השתוף:
5. באפד ותרפים (שאל נא באלהים
ולא הזכיר כמ׳ להביא את ספר הזכרונות
7. כמו עמרתי (ואין מכלים דבר בארץ
מרטיר ובטל משרים ונתבאר בסוף העניין
אין מחסור כל דבר ומלה ואין מספיק
לשניב ישעטו ואין יורש עוצר: כלומ׳ אין
להם מושל שירש אותם להיותו עוצר עליהם
ויהיו תחת רשותו כמ׳ אל יעצור עמך
אניש:
24. מורה שלא לקחו טבית (את אלהי
מיכה כי אם הפסל והתרפי׳
30. חגוז תלוי תקון סופרי׳ (בן מנשה
כמ׳ הזיר מיער:

CAPUT XIX.

Vers. 2. כל לשון (ותזנה עליו פילגשו
סרד וחטא שהאשה עושה לבעלה יקרא
זנות. וי״א הלך שיוליבנה אל בית שילה
להשקותה מי שוטה. כמוכן בית י׳ אני
הולך:
11. ירד פא הפאל (והיום רד מאד
נחסר מהעבר כמ׳ קח על מים רבים. וי״ל
שהוא סנחו העין ויהיה עם ירד הלוקי עקר
ואחודי עניין:
25. שו בה מעשה תועבה (ויתעללו בה
וצחיקת חדודי המשכב. והאיש המחזיק בעל
הבית היה. וסמך לדבר אשר ארוניה שם
שהיא בעלה ומצד שהיא פילגשו ולא אשתו
טמנו נקרא ארוניה:

CAPUT XX.

Vers. 16. העין בחטף פתח [אל חשערה
ויותר נכון שנ׳ כי הה״א במלה זו למנוקב
משנאמר שהה״א נוסף לפי שהמלה מלעיל
כי מצאנו חסטר הערה:

33. כלוסד מצר הנבערה (מחערה גבע
ס׳ כמער איש לויות. ותחתיו מעבר איש
לווית. וי״ל לשון גלוי כמ׳ ערות על יאור.
שהיה שם מקום מגולה יותר מכל סביבות
הנבערה:
42. שהיה בנימין בתוך [משחיתים אותו
ישראל והאורב. וי״ם ואשר נעאכו מבנימין
בעריהם ולא יצאו להלחם באים ישראל
ומשחיתים אותם בתוך עריהם:
48. שם מ״נ מתי מספר. (מעור חתם
ואלה שמודיע הכתוב ויכום לפי חרב מה
הרגו. ו״ץ מה״כ אלף כי בתורה מודיעה שבט
בנימין מ״ה אלף ות״ר:

CAPUT XXI.

Vers. 22. ר״ל לא יכולנו (כי לא לקנו .
לקחת ממלחמת אנשי יבש גלעד לכל איש
אשתו כי אם ת״ר לבר. בנותיכם לנשים
בעת הזאת ותהוו אשמים מפני השבועה.
וי״א כי לא לקחנו בתים׳ וכי לא לקחנו כל
נשותיהם במלחמה והרגנום אם כן מן הדין
עלינו לעשות תקנה בעבורם:
25. הזכיר זה (איש הישר בעינו יעשה
בעבור פסל מיכה גם יתכן מעשה הלוי
שנתח לאשתו והתקבץ ישראל כאיש אחד
לעלות במלחמה עם בנימין ומעשה בנימין
עצמו והחרימם לעלות כל ישראל ומסיבה זו
נהרגו אנשי יבש גלעד כהרגו גוים נקיים
ועוד שנשבעו שלא יתנו לתרים אשה ושבו
והתירו על דרך תחבולה כל אלה רמז
הנגאי כי האדם ראוי לעשות שהוא ישר
בעיני ה׳:

Addam his illius *Aaronis b. Joseph*, præfationem ad Commentarium integrum in *Josuam*, *Judic. Samuel*, & *Regum* cum initio ejusdem quem exhibet Codex *Warneri* 63. in 8. membranac. secundum Catalogum Bibliothecæ Batavæ pag. 408. b.

אמר אהרון בן יוסף הואלתי לפרש ספר ראשונים ואחרונים ואלהי ישעי ישעי יהיה בעזרי וינקני משגיאות ורוע ערי וסהרי שלא נתכונתי בזה כרי להתגדל באנשי דורי רק שתי סבות העירוני במחשבה זו. האחת יעז ראותי כי האריכו חכמינו ז״ל כל פרושי המקרא ביותר עד כי לפעמים יצא הקורא למצא חפצו וכמדומה לי שזו הדרך ראויה למתעננים אבל באנשים אשר ארכה גלותם ונוספו הצרות אין יסבול זה ואיך יוכל לחור בעניני חכמה אחרת:

והסבה השנית שאין פירושים על פי הדקדוק ויתר דברים איני כדיי להזכירם כי ידוע כי ספריהם נעתקו מלשון ערבי אל עברי והמעתיק אותם לא היה בקי בשתי הלשונות ונראים דבריהם היקרים כמשובשים כי אני כל מה שאחבר מכח דבריהם הוא ובכל אשר ימצא זולת הנכון הוא ממני ולא מדבריהם. וממה שאני צריך להודיע עוד כי רוב המפרשים אומ׳ ר׳ וה פוים בענין
ונראה

התורה המזכרת באחרונה מיתת משה ע״ה משרת משה: כי היה נוהג בטרות רבו.

לאמר. כל׳ לאמר טעמו לאמור לו.... מבלי קצת והם אקראי....

משה עבדי מת. נאמ׳ ככה כנזכר בתורה הן קרבו ימיך למורת קרא את יהשע. וכת׳ ויצו אר״ת יהושע בן נון ומצד שנוי הדברים עוד הזכיר בן. וכבר ידעת כי רוב המשכילים ידינו מן הנפעלים אל הפועלים אך חוקרי הדברים בעניין מיפלא לא כן ישפוטו בנבדל מהכל יתט כי איכה יצוייר מה שאינו מצוייך בעצם אמתתו באיזה ידיעה יורע ואין מי ידענו מן הנגלה ידיעה אמתורת רק מי שיתפרד מ״ע המורגש ויפשיטנו פשיטורת גמורה וימשוך דעתו בעולם העליון וממנו יעלה אל עולם הנפש וזה לא יוכל להכירו רק אחר הפשטת עולם הדמות בכללו אז ישיג בקיום הנפש ובהשארותם ואם ילוה אליו עזר ות״ש אז יפטיר עולם הנפש וישיג בעולם האלהות זה הענין שהשיגו גדול הנביאים משה ע״ה וכפי ההפשטה בפעולות חהיינה המדרגות זה מזה ולכ׳ רמז ליהושע משה עבדי מת שלא היתה עסקתו כי אם בעסק האלהות לבד הן נמצא היה חפשי מהכל׳ לבד היה נעבד בעבדות השם. ואיך יתכן שהיו מתעכבים ישראל בעבורו ולכן אמ׳ ומשה עבדי מת. והלא לא עבר מזמן הגזרה יום אחד רק נחסרו חמשה ימים:

ונראה לי שזה הענין מתוך העלמת האמת האמת בדבריהם ומדלות ידיעתם בעיקריהם ולפעמים משימים הדרש בדרך פשט ואין מפרשים ביניהם וזה מוסכם מאת כל חכם לב שסברת חדש מסברת הפשט חלוקה זו מזו: וראוי למפרש לבחון הדברים בין בעניין בין בדקדוק ולכל אשר יפנו ללכת אל מחות עניין לא יסבו בלכתם כי שורש כל קנין נתכנן כל בנין הכתב והלשון והציור והמנין ואין לאחר מהם מציאות מיוחד ולא ידמה נפרדת ולמיכן ראוי לאדם להשתדל בענין החכמה כי אשר יאחוז בכח הדמיון לא ימלט מטראות משתנות ואין קצה להבונת ותחיינה דעותיו הלושות ולא יצא מן המורגלות לעמוד בגדר הגבולות והמכתב אשר בידינו ידוע שהוא כדמות הנייר ותוכו כמו הנשמה ומפני זאת הסבה נחלקו המפרשים וזה אומר ככה וזה אומר ככה עד יבוא מורה צדק ויורה לנו האמת: מכל מקום האמת אינה נעדרת ברובי המקומות. ואני איני מבטיחך בכל מקום לכתוב פירושים שהן דחויים ומשובשים שאני יודע כי מבלי הראותינו שבושם אין דעת המבינים נוטה בהם:

ועתה אחל׳ בספר יהושע והשם לי יהושיע:

אחרי מלשון אחרית והקבוץ אינו מורה על רבוי ונאמ׳ כן שזה הספר מחובר בסדר



IN-

INSTITUTIO KARÆORUM

NUNC PRIMUM

A BLASIO UGOLINO

Ex Hebraico Latine reddita.

זה עניין תיקון הקראים אשר תיקנו אותו חכמי ישראל הראשונים אשר קמו אחרי הנביאים ותיקנו זה בעבור להיות יודעים איך יקראו התורה על השנה הפשוטה ועל השנה המעוברת ומתי יתחילו התורה ומתי ישלימוה ואיך יקראו הפרשיות כל פרשה ועניין ביומו ובזמנו ובשבתו ואיזה פרשה יכפילו ואיזה פרשה יאמרו אותה פעמים כלומר יאמרוה בשתי שבתות כדי שיבוא התיקון נכון וטוב על עתו ועל זמנו בעניין הראוי לו זה הוא תיקון שתיקנו מלמדינו ומשכילינו המאירים את עינינו בתחלה המאור הגדול מורינו ורבינו אדוננו ענן נשיא ראש הגולה אשר פתח דרך הישרה והאיר עינים עורות ורבים השיב מעון ומחטא ירחמהו אל ויקיים עליו מקרא שכבתב והמשכילים יזהירו וגו׳ ואחריו שעמדו תלמידיו אחא ור׳ בונדר ובנו של ענן הנשיא אדונינו ר׳ שאול הנשיא ומשכילים גדולים עמהם אלפים ורבבות והתקינו המנהג הזה להיות לכל ארצות העולם לקהלות ישראל להיות הולכים כמנהג רבי גנאי בריך ראש בית דינו של עזרא הכהן הגדול הסופר כי מתחלפים החכמים בקריאת התורה מהם אומרים היו מתחילים התורה בניסן כי ראשון הוא לחדשי השנה ואין להם ראיה ויש משכילים אחרים שמורים כי בתשרי היו ישראל מתחילים התורה ובתשרי היו משלימים איך כי עם יפול ראש השנה ביום חול משלימים התורה בשבת שהוא בחג הסוכות

HOC eſt argumentum inſtitutionis Karæorum, quam conſtituerunt ſapientes Iſrael priores, qui vixerunt poſt prophetas, & hoc ſtatuerunt ea de cauſa, ut ſcirent, quomodo legerent legem in anno ſimplici, atque in anno intercalari, & unde inciperent legem, & ubi abſolverent, & quomodo legerent Paraſchas, ſingulas Paraſchas, & argumenta in die, tempore, & Sabbatho ſuo: & quando Paraſcham repeterent, & qualem Paraſcham legerent duabus vicibus; ſc. legerent duobus Sabbathis, ut juſta procedat inſtitutio; & recta in tempore ſuo juxta argumentum illi conveniens. Hæc eſt conſtitutio, quam ſtatuerunt magiſtri, & doctores noſtri, qui illuminarunt oculos noſtros in principio luce magna, dominus noſter, & magiſter noſter Anan princeps, caput captivitatis, qui aperuit viam rectam, & illuminavit oculos cæcos, & multos convertit ab iniquitate, & a peccato; miſereatur illi Deus, & confirmet ſuper eo textum, qui ſcriptus eſt. *Qui autem docti fuerint fulgebunt &c.* Et poſt eum fuerunt diſcipuli ejus Acha, & R. Bonadar, & filius Anan principis, domini noſtri R. Saul princeps, & doctores ſummi cum illis mille, & myriades, & ſtatuerunt hoc inſtitutum, ut in omnibus terris mundi congregarentur Iſraelitæ & incederent juxta inſtitutum R. Ganai benedicti capitis Synhedrii Ezræ ſacerdotis magni ſcribæ. Etenim innovarunt ſapientes in lectione legis. Alii dicebant incipiendam eſſe legem in Niſan, eo quod eſſet primus menſibus anni; At illis non erat demonſtratio; & alii doctores docebant, quod in Tiſri Iſraelitæ inciperent legem, & in Tiſri abſolverent: Quando cadat principium anni in diem prophanum, abſolvunt legem in Sabbatho, quod eſt in ſolennitate feſti Tabernaculorum; & præterea incipiunt legem in Sabbatho, quod eſt poſt feſtum Tabernaculorum, & cum incidunt ſolennitates in Sabbathum; abſolvunt legem in

ועוד מתחילים התורה בשבת שהוא אחר הסוכות ועם יפולו המועדים בשבת משלימים התורה בשבת שהוא שמיני עצרת ומתחילים התורם בשבת אחר ומביאים ראיה על זה הענין מן התורה מן פרשה אתם נצבים ויצו משה אותם לאמר מקץ שבע שנים במועד שנת השמטה בחג הסוכות כבוא כל ישראל לראות את פני י״י במקום אשר יבחר תקרא את התורה הזאת נגד כל ישר באזניהם וזה הוא האמת ולא היו קוראים בזמן הנביאים כל התורה ביום אחד אבל היו מתחילי׳ ביום ראשון של סוכות ומשלימים כל התורה בשמיני עצרת כמו שכתוב בעזרא ויקראו בספ׳ התורה האלהים יום ביום מן היום הראשון עד היום האחרון ביום זכרון תרועה שהוא ראש חרש תשרי והוא ראש השנה יהוא מקרא קודש קוראים בעמידה על הדוכן פרשת וידבר י״י אל משה לאמר דבר אל כל עדת בני ישראל ואמרת אליהם קרושים תהיו כי קרוש אני י״י אלהיכם בעבור כי יש בו עניין אוב וידעוני ובעבור כי יש בו עניין וערלתם ערלתו את פריו וגם בתפלה של חרש כתוב כי התרפים דברו און והפטרה אומרים תקעו שופר בציון והוא כתוב בתרי עשר בספ׳ יואל בן פתואל בעבור כי יש בו ענין תקיעה שופר ומיום תרועה עד יום כיפור אלה הימים ימי תשובה וקוראים בהם בשבת פרשת האזינו ומפטרה שובה ישר׳ עד י״י אלהיך והוא כתוב בתרי עשר בס׳ הושע בן בארו בעבור כי יש בו עניין התשובה או קוראין הפטרה חזון ישעיהו בן אמוץ תחלת ישעיהו בעבור כי הם דברי תוכחות ויום כיפור קוראים פרשת אחרי מות בעבור יש בו עניין מעשה עניין כהן גרול והפטרה קורא בגרון אל תחשוך בעבור כי יש בו ענין הלא זה צום אבחרהו והוא כתוב בישעיה

in Sabbatho, quod est octavus dies clausulæ, & incipiunt legem in altero Sabbatho, & adducunt demonstrationem hujus argumenti ex lege ex Parascha: *Vos statis. Et præcepit Mose illis dicendo: In fine septem annorum, in solennitate anni remissionis in solennitate Tabernaculorum, quando veniet universus Israel ad comparendum coram Domino, in loco quem elegerit, leges legem hanc coram omnibus Israelitis in auribus eorum.* Et hoc verum est; neque legerunt tempore Prophetarum universam legem in die uno; at inceperunt in die primo Tabernaculorum, & absolverunt universam legem in die octavo clausulæ; sicut scriptum est in Ezra: *Et legit in libro legis Dei de die in diem a die primo usque ad diem postremum.* In die memorialis clangoris, qui erat principium mensis Tisri, & erat principium anni, convocatio sancta, legebant stantes in suggestu Parascham. *Et locutus est Dominus ad Mosen dicendo: loquere ad universam congregationem Israel; & dices ad eos: Sancti estote, quia sanctus ego Dominus Deus vester.* Quia in ea est argumentum magi, & arioli; & præterea, quia est argumentum: *Et circumdetis præputium fructus ejus*: Et præterea quia in oratione mensis scriptum est: *Quia simulacra locuta sunt inutile.* Et in Haphtara legunt. *Clangite cornu in Sion.* Et scriptum est in XII. ultimis Prophetis in libro Joel filii Phatuel, qui in eo est argumentum clangoris cornu. Et a die clangoris usque ad diem expiationis isti sunt dies pœnitentiæ, & legunt in iis in Sabbatho Parascham: *Auscultate.* Et ex Haphtora. *Convertere Israel: Usque ad Dominum Deum tuum:* Et præterea scriptum est in XII. ultimis Prophetis in libro *Oseæ* filii *Beeri*, quia in eo deprehenditur argumentum pœnitentiæ; aut legunt Haphtaram prophetæ *Isaiæ* filii *Amos*, in principio *Isaiæ*, quia ibi sunt verba increpationis; & in die expiationis legunt Parascham: *Post mortem.* Quia in ea est argumentum operis, argumentum sacerdotis magni: Et Haphtaram: *Clama gutture, ne cesses.* Quia ibi est hoc argumentum: *Numquid est tale jejunium quod elegi?* Et præterea scriptum est in *Isaia*, sicut scriptum est in ordine: *Pro spinis*: Et quando educet minister Synagogæ librum legis, incipiet: *Et fuit, cum proficisceretur arca.* Juxta institutum; & posthæc: *Et aperuit Ezra librum.* Et deinde: *Deus desiderat propter justitiam ejus &c.* Et posthæc: *Labia sacerdotum custodient scientiam &c.* Et tum vocabit univer-

sos

בנאמר בסדר תחת הנעצוץ וכשיוציא החזן ספר תורת מתחיל ויהי בנסוע הארון כמנהג ואחר כן ויפתח עזרא הספר כמנהג ואחריו יו' חפץ למען צדקו וג' ואחריו כי שפתי כהן ישמר דעת וג' ואז קורא לכל הכהנים ואומר ואתם כלל הכהנים בני אהרן בואו וסובבו את ספר התורה לקרא מעניין מעשה כהן גדול בבכור קרבו ומתקבצים כלל הכהנים וסובבים ועומדים אצל התורה ואומרים הקהל על הכהנים מישור והכהנים הלוים בני צדוק ככתוב בסידור בתחלת יום כיפור ויתחילו הכהנים ויאמרו הקיצו שכורים ובכו והילילו נשכבה בבשתנו וג' ויאמרו העם על הכהנים חגרו וספדו כמו שכתוב בסידור ואחר כן יאמרו החזנים והקהל חיבור שלמה בן ירוחם וכל הקהל יתנו את פניהם כמו שכתוב בסידור ואחר כן יפתח החזן ספר תורה ויראה לכהנים הפרשה ויברכו הכוהנים על התורה כמנהג ויתחילו ויקראו בפרשת אחרי מות עד ויעש כאשר צוה יו' את משה ומחבר עם זאת הפרשה עניין מזבח הזהב ועשית מזבח מקטר קטורת עד סוף הפרשה והוא כתוב בפרשת ואתה תצוה ויסגור החזן את ספר וישימהו למקומו ועוד יתחיל תפלתו שובה ישראל ולפנות ערב קוראים הפטרה נבואת יונה כל המגלה כולה הכל בעבור שצמו אנשי נינוה אפילו היונק ומחל להם השם מעונותיהם ומחטאתיהם הרבים כי בעבור ששבו מדרכיהם הרעים:

ובחמשה עשר יום לחדש מקרא קדש חג הסוכות קוראים עניין שור או כשב או עז כי יולד עד וידבר משה את מועדי יו' אל בני ישראל והוא כתוב בפרשת אמור אלה כהנים והפטרה וסוכה תהיה לצל יומם והוה כתוב בנבואת ישעיה למעלה ובשנת שהוא בתוך ימי חולי המועד משלימים התורה קודם יושבים אחר השלמת התפלה וקוראים בישיבה פרשה וזאת הברכה ומשלימים התורה עם הנינונים כמו שכתוב בסידור ואחר כן עומד החזן ומוציא ספר תורת וקורא כהן ולוי ושלישי ורביעי וחמישי וששי ובשביעי קורא איש נכבד וחגון בפסוק אשריך יש'

fos sacerdotes: Et vos universim sacerdotes filii Aharon venite, & circumferte librum legis ad legendum ex argumento operis sacerdotis magni: cum decore accedunt & congregantur universim sacerdotes, & circumeunt, & consistunt prope legem, & dicit cœtus de sacerdotibus rectitudinem: *Et sacerdotes Levitæ filii Zadoch*. Sicut scriptum est in ordine in principio diei expiationis; & incipient sacerdotes & dicent: *Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine &c.* Et dicet populus sacerdotibus. *Accingite vos, & plangite sacerdotes*. Sicut scriptum est in ordine. Et posthæc ministri Synagogæ, & cętus legent librum Salomonis filii Jerocham, & universus cœtus dabit faciem suam; sicut scriptum est in ordine. Et deinde aperiet minister Synagogæ librum legis, & ostendet Sacerdotibus Paraſcham, & benedicent Sacerdotes super lege juxta institutum, & incipient & legent in Parascha: *Post mortem*: usque ad locum: *Et faciet, sicut præcepit Dominus Mosi*: Et conjunget cum hac Parascha argumentum altaris aurei: *Et facies altare suffimenti suffitus* usque ad finem Paraschæ. Et hoc præterea scriptum est in Parascha. *Et tu præcipies*. Et colligabit minister Synagogæ librum, & ponet in loco suo; & præterea incipiet orationem. *Convertere Israel*. Et prope vesperam legunt Haphtaram prophetæ Jonæ, Megillam totam, quia jejunarunt viri Ninive, vel lactans, & condonuit eis Dominus iniquitates eorum, & peccata eorum multa, quia conversi sunt a viis eorum malis.

Et quinta decima die mensis convocatio sancta, in festo Tabernaculorum legunt argumentum: *Bos aut ovis aut capra quando pepererit*: Usque ad locum: *Et locutus est Mose solennitates Domini ad filios Israel*. Et præterea scriptum est in Parascha אמור *Isti sunt Sacerdotes*. Et Haphtara. *Et tabernaculum erit in umbraculum diei*. Et hoc supra scriptum est in prophetia *Isaia*. Et in anno, qui sit in diebus intermediis profestis solennitatis, absolvuunt legem, priusquam assideant post absolutam orationem, & legunt in consessu Paraſcham; *Et hæc est benedictio*: Et absolvunt legem cum instrumentis Musicis, sicut scriptum est in ordine: & posthæc surgens minister Synagogæ, educet librum legis, & leget Sacerdos & Levita, & tertius, & quartus, & quintus, & sextus, & septimus leget vir honoratus, & illustris in textu. *Benedictus tu Israel*; & quando ve-

וכשיבוא זה הנכבד עומד לפני ספר תורה
ואינו קורא עדיין אבל לוקח ספר תורה
מיד החזן ותופש אותו הוא הקרוי ומתחיל
ואומר בטעם ובנעימה יוי מי יגור באהלך
ומזמור ליוי הארץ ומלואה והולכים נכברי
הקהל ומוציאים כל ספרי התורות שיש
באותה הכנסת ואינם מסובבים אותם אבל
בלא סיבוב עומדים ומתחיל אותו הנכבד
הראשון וקורא הפסוק אשריך ישר' בטעם
ובנעימה בקול רם והקהל משנים הפסוק
אשריך יש גם הם בנעימה ושותקים
ועוד אותו הנכבד הראשון ומתחיל עצמו
ואומר אשריך ישראל עם ויעל משה עד
סוף התוכה ומעלימים התורה הכל ביחד
ואחר כן מתחיל החזן ואומר יוי מלך גאות
לבש ומזכ' יוי' מלך תגלה ארץ ועד שיאמר
החזן אלה המזמורים מגוללים כל ספרי
התורות מלמטה למעלה בלומר מן פרשת
וזאת הברכה אל פרשת בראשית ואומר
החזן יוי' מלך ירגיזו עמים ובפסוק רוממו
יעניזו הכהנים ספרי התורות בהיכלו אחר
כן קורא החזן המפטיר וקורא ההפטרה ויהי
אחרי מות משה תחלת ספר יהושע ובמועד
של שמיני עצרת קוראים הקרבנות בדוכן
שהם כתובים בפרשת פינחס עד סוף הפרשה
כי בהשלמתו עניין של שמיני עצרת ומקצת
משכילים משלימים התורה בשמיני עצרת
ואינו קרוב וטוב בעיני רוב המלמד אבל
יותר טוב ונכון שיתחילו בשבת וכן ישלימו
בשבת כתיקון כל המשכילים והמלמדים ואם
יפול המועד שמיני עצרת בשבת משלימין
בו בשבת ובשבת אחרת מתחילים התורה
שהוא יום עשרים ותשעה לחדש תשרי
ובשבת שרוצים להתחיל התורה כשישלימו
התפלה יושבים הקהל במנהג ובתיקון
ומשימים לפניהם תורות חומשים ומתחיל
הרב והנכבד שבקהל ברכת תורה ומתחיל
ואומר זכרו תורה משה או יוי' חפץ כמנהג

veniet vir iste honoratus, consistet coram libro legis, & nondum leget, sed accipiet librum legis de manu Ministri Synagogæ, & apprehendet, qui debet, in eo legere, & incipiet, & dicet submissa, & suavi voce. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Et Psalmum. *Domino est terra & plenitudo ejus*. Et incedentes illustriores cœtus educunt universos libros legis, qui sunt in Synagoga, at illos non circumferunt, at sine circuitu consistunt, & incipiens, qui primus fuerit illustrior, legit textum. *Benedictus tu Israel*: Paulatim & suaviter elata voce: Et coetus repetit textum. *Benedictus tu Israel*; Ipse quoque suaviter, & tacet. Et præterea, qui primus est illustrior, incipiet, & dicet. *Benedictus tu Israel*: Simul cum textu: *Et adscendit Mose*: Usque ad finem correctionis. Et extollunt legem omnes sigillatim: & posthæc incipiet Minister Synagogæ, & dicet. *Dominus regnavit, decorem indutus est*: Et memorabit. *Dominus regnavit, exultet terra*. Dum legit Minister Synagogæ hos Psalmos, involvuunt omnes libros legis a parte inferiori ad superiorem, sc. a Parascha; *Et hæc est benedictio*: Usque ad Parascham: *In principio*. Et dicet Minister Synagogæ: *Dominus regnavit, irascantur populi*: Et in versiculo: *Exaltate*. Reponunt Sacerdotes libros legis in suo Sacrario. Posthæc leget Minister Synagogæ, & dimittens leget Haphtaram: *Et fuit post mortem Mosis*. In principio libri *Josue*. Et in solemnitate diei octavi clausulæ legunt sacrificia in suggestu, quæ scripta sunt in Parascha *Pinchas* usque ad finem Paraschæ; quia absoluto argumento diei octavi clausulæ, pars doctorum absolvunt legem in die octavo clausulæ; At non est æquum & rectum in oculis plurimorum doctorum; At melius est, & rectius, ut incipiant in Sabbatho, pariterque absolvant in Sabbatho juxta institutionem omnium magistrorum & doctorum; Et si incidat solennitas diei octavi clausulæ in Sabbathum, absolvunt in Sabbatho, & in alio Sabbatho incipiunt legem, quod est dies decimus nonus mensis Tisri; & in Sabbatho in quo voluerint incipere legem, absolvunt orationem sedente cœtu juxta ordinem, & institutionem; Et ponunt in eorum conspectu Pentateuchum; & incipiet illustrior & præstantior, qui sit in cœtu, benedictionem legis, & incipiens dicet: *Mementote legis Mosis*. Aut. *Dominus voluit*. Juxta institutum: & posthæc dicet confirmationem super lege cum cantu & paulatim, & pe-

ואחר כן אומר אישור על התורה בניגון ובטעם והחכמה אם ישאר ההקדמות שהם כתובים בסידור בתכלת חג השבועות ומנגים פסוק בראשית ניגון גדול חצי הפסוק אומר המתחיל וחציו הקהל ועוד משנה הפסוק המתחיל ומשלים אותו וקוראים כל הקהל יחד כל הפרשה עד שיגיעו בפסוק ונוח מצא חן בעיני יהוה ומנגן המתחיל זה הפסוק במנהג כל סוף ספר ומשלים ברכת תורה וחותם ואחר כן עומד החזן ורוצה להוציא ספר תורה ומתחיל הנה עמדתי מרעיד לפניך כמו שכתוב בסידור בתפלת חג השבועות דבפסוק יוי׳ עוז לעמו יתן מוציא הספר תורה ויהי בנסוע הארון עם הקהל כמנהג עד שגיעו בפסוק תורת יוי תמימה ושותקים הקהל ואחרי כן מתחיל החזן מזמור יוי׳ מלך גאות לבש ומזמור לדוד יוי מי יגור באהליך ומזמור ליוי׳ הארץ ומלאה וכשאומר זה המזמור הולכים הנכברים ומוציאים כל ספרי תורות ומרימים הקול ביחד עם החזן ואומרים תורת יוי תמימה ופותחים בפסוק ויפתח עזרא הכל ביחד וסובבים הספרי תורות כמנהג וקורא כל אחד ואחד בהן כהן ולוי או זקן ומביאים ויכלו ובטרם שיתחילו אומר הכהן של חזן פסוק בראשית בקול גדול משנים הפסוק הכהנים עם הקהלה ועוד מתחיל כהן של חזן ומשלים אומר פסוק וקורא והולך והכל קוראים ביחד עד ויכלו וסוגרים הספרי תורות ומלבישים ומכסים אותם בכסויהם ומתחיל החזן ואומר יוי מלך תגל הארץ ומזמור יוי מלך ירגזו עמים ובפסוק רוממו יוי מכניסים כל ספרי התורות בהיכל רק החזן עומד עם התורה שלו ומשלים הכהן קורא לוי ושלישי ורביעי וחמישי וששי ושביעי ומשלימים הפרשה בספר תורה והפטרה כי הנני בורא שר חושים בישעיה כתוב כנאמו בסדר ונודע בגויים זרעם וקוראים הפרשיות כסדרן בכל שבת

& perite. Si reliqua fuerint antecedentia quæ scripta sunt in fine solennitatis Septimanarum, canet hunc versiculum *in principio*: Concentu magno; dimidium versiculi qui incipit; & dimidium, ejus cœtus; & præterea repetet versiculum qui incipit & absolvet; & leget universus cœtus simul totam Parascham, donec perveniant ad versiculum. *Et Noe invenit gratiam in oculis Domini*. Et canet qui incepit, hunc versiculum juxta institutum uniuscujusque libri, & absolvet benedictionem legis, & concludet. Et posthæc stans minister Synagogæ cum velit educere librum legis; incipiet: *Ego consisto contremiscens coram te*. Sicut scriptum est in ordine in oratione solennitatis septimanarum, & in versiculo. *Dominus virtutem populo suo dabit*: Educet librum legis: *Et fuit cum proficisceretur arca*. Cum cœtu juxta institutum; donec perveniant ad versiculum: *Lex Domini perfecta*: Et tacebit cœtus; & posthæc incipiet minister Synagogæ. *Dominus regnavit, decorem indutus est*. Et psalmum David: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo*? Et Psalmum. *Domino est terra & plenitudo ejus*: Et quando recitat hunc Psalmum, incedentes præstantiores educent universos libros legis, & extollent vocem simul cum ministro Synagogæ; & dicent. *Lex Domini perfecta*: Et absolvent in versiculo. *Et aperuit Ezra*. Onnes simul, & circumferent libros legis juxta institutum, & legent singuli, primus Sacerdos, & Levita, aut senex, & adducent, & absolvent: Priusquam inceperint, leget sacerdos ministri versiculum *in principio* voce elata; & præterea repetent versiculum Sacerdotes cum cœtu: & insuper incipiet sacerdos ministri & absolvens dicet versiculum, & leget & absolvet, & omnes legent simul donec absolvunt: & colligant libros legis, & tegunt & operiunt illos operimentis suis; & incipiens minister Synagogæ dicet. *Dominus regnavit, exultet terra*: Et Psalmum: *Dominus regnavit, irascantur populi*: Et in versiculo: *Exaltate Dominum*: Introducunt omnes libros legis in sacrarium. Tantummodo minister Synagogæ stat cum sua lege, & absolvit Sacerdos, & legit Levita, & tertius, & quartus, & quintus, & sextus, & septimus, & absolvuunt Parascham in libro legis, & Haphtaram: *Quia ego creo principem sensuum*. In Isaia scriptum est, sicut dictum est in ordine: *Et scient in gentibus semen eorum*. Et legent Paraschas juxta ordinem earum in singulis Sabbathis singulas Paraschas; si fuerit

aut

פרשה אחרת אם תהיה השנה מעוברת ואם לא תהיה השנה מעוברת ותהיה פשוטה אז מכפילים מקצת פרשיות שדומים עניניהם ודבריהם כאחד מכפילים פרשת ויקהל ואלה פקודי בשבת אחד כדי שיבוא שבת הגדול בפרשת צו ובן אמרו משכילים ותיקנו צו פסח כלומר בשבת תקרא פרשת צו ובשבוע הבא יהיה פסח בין שיבא הפסח ביום חול בין שיבוא בשבת לעולם בזה יבוא לא פחות לא יותר וזה הסידור והמנהג יהיה בידך שלא תסמוך בחשבון של רבנים כי זה המנהג והתיקון שתיקנו מלמדינו ומשכילינו ע״ה ז״ל בפסח במועד הראשון קוראים על הדוכן בספר תורה עניין של פסח הכתוב בפרשה בוא אל פרעה בפרק החודש הזה לכם ראש חדשים ומתחילים מן פסוק והית היום הזה לכם לזכרון וזה אינו פרק אבל הוא מחובר עם פרק החדש הזה ומשלימים הפרשה כולה והפטרה ויצו המלך את העם בעבור כי יש בו עניין הפסח והוא כתוב בראשונים בספר מלכים בדברי יאשיהו המלך או אומרים הפטרה בעת ההיא אשר יי׳ אל יהושע בעבור שיש בו ויאכלו מעבור הארץ וזה אינו טוב כי עדיין לא עשו הנפת העומר ולא ספרו מיד יאמרו ויאכלו מעבור הארץ אבל ויצו המלך יותר טוב ואם יפול הפסח ביום ראשון ראוי הוא שיאמרו באותו היום בעת ההיא כי באותו היום מניפים וסופרים וראוי לאכל גם מעבור הארץ:

ובשבת שהוא בתוך המצות קוראים בדוכן פרשת צו בספר תורה בעבור שכתוב בזאת הפרשה עניין המזבח ועניין הקרבנות ועניין משיחת אהרן ובניו ועניין של אזהרה שלא יאכל טמא יום מן הקדשים ככתוב והבשר כל טהור יאכל בשר ובעבור כי מימי אדם הראשון ועד משה רבינו ע״ה לא הוקם משכן לעבודה לתפלה ולחטאות ולאשמות ולמלואים ולזבחי שלמים ובימים האלה של ניסן הקים משה רבינו ע״ה את המשכן ומשח אותו ואת המזבחות ואת אהרן ואת בניו בשמן המשחה והוכשרו

aut non fuerit annus intercalaris, aut annus ſimplex, tunc repetent partem Paraſcharum, quarum argumenta, & verba ſunt ſimilia, repetunt Paraſcham: *Et congregavit. Et iſti ſunt numerati.* In Sabbatho primo, ut incidat Sabbathum magnum in Paraſcham: *Præcipe*: Atque ita dicunt doctores, & ſtatuerunt Paſcha, ſc. in Sabbatho legetur Paraſcha 1. *Præcipe*: & in ſeptimana futura; ſive Paſcha inciderit in diem profeſtum, ſive in Sabbathum, ſemper in illud incidet, non ſerius, neque citius, & hic ordo & inſtitutum ſit in manu tua, ne innitaris computo Rabbanitarum; quia hæc eſt conſuetudo & inſtitutio, quam ſtatuerunt magiſtri & doctores noſtri, ſuper quos ſit ſalus, & memoria eorum ſit in benedictionem; In Paſchate in primo die feſto legunt in ſuggeſtu in libro legis argumentum Paſchatis ſcriptum in Paraſcha. *Ingredere ad Pharaonem:* In capite. *Menſis iſte vobis principium menſium*: & incipiunt a verſiculo: *Et erit dies iſte vobis in memoriale*: Et hoc non eſt caput, ſed conjungitur cum capite: *Menſis iſte*: Et abſolvunt totam Paraſcham: & Haphtaram: *Et præcepit rex populo.* Quia ibi deprehenditur argumentum Paſchatis: Et ſcriptum eſt in prioribus in libro *Reg.* in verbis Joſiæ regis. Aut dicunt Haphtaram: *Tempore illo dixit Dominus Joſuæ.* Quia ibi deprehenditur. *Et comederunt de proventu terræ*: Et hoc non rectum eſt quia nondum fecerant ventilationem manipuli, neque ſtatim numerarunt, neque poterant dicere: *Et comederunt de proventu terræ*: At: *Præcepit rex*: Melius eſt; Si vero incidat Paſcha in diem primum, conveniens eſt, ut dicant eo die. *Tempore illo*. Quia eo die ventilarunt, & numerarunt, & conveniens fuit, ut comederent etiam de proventu terræ.

Et in Sabbatho, quod inciderit in tempus Azymorum, legunt in ſuggeſtu Paraſcham: *Præcipe*: in libro legis; quia ſcriptum eſt in hac Paraſcha argumentum Sacrificiorum, & argumentum unctionis, Aharon, & filiorum ejus, & argumentum interdicti, ne eo die immundus comedat de Sanctis; ſicut ſcriptum eſt: *Et carnem, omnis mundus comedet de carne*: Et quia a diebus Adam primi uſque ad Moſen magiſtrum noſtrum ſuper quo ſit pax, non erectum fuit tabernaculum, pro miniſterio, pro oratione, & pro ſacrificiis pro peccato, & pro ſacrificiis pro delicto, & pro implementis, & pro Sacrificiis pacificis; & his diebus Niſan erexit Moſe magiſter no-

משכן מזבח הנחושת ומזבח הזהב להקטרה ובימים האלה בחורש ניסן התתיל אהרון לעשורת עולורת ולהקריב ארת קרבנו ארת קרבנורת ישר׳ על מזבח הנחושת ולהקטיר קטורת סמים על מזבח הזהב ככתוב בפרשה זאת אשר צוה יוי את משה מהר סיני ביום צותו את בני ישר׳ להקריב את קרבנותיהם ליוי במדבר סיני והפטרה ויצו המלך או עוד היום בנוב וזה ההפטרה שהוא עוד היום בנוב יותר טוב כי יש בו עניין גוג והצרה שיהיה לישר׳ כמו שנהיה לישראל צרה במצ׳ ואחר כן שלח השם את משה רבינו ע׳ה ויגאלם ויצילם וכן כתוב בזארת ההפטרה עניין גואל האחרון של משיח ויצא חטר מגזע ישי והרבה בשורות וגם פרק והיה ביום ההוא יוסיף יוי שנית ידו כלו׳ כמו שקנם ממצ׳ כך יקנם מכל אומות העולם ולמטה כשיושבים קוראים בחומש פרשת ויהי ביום השמיני כי הוא פרשת של יומו כסדרן: ואם יהיה עיבור יבוא ביום בו את השבת שהוא בתוך ימי המצות פרשה אחרי מות כי למחרתו הפסח העומר והספירה: ובשביעי עצרת של חג המצורת קוראים בספר תורה על הרוכן פרשת ויהי בשלח פרעה בעבור שכתוב בו עניין קריעתים סוף וטביעת פרעה וחילו ושירה אז ישיר בטעם ואם ירצו אומרים אותו בתרגומו בכל לשון ולשון להבין העם ואומרים בכל פסוק של אז ישיר פסוק מן המקר׳ כדומה לו כמו שכתוב סידור התפלות והפטרת אומרים ותשר דבורה והוא כתוב בראשונים בספר שופטים.

ועוד דע שאם יפול מועד הראשון ביום ראשון באותו היום הנפת העומר ובאותו היום אומרים ובשבת נופל שביעי עצרת אם כן קוראים בזה השבת שביעי עצרת ברוכן על ספר תורה ויהי בשלח ונישיבה קוראים

noster, super quo sit pax, tabernaculum, & unxit illud, & altaria, & Aharon, & filios ejus oleo unctionis, & fecit legitima oleo altare æneum, & altare aureum pro suffitu; & diebus istis in Mense Misau incepit Aharon offerre holocausta, & offerre sacrificium suum, & sacrificium Israel super altare æneo, & adolere suffitum aromatum super altare aureum, sicut scriptum est in Parascha: *Hoc est quod præcepit Dominus Mosi ex monte Synai in die quo præcepit filiis Israel, ut offerrent Sacrificia sua Domino in deserto Sinai*. Et Hapharam. *Et præcepit rex*: Aut: *Adhuc dies in Nob*. Et hæc Haphtara: *Adhuc dies in Nob*. Melior est, quia in ea deprehenditur argumentum Gog, & afflictio, quæ erat Israelitas, sicut erat afflictio Israelitis in Ægypto, & posthæc misit Dominus Mosen magistrum nostrum, super quo sit pax, & redemit, & liberavit eos; & sic scriptum est, in hac Haphtara est argumentum liberationis ultimæ Messiæ: *Et egredietur virga de radice Jesse*. Et multi nuncii. Atque etiam caput. *Et erit in die illa: Addiciet Dominus secundam manum suam*. Sicut eos redemit ex Ægypto, ita pariter redimet ab omnibus nationibus mundi. Et inferius, quando consederint, legent in Pentateucho Parascham: *Et fuit in die octavo*. Quia illa Parascha spectat ejus diem juxta eorum ordinem: Si vero fuerit annus intercalaris, cadet in diem illum Sabbathum, quod sit intermedium inter dies Azymorum, Parascham: *Post mortem*; quia postridie Paschatis erat manipulus, & numeratio. Et in die septima clausulæ solennitatis Azymorum legunt in libro legis in suggestu Parascham: *Et fuit, cum dimitteret Pharao*. Quia in ea scriptum est argumentum rupture maris Suph, & submersionis Pharaonis, & exercitus ejus, & cantici. *Tunc cecinit*: Submissa voce. Et si velint, poterunt illam legere in ejus Targum qualibet lingua, ut intelligat populus; & dicent in singulis versiculis. *Tunc cecinit*: Versiculum ex textu, sicut sibi videbitur, sicut scriptus est ordo orationum; & in Haphtara dicent: *Et cecinit Debbora*. Et hoc scriptum est in prioribus in libro *Judicum*.

Et præterea scito, si incidat festum primum Paschatis in diem primum, eo ipso die ventilabionis manipuli, & in ipso die dicent, & in Sabbathum incidet dies septimus clausulæ, si ita est, legent in hoc Sabbatho, quod erit septimus dies clausulæ in suggestu, in libro legis: *Et fuit cum dimitteret*: Et in Sab-

פרשת של יומו ויהי ביום השמיני אם נשארו עד מתן תורה ששה ויש לנו תשעה פרשיות עד פרשת נשוא אם כן ראוי לנו שנכפיל שלושה שלשה פרשיות בשלושה שבתות אשה כי הזריע וזאת תהיה תורת המצורע ואחרי מות וקדשים בהר סיני ואם בחקותי כדי שיבוא פרשם נשוא את ראש בשבת השביעית שיש אחריו חג השבועות כי מנשוא אינו יוצא שבת השביעית אל פרשת אחרת . . . ואם יפול הפסח ביום שני הנפת העומר ביום ראשון הבא שהוא שביעי עצרת ואז יבואו שבעה שבתות לתשעה פרשיות וראוי שנכפיל שני פרשות בשתי שבתות כדי שיבא פרשת נשוא את ראש בשבת השביעית ובערב שלו במוצאי שבת חג השבועות כי כן הוא תיקון משכילי הקראים : ובמתן תורה הוא חג השבועות קורין בספר תורה בדוכן פרשת וישמע יתרו ומאין מתחילי׳ מן פרק בחודש השלישי וקורא החזן כהן ולוי ושלישי ורביעי וקורא החזן אדם נכבד חמישי וקורא מן וידבר אלהים את כל הדברים האלה לאמור . עם עשרת הדברות ומשלים הפרש׳ עד סוף זה החמישי ואם ירצו אומרים עשרת הדברות בתרגומו בכל לשון ולשון בלשון עם ועם ואומ׳ בכל פסוקים מן המקרא כדומים להם כמו שכתוב בסידור התפלות . והפטרה אומר תפלה לחבקוק בעבור שכתוב בו דיבור עמידת הר סינו ומכפילים פרשת ראשו ואלה מסעי בשבת אחר ובחודש רביעי הוא חודש תמוז בתשעה יום בו צום ומתענין כל ישר׳ באותו היום בעבור כי באותו היום הובקעה עיר ונשבה ישר׳ ומניחין הבשר כל מי שירצה ואינם אוכלין בשר ואינם שותים יין לשכרה ולא עושים אירוש וחופה ואתונה עד נאמר ובשבעה באמתת ענים וצמים אותו היום וגם בעשרה באב מתענים ואותו היום

Sabbatho legent Paraſcham ejus diei: *Et fuit in die octavo*: Si remanſerint uſque ad datam legem ſex, & fuerint nobis novem Paraſchæ uſque ad Paraſcham. *Sume*: tum nobis erit conveniens, ut ter repetantur tres Paraſchæ in tribus Sabbathis: *Mulier quando pepererit. Et hæc erit lex leproſi*: & *poſt mortem*: & *Sancti in monte Sinai*: *At ſi in ſtatutis meis*: Ut incidat Paraſcha: *Sume cenſum*; in Sabbathum ſeptimum, poſt quod erit poſt ſolemnitatam, quia ſeptimanarum Paraſcha; *Sume* non deducitur in Sabbatho ſeptimum ad aliam Paraſcham: Si vero incidat Paſcha in diem ſecundum, a ventilationis manipuli in diem primum futurum, qui erit ſeptimus clauſulæ, tum incideret ſeptem Sabbatha in novem Paraſchas, conveniens erit, ut repetantur duæ Paraſchæ in duobus Sabbathis, ut incidat Paraſcha *Sume*: in Sabbathum ſeptimum, & in ejus veſpera in exitu Sabbathi ſolennitas Septimanarum; eo quod iſta ſit inſtitutio doctorum Karæorum: & in latione legis erit ſolennitas ſeptimanarum, legent in libro legis in ſuggeſtu Paraſcham. *Et audivit Jethro*; Et unde incipient? ex capite: *In menſe tertio*: & vocabit miniſter Synagogæ Sacerdotem, Levitam, & tertium, & quartum, & leget vir illuſtris quintus, & leget ex verſiculo: *Et locutus eſt Deus omnia verba iſta dicendo*: Cum decalogo; & abſolvet Paraſcham uſque ad finem iſte vir quintus: Et ſi velint, poterunt legere decalogum in ſuo Targum, qualibet lingua cujuſque populi; & leget in ſingulis verſiculis verſiculos ex Scriptura, ſicut ſibi videbitur, ſicuti ſcriptum eſt in ordine orationum. Et in Haphtara dicet: *Oratio Habacuc*: Quia ibi ſcripta eſt allocutio ſtationis montis Sinai; & repetent Paraſcham: *Capita. Et iſta ſunt itinera*. In alio Sabbatho: *Et in menſe quarto*. Iſte eſt menſis Tamuz; in ejus die nono jejunabit & affligetur univerſus Iſrael eo die, quia eo ipſo die diſrupta fuit civitas, & in captivitatem deportatus eſt Iſrael, & abſtinent a carne, qui velint, neque comedunt carnem, neque bibunt vinum, ut inebrientur; neque faciunt nuptias & ſponſalia: Et jejunant eo die, pariterque in decimo Ab affliguntur, & eo ipſo die conſolantur, quia nono die Ab bis incenſa fuit domus Sanctuarii. Et cur faciunt die decimo Ab conſolationem, & recitant conſolationes, & bonos nuncios & conſolantur? Quia eo ipſo die decimo Ab venit conſolatio, & bonus nuncius in prophetia per manum *Ezechielis* Prophetæ, ſicut ſcriptum eſt in

נחמו בעבור כי בתשעה באב פעמים אתרלק
בית המקדש ולמה עושים נחמו בעשרה באב
ואומרים נחמות ובשורות ומתנחמום בעבור
כי עוד בעשרה באב בא הנחמה והבשורה
בנבואת על יד יחזקאל הנביא בכ' בספרו
בבנין הבית ככת' בעשרים וחמש שנה לגלותינו
בראש השנה בעשור לחודש בארבע עשרה
שנה אחר אשר הוכתה העיר בעצם היום
הזה היתה עלי יד יו' ויבא אותי שמה.
ובישרנו וביאר לנו כי עוד ישיב חשם
שבותם ויבנה מקדשו והיכלו. תשעה
לחודש תמוז עד עשרה לחודש אב מתאבלים
אבלי ציון וירושלים ומקוננים בכל שבת בבתי
כנסיות אחר הצהרים מן קינות המשבילים
ואומרים בכל שבת איכה מאת מן קינות
ירמיהו הנביא ואם יקרה ויהיו ארבעה
שבתות קוראים בשבת האחרון שני איכות:
איכה יועם וזכור יו'. וכך תדריך הקהל
וכך תספיר השבתות כדי שיבוא פרש' ואתחנן
אל יו' בשבוע אשר בו נחמו כלומר אם
יהיה נחמו ביום ראשון בשבת הבא יקראו
פרשת ואתחנן וביום נחמו קוראים חמשה
איכות והולכים ובוכים ומתאבלים על ימי
שממות המקדש האל ינערהו מעפרו ויקריב
נחמותיו במהרה. ובזמן קרוב וכשתגיע
בפרשת אתם נצבים משנים הפרשה כלומר
אומרים זה הפרשה שני שבתות כדי שיבוא
החשבון והתיקון בסדרן נכון ואם יקרה ויהיה
יותר זמן גם משנים פרשת האזינו כלומר
אומרים אותו פעמים בשתי שבתות כדי
שיבוא פרשת וזאת הברכה בשבת שהוא
בתוך הסוכות כמנהג שסידרתי לך למעלה
וזה המנהג והתיקון אינו כמנהג של רבנים
אלא זה הוא מנהג של ראשונים שהם
תלמידי הנביאים והם מאנשי בית דינו של
עזרא וגם מנהג ננאי ברוך ראש בית דין
של עזרא כך היה המנהג בזמניהם בשביעה
אני אומר לך והשם יודע והעישה נפלאות
ונסים עם ישר' ישלח לנו מורה צדק ויורנו
האמת ויסיר המשכול והפשע מבינינו וישיב

in ejus libro in ædificio domus, ſicut ſcriptum eſt. *In vigeſimo quinto anno tranſmigrationis noſtræ in exordio anni, decima menſis, quartodecimo anno, poſtquam percuſſa eſt civitas, in ipſa hac die facta eſt ſuper me manus Domini, & adduxit me illuc*. Et nunciavit nobis, & demonſtravit nobis, quod ſit reſtituturus Dominus Sabbatha eorum, & ædificaturus Sanctuarium ſuum, & Sacrarium ſuum. Et a die nona uſque ad menſem Tamuz uſque ad diem decimam menſis Ab lugendo lugent ſuper Sion & Hieruſalem, & recitant ſingulis Sabbathis in Synagogis poſt meridiem lamentationes doctorum, lamentantur ſingulis Sabbathis. Et recitant ſingulis Sabbathis: *Quomodo &c.* ex threnis *Hieremiæ* prophetæ: Si vero accidat, ut ſint quatuor Sabbatha, legent in ultimo duo איכות, ſc. *Quomodo obſcuratum eſt*. *Et recordare Domine*: Hoc ordine procedet congregatio, & numerabuntur Sabbatha ut incidat Paraſcha: *Et precatus ſum Dominum*: In illam ſeptimanam, ubi legitur: *Conſolamini*: ſc. ſi legerint: *Conſolamini*: In die primo, in Sabbatho futuro legent Paraſcham: *Et precatus ſum*: & in die, quo legerint: *Conſolamini*: Legent quinque איכות ſc. *Lamentationes*; & abeuntes plangent, & lugebunt propter dies deſolationis Sanctuarii, & Deus excutiat ejus pulverem, & acceleret ejus conſolationem, & quamprimum, & quando pervenerint ad Paraſcham: *Vos ſtatis*. Repetent Paraſcham, ſc. recitabunt hanc Paraſcham duobus Sabbathis, ut ſit computus & inſtitutio juxta ordinem earum convenientem; ſi vero contigerit, ut tempus ſit amplius, repetent Paraſcham: *Auſcultate*: ſc. recitabunt ipſam duabus vicibus in duobus Sabbathis; ut incidat Paraſcha: *Et hæc eſt benedictio*: in Sabbathum feſti Tabernaculorum juxta conſuetudinem, quam tibi ſupra conſtitui; & hæc conſuetudo, & inſtitutio non obſervatur a Rabbanitis; at obſervata fuit a prioribus, qui fuerunt diſcipuli prophetarum, & ipſi fuerunt ex viris Synhedrii Ezra; atque etiam obſervavit Ganai benedictus caput Synhedrii Ezra; Sic fuit conſuetudo in eorum temporibus; cum juramento tibi dicam; & Dominus novit, & faciet prodigia, & miracula cum Iſrael, mittet nobis magiſtrum juſtum, & docebit nos veritatem, & removebit offendiculum, & peccatum a nobis, & ponet cor patrum ſuper filiis, & condonabit omnes noſtras iniquitates, & miſerebitur omnium doctorum, qui ſteterunt, & erudierunt, & do-

לכ אבות על בנים ויסלח לכל עונותינו וירחם לכל המשכילים שקמו והורונו ולמדנו והאירו עינים עורות ורבים מדברי מהתלות ומדברי אנשים מלומדה ואל תשען בדברי בעלי החשבונים שהם סומכים בדברי אנשי הקסמים והתרפים שנא׳ כי התרפים דברו און וירחם לכל בני הגולה חחרדים אל דברו ויקיים עלינו ועל כל בית ישר׳ הקם לעבדך אמרתך . גל עיני ואביטה נפלאות מתורתך :

סליק :

זה חשבון של עיבור ושל חודש השנה

דע כי אנחנו הישראלים יודעין חשבון של שנות היצירה מימי אדם ועת שמת משה רבינו ע״ה מן התורה ומעת שמת משה רבינו ע״ה ועד השנה שאנחנו עומדים עליה אנחנו יודעים אותו בקבלה בן מאב ותלמיד מרב ומחיקק האביב הנמצא בארץ ישר׳ שצונו השם לעבר השנה על מציאת האביב בתורה. שמור את חדש האביב ומעת שנחרבה בית המקדש ונפרדו השבטים ונתפזרו ישראל בארצות בגלות ונסתלקה הנבואה מישר׳ אחר בנין בית שני בימי חגי זכריה ומלאכי כי מהם ועד הנה לא קם נביא בישר׳ ונחתם חזון ונבואה ונשארו בית דין הגדול תלמידי הנביאים האלה והם הנקראים אנשי כנסת הגדולה כהן הגדול של אותו הזמן ושבעים הזקנים של בית דין הגדול היושבים בלשכת הגזית ושאר הכהנים והלוים הנאמנים התופשים התורה והמלמדים לישר׳ דת השם כיהיו שופטי׳ ושוטרים על ישר׳ ועל פיהם היה כל דין ומשפט ומצוה וכל השרים והחכמים של ישר׳ שנמצאו באותו הזמן עמדו ונועצו ואמרו איך נעשה ואיך נתפוש הדת בגלות ואיך נעבר השנים ואיך נתקן המועדים כי המועדים תלוים באביב הנמצא בארץ ישר׳ ואנחנו רחוקים מארץ ישר׳ .

& docuerunt nos, & illuminarunt oculos cæcos, & multos ex verbis vanitatis, & a verbis hominum doctorum noli confidere in verbis supputantium, qui innituntur verbis hominum ariolorum, & Idololatrarum; Dictum est enim *Quia simulacra locuta sunt inutile*. Et misereatur omnium filiorum captivitatis trepidantium ad verbum ejus, & confirmet super nos, & super universam domum Israel: *Confirma servo tuo verbum tuum. Aperi oculos meos; & aspiciam mirabilia de lege tua.*

Finis.

Hæc est supputatio intercalationis, & mensis enni.

Scito quod nos Israelitæ cognoscamus computum annorum creationis a diebus Adami, & tempus, quo mortuus est Mose magister noster, super quo sit pax ex lege, & a tempore quo mortuus est Mose magister noster, super quo sit pax, usque ad annum, quo vivimus nos cognoscimus per traditionem filii ex patre, & discipuli ex Magistro & doctore; Spica recens invenitur in terra Israel, quod præceperit Dominus, ut intercaletur annus ex inventione spicæ recentis, sicut scriptum est in lege. *Observa mensem Abib.*; Et a tempore quo diruta fuit domus sanctuarii, & sejunctæ sunt tribus, & dispersus Israel in terras propter captivitates, & ablata est Prophetia ex Israel post ædificatam domum secundam in diebus Haggæi, Zachariæ, & Melachiæ; quia ab eo tempore non surrexit Propheta in Israel, & absoluta est visio & prophetia, reliquum fuit Synhedrium magnum, discipuli prophetarum, & isti & illi vocati sunt viri congregationis magnæ; Sacerdos magnus ejus temporis, & septuaginta seniores Synhedrii magni consederunt in conclavi cæsi lapidis, & reliqui Sacerdotes, & Levitæ fide digni apprehenderunt legem, & docuerunt Israelitas decretum Domini; sicut erant judices, & Scribæ super Israel, & ex eorum ore erat omnis lex & judicium, & præceptum; & omnes principes, & sapientes, qui erant eo tempore, consistentes inter se consuluerunt, & dixerunt: quomodo faciemus, & quomodo apprehendemus decretum in captivitatibus, & quomodo faciemus intercalationem annorum, & quomodo ordinabimus solennitates, quia solennitates pendent ex spica recenti, quæ invenitur in terra Israel? & nos qui remoti sumus ex terra

ומשזרים בארצות הגוים ולא נוכל לחפש האביב כי מקצת ישר' בבבל ומקצת בארץ ארום ומקצתם בלחלח וחבור ועד שנבוא משם בארץ ישר' לחפש האביב יעבור זמן המועדים ונחלל את המועדים ונאכל בימי הפסח חמץ ונאכל ביום הכיפורים ונהיה חייבי כרת וישתכח דתינו הנאמנה וישתכח דין תורה אם כן מה נעשה נעמד ונבחון ונגסה עניין האביב ונראה איך דרכו ואיך הוא נמצא אם הוא נמצא בכל שנה ושנה או הוא נמצא בשתי שנים פעם אחת ומשלושה שנים פעם ועמדו כל אלה האנשים הכתובים למעלה שהם תלמידי הנבואים אנשי כנסת הגדולה והכהנים והלויים והשרים וחכמי ישר' של אותו הזמן ובקשו האביב שנים רבות ונסו אותו כי הוא ימצא פעם בשתי שנים פעם אחת ופעם בשלש שנים פעם אחת וראו כי האביב ימצא בתשעה עשר שנים שבעה פעמים אם כן עשו התשעה עשר שנים חוק ומניין וקראו שם של תשעה עשר שנים מחזור והלקו שנות הבריאה מחזורים מחזורים וחלקו האביב על המחזור ואמרו כי האביב ימצא במחזור שהיא תשעה עשר שנים שבעה פעמים בשנת השלישי של מחזור פעם אחת. ובשנת הששי של מחזור פעם שני. ובשנת שמיני של מחזור פעם שלישי. ובשנת אחר עשר של מחזור פעם רביעי. ובשנת ארבעה עשר של מחזור פעם חמישי. ובשנת שבעה עשר של מחזור פעם ששי. ובשנת תשע עשרה של מחזור פעם שביעי. הנה שבעה עיבורים נשלם מחזור אחר. וכן מחזור ומחזור וניתנו סימן על זה החשבון ג'ו'ח י'א י'ז י'ט באלו שני שנים פשוטות ובשלישו עיבור. ושנת הרביעי והחמישי פשוטות ושנת הששי עיבור. ושנת השביעי פשוטה. ושנת השמיני עיבור. ושנת התשיעי והעשירי פשוטות. ושנת אחד עשר עיבור. ושנת השתיים עשרה והשלש עשרה פשוטות. ושנת הארבע עשרה עיבור.

ra Iſrael, & diſperſi in terris Gentilium, neque poſſumus apprehendere ſpicam recentem; quia pars Iſrael incolit in Babylonia, pars in Idumæa, & pars in Lachlach, & Chabor; & priuſquam inde advenerit ex terra Iſrael, ut quærant ſpicam recentem, præteribit tempus ſolennitatum, & profanabuntur ſolemnitates, & comedetur in diebus Paſchatis fermentatum, & comedetur ſimul in die Expiationum, & erimus rei excifionis, & oblivioni dabitur ſtatutum noſtrum verum, & oblivioni dabitur judicium legis: Si ita eſt, quid faciemus? ſtatuemus, explorabimus, & experiemur argumentum ſpicæ recentis, & videbimus, quæ ſit ejus ratio, & quomodo inveniatur, utrum inveniatur ſingulis annis, an inveniatur duobus annis una vice, & aliquando tribus annis; & conſiſtentes omnes iſti viri ſupra deſcripti, & qui erant diſcipuli prophetarum, viri congregationis magnæ, & Sacerdotes, & Levitæ, & principes, & ſapientes Iſrael ejus temporis, & inquiſierunt de ſpica recenti multos annos, & experti ſunt, quod inveniretur aliquando duobus annis ſemel, & aliquando tribus annis ſemel, & viderunt, quod ſpica recens inveniretur novendecim annis ſepties; Cum ita eſſet, fecerunt novendecim annis decretum, & numerarunt, & vocarunt nomen novendecim annorum cyclum, & diſtribuerunt annos creationis in cyclos, & diſtribuerunt ſpicam recentem in cyclum, & dixerunt quod ſpica recens inveniretur in cyclo, qui conſtabat novendecim annis, ſepties, in anno tertio cycli ſemel, & in anno ſexto ſecunda vice, & in anno octavo cycli tertia vice, & in anno undecimo cycli quarta vice, & in anno quarto decimo cycli quinta vice, & in anno decimo ſeptimo cycli ſexta vice, & in anno decimo nono cycli ſeptima vice. Ecce ſeptem anni intercalares perficiuntur in uno cyclo, & ſimiliter in ſingulis cyclis; & dederunt ſignum hujus ſupputationis ג'ו'ח י'א י'ד י'ז י'ט In his duo anni ſunt ſimplices, & tertius intercalaris; Et annus quartus, & quintus ſunt ſimplices, & annus ſextus intercalaris, & annus ſeptimus ſimplex, & annus octavus intercalaris, & nonus, & decimus ſimplices, & undecimus intercalaris, & annus duodecimus, & decimus tertius ſimplices, & annus decimus quartus intercalaris, & annus decimus quintus, & decimus ſextus ſimplices, & annus decimus ſeptimus intercalaris; & annus decimus octavus ſimplex, & annus decimus nonus intercalaris. Hæc eſt ratio, & computus ſingulorum cy-

ושנת החמש עשרה והשש עשרה פשוטות. ושנת שבע עשרה עיבור. ושנת שמונה עשרה פשוטות. ושנת תשע עשרה עיבור. זה דרך ומספר כל מחזור ומחזור שהוא תשעה עשר שנים אם כן יש במחזור שבעה מעוברים ושתים עשרה שנים פשוטות והביאו ראיה וסימן על זה החשבון מן ראשית התורה ומן סופה ויאמרו העיבורים הם שבעה כנגד שבעה מלות של פסוק שהוא ראשית התורה והוא בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ ושנים הפשוטות הם שנים עשר כנגד מלות פסוק שהוא סוף התורה והוא ולכל היד החזקה ולכל המורא הגדול ולאשר עשה משה לעיני כל ישר'. וכתבו זה החשבון והמנין של מחזורים מיום שנברא האדם עד אותו היום שעשו זה המחזור וכתבוהו בספרים וילמדהו לכל ישר' וישלחהו בגולה לכל קהלות ישורון להיות הולכים על זה הדרך ולעבר השנים על המחזור שלא יתעו מדרך התורה ויחליפו החדשים והמועדים ושלא יהפכו השנה ויעשו הניסן תשרי והתשרי ניסן כי זה החשבון של מחזור אע"פ שאינו תמים כדרך האביב הנמצא בארץ ישר' הוא קרוב מאד על דרך האביב הנמצא בארץ ישר' ולא יוצא ממנו וגם לא נוכל רחוק ממנו כי מקרא ויפול שיהוה בארץ ישר' השנה מעוברת ובשאר' ישר' שהם בגלות יהיה השנה פשוטה ועוד יבוא זמן שיהיה בארץ ישר' ובארץ הגלות בשוה באחד יחד מעוברת ופשוטה ועל כן הודו ומשכילים רוב ישר' כי טוב ללכת על דרך חשבון עיבור של מחזור כי דרך קרוב הוא על האביב הנמצא בארץ ישר' אבל ישר' הקראים בעלי מקרא היושבים קרוב ארץ ישר' הקהל של מצרים ושל אלכסנדרייא נוא אמון והקהל של דמשק ושל חלב שהם ארם צובה וארם נהרים הם אלה הקהלות בכל שנה ושנה שולחים שילוחים אנשים נמצאים בארץ ישר' ומבקשים האביב ומתפשים אותו בכל

cyclorum, qui constant novendecim annis; si ita est, erunt in cyclo septem anni intercalares, & duodecim simplices; & adducunt demonstrationem & signum hujus supputationis ex principio, & ex fine legis, & dixerunt; Intercalares sunt septem contra septem verba versiculi, qui est principium legis, & est: *In principio creavit Deus cœlum & terram:* Et anni simplices sunt duodecim contra verba versiculi, qui est finis legis. *Et cunctam manum robustam, & omnia mirabilia magna, quæ fecit Mose in oculis universi Israel.* Et scripserunt hunc computum & numerarunt cyclos a die quo creatus est Adam, usque ad eum diem, quo fecerunt hunc cyclum, & scripserunt in libris, & illum docuerunt Israelitas, & miserunt ad captivitatem ad singulas congregationes Israel, ut incederent juxta hanc rationem, & intercalarent annos juxta cyclum, ne errarent a via legis, & immutarent menses, & solennitates, & ne inverterent annum, & facerent Nisan Tisri, & Tisri Nisan; quia hic est computus cyli; licet non sint perfecti juxta rationem qua spica recens invenitur in terra Israel, tamen proxime accedit ad rationem, qua spica recens invenitur in terra Israel, neque ab ea valde recedit, neque possumus ab ea recedere, ut constat ex scriptura; potest contingere, ut in terra Israel annus sit intercalaris, & apud reliquos Israelitas, qui sunt in captivitate, sit annus simplex; & præterea potest advenire tempus, ut simul pariter sit intercalaris & simplex in terra Israel, & in terra captivitatis. Idcirco consenserunt, & docuerunt major pars Israel, quod melius sit incedere juxta computum intercalationis cycli, eo quod hæc ratio proxime accedat ad spicam recentem, quæ invenitur in terra Israel: At Israelitæ Karaitæ, scripturarii, qui habitant prope terram Israel, congregatio Ægypti, & Alexandriæ, Nua, Ammon, & congregatio Damasci, & Halab, quæ sunt Aram Tzobæa, & Aram duorum fluminum, istæ congregationes singulis annis mittunt nuncios, viros, qui sunt in terra Israel, & quærunt de spica recenti, & capiunt in cunctis locis, qui noti sunt in traditione, quia ibi prius invenitur quam in ceteris locis; si vero inveniant spicam recentem, quod matura sit, sumunt quasi duos manipulos ex hordeis maturis, & afferunt ad eos testes spicæ recentis, & ostendunt illis spicam recentem, & faciunt Nisan, & faciunt Pascha; si vero adveniant usque ad decimum diem Nisan nuncii ad omnes

המקומות הידועים בקבלה כי שם ימצא קודם מכל המקומות ואם ימצאו אביב כי נבשל לוקחים כמ׳ שני עמרים מן שבלי השוערים ומביאים להם עידות האביב ומראים להם האביב ועושים ניסן ועושים פסח ועד עשרה בניסן מגיעים השליחים בכל אהלות הקהלות ומביאים עדות האביב ומקדישים הפסח על פי עדותם ואם לא ימצאו אביב עד באים ואומרים כי חיפשנו בכל המקומות הידועים אשר ימצא בהם האביב קודם ולא מצאנו ויודעים אותם הקהלות כי אותה השנה יש עיבור ומעברים השנה ומוסיפים על השנה חרש ועושים השנה ההיא שלושה עשר חרשים וקוראים אותו החורש חורש נוסף ומקצתם קוראים אותו ואדר כאלו אדר שני אבל הקהלות האחרים שהם רחוקי׳ מארץ מצרים ומארץ כנען ומארץ דמשק שהם חוץ מארץ ישר׳ מעברים על דרך המחזור הזה שכתבתי הנה בין רבנים בין קראים אינם יוצאים מן החשבון של מחזור אבל ראשי חרשים הקראים מקדשים בראיות הלבנה כי מבקשים בכ״ח׳ לחורש בבקר הירח הישן ואם יראה יודעים כי זה החורש בלא פוגה שלושים ימים מלא ובשלשים ואחר מקדשים חרש אחד ואם לא יראה הירח הישן בכ״ח לחורש בין שיהיה הזמן צח בין שיהיה הזמן מעונן מבקשים הירח החרש בליל הל׳ ואם נראה קרישו אותו ואם לא יראה עושים ראש חורש בל״א ואם יהיה שנים שלשה חרשים אחר אחר מעוננים איך יעשו עושים שנים חרשים מלאים ו׳א חסר ומתוך אלה השנים והשלושה חרשים יראה ויכיר ויקרש החורש בחרשו ויבוא נכון וטוב ואמת ולעולם הקראים במצרים ובדמשק אינם עושים חורש חסר בלא ראיה אבל אם יראהו הירח החרש בליל הל׳ מקדשים אותו ואם לאו עושים למחר בערב ליל ל״א וכן כתוב בתורה ויתן אותם אלהים ברקיע השמים להאיר על הארץ ואחר כן אמר ולמשול

nes iſtas congregationes, & adducant ad eos teſtes ſpicæ recentis, ſanctificant Paſcha ex ore illorum teſtium; ſi vero non inveniant ſpicam recentem priuſquam adveniant, & dicant: Circumivimus omnia loca cognita, ubi maturius invenitur ſpica recens, & non invenimus: Tum omnes iſtæ congregationes cognoſcunt, quod ille annus ſit intercalaris, & intercalant annum, & addunt anno menſem, & faciunt annum conſtantem tredecim menſibus, & vocant hunc menſem, menſem additum, & nonnulli ex iis ipſum vocant ואדר quaſi ſit Adar ſecundus; At aliæ congregationes quæ ſunt remotæ ex terra Ægypti, & atque ex terra Chanaan, atque ex terra Damaſci, quæ ſitæ ſunt extra terram Iſrael, intercalant annos juxta rationem hujus ſupputationis, quam deſcripſi: Ecce tam Rabbanitæ quam Karaitæ non recedunt ab hac ſupputatione cycli. At principia menſium Karæi ſanctificant ex apparitione Lunæ; Etenim inquirunt die vigeſima octava menſis mane de luna veteri; ſi vero appareat, cognoſcunt, quod iſte menſis ſine dubio conſtet triginta diebus, & ſit plenus, & die triceſimo primo ſanctificant menſem unum: Si vero non appareat luna vetus die viceſima octava menſis, ſive ſit tempus fulgens, ſive tempus nubilum, inquirunt de luna nova nocte triceſima, ſi appareat, ipſum ſanctificant; ſi vero non appareat, faciunt principium menſis die triceſima prima; Si vero duo, & tres menſes, ſinguli fuerint nubili, quomodo facient? Facient duos menſes plenos, & unum deficientem; & intra hos duos, & tres menſes ſi appareat, & innoteſcat, ſanctificabitur menſis in menſe ſuo; & procedet juſte, recte & vere: Et ſemper Karæi in Ægypto & Damaſci non faciunt menſem deficientem ſine apparitione, at ſi appareat luna nova nocte triceſima, ipſum ſanctificant; ſi minus faciunt poſtridie nocte triceſima prima: Atque ita ſcriptum eſt in lege: *Et dedit ea Deus in firmamento cœlorum, ut illuceſcerent ſuper terram.* Et deinde dicit: *Atque ut dominarentur die & nocte.* Et ſimiliter ſi luna non appareat, non dominabitur in menſe, neque vocabitur ille dies, ſi non appareat luna, principium menſis. Pariterque Deus S. B. creavit luminaria die quarto in principio diei, & luna latuit die quarto, & die quinto, & nocte ſexta; in principio diei ſexti creavit Deus S. B. Adam, & apparuit luna nova, & oſtendit eam primo homini; eique dixit: *Hæc ſtella* vo-

ביום ובלילה וכן הירח אם לא יראה לא ימשול בחורש ולא יקרא אותו היום שלא נראה בו הירח ראש חודש וכן הקב׳ה ברא המאורות ביום רביעי בתחלת היום והירח הירח המסותר יום רביעי ויום חמישי ובליל ששי בתחלת יום של ששי ברא הקב׳ה את האדם ונראה גם הירח החדש והראהו לאדם הראשון ואמר לו כי זה הכוכב שמו ירח ולבנה והוא סימן לראשי חרשים ובזה גם אתה ראא וקדש וכן אנחנו דור אחר דור קיבלנו מאדם הראשון אבינו וממשה רבינו ע׳ה נביא השם הציר הנאמן ומן התורה שנתנה לנו בהר סיני ומקדשים ראשי בראייה ואם בעיר אחרת ראש חורש יום ראשון ובעיר אחרת יעשו ראש חורש יום שני אינו חושש ואין עון בזה כי אין אנחנו הקראים עושים זה הדבר בזרות כמו הרבנים אבל אנחנו עושים ראשי חרשים כל אחד ואחד בעירו ובמקומו כמ׳ שהוא רואה בעיר אחת ראו החורש בליל ה׳ל וקידשו אותו ועשו ראש חרש ביום השלושים ובעיר אחרת לא ראו אותו כי היו מניעות ומקום נמוך ושפל ועשו מלא וקידשו החורש בל׳וא וזה טוב ואמת כי עשו הקרבן בחרשו כב׳ בתורה עולת חורש בחרשו ואם יעשו ראש חורש בלא ראייה לא יתכן כי הם יעשו ראש חורש בלא ראייה חסר ואולי אותו החרש היה מלא ועשו בזה החורש שעבר שני קרבנות בראשיתו ובאחריתו וההרש הבא יצא בלא קרבן וזה חטא ועון אבל אם יעשו מלא יהיה הקרבן בלא שגגה בחרשו אבל אחינו הרבנים עשו ותיקנו חשבון והולכים אחרי החשבון ומקרשים החרשים על פי החשבון בלא ראייה ואינם מבקשים לא הירח הישן ולא החורש וחלפו דבר יו׳י ודרת ישר׳ האמת ועכרו גם על דברי רבותיהם כי אנשי בעלי המשנה היו מקרשים החרשים בראייה וכן אמ׳ במשנה כי על שני חרשים מחללים השבת על תשרי וניסן על

vocatur luna, & illa erit signum principiis mensium: Tu quoque inspice, & sanctifica. Atque ita nos, generatio post generationem accepimus ex primo homine patre nostro, atque ex Mose magistro nostro, super quo sit pax, propheta Domini, & nuncio fideli, atque ex lege, quæ data est nobis in monte Sinai, & sanctificamus principia mensium in apparitione; si vero in altera civitate fiat principium mensis die primo, & in altera faciant principium mensis die secundo, nihil refert, neque in hoc est peccatum; quia nos Karæi non facimus hoc ex anomalia, sicut Rabbanitæ, sed nos facimus principia mensium, singula in civitate, & loco suo; Etenim si appareat in altera civitate, & videant lunam novam nocte tricesima, sanctificant, & faciunt principium mensis die tricesimo; & in altera civitate si non videant, eo quod sit nabilum, & locus humilis, & depressus, faciunt mensem plenum, & sanctificant mensem die tricesima prima. Et hoc rectum & verum est, eo quod faciant sacrificium in mense suo; sicut scriptum est in lege: *Holocaustum mensis in mense suo*. Si vero faciant principium mensis sine apparitione, non erit conveniens, quia illi faciunt principium mensis sine apparitione deficiens, quando ipse mensis sit plenus, & faciunt in hoc mense, ut offerantur duo sacrificia in ejus principio & fine; & mensis futurus erit sine sacrificio. Et hoc peccatum & iniquitas est: At si facerent plenum, erit Sacrificium sine errore in mense suo. At fratres nostri Rabbanitæ faciunt & statuunt supputationem, & incedunt post supputationem, & sanctificant menses ex supputatione sine apparitione, neque inquirunt lunam veterem, neque novam, & immutant verbum Domini, & decretum Israel verum, & peccant contra verba doctorum suorum; quia Traditionarii sanctificarunt menses per apparitionem; Et sic dixerunt in Misna. *Quod propter duos menses profanent Sabbathum pro Tisri & Nisan, pro Tisri propter constitutionem solennitatum, & propter spicam recentem;* Et accidit illis, ut incidat eorum mensis, in diem primum, & in die Sabbathi postridie appareat vetus, & sit dimidius dies inter veterem, & novam; At sapientes Rabbanitæ dicunt non esse discrimen inter lunam veterem & novam nisi diei cum dimidio cum duabus partibus horæ, & 73. minutis. Si ita est, postridie in die Sabbathi apparebit luna vetus, & vespera diei primi sanctificabunt mensem unum, & fa-

תשרי על תִיקון המועדים ועל האביב ויבוא להם שיפול החודש שלהם יום ראשון וביום שבת בבקר נראה הישן ויהיה חצי יום בין ישן לחודש וחכמי הרבנים אמרו כי אין בין לבנה ישנה לחדשה כי אם יום וחצי ושתי ידות שעה וע״ג חלקים אם כן בבקר ביום שבת נראה הירח הישן ובערב יום ראשון קידשו חודש אחד ועשו ראש חודש אם כן מתי עבר יום וחצי ושתי ידות שעה וע״ג חלקים ומזה החשבון יראה תעותם ושקרותם וזידותם שעברו על פי יו״י ועל דברי חכמיהם ועוד יפול להם אקראי כי ביום ראשון מקדשים חודש ועושים ראש חודש במוצאי שבת בתחלת יום ראשון ובבקר יום ראשון יראה הירח הישן במזרח ואי עורים ואי זדים כי הישן שנראה לעיני כל האדם בעשרים ושמונה הם קידשו אותו בלילו ועשו אותו ראש חודש ועדין הישן נראה ויפול להם לרבנים שיעשו ראש חודש עם הקראים יחד ביום אחד ויפול להם שיעשו ראש חודש מן הקראים קודם יום א׳ ושני ימים ויפול להם לרבנים שיעשו אחר הקראים יום ושני ימים וזה העניין ראינו אותו אנחנו בזמנינו בתחלת מחזור רס״ח כי עשו הניסן אחר שני יומים מן הקראים ועשו תשרי קודם שני ימים מן הקראים ותראה איך הם עוברים בזידות בגלוי על פי יו״י ואוכלים חמץ בפסח ואוכלים גם ביום הכיפורי׳ ומחללים כל המועדים וגם מוסיפים על המועדים יום ועושים כל המועדים שנים שנים ועוברים על דבר השם על מה שאמר בתורה לא תוסף עליו ולא תגרע ממנו ואם יאמרו הרבנים כי אנחנו עושים שני ימים מקרא קודש מפני הפונה והספק כי שמא יהיה היום אמת וגם לא יהיה של היום אמת יהיה של מחר אמת ואנחנו רואים כי גם שני הימים שקרים כי אינם על תיקון ראיית הלבנה וגם למה לנו עושים שני ימים יום כיפיר ומזה הדבר יודע כי חשבונם שקר׳ ואם יאמרו כי הב׳ ימים שאנחנו עושים מקרא קודש יום הראשון הוא אמת והשני הוא באין לפנינו כי הוא דרבנן נאמ׳ להם ומי הביאנו בצרה הזאת שושבות שני ימים ונשמור שני ימים מקרא קודש ודי זה המעט להשים לתועי לב להכלימם:

ועתה אכתוב לך כמה מחזורים יש לנו מיום שנברא העולם עד המחזור שאנחנו עומדים בו ונכתוב לך כמה שנים הם מיום שנברא

facient principium mensis; si ita est, quando intercalabitur dies, & dimidium, & duæ partes horæ, & 73. minuta? Atque ex hoc computo apparet eorum error, & falsitas, & anomalia, quia peccant contra verbum Domini, & contra verba suorum sapientum. Et præterea illis contingit ut die primo sanctificent mensem, & faciant principium mensis in exitu Sabbathi in principio diei primi, & postridie diei primi appareat luna vetus in oriente; nonne cæci, & superbi sunt, cum vetus appareat oculis omnium hominum die vicesima octava, & ipsi sanctificent in nocte sua, & faciant ipsam principium mensium, cum adhuc vetus videatur? Et contingit Rabbanitis ut faciant principium mensis una cum Karæis eodem die; & contingit, ut Rabbanitæ faciant principium mensis seorsim prius quam Karæi uno & duobus diebus; & contingit Rabbanitis, ut faciant post Karæos unum & duos dies; & hoc argumentum nos vidimus in temporibus nostris in principio cycli 268. eo quod fecerint Nisan post duos dies quam Karæi, & fecerint Tisri duobus diebus ante quam Karæi; & constat, quomodo illi aperte anamoliis prævaricentur contra verbum Domini, & comedant fermentatum in Paschate, atque etiam comedant in die expiationum, & prophanent omnes solennitates, atque etiam addant solennitatibus diem unum, & faciant omnibus solennitatibus dies duos, & prævaricentur contra verbum Domini ex eo quod dictum est in lege. *Non addes super ea, neque diminues ex ea*. Si vero dicant Rabbanitæ, quod nos faciamus duobus diebus convocationem sanctam, propter dubium, ut fortasse sit dies verus, atque etiam ne sit dies hodiernus verus, sed crastinus: At nos videmus, quod etiam ambo dies sint falsi quia non sunt juxta constitutionem apparitionis lunæ; atque etiam cur nos quoque facimus duobus diebus diem expiationus? & hinc constat, quod eorum supputatio sit falsa; Si vero dicant, quod ex duobus diebus, quibus nos facimus convocationem sanctam, dies primus sit verus, & dies secundus, qui sit coram nobis, sit ex statuto sapientum, dicemus illis: Quis nos adduxit in hanc afflictionem, ut quiesceremus duos dies, & observaremus duobus diebus convocationem sanctam? & satis sunt hæc pauca ad respondendum errantibus corde, ut pudefiant: Nunc tibi describam, quot nobis sint cycli a die quo creatus est mundus, usque ad cyclum, in quo vivimus. Scito,

העולם עד השנה שאנחנו עומדים עליה: דע כי מיום שנברא העולם עד שנה חמשה אלפים ושבעים ושלשה שנים לבריאה העולם יש מאתים וששים ושבעה מחזורים שלמים וסימנם ר״סז מחזורים ובשנת חמשת אלפים ושבעים וארבעה שנים לבריאת העולם בראש חודש תשרי נכנסנו במחזור ר״סח ומחזור ר״סז נשלם ויום ששי ויום שבת היה ראש חדש תשרי יום תרועה של רבנים ובאותו היום נכנסנו במחזור ר״סח וראוי לכל אדם מבין ובעל תורה לספור כל מחזור ומחזור כשיושלם המחזור שהיא בו ויחבר אותו עם המחזורים האחרים שעברו וידע כמה מחזורים יש מיום שנברא העולם עד השלמת המחזור ההוא ובערובה של ראש השנה ראוי לו שיכתוב שם היום הוא מתי נשלם המחזור ובאותו הערובה של ראש השנה ההוא שנכנסנו ויכתוב כי אנחנו נכנסנו ביום פלוני בשנת פל׳ במחזור כך וכך ויהיה יודע אותם ויכתוב בכל ערובה של כל ראש שנה ושנה שם היום ההוא ומניין של שנות הבריאה ויאמר כי אנחנו עתה במחזור כך וכך ובשנות של בריאה כך וכך ובשנות של מחזור כך וכך בבירור וישים אותו הכתב במקום טוב בתוך פינקסו או בתוך שקו ויהיה שמור אצלו לדעת חשבון ומניין של מחזורים ושל שנות הבריאה ושל שנות המחזור אם הוא על ג׳ו׳ח או על יא׳ או על י״ד או על י״ז או על י״ט כמ׳ שכתבתי לך בספר הזה כדי לדעת איזו שנה היא פשוטה ואיזו שנה היא מעוברת ומתי יעשה עיבור ומתי יפול העיבור שלא יתעה ויחלל המועדים ויאכל חמץ בפסח ויאכל גם ביום הכיפורים ויתחייב כרת וגם יחטיא את ישר הקהל ההוא בו ויתעה אותם וגם ראוי לאדם שיהיה כותב תמיד שם יומו חדשים וכל חורש וחודש מתי ראש חודש זה וראש חודש זה ואיזה חודש עשה מלא ואיזה חודש עשה חסר. ועתה אלמדך מאיזה עניין יבוא העיבור ומאיזה עניין תיקנו אותו החכמים וחלקו העיבורים שבעה פעמים במחזור ואמר כי יפול העיבור בשלשה של מחזור ובששה של מחזור ובשמונה של מחזור ובאחד עשר של מחזור ובארבעה עשר של מחזור ובארבעה עשר של מחזור ובשבעה עשר של מחזור ובתשעה עשר של מחזור הנה שבעה עיבורים במחזור אחד שהם תשעה עשר שנים ואמרו כי שנת החמה יתירה על

to, quod a die, quo creatus est mundus usque ad annum 5073. creationis mundi, sint 267. cycli perfecti; & eorum signum est ר״סז cycli; & in anno 5074. Creationis mundi in principio mensis Tisri ingredimur in cyclum 268. & cyclus 267. absolvitur die sexto, & dies Sabbathi erit principium mensis Tisri, dies clangoris Rabbanitarum, & in ipso die ingredimur in cyclum 268. Et manifestum est unicuique viro intelligenti, & docto in scriptura, ut possit numerare singulos cyclos, quando sit absolutus cyclus in quo vivit, & conjungere cum reliquis cyclis qui præteriere; & cognoscet, quot cycli præterierint a die quo creatus est mundus, usque ad hunc cyclum: & in vespera principii anni, conveniens erit, ut scribat nomen hujus diei, quando absolvatur cyclus, & in ipsa vespera principii anni, in quam ingredimur, & scribat, quod nos ingrediamur in diem N. & in annum N. in cyclum sic, & sic, & erit illi manifestum; & scribet in singulis vigiliis principii singulorum annorum nomen diei hujus, & numerum annorum creationis, & dicet, quod nos modo simus in cyclo sic & sic, & in annis creationis sic & sic, & in annis cycli sic & sic perspicue, & ponet hanc scripturam in loco tuto intra tabellam, aut intra saccum, & custodiet apud se, ut cognoscat computum, & numerum cyclorum, & annorum creationis, & annorum cycli, si fiat juxta rationem 3.6.8. aut 11. aut 14. aut 17. aut 19. sicut tibi scripsi in hoc libro; ut cognoscatur, quis sit annus simplex, & quis sit annus intercalaris, & unde quando fiat intercalatio, & incidat intercalatio ne erret, & prophanet solennitates, & comedat in die expiationum, & sit reus excidii, atque etiam peccare faciat Israel, congregationem conveniens, in qua vivit, & in errorem eos inducat; Atque etiam cuique erit, ut scribat semper nomen diei, & noviluniorum singulorum mensium, & quem mensem faciat plenum, & quem deficientem: Et nunc docebo te, qua de causa fiat intercalatio, & qua de causa instituerint sapientes, & distribuerint intercalationes septies in singulis cyclis; & dixerunt, quod incidat intercalatio in tertium, sextum, octavum, undecimum, decimum quartum, decimum septimum, & decimum nonum annum cycli: ecce septem intercalationes in uno cyclo, qui constat novemdecim annis. Et dixerunt, quod annus solaris superet annum lunarem

שנם הלבנה י״א ימים ושעה ור״פ״ד חלקים עתה תחשוב תשעה עשר פעמים י״א יום הנה מאתים ותשעה ימים ותחשוב תשעה עשר פעמים אחר אחר שעה בכל שנה הנה תשעה עשר שעות ותחשוב תשעה עשר פעמים רפ״ד חלקים עולים חמשת אלפים וא״רבע מאות הווים חמשה שעות כי השעה אלף ושמונים חלקים תשים אלה ה״ה שעות על אותם התשעה עשר שעות עולים עשרים וארבעה שעות הנה יום אחר שלם. ותשים זה היום האחר על אותם הימים שהם מאתים ותשעה ימים ויהיו מאתים ועשרה ימים אלה הם השבעה עיבורים שהם שבעה חרשים נוספים בכל עיבור אחר חורש והחורש של עיבור שהוא חורש נוסף תמיד הוא מלא שלשים ימים בחשבון הזה כן הוא אם כן חלקו החכמים אלה השבעה חרשים שהם מאתים ועשרה יומים שהם עודפים שנות החמה על שנות הלבנה וחלקום על המחזור ואמרו כי יפול העיבור עתה אלמדך איך תספור ותמצא היום והחורש והשנה שאתה בו. רע כי תספיר שני הבריאה מיום שנברא העולם עד היום שאתה בו ועד משנה שאתה בי ותשליכם ז׳ ז׳ והשאר תפוש בירך שאם ישארו ז׳ רע כי היום ההוא יום שביעי והוא יום שבת וגם ישארו חמשה רע הוא היום יום חמישי ואם ישארו ארבעה הוא יום רביעי. יום ישארו שלשה רע שהוא יום שלישי ואם ישארו ב׳ הוא יום שני יאם ושאר אחד הוא יום ראשון ואז תרע בבירור היום שאתה בו.

ועתה אלמרך איך תחשוב ימי השנה ואיך תשליכם שבעה שבעה רע כי כך תספור תתחיל מתשרי כי הוא ראש השנה והוה תחלת בריאת העולם:

וכן תחשוב:

תשרי מלא:	מרחשון חסר:
כסלו מלא:	טבת חסר:
שבט מלא:	אודר חסר:
ויסן מלא:	אייר חסר:
סיון מלא:	תמוז חסר:
אב מלא:	אלול חסר:

אם כן עולים כל ימי השנה שלש מאות חמשים וארבעה תשליך השלש מאות וחמישים נשארו ימים ארבעה אם כן תקח

rem undecim diebus, una hora, & 284. minutis. Nunc computentur decies & novies undecim dies, ecce erunt 209. dies. Et conputetur decies & novies ſigillatim in ſingulis annis una hora, ecce erunt novendecim horæ; & computentur decies & novies 284. minuta, adſcendent 5400. erunt quinque horæ, & quia hora conſtat 1080. minutis, conjungantur hæ quinque horæ cum reliquis novendecim horis, efficient 24. horas; ecce dies unus perfectus: & conjungatur hic dies unus cum reliquis diebus, qui ſunt 209. dies, & erunt 210. dies. Iſtæ ſunt ſeptem intercalationes, quæ ſunt ſeptem menſes additi in ſingulis intercalationibus, unus menſis, & menſis intercalationis, qui eſt menſis additus, ſemper eſt plenus conſtans triginta diebus; in hoc computo ita erit; ſi ita eſt, diviſerunt ſapientes hos ſeptem menſes qui conſtant 210. diebus, quibus ſuperant anni ſolares annos lunares, & diviſerunt in cyclum. Nunc te docebo, quomodo ſupputes, & invenias diem & menſem, & annum in quo vivis. Scito, quod ſupputare debes annos creationis a die, quo creatus eſt mundus uſque ad diem, in quo vivis, & detrahes ſeptem ſeptem, & reliquum ſumes in manu tua, reliqui fuerint ſeptem, ſcito quod iſte dies ſit ſeptimus, & ſit dies Sabbathi; ſi vero reliqui fuerint quinque, ſcito quod iſte dies ſit quintus; ſi vero reliqui fuerint quatuor, ſcito quod ſit quartus; ſi reliqui fuerint tres, ſcito quod iſte dies ſit tertius; ſi reliqui fuerint duo, erit dies ſecundus; ſi reliquus fuerit unus, erit dies primus; & tum perſpicue cognoſces diem, in quo vivis.

Nunc te docebo, quomodo ſupputare debeas dies anni, & quomodo detrahere debeas ſeptem ſeptem: Scito, quod ita numerabis incipiens a Tiſri, quia ipſe eſt principium anni, pariterque initium creationis mundi.

Itaque ſic ſupputabis.

Tiſri plenus	Marcheſvan deficiens
Caſleu plenus	Thebet deficiens
Schevat plenus	Adar deficiens
Niſan plenus	Jar deficiens
Sivan plenus	Tamuz deficiens
Ab plenus.	Elul deficiens.

Si ita eſt adſcendent omnes dies anni ad 354. Detrahes 350. reliqui erunt quatuor dies. Si ita eſt, ſumes ex ſingulis annis quatuor dies; quatuor dies ex centum annis erunt 400. dies. 400. dies

מכל שנה ארבעה ימים ממאה שנים ארבע מאות ימים ד׳ מאות ימים שבעה שבעה ישאר אחר יום אם כן תקח מכל ק׳ שנים אחד אחד יום יביא מן אלף עשרה ימים תשליך השבעה נשארו שלשה ימים אם כן ב׳ג׳ו׳ח׳ י׳א י׳ד י׳ז י׳ט וכתבתים לך כל אלה המחזורים והחשבונות מדברי החכמים על דרך קצרה בבירור שתבינם ותלמדם במהרה ואשרי אדם מצא חכמה ואדם תפיק תבונה:

ובמחזור שני פעמים יפול פסח של ערלים לאחור ויעשו הערלים פסחם אחרונה מן היהודים לה׳ ימים בה׳ של מחזור וששה עשר של מחזור יפול לערלים פסחם שלשים וחמשה ימים אחרונה מן היהודים דעהו להשיב ואומרים אותו הערלים אוקשפסקן:

זה חשבון היום או החודש או השנה:

ועתה אלמדך חכמה גדולה שאם תאבד השנה שאתה עומד בה ולא תדע מה שנה היא וכמה שנים הם מבריאת העולם ותהיה בפוגה ובספק או אם תאבד החודש ולא תדע באיזה אתה או אם תאבד היום ולא תדע איזה יום הוא שאתה עומד עליו אם שבת או אם הוא יום חול צריך אתה שתדע השנה מה שנה היא וכמה שנים יש מבריאת העולם עד השנה ואם תשכח ותאבד השנה צריך אתה לדעת היום שאתה עומד בו או החודש שאתה עומד ואם תשכח תשנה והחודש והיום לא תוכל למצא היום ולא השנה ולא החודש שאתה בו והלכת בתהו ואבדת מן העולם שתחשוב ימי השנים על דרך המחזור פשוטות ומעוברות ותדע ותמצא היום שאתה עומד בו. דע שאם תספור ימי השנים של תשעה עשר של מחזור ותשליכם שבעה שבעה ישאר מן המחזור ששה שלמים אם כן יש לנו רס״ח מחזורים שלמים אם תספור כל ימי אלה המחזורים ותשליכם שבעה שבעה נשארים ששה ימים אם כן דע כי יום ששי נשלם מחזור רס״ז ויום שבת נכנס ראש חודש תשרי שהוא תחלת מחזור רס״ח וכן תחשוב תמיד עד השנה ועד החודש שאתה בו ותסתפק ותפול בפוגה בעבור היום

dies septem, septem, reliquus erit unus dies; Cum ita sit, sumes ex singulis 100. annis singulos dies; adscendent ex 1000. decem dies; Detrahe septem, reliqui erunt tres dies, ita erit in 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19.; & descripti sunt tibi omnes isti cycli, & supputationes ex verbis sapientum breviter & perspicue, ut statim intelligantur, & addiscantur. Et benedictus vir, qui invenit sapientiam, & homo, qui apprehendit intelligentiam.

At in cyclum secundum aliquando incidit Pascha præputiatorum præpostere, & faciunt præputiati eorum Pascha post Judæos 35. diebus cycli; & sexto decimo cycli cadet præputiatis Pascha in quintum & tricesimum diem post Judæos. Scito quid respondeas præputiatis; & vocant ipsum præputiati אוקשפסקן (*bisextum puto, cum hæc vox sit mihi, & Lexicognoscis omnibus ignota.*)

Hæc est supputatio diei, aut mensis, aut anni. Nunc te docebo scientiam magnam; si oblitus fueris annum, in quo vivis; & nescieris qualis sit annus & quot anni sint a creatione mundi; & fueris in dubio; aut si oblitus fueris mensem, & nescieris, quis sit mensis, in quo vivis; aut oblitus fueris diem, in quo vivis, & nescieris utrum sit Sabbathum, an dies prophanus; Necesse est ut scias annum, qualis sit annus, & quot anni intercesserint a creatione mundi usque ad hunc annum; Si oblitus fueris annum, necesse est ut scias diem, in quo vivis, aut mensem, in quo vivis; At si oblitus fueris annum, mensem, & diem; & non potueris invenire diem, neque annum, neque mensem, in quo vivis, & incedes in obscuritate, & oblitus fueris ex mundo, computabis dies annorum ex ratione cycli simplicium, & intercalarium, & scies, & invenies diem in quo vivis. Scito, si supputabis dies annorum novendecim cycli, & detrahes ex iis septenos septenos, reliqui erunt ex cyclo sex perfecti; Si ita est, erunt nobis 268. cycli perfecti; si supputabis omnes istos dies cyclorum, & si detrahes septenos septenos, reliqui erunt sex dies; si ita est, scito, quod die sexto absolutus sit cyclus 267. Dies Sabbathi ingreditur in principium mensis Tisri, qui est principium cycli 268. Atque ita supputabis semper usque ad annum, & usque ad mensem, in quo vivis. Si de ipso mense in quo vivis dubitaveris propter diem in quo vivis, sumes duos dies Sabbathum, donec pervenias ad finem mensis, tunc inquires de luna veteri & nova juxta ra-

שאתה בו תתפוס שני ימים שבתות עד
שתגיע אל סוף החודש ואז תבקש הירח
הישן והחדש כפי המלא והחסר תדע מה
יום הוא שאתה עומד בו . וכך הוא זה
חשבון של מחזורים כי תחש כל המחזורים
שעברו השלמים ותשליך ומיקם שבעה
שבעה והשאר תפוס בידך שתדע מתי
באיזה יום נשלם מחזור האחרון ותעזוב
אותו החשבון של מחזורים שעברו ותתחיל
ותספור מן תחלת המחזור שאתה בו עד
החודש ועד היום שאתה בו ותשליך ימי
השנים שבעה שבעה כמה שישאר בידך
תתפסהו ותדע מה יום היא שאתה בו.
אם ישאר א׳ דע כי היום ההוה יום
ראשון . ואם ישארו ב׳ דע שהוא יום
שני. ואם ושארו ג׳ דע כי הוא יום שלישו.
ואם ישארו ד׳ דע כי הוא יום רביעי . ואם
ישארו ה׳ דע כי הוא יום המישי. ואם
ישארו ו׳ תקח מן חמשת אלפים שנים ד׳
ימים תשליך הד׳ ימים שבעה שבעה נשאר
יום אחד מן חמשת אלפים שנים ותקח מן
שמנים ושנים שנים מכל שנה ארבעה ימים
עולים שלש מאות כ״ח ימים ותקח גם אחד
היום שנשאר מן חמשת אלפים וחברהו
באלה עולים שלש מאית וכ״ט ימים תשליכם
שבעה שבעה נשארים שבעה ימים אם כן
ביום שבת נשלם חמשת אלפים ושמונים
ושתים שנים ונפל ראש השנה של רבנים
יום ראשון ועשו דחויה ועשו ראש השנה
יום שני עם הקראים כי הרבנים אינם
עושים א׳ ד׳ ו׳ ראש השנה וכשתחשוב
השנים השלמים אחר כן תחשוב גם
החדשים שיש לך מן השנה שאתה הולך
עליה עד היום שאתה בו וחברם עם כל
המספרים ותשליכם שבעה שבעה ותדע
מהיום הוא אשר אתה עומד בו:

וזה החשבון על דרך חשבון הרבנים ועל
דרך חשבון של קראים הולך על החודשים
אחד מלא ואחד חסר אבל הקראים יפול
להם ב׳ ושלשה מלאים כסדר ושנים ושלשה
חסרים כסדרן וכשתספור עד החודש שאתה
בו ולא תדע שאתה בו אתה צריך לתפוש
שני ימים שבת עד שתגיע אל סוף החודש
ותתפוס הירח הישן והחדש ותכיר מהיום
הוא וכשתהיה חושב ומונה ימים השנים אל

rationem mensis pleni, & deficientis, & tum scies qualis sit mensis, in quo vivis: & similiter erit hæc supputatio cyclorum, quia fixi sunt omnes cycli, qui præteriere, perfecti, & detrahes & statues septenos, septenos, & reliquum apprehendes in manu tua, & scies quando & quo die perfectus fuerit cyclus postremus, & deseres ipsam supputationem circulorum, qui præteriere; & incipies supputare a principio circuli in quo vivis, usque ad mensem & diem in quo vivis, & detrahes dies annorum septenos septenos, quod reliquum fuerit in manu tua, sumes, & scies qualis sit dies, in quo vivis. Si reliquus fuerit unus, scito quod ille dies sit dies primus, si duo reliqui fuerint, scito quod sit dies secundus: Si reliqui fuerint tres, scito quod iste dies sit tertius; Si reliqui fuerint quatuor, scito quod ille dies sit quartus: Si reliqui fuerint quinque, scito quod ille dies sit quintus: Si reliqui fuerint sex, sumes ex 5000. annis quatuor dies; detrahes quatuor dies, septenos septenos, reliquus erit dies unus ex 5000. annis; & sumes ex 82. annis, ex singulis annis quatuor dies, adscendent 328. dies; & sumes etiam unum diem, qui reliquus est ex 5000. & conjunges cum istis 329. diebus, detrahes septenos, septenos; reliqui erunt septem dies: Si ita est, in die Sabbathi perfecti erunt 5082. anni, & incidet principium anni Rabbanitarum in diem primum; & faciant translationem unius diei in alium, & facient principium anni die secundo cum Karæis; Etenim Rabbanitæ non faciunt אד״ו principium anni; & quando supputaveris annos perfectos, deinde computabis etiam menses, qui tibi sunt ex anno, in quo incedis, usque ad diem in quo vivis, & conjunges cum omnibus numeratis, & detrahes septenos septenos, & scies ex die qualis sit dies, in quo vivis.

Et hæc est scipputatio juxta computum Rabbanitarum, & juxta computum Karæorum, procedens juxta menses, alterum plenum, & alterum deficientem; At apud Karæos deprehenduntur duo & tres pleni juxta ordinem, & duo & tres deficientes juxta eorum ordinem; & quando supputaveris usque ad mensem in quo vivis, & nescieris, in quo sis, necesse est ut sumas duos dies Sabbathi, donec pervenias ad finem mensis; & sumes lunam veterem & novam, cognosces qualis sit dies; & erit supputatio, & numerus dierum annorum ad computum simplicium & intercalarium, quia

תספור פשוטות ומעוברות כי אם הכל פשוטות. ועוד יש חשבון אחד על המחזורים דע כי הוא יום ששי ואם ישארו שבעה דע שהוא שבת. וכך תספור כי מן השנה הפשוטה אם תשליכם שבעה ישארו ארבעה ימים מן המעוברות ישארו ששה וכן גם לחדשים מן המלא ישארו שני ימים ומן חסר אחד יום וכן תספור עד היום שאתה בו ותדע בבירור ותמצא היום באמת שאתה עומד בו. גל עיני ואביטה נפלאות מתורתך טוב אתה ומטיב למדני חקיך: ברוך הנותן חכמה לחכימין ומנדעא לידעי בינה: ברוך נותן ליעף כח ולאין אונים עצמה ירבה חזק:
זה יום שלישי לשבוע בחדש תמוז בשמנה ועשרים יום בו שנת חמשת אלפים ומאה ושבעים ואחד שנים לבריאת העולם:

נפטר רבינו ועטרת ראשינו כבוד ר׳ אברה׳ השם ירחמהו ויתן לעונותינו סליחה וכפרה ויעשה חלקי עם הצדיק ועם המ׳ ככתו׳ והמשכילי׳ יזהירו כזוהר הרקיע ומצדיקי הרבים ככוכבים לעולם ועד:

quia omnes ſunt ſimplices. Præterea eſt alia ſupputatio pro ratione cyclorum; Scito, ſi fuerit dies ſextus, & reliqui fuerint ſeptem, ſcito quod ſit Sabbathum; Atque ita numerabis; Etenim ſi ex anno ſimplici detrahantur ſeptem, reliqui erant quatuor dies, ex intercalaribus reliqui erunt ſex, & ſimiliter ratione menſium, ex pleno reliqui erunt duo dies, ex deficienti unus dies: Atque ita numerabis uſque ad diem in quo vivis, & cognoſces perſpicue, & invenies vere diem, in quo vivis. *Aperi oculos meos, ut inſpiciam mirabilia de lege tua*. Bonus tu, & benefac, & doce me ſtatuta tua; Benedictus, qui dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam ſcientibus intelligentiam. Benedictus qui dat defeſſo robur, & illi, qui non habet robur, multiplicet fortitudinem.

Hic eſt dies tertius ſeptimanæ in menſe Tamuz, die 28. & eſt annus 5171. ex annis creationis.

Mortuus eſt magiſter noſter, corona noſtri capitis gloria R. Abraham; Deus miſereatur illius, & det iniquitatibus noſtris remiſſionem, & expiationem, & faciat partem meam cum juſto, & cum mortuis ſicut ſcriptum eſt: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor fiamamento, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*



H A-



HADRIANI RELANDI DISSERTATIO DE SAMARITANIS.



Quo tempore Eruditissimus Morinus, aliquot exempla nactus Pentateuchi Samaritici, ejus auctoritatem extollere supra Codicem Hebræum, quo Judæi utuntur, sustinuit, diligentius inquiri cœptum est in religionem Samaritanorum. Quum vero paucissima testimonia in Veterum scriptis superessent, quæ res horum hominum, per tot sæculorum intervalla, traderent, & Judæis, juratis eorum hostibus, vix fides habenda videretur, prout quisque huic vel illi ex auctoribus antiquis magis faveret, ita aut benignius, aut minus æque, de Samaritanis sentiebat. Hic, gentium multarum colluviem, populum idolorum cultorem, qui mortuorum resuscitationem, & animarum immortalitatem, negaret: alter; nationem Legum Mosaicarum observantissimam, & traditionibus Judaicis, quibus sacras literas Pharisæi potissimum corruperant, infensam, & nulla in re a genuino Judaismo recedere, nisi, quod montem Garizim, Moriæ loco, divino cultui sacrarent, affirmabat. Postquam vero superesse adhuc quosdam hujus sectæ homines in Palæstina, Syria, & Ægypto, relatum fuit, literæ ab Illustri Scaligero ad illos datæ sunt, quibus ipsi de religione sua rogabantur, ad quas responsa dederunt, anno æræ nostræ 1590. quæ in Peyrescii manus tradita ad Morinum pervenerunt, qui ea Latine exposuit. Ex iis liquebat, sole meridiano clarius, Gentem hanc solum Pentateuchum Mosis, rejectis libris Propheticis, observare; Judæos, & traditiones Pharisaicas, parvi facere; festis temporibus celebrandis, juxta constitutiones Dei, vacare; circumcidi; sacerdotes, qui victimas Deo offerant, habere ex stirpe, ut opinantur, Aharonis; & alia, quæ in literis ipsis, Londini anno 1682. editis, videri queunt. Chronicon etiam nactus erat J. Scaliger, in quo historia eorum ab obitu Mosis usque ad tempora Alexandri Severi, Imperatoris, describebatur, quod ipsi *Librum Josuæ* appellabant.

II. At cogitabunt multi, quomodo sibi constant illa, quæ de Samaritanis in hoc Chronico, & in literis eorum traduntur, &ista quæ tum sacri tum profani scriptores & Judæi & Christiani de hac gente memoriæ prodiderunt? Sacer-

Co-

Codex illos cum vero Deo idola coluisse affirmat. Judæi adorare eos imaginem columbæ; Epiphanius, Philastrius, & alii, negari ab iis animæ immortalitatem & resurrectionem mortuorum, scribunt. At in epistolis suis & hoc Chronico omnia illa detestantur, nec horum criminum reos ulla ratione dici illos posse alicubi apparet. Scilicet, ego ita existimo. Distinguenda esse tempora in quasdam periochas, per quarum singulas aliquam mutationem passa sit Samaritanorum religio. Primam Samaritanismi periocham appello, quæ ab ipsis sectæ hujus incunabulis, id est, ab eo tempore, quo novi coloni ab Assyriorum Rege in Samariam deducti sunt, protenditur ultra captivitatem Judæorum Babylonicam. Omni illo tempore quin idola coluerint Samaritani, dubitari nequit, quum in secundo libro Regum, *capite* XVII. *commate* 29. & *seqq.* clare scriptum sit, gentes illas adorasse Jehovam una cum idolis suis, atque ita fecisse filios eorum & nepotes עד היום הזה *usque ad hunc diem*, id est, ad minimum, usque ad captivitatem Babylonicam, quam ultimo capite Libri secundi Regum scriptor memorat. Porro, quum jam extrui cœpit Templum secundum Hierosolymis, ab idololatria defecisse non leguntur. E contrario satis liquet ei adhuc addictos fuisse, quum se idem cum Judæis numen coluisse (*Ezræ cap.* 4. 2.) dicunt, & illi sacrificasse a temporibus Regis illius, qui ipsos in Samariam primum transtulerat. Siquidem enim tunc temporis verum Deum, & non simul idola, coluissent, sine dubio dixissent Judæis: Nos quidem, quum primum in has terras venimus, & diu postea, idololatriæ dediti fuimus; at nunc ei valediximus, & soli vero Deo cultum deferimus, atque ita facilius obtinere potuissent a Judæis quæ petebant. Sed quum cultus sui rationem a temporibus Salmanassaris ad ea tempora deducant nulla mentione facta cujusdam emendationis (quam fecisse isti loco & tempori maximo fuisset conveniens) tuto credimus ad initium Templi secundi illos in idololatria perseverasse. Ulterius inquirere volentem in religionem Samaritanorum Codex sacer Veteris Testamenti destituit. In Novo aliqua traduntur, & in scriptis profanis. Sed hic caute procedendum est, & hæsitanter. Exponam tamen, ut se res Samaritanorum sequentibus sæculis habuisse mihi videantur, me & mea omnia eruditiorum judiciis subjiciens.

III. Secunda itaque Samaritanismi periocha exordium capit ab exstructione Templi in monte Garizim, & Pontificatu Manassis, qui frater erat Iddonis sive Simeonis Justi Pontificis Hierosolymitani. Tunc enim a Judæis defecerunt plurimi ad Samaritanos, quum multi Sacerdotes & Israelitæ intricati essent & impediti illegitimis conjugiis, de quibus vide Josephum *Antiq. l.* XI. 8. Omnes autem illos Flavius defecisse scribit, templum Hierosolymitano simile in monte Garizim extructum, & rem publicam Judæorum non leviter hac secessione fuisse labefactatam. Ipsi Judæi agnoscunt eo tempore *Israelem divisum est in duas partes*, ישראל חלק בחצי (Sunt verba R. Zacuth in *Juchasin*) quarum una Ezram, altera Saneballethum sequebatur. Quum itaque tot Judæi ad Saneballetum defecerint, non abs re suspicamur Samaritanos magis imitatos fuisse mores & ritus Judæorum relictaque veteri idololatria, unum Deum adorasse. Hoc enim rationibus Politicis Menassis & soceri ejus Saneballeti quam maxime conveniebat, ut Judæorum plurimos in suam hæresin congregarent, quod, servata idololatria, quam eo tempore Judæi vehementer refugiebant, non tam facile præstare potuissent. Addo testimonium ab ipso Josepho, infensissimo Samaritanorum hoste, petitum quo certissime persuasus sum tempore Saneballeti nulla idola coluisse Samaritanos. Scribit ille *lib.* XI. *cap.* 8. שמטין sive *annos Sabbathicos* ab iis observatos fuisse, & rogasse ab Alexandro ut a septimi anni tributo solvendo immunes essent, quandoquidem eo non seminarent. Non puto illos victori Alexandro tam impudenter mentitos esse, ut certissimi mendacii convinci potuerint, & salutem suam adeo temere in discrimen vocarent. Observarunt itaque annos Sabbathicos. At unde hoc haurire nisi ex Lege Mosis poterant, in qua cultus Unius Dei tam disertis & toties repetitis verbis jubetur. Nec reor illos præceptum de anno Sabbathico, (quod ipsis non poterat non grave esse eo quod agrorum suorum & quidem fertilissimorum, qui in illis portionibus tribus Ephraimi, & dimidiæ Menassis erant, proventu carerent) observasse, & illud de colendo Uno Deo quod & ratio docet & Lex Mosaica (si vel maxime concedamus nonnunquam eos in idololatriam lapsos fuisse quod & Israelitis contigit, Legem Dei habentibus) constanter neglexisse, & culpam hanc publice ita fuisse professos, ut tota religio idololatrica dici, & hac parte a Judæis, unum Deum colentibus, distin-

ſtingui potuerit. Paulo poſt hæc tempora memorat idem Joſephus Ptolemæum, Ægypti Regem, Samaritanos quoſdam in Ægyptum deduxiſſe, inter quos & Judæos Ægyptios contentiones perpetuæ erant de religione. At num de idololatria ſervanda aut rejicienda contendebant? Nequaquam. De ſolo loco Divino cultui peculiariter deſtinato, quem Judæi Hieroſolymas, Samaritani montem Garizim, eſſe affirmabant. Et hæc contentio ab eo tempore videtur fuiſſe primaria inter Judæos & Samaritanos. Unde & mulier illa Samaritana, (*Joh.* 4. 20.) Chriſtum pro Propheta habens, de hoc capite, quod maxime inter utramque gentem controverſum erat, interrogat, dicens: Οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τούτῳ τῷ ὄρει προσεκύνησαν καὶ ὑμεῖς λέγετε ὅτι ἐν Ἱεροσολύμοις ἐστὶν ὁ τόπος ὅπου δεῖ προσκυνεῖν. Cui Chriſtus ſatisfacit *commate* 22. Fatetur illa ibidem, ſe ſcire prope eſſe adventum Meſſiæ, qui omnia revelaret, *comm.* 25. Quem deinde Doſitheum fuiſſe, impoſtorem Simoni Mago æqualem, multi Samaritanorum crediderunt. Hæc omnia, ex Lege Dei petita, ut convenire poſſint cum cultu idololatrico, in aliqua gente ſtabilito, non video. Quod vero Judæi ipſos accuſent ac ſi idololatriam exercuiſſent fere circa excidium Templi ſecundi, hoc ipſum ſi examini ſubjiciatur evincit illos idololatras non fuiſſe. Nam qua ratione illos accuſant? Dicunt illos adorare idola quæ Jacob abdidit in Sichem *Gen.* 36. 4. Ita R. Iſmael Fil. Joſis Neapolin (ea eſt Sichem) tranſiens Samaritanos alloquitur. *Non adoratis montem iſtum* (*Garizim*) *ſed ſimulacra abſcondita ſub eo*. Epiphanius quoque *Her.* IX. Samaritanorum hæreſin vocat εἰδωλολατροῦσαν κατ' ἄγνοιαν διὰ τὸ ἀποκεκρύφθαι τὰ εἴδωλα τῶν τεσσάρων ἐθνῶν ἐν τῷ ὄρει, *idola colentem per ignorantiam quia ſub monte* (*Garizim*) *ſimulacra quatuor gentium ſunt abſcondita*. Si palam idololatræ fuiſſent Samaritani, non opus fuiſſet tam frivolis rationibus illos idololatriæ convincere. Maimonides ipſe fatetur in *notis* ad Codicem Miſnicum *Beracoth. c.* 8. *miſn.* 8. Samaritanos olim quidem idola coluiſſe, uti S. Scriptura teſtatur, 2. *Reg.* 17. אבל, inquit באר‍ך הימים למדו התורה וקבלו על פשוטה והמצוה אשר החזיקו בהן היו מפקדים עליהם וישימו לבם אליהן מאד והוחזקו שהיו מאמינים ברתינו ומיחדים ולא יעברו ע"א *Verum poſt aliquod temporis intervallum didicerunt Legem & intellexerunt eam juxta ſenſum ſimplicem* (literalem vulgo) *& præcepta, quæ obſervabant, obſervabant accuratiſſime & omni animi contentione, & habiti ſunt pro iis qui in Legem noſtram crederent, & unum Deum ſine idololatria colerent.* Addit quidem, ſapientes poſtea inveniſſe columbam (quod contigit tempore R. Meir, præceptoris R. Judæ, qui Miſnam compoſuit) in monte Garizim, & ob eam judicaſſe, illos idola adorare. Sed nimis frivola hæc eſt ratiocinatio, quod ideo Samaritani idololatriæ rei haberi debeant. Et ſi vel maxime verum foret, quod de columba ibi inventa traditur, qua ſpecie gens media inter Judæos ſita, & cujus terra & mores quotidie ipſis patebant, quæque per tot ſæcula habita fuit ipſis illis Judæis ab omni idololatria abhorrens, ob unicam columbæ imaginem rea tam horrendi criminis agitur? Illud tamen negari non poteſt, verſatile fuiſſe Samaritanorum ingenium, & ſæpe ex odio contra Judæos hoſtibus eorum magis faviſſe quam par erat, & moribus Gentium nimis acceſſiſſe, ſiquidem vera ſunt quæ de iis Judæi prodiderunt. Joſephus *Antiq.* XII. VII. narrat illos Antiocho obtuliſſe Templum ſuum Garizimiticum, ut Διὸς Ἑλληνίου appellaretur. At ibidem quoque profitentur, Templum illud hactenus Deo ἀνωνύμῳ *non nominato* ſacrum fuiſſe. Unde metu ad hoc facinus compulſos eſſe Samaritanos ſatis apparet, (confer. 2. *Macc.* 6. 2.) quamvis peſſime illos egiſſe certiſſimum ſit. Nec diffitentur ipſi quoſdam e ſuis ad idololatriam defeciſſe. Quamvis autem Judæi hoc crimen in omnes Samaritanos diffundant, velintque idololatriam omnes exercuiſſe, uti in Talmude ſcribitur, patet tamen ex libris ante Talmud conſcriptis illos fuiſſe *Legis Moſaicæ obſervatores ſtudioſiſſimos* τοῦ Μωσέως νόμου τὰ μάλιστα ζηλωτάς, uti *Sozomenus* ſcribit *l.* 7. *c.* 18. ipſe Gazæ, in vicinia illorum, educatus. Unde & in controverſia celebri de celebrando Paſchate illorum quoque ritus laudabantur. Quin & R. Simeon Ben Gamaliel in *Gem. Hieroſ. Peſachim* faſſus eſt illos in obſervatione præceptorum Moſaicorum, quæ obſervant, accuratiores eſſe ipſis Judæis.

IV. Tertia Samaritaniſmi Periocha nobis illa dicitur, quæ incipit ab eo tempore, quo Mohammedanis ſubjecti fuerunt ad hunc uſque diem. Exiſtimamus enim, ex commercio, quod iis cum gente Mohammedica interceſſit, aliquid novi in ritus Sacros & religionem irrepſiſſe. Huc referimus phraſes quaſdam, Liturgiis Samaritanis, quarum frequens mentio in *tom. ult. Bibl. Polyglott.* & hoc Chronico comprehenſas, ac traditiones

nes fabulosas, uti de Caruno, Nebucadnezare, Alexandro. Alias prætereo, quas iste Liber exhibet, ut quando Moses كلير الله Abraham خليل الله φίλος θεῦ dicitur, & formula بسم الله الرحمن الرحيم *in nomine Dei summe misericordis*, quæ *Cap.* 29. in initio epistolæ legitur, & ab Interprete Arabe sine dubio profectas & similes Phrases Alcoranicas, quales لا حول و لا قوة الا بالله *non est vis aut potentia nisi in Deo*, & انه علي كل شي قدير *Utique ille est omnipotens*.

V. Atque ita quidem de Samaritanismo per varias ætates judicandum censeo, & non nisi pro calumniis habeo, quæ de Sacrificiis Samaritanorum in honorem filiæ Jeptæ offerri solitis, Deo ipsorum Asima, cujus in Pentateuchi initio mentionem fecerint, de defectu trium literarum יחה in Alphabeto Samaritano, & circumcisione in nomine columbæ commenti sunt nonnulli. Nec hodie liberi sunt Samaritani ab hujusmodi calumniis. Mohammedani enim illos asserere Deum corporeum dicunt, uti notavit, Vir supra fidem in scriptis Orientalium versatus Bartholomæus Herbelotius, in Thesauro isto Eruditionis, quem *Bibliothecam Orientalem* appellavit, *pag.* 753. Et ante illum Abulfarajus idem scripsit, si vera sit lectio vocis ܡܓܫܡܢܐ qua scriptor utitur, quam in ܡܓܫܘܡܝܐ mutandam esse censet Cl. Ludolfus in *Not. ad Epist. Samaritanas*, at defendit Cl. Pocokius in admonitione quam præmisit *Comment.* suis *in Joelem*. Plura non addo de statu antiquo & hodierno Samaritanorum, quum Cl. Waltoni diligentia in hoc argumento fuerit versata, *Prolegomen.* XI. *ad Biblia Polyglotta*, quæ conjuncta Hottingeri *Exercitationibu. Antimorinianis*, & Cl. Cellarii *Collectaneis Hist. Samaritanæ* abunde Lectoris curiositati factura sunt satis. De Chronico Samaritano, (quod Librum Josuæ appellant quia in Josuæ gestis enarrandis potissimum versatur quodque manu scriptum possideo) aliquid dicam, cujus auctor plane in obscuro latet. Possemus colligere illum fere circa illa tempora vixisse, in quorum historia tradenda desinit. Nec videtur ea conjectura, circa alios etiam libros historicos fieri consueta, improbabilis: at quoniam certi nihil affirmare possumus, ita quidem conjicio. Non uni auctori hoc Chronicon tribuendum: sed variis temporibus quasdam historias in schedulis fuisse adnotatas, quæ in unum volumen compactæ sint seculo tertio post Christum natum. Quod autem non credam ab uno Scriptore contextum hoc opus esse, facit abruptus hic illic stylus, & rarus historiarum nexus; maxime in ultimis Capitibus; quum longo annorum intervallo una historia ab altera, qua cum proxime conjungitur, sit divulsa. *Capita* 39. enarrant solam Josuæ historiam. *Capite* 44. moritur Eli P. M. *Capite* 45. (quanta παράβασις;) Nebucadnezar Hierosolymas capit. *Capite* 46. sine ullo cum præcedentibus nexu Alexandri gesta & fabulosum iter aereum memorantur. *Cap.* 47. ab Alexandro transitus fit per plurium seculorum spatium ad res gestas Imperatoris Hadriani. *Cap.* 48. & 49. Acbonis Pontif. Max. & fil. ejus Nathanælis, & hujus filii Babarabæ historia traditur, quæ incidit fere in tempora Alexandri Severi. Puto itaque Dositheum, celeberrimi nominis Samaritanum, Simoni mago æqualem, qui multos libros composuit & suis reliquit, uti Photius ex Eulogii Patriarchæ Alexandrini oratione refert, ipsamque Samaritanorum historiam conscripsit, si aliis credimus, omne quod de Josua, & forte historia aliquot sequentium sæculorum, in hoc Chronico legitur, ex traditionibus, quæ supererant, & suis figmentis, conscripsisse, at reliqua Capita variis temporibus ei esse conjuncta. Qua ratione gentis suæ ortum dissimulari posse videtur credidisse Dositheus; & unde nata est inter quosdam Samaritanos opinio Josua ipsum, cujus tot ac tam præclara gesta quotidie legerent, Messiam esse, quod ex Eulogio notavit Photius, *pag.* 466. *Biblioth. edit. prim.* Nec quendam moveant phrases Mohammedicæ, quarum modo meminimus, ut credat post Alcoranum totum hunc librum conscriptum esse, quum ab Interprete, qui illum e lingua Hebræa in Arabicam transtulit, hæ insertæ esse potuerint, & hanc translationem post Corani conscriptionem factam esse non negemus. Sed hæ tantum conjecturæ nostræ sunt, nec quicquam adfirmamus. Quisque ex ingenio suo demat vel addat fidem. Quicquid sit, hoc Chronicon primum Illustri Viro Josepho Scaligero, qui illud a Samaritanis petierat, obtigit, qui etiam in scriptis suis ejus meminit. Porro non vendunt hunc librum: qui honos tantum S. S. ab iis habetur, id est, Pentateucho, quem solum agnoscunt, nam librum Josuæ eos tempore Salmanasseris a Judæis mutuatos male scribit Harduinus, *Chron. V. T. p.* 6. Post cujus mortem inter alia ejus Viri volumina Orientalia manu scripta

pta in Bibliotheca Lugduno-Batava hoc quoque repositum fuit. Ex quo exemplo suum aut descripsit ipse aut describi curavit Cl. Golius, quod ante aliquot annos ad meas manus pervenit, quodque deprehendi Cl. Viri manu in multis emendatum, & nonnulla ad explicationem breviter margini inscripta.

VI. Ex Chronico hoc Samaritanico manuscripto (cujus plura exempla in Europa esse non puto, quam Leydense illud, quod ipsi Samaritani ad Ill. Scaligerum miserunt, & e quo, si quæ sunt, reliqua descripta sunt, uti & Codex meus) nonnulla lubet excerpere quæ ad illustrandas res Samaritanorum faciunt, & vel historias, vel religionem, eorum adtinent, nec ingrata fore Lectori arbitrabor. Ea, quemadmodum per totum volumen sparsa sunt, & hinc illinc a me eruta, exhibebo, ut argumentorum quoque varietas legentem oblectet. Et quamvis istiusmodi liber amplissimum campum observationum contineat, e quo nova continuo adnotationum materies attento lectori succrescit, non omnia sigillatim excutiemus, ne commentarium ad ipsum Chronicon scribere videamur, sed ex messe manipulum. Hoc quoque hic monendum censeo, non me ex illorum numero esse, qui librum manuscriptum, quem rarum esse norunt, quemque ipsi possident, immodicis laudibus extollunt, ejusque antiquitatem & pretium quibusvis modis augere & deprædicare conantur. Scio, ut mox dixi, codicem hunc meum esse rarissimum, sed & hoc scio, plurima fabulosa continere Sacro Codici contraria, & aperte falsa, quare pessime illum tanti fieri a Samaritanis; maxime cum hic codex tantum sit versio Arabica antiqui Codicis, qui lingua Hebræa conscriptus erat (uti *cap.* 1. legitur) at qui nunc periit. Saltem Samaritani scribunt in Epistolis suis, se non habere Chronicon illud Hebræum, sed tantum hanc versionem Arabicam, quæ sine dubio post Mohammedem facta est. Et ipse inquisivi apud Judæos num illud Chronicon ספר זכרוני כותיים Hebraice nossent; at nullos hactenus reperii. Clarissimus quoque *Jobus Ludolfus*, carum mihi & honoratum nomen, me per literas certiorem fecerat se frustra in illum codicem inquisivisse, sed Rabbino cuidam Francofurtensi id negotii dedisse, ut omnem in id diligentiam adhiberet. Sed postquam rebus humanis ereptus est, magnus ille sermonis Æthiopici & aliarum Linguarum quibus aut Meridies aut Oriens utitur, cultor ac promotor, & hujus & reliquarum rerum spes, quam mihi fecerat, plane decollavit. Fatendum tamen est, Chronicon hoc, qualecunque sit, multa nos docere animadversione digna de iis traditionibus, quas Samaritani narrant, & de ipsorum statutis, quæ hodieque observant, de religione, &c. Sed ex speciminibus, quæ proferam, Tu id optime Lector arbitrabere.

VII. Inter illa, quæ tertio capite hujus Chronici narrantur, nulla insignior periodus est illa, qua missio Angeli ad Bileamum recensetur. Quum enim variæ sint veterum & recentiorum sententiæ de eo quod Samaritani opinarentur de Angelis, & hic primus locus sit in hoc volumine, quo mentio Angeli injicitur, eo majorem verba illa, quibus Scriptor noster utitur, attentionem merentur. Lubet autem nonnulla in antecessum notare quæ ad hujus argumenti illustrationem faciunt. Scilicet, nonnullis Veterum persuasum fuit, Samaritanos Angelorum existentiam negare, aliis contrarium. Leontius, qui Imperante Mauritio vixisse creditur, in libro suo quem *de Sectis* conscripsit, *Action.* 2. diserte ὅτε δὲ ἀγγέλον δοξάζουσιν εἶναι ὅτε ψυχὴν ἀθάνατον, &c. *Nec enim Angelum esse putant aut animam immortalem.* At Epiphanius Spiritum quidem Sanctum ab iis negari fatetur, at alibi illos a Sadducæis hoc ipso argumento distinguit, quod hi Angelos negent (uti constat ex *Act. Apost. cap.* 23. 8.) Οὐ παραδέχωνται, inquit, δὲ Ἀγγέλους ὅπερ Σαμαρεῖται δὲ οὐκ ἀθετοῦσι. *Non admittunt Angelos, quod Samaritani non statuunt.* Plura testimonia non congerimus quum hæc scopo nostro sufficiant. At inter recentiores vix ullus est, qui non existimet Angelos a Samaritanis credi, maxime postquam Clarissimi nominis Philologus, J. H. Hottingerus, cui aditus ad eorum scripta fuit concessus, id ex hoc ipso Chronico (quod, dum Lugduni agebat, consuluit) demonstrasse visus fuit. Adde quod & Pentateuchus Samaritanus, ab Eruditissimo Morino primum editus, in quo frequens Angelorum mentio, sine ulla corruptela nomen *Angeli* præ se ferret. Post quos egregios & suis meritis celeberrimos Viros, quorum uterque ipsa Samaritanorum volumina legerat, ne umbra quidem dubitationis relicta videbatur: & pro calumnia habitum fuit, si quis diceret illam gentem Angelorum existentiam negare. Nec puder fateri, me quoque in illa sententia fuisse versatum, quod falso Samaritanis hoc dogma adscri-

ſcriberetur. Et ex eo quidem natam eſſe hanc calumniam arbitrabar, quod ex ſacris literis conſtet ſectam Sadducæorum Angelos negaſſe; ac Samaritani & Sadducæi ſæpe numero pro iiſdem habiti fuerint; &, quemadmodum de Sadducæis immerito ſcriptum fuit, quod ſolum Moſis Pentateuchum reciperent, neglectis libris Prophetarum (quod placitum eſt Samaritanorum) ita viciſſim opinionem Sadducæorum, quæ Angelos negat, per errorem & confuſionem ſectæ utriuſque, Samaritanis tributam fuiſſe. Ceterum non parum confirmabar teſtimoniis quæ Cl. Hottingerus ex hoc Chronico, mihi tunc non viſo, laudaverat, in *Enneade Diſſert. pag.* 21. & 22. ubi Samaritani ſcribunt, *Angelos cingere caſtra Iſraelitarum*, *Angelum locutum eſſe ad Joſuam*, *&c.* Verum quum hic locus Chronici noſtri, quem mox exhibebo, accuratius a me examinaretur, plane mutavi ſententiam, credoque omnino Angelos a Samaritanis negari. Obſerva, Lector, primum hunc locum eſſe in hoc Chronico, ubi Angelorum mentio fit, & nota quam caute ſcriptor noſter & quam ſæpe inculcet illud, quod per *Angelum* vult intelligi. Ita ille وانعذ ملاك من ملايكته اعني امر من اموره. *Miſitque* (Deus) *Angelum ex Angelis ſuis* (quare his verbis quæ clara ſunt, ſcriptor contentus non eſt, ſi Angelos agnovit? Sc. vult, ut unuſquiſque per Angelos illud intelligat, quod ipſe intelligit: ideoque, ne hoc in ſequentibus, ubi frequens mentio Angelorum ſit, cogatur identidem monere, prima hac occaſione mentem ſuam aperit) *id eſt*, *Mandatum ex mandatis ſuis*: & mox ut huic phraſi aſſuefaciat Lectorem, Angeli vocem omittit, & ſola *mandati* utitur, ne quis credat Angelum & mandatum Dei eſſe diverſa, & dein appellat idem illud سبب الباري المخاطب *Inſtrumentum Creatoris loquens*, utque clarius mentem ſuam explicet علة المخاطبه *cauſam ſive organum quod loquebatur ad eum*. Putamus itaque Samaritanos Angeli nomine iutelligere, δύναμιν, ſive virtutem ab ipſo Deo non diverſam, ſed potentiam ejus, vel voluntatem quam non ſatis accurate appellant امر *mandatum* vel *juſſum*; quum juſſum ſit voluntatis patefactio. Atque ita quum Deus populum ſuum cuſtodit aut homines alloquitur, illa virtus Angelus ab iis dici videtur. Porro quum Deus ſuam virtutem corpori cuidam, ſive Inſtrumento, ita conjungit, ut illud animet, & in & cum eo operetur, illud Inſtrumentum *Angelus* iis appellatur. Unde per Angelum modo Deum, modo Inſtrumentum Dei, modo mandatum intelligunt. Quis non videt hic ſummam confuſionem & merum Chaos? Ita tamen ego concipio mentem Samaritanorum, ex textu modo citato, in quo امر الله *mandatum Dei* & الملاك *Angelum* promiſcue uſurpantur, ſi conferam illa cum eo, quod paulo inferius in hoc ipſo Capite modo *Deus* modo *inſtrumentum Dei* ſive *Angelus* res eadem appelletur. Ita verba habent. ولشتد رجم الباري بمسيره قبل استفهامه وانتصب في الطريق للبطش به *Iraſcitur ei* (ſc. Bileamo) *Deus quod iter ingrederetur ſe non interrogato & ſtitit ſe in via ut illum coerceret*. Et mox فاما هي ان التمحت سبب الباري عز و جل منتصبا في الطريق وسيفه مسلول بيده *Aſina autem quum conſpiceret Inſtrumentum Creatoris altiſſimi ſtans in via & ſtrictum gladium manu tenens*, &c. Hic *Deus* ſe ſtitiſſe in via legitur, & mox illud idem de *Inſtrumento Dei* explicatur. Eſt itaque Deus & inſtrumentum illud Dei, quod appellatur, unum idemque ex opinione Samaritanorum. Adeoque quum Angeli leguntur miſſi eſſe in Pentateucho, conſpecti, & ad alios locuti, erunt inſtrumenta ad mentem Samaritanorum, quibus Deus res ſuas exequitur. Verum quidem eſt, Angelos miniſtros Dei eſſe & illorum opera Deum uſum ſæpiſſime, & hoc ſenſu illos inſtrumenta Dei merito dici poſſe: at non quodvis inſtrumentum quo Deus utitur (ſit venia verbis, quibus nos uti cogunt Samaritani) Angelus eſt. Aſinam Bileami loqui fecit Deus, at quis ſanus eam Angelum dicat? Sint ergo omnes Angeli inſtrumenta, non ideo omnia inſtrumenta Angeli, nec hæ voces æquipollent, ut una per alteram explicari queat, *Angelus*, & *inſtrumentum Dei*. Multo minus ille, qui Angelos agnoſcit, appellare poteſt eos Dei mandata uti faciunt Samaritani. Efficiunt, exequuntur, annunciant Dei mandata: ſed aliud eſt, quod nunciat, aliud quod nunciatur. Niſi ergo anguis in herba lateret, cur tot explicationibus involvitur a Samaritanis ſimpliciſſima Angeli notio? Cur ſe ipſos adeo intricant, quod omnes illi faciunt, qui a veritate ſemel deflexerunt? Hærere illos vides, & neſcire quibus verbis mentem ſuam aperiant. Mandatum Dei an poteſt conſpici? Ita illis videtur. At hæc phraſis du-

ra

ra est. Emollitur itaque alibi, ubi per mandatum Instrumentum Dei docent debere intelligi.

VIII. Quæ quidem licet ita se habere mihi persuadeam, facile tamen prævideo aliqua mihi objici posse, quæ diluenda sunt. Qua ratione, dicet aliquis, asseri potest Samaritanos negare Angelorum existentiam, quum claris verbis scribant Angelos Israelem custodire, Angelum missum ab Bileamum, &c. Respondeo, verum esse Angelorum meminisse Samaritanos, sed nomen Angelorum tantummodo retinent, rem ipsam negant, quoniam per Angelum id non agnoscunt, quod agnosci debet. Sadducæi negarunt Angelos. Id traditur, *Act.* 23. attamen vocem *Angeli* non extruserunt e Codice Sacro, quo eodem usi sunt ac ceteri Judæi. Sed per Angelum id non intellexerunt, quod intelligi oportuit. Et tamen sacræ literæ scribunt illos negasse Angelos. Ita & nonne summo jure pro Atheo habendus est, & dicendus Deum negare, licet passim de Deo æterno, & infinito loquatur, qui per Deum hoc universum intelligit? Pari modo Samaritani, licet vocem Angeli agnoscant, dum illi notioni longe aliam ideam adjungunt, Angelos negare dici debent. Non deerunt, qui in explicatione sententiæ Samaritanæ circa hoc negotium sibi clare non liquere mentem illorum hominum dicent. Fateor, quoniam plura nobis scripta Samaritanorum ad manum non sunt, in quibus ipsi explicent, quid de Angelis ita dictis sentiant, clariorem me expositionem dare non posse, & confusionem mihi parere notionum illarum, *Angeli*, *mandati Dei*, & ejus *instrumenti*, usum promiscuum. At hoc tamen certum habeo, illos negare Spiritus finitos, & ministerio Dei speciatim destinatos, quos Angelos appellamus; & Samaritanorum sententiam non multum recedere ab ea quorundam inter Christianos, qui (sunt verba Justini Martyris in *dial. cum Tryphone*) dicebant Angelos esse ἀτμήτως ϗ ἀχωρίστως Θεοῦ δυνάμεις ἃς ὁ Θεός, ὅταν βούληται, προπηδᾷν ποιεῖ ϗ πάλιν ἀναστέλλει πρὸς ἑαυτόν, *indivisas & inseparatas a Deo virtutes, quas Deus quum vult prosilire facit, & rursus ad se remittit.* Qui forte Angelici illi sunt quorum hæresin se ignorare Epiphanius *hæres.* 60. testatur, ubi illos etiam a regione quadam ἐπέκεινα τῆς Μεσοποταμίας *ultra Mesopotamiam*, dicta Ἰγγιλίνη, nomen habere conjicit. Ἰγγιλίνην autem suspicor esse deflexam vocem ex جيلان *Gilan*, provincia Imperii Persici, sita inter gradum 35. & *36. latitud.* & 74.---76. *long.* juxta Geographos Orientales. Et hi forte sunt *Geli* Ptolomæi ad mare Caspium siti. Sed e diverticulo in viam. Memorant iidem Samaritani & *Spiritus divinos.* Ita est: δυνάμεις Θεοῦ virtutes Dei, non tales spiritus, quos nos Angelos dicimus.

IX. Testimoniis istis, quæ ex Chronico nostro modo a me laudata sunt, hæc quoque addimus ex ipsa versione Pentateuchi Samaritana, quæ luculenter sententiam nostram confirmat. In ea enim promiscue Samaritanus Interpres voces *Deum* & *Angelum Dei* usurpat, quod certo nobis indicio est eum per Angelum non intellexisse spiritum ad ipso Deo diversum, sed ipsum Deum sive ejus virtutem. *Gen.* 5. 1. ubi textus Hebræus tradit, hominem creatum esse ad *imaginem Dei*, Samaritanus nefando ausu substituit *imaginem Angelorum*. Idem prorsus *Gen. 9. 6.* Pari modo *Gen.* 5. 24. ubi de Enocho legitur in Codice Hebræo לקח אותו האלהים *assumsit eum Deus*, Samaritanus habet, *assumserunt eum Angeli*. *Gen.* 17. 22. ubi Hebræus legit, ועל אלאים *& adscendit Deus*, Samaritanus habet, *adscendit Angelus Dei*. Qui vult, plura e Pentateucho Samaritano loca congerat: sed vix a nobis impetramus ut silentio prætereamus illum locum, quo prima videtur Angelorum mentio injici in Pentateucho, id est, *Geneseos cap.* 2. *v.* 1. ubi illos per *Exercitum cœlorum* intelligendos esse plurimi Interpretes, nec immerito, existimarunt. Samaritanus ibi pro *exercitus eorum*, legit, *creaturas eorum*, ne quis in eo textu suspicetur de Angelis agi, & inde edoceatur creatos illos esse a Deo, & ab ipso distinctos. Ideo videntur Samaritani divertere voluisse animum Lectoris, ut sibi persuadeat hic simpliciter de creaturis, sive rebus cœlo & terra contentis, agi. Quæ quidem omnia nos eo ducere videntur, ut credamus revera Angelos a Samaritanis negari, sensu mox a nobis explicito:

> *Quæ, si non prosint singula, multa juvant.*

X. Occurrit & mentio *Angeli maximi*, الملك الاعظم, per quem Messias videtur intelligi, in Chronico Samaritanico *Cap.* 10. و تتباعد الملايكه عن صوبكم و لسم الملك الاعظم من نصرتكم و يحلكم ما مكتوب في كتب السخط و اللعنه *Et recedent Angeli a latere vestro & nomen Angeli maximi ab auxilio vestro, & descendet super vos quicquid scriptum est in libris iræ & ma-*

maledictionis. Quia itaque *Angelus* & *virtus Dei* idem ſonant Samaritanis, quando Simoni acclamabatur, Οὗτός ἐςιν ἡ δύναμις τȣ̃ Θεȣ̃ ἡ μεγάλη, *Hic eſt virtus illa Dei magna*, idem eſt ac, hic eſt ille Angelus magnus, cuſtos exercitus Iſraelitici, hic eſt Meſſias. *Act.* 8. 10. Tunc enim exſpectabatur a Samaritanis Meſſias, uti ex colloquio Jeſu Chriſti & mulieris Samaritanæ, ac aliunde liquet.

XI. Reſurrectionem mortuorum a Samaritanis negari ſcribit Leontius in *l. de Sect.* Οὔτε δὲ ἄγγελον δοξάζȣσιν εἶναι. ὔτε ψυχὴν ἀθάνατον, ὔτε ἀνάςασιν. *Nec Angelum eſſe credunt, nec animam immortalem, nec reſurrectionem.* Epiphanius *Hæreſ.* IX. Σφαλέντες δὲ οἱ τοιȣ̃τοι ϗ μὴ τηλαυγῶς τὸ πᾶν μέρος τῆς πίςεως τε ϗ τῆς ἡμετέρας ζωῆς τὸ ἀκρίβασμα κατειληφότες ἠγνόησαν μὲν νεκρῶν ἀνάςασιν ϗ ἀπιςȣ̃σι. *Errantes autem illi, nec omnes partes fidei noſtræ complexi aut integram vitæ noſtræ rationem, nec ſciunt mortuorum reſurrectionem nec credunt.* Cujus rei cauſam hanc videtur ſuſpicatus fuiſſe Epiphanius, quod, uti paulo ante dixerat, Samaritani ſolum Pentateuchum reciperent, ϗ ἔγκειται μὲν ἐν ταύταις ταῖς πέντε βίβλοις ἀναςάσεως νεκρῶν τὸ σημεῖον, ȣ̓ μέντοι γε τηλαυγῶς κεκήρυκται, *in quo quidem ſignum aliquod reſurrectionis ſparſum extaret, ſed ea veritas non perſpicue prædicaretur.* Mirum vero eundem, qui mox ex variis Pentateuchi locis reſurrectionem ſummi Doctoris noſtri, Jeſu Chriſti, non citaſſe, qui contra Sadducæos, *Matth.* 22. 31. ex dicto Dei *Exod.* 3. 6. reſurrectionem ita demonſtravit ut turba ſapientiam ejus ſtupuerit & Phariſæi agnoverint eum os occluſiſſe Sadducæis: quod eo facilius concipi poteſt, quo verius eſt, eo tempore inter Judæos iſtiuſmodi probationes e textibus, qui prima fronte id dogma præferre non videntur, petitas magis in uſu & honore fuiſſe, illis, quæ ex locis claris & expreſſis deſumebantur. Quod autem Epiphanius loco modo citato ſcripſerat de Samaritanis, poſtea, *Hær.* XIII. negat apud omnes obtinuiſſe, & de Doſitheis, quam ſectam facit Samaritanorum, ait, ἀνάςασιν ὁμολογȣ̃σι, *reſurrectionem confitentur.* Ego exiſtimo male accuſari negatæ reſurrectionis Samaritanos, aut ſaltem non poſſe oſtendi iſtius accuſationis fundamentum: ſed, quum vulgo a Judæis & aliis confunderentur cum Sadducæis, quos notum eſt ex ſacris literis nec Angelos nec reſurrectionem mortuorum agnoviſſe, idem de Samaritanis dici cœpit. De Angelis autem ante vidimus id verum eſſe. Et viciſſim quum Samaritani ſolum Pentateuchum pro verbo Dei haberent, idem nonnulli de Sadducæis affirmarunt, quod falſiſſimum eſt. Quicquid ſit, ſive olim Samaritani negaverint reſurrectionem mortuorum, ſive non, nunc ſaltem non negant, & ab eo tempore non negarunt, quo hoc Chronicon habuerunt. Dies enim ultimus vocatur ipſis *Cap.* 6. يوم النقمه والمكافاه *dies vindictæ & præmii*, (in Exemplari meo Cl. Golius pro نقمه ſubſtituerat ad marginem قيامه, quod vulgo is dies Arabibus يوم القيامه *dies reſurrectionis* audiat: ſed nil mutandum cenſeo, quum & ſenſus optimus ſit, & ipſi in literis ad Cl. Ludolfum eum diem ſimili phraſi appellent יום נקם ושלם) & Moſes ibi monet populum moribundus de طوفان النار *diluvio igneo*, per quod pœnam æternam videtur innuere. Verum non eſt neceſſe, ut plura loca ex Chronico noſtro citem, quandoquidem Cl. Hottingerus in *Diſſert. Philol. Theol. Diſſ.* I. *p.* II. Samaritanos hac calumnia liberavit, & illos in Chronico Bibliothecæ Mazarinianæ ita loquentes inducit: *Reſurrectio unum eſt, ac præcipuum ex religionis fundamentis, & una ex ejus baſibus. Nam homo niſi certo ſciat in alio mundo fore rationis redditionem, & ſupplicium pro criminibus luendum, ſuis indulgebit concupiſcentiis*, &c. Unum tamen textum ex noſtro Chronico producam, qui ad reſurrectionem mortuorum ſpectat, & unde hoc ſaltem probatur eos credere, mortuos aliquos virtute Dei reſurrexiſſe. *Cap.* 7. Joſua in Epicedio, quod compoſuit in honorem Moſis, illum ita alloquitur, اين (forte اي) من احيا اموات ... الا انت *Quis in vitam revocavit mortuos præter Te?* Unde Samaritani hauſerint, Moſen excitaſſe mortuos, incertum eſt: nam in ſacris literis id non legitur. Et hoc ipſum occaſionem præbuit Menaſſi Ben Iſrael in *Conciliat. Quæſt.* X. *ad Deuter.* & Abarbaneli in *Commentar.* diſquirendi, qua ratione Moſes maximus θαυματοποιῶν & Prophetarum dici poſſit, quum ipſe mortuos non ſuſcitaverit, uti Elias, & Eliſa, nec ſolem ſtiterit ut Joſua, &c. Verum ſunt inter Judæos qui putant Moſen dici poſſe mortuos revocaſſe in vitam, quum Iſraelitas per venenatum aerem, qui primogenitos Ægyptiorum necabat, incolumes traduceret.

XII.

XII. Capite secundo Chronici nostri jubetur Moses a Deo inaugurare Josuam, & inter alias يعرفه بالاسم الذي يهزم العساكر و تتشوش به الامه التي لا يسعها بلد فلا ياتي عليها عدد *manifestaret ei Nomen illud, per quod profligarentur exercitus, & gentes tot, quot terra non caperet, & quarum numerus iniri non potest* (id est gentes innumeræ) *conturbarentur*. At quid illud Nomen est? Sine dubio, τετραγράμματον יהוה, quod vulgo, sed nulla certa ratione nixi, pronunciant, JEHOVA. Judæi eandem vim nomini יהוה tribuunt, quam nostri Samaritani huic الاسم *Nomini*, de quo loquuntur, & Mosen miracula sua per illud nomen, quod virgæ ejus insculptum erat, patrasse existimant, quod pluribus probarem, nisi id ante me sæpius actum a multis Philologis noscerem. Hujus traditionis quædam vestigia ipsi etiam Mohammedani agnoverunt, qui nomen Dei ἀνεκφώνητον inscriptum lapidi cuidam fabulantur, qui Japheto Noachi filio traditus sit, quem ejus virtute multa miracula fecisse tradunt. Samaritani quidem, pari superstitione cum Judæis, nomen יהוה non pronunciant, sed ejus loco שמא, id est *Nomen*, الاسم, legunt, uti testantur ipsi in literis ad Cl. Ludolfum datis. Quod & Judæi השם *Nomen* pro Deo usurpare soleant, notissimum est, quamvis pro nomine proprio יהוה id est non substituant sed vocem אדני. Cujus venerationis dicam, an susuperstitionis, qua nomina Deo propria prosequebantur, aliquod vestigium cernere est in more vetustissimorum Græcorum, qui juraturi dicere solebant, Ναὶ τὼ, *Per illam*, nomen Deæ reticentes, uti Hesychius observat. Ναὶ τὼ, ὅτως οἱ ἀρχαῖοι θεῶν ὀνόματα μὴ προστιθέντες. *Per hanc, vel illam. Ita solebant veteres loqui, nomina Deorum non adjicientes*. Quid Samaritani sentiant de vocalibus, quibus nomen יהוה legi debet, in literis modo laudatis non tradunt, nec in hoc Chronico uspiam aut nomen ipsum τετραγράμματον, aut aliquid, quod ad hoc argumentum faciat, occurrit. Illud tamen scitu non foret inutile aut injucundum, & in controversia de punctis nominis יהוה non parum momenti huic vel illi parti adferret. At dum hoc non licet, conjiciendum aliquid est. Occasionem dabunt verba Theodoreti ad *Exod.* ita de hoc nomine scribentis, Καλῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβὲ Ἰεδαῖοι δὲ Ἰαώ. *Samaritani pronunciant quidem id Jabe, Judæi vero Jao*. Si ergo vocales τὸ Ἰαβὲ subjiciamus nomini יהוה; uti ratio vocis fert, legisse quis eos dicet *Jebave*, cum Kametz sub primo *He*. Sed hoc certo dici nequit, quum Samaritanorum pronuntiatio talis sit, ut sonum A pro E sæpe substituant. Ita pro ברשית *Bereschith* pronuntiant *Baraschith*, pro *Elohim*, *Alahim*, &c. Adeoque, cum & lectio vocis יהוה per *Jebave* nescio quid anomalum & minime conveniens cum ipsa vocis constitutione inferat, credo illos יהוה legisse *Jebeve*, יהוה: quæ vox ab iis pronuntiata, qui sæpe pro E sonum A substituunt, quid mirum si ut *Jebave* fuerit intellecta. Certe lectio nominis τετραγραμμάτε per *Jebeveh*, mihi videtur simplicissima & verissima; ita ut, si hæ quatuor literæ יהוה sine punctis a quopiam cernerentur, qui ex linguæ Hebreæ analogia iis vocales addere deberet, sponte legeret יהוה, *Erit*, in futuro Kal ab הוה. Adde quod hoc propius exprimat illud אהיה אשר אהיה *Ero Qui Ero*, quod *Exod.* 3. 14. legitur. Et propterea puto *Eccles.* XI. 3. יהוא legi ἀνωμάλως pro יהוה, quia hoc ipsum nomen Dei est: qui quidem unicus locus est in quo 3. *pers. masc. fut. Kal* verbi הוה, vel הוא in Hebræo Codice occurrit. Hæc quidem de nomine Dei tetragrammato.

XIII. Sed & aliud Dei nomen in hoc Chronico occurrit, quod examen meretur. *C.* 15. Deus appellatur رب العالمين, quod transfero per *Dominum mundorum*. Titulus ille apud Mohammedanos usitatissimus est: Nec tamen inde colligo Mohammedem plures mundos credidisse (quod ex hac phrasi liquere putat harum literarum peritissimus Alcorani nuperrimus editor L. Maraccius in not. ad *Surat.* I.) quia videntur illum hausisse a Judæis, qui Deum eodem modo רבון עלמין *Dominum mundorum* vocant; quia, dicunt, titulus *Domini mundi* etiam hominibus tribui potest, at nullus mortalium *Dominus mundorum* vere dicitur. Sunt autem isti mundi, quorum Deus Dominus est, non corporei, de quibus an plures hoc uno esse possint disputare solent Philosophi, sed hi quatuor juxta Cabbalistas עולם אצילות בריאה יצירה עשיה *Mundus emanationis, creationis, formationis & fabricæ*. Mundus emanationum (i. e. decem הספירות) est Divinus, quem Deus האציל *emanare fecit*, de quo mysterio nos fortasse alibi pluribus loquemur. Mundus Creatio-

tionis est *solium gloriæ* כסא הכבוד. Mundus formationis est mundus Angelorum. Mundus denique fabricæ est is, quem nos mundum appellare solemus, quique cœlum & terras complectitur. Nec obstat, quod Mohammedani hoc sensu Deum appellare non possint plurium mundorum Dominum, quum quatuor hos mundos Cabbalisticos non agnoscant: nam & alias voces & loquendi modos a Judæis mutuatus est Mohammed, ignorans licet vim & significationem, quam iis Judæi tribuebant; tantum ut novum quid, & μυστηριώδες, loqui videretur. Dictis fidem faciet unicum vocabulum مسيح *Messiæ*, quo Christum intelligunt hodieque Mohammedani, id ex Corano edocti, licet interim augustum *unctionis* sensum, quæ triplici muneri ejus convenit, ignorent. Alii tamen malunt transferre βασιλέα τῶν Αἰώνων, quum עולם & αἰὼν *sæculum* æque ac *mundum* notent, unde & ipsa vox sæculum sequioribus temporibus pro mundo cœpit usurpari & sæculares dicti, quasi mundani. Cl. Erpenius in *Surat.* I. (quam subjunxit Historiæ Josephi, sive Suratæ XII. Alcorani, Arabice & Latine a se editæ) رب العالمين vertit *Dominum creaturarum*, secutus, ut videtur, Interpretes plurimos Alcorani, nec ausus vertere *Dominum mundorum*; quia, inquit in notis, mundi plures non sunt. Verum hoc quidem est, sed juxta opinionem Judæorum, a quibus Mohammedani hæc hauserunt, sunt omnino plures mundi, illi scilicet Cabbalistici, de quibus egimus. Ab hac Erpeniana, & a nostra versione longissime recedit illa Cl. Hottingeri, qui رب العالمين sonare putat *Dominum notarum, sive vestigiorum*, in *Historia Creationis, pag.* 282. eo quod notæ & vestigia omnipotentiæ & sapientiæ ubique sint in creaturis obvia. Sed hæc longius petita sunt, & multo rectius in Diss. *de nominibus Dei Orientalibus pag.* 278. *Dominum Creaturarum* transtulerat. Ita præeunt Lexica Arabica & Interpretes Corani. Cl. Golius in Lexico transfert eundem Dei titulum per *Deum Zebaoth*, sive *exercituum*. Nos tamen a nobis impetrare non possumus ut ullam ex his sententiis, quod pace manium Maximorum Virorum dixerim, amplectamur, & malumus ex fontibus Judaicis tituli hujus originem derivare.

XIV. Urim & Thummim Pontificis Maximi in Chronico الكمال ونزهر id est, τελειώτες καὶ φωτισμοὶ, *perfectiones & splendores*, ut Aquilæ & Theodotionis verbis utamur, appellantur, *cap.* 2. alibi simpliciter *gemmæ*, sic ut videatur per אורים & תמים nil aliud intellexisse quam pretiosos lapides, quos pectore præferebat Pontifex. Hæc sententia multos habet sequaces: at non non adeo recepta est apud Christianos illa, quam prodit scriptor noster alibi, de manifestatione scelerum per has gemmas, *Cap.* 17. Res huc redit: gemmam illam in pectorali Pontificis, cui inscriptum erat nomen Jehudæ, obscuratam fuisse, postquam Achan vir ex tribu Judæ oriundus, sacrilegio se polluisset. Et *Cap.* 38. traditur, hac ratione scelera revelari consuevisse apud Israelitas (ita se Samaritani vocant.) Eadem traditio est apud Judæos & Mohammedanos. Illos primum audiemus. Ita Rashi commentatur ad *Jos.* 7. 17. ipsamque adeo historiam Achanis: *Et accedere fecit Josua Israelem* לפני החושן מקום שהשבטים כתובים ומסר לו הק' ב"ה סימן שהשבט שחטא אבנו כהה וכההה אבנו של יהודה *Coram pectorali scilicet Pontificis, cui inscriptæ erant tribus. Signum vero dederat Deus, gemmam illius tribus, a qua crimen erat admissum obscurandam fore. Et gemma Judæ obscurabatur.* Et in libro, qui nomine R. Eliezeris fil. Hyrcani circumfertur, hæc legimus כל שבט שהיה עושה עבירה לא היתה אבנו מגיהה אורה, *Gemma tribus illius, quæ peccaverat, non fundebat lumen.* Josephus *lib.* 3. *antiq. c.* 9. varia tradit, quæ quod ad rem ipsam cum antecedentibus conveniunt, sc. quod obfuscatio gemmarum Pontificalium signum fuerit peccati ab Israelitis commissi. Ita ille. Ἐπαύσατο μὲν ἦν ὅτε ἐσσὴν (חושן) καὶ ὁ σαρδόνυξ τοῦ λάμπειν ἔτεσι διακοσίοις πρότερον ἢ ταύτην ἐμὲ συνθεῖναι τὴν γραφὴν, τοῦ Θεοῦ δυσχεραίνοντος ἐπὶ τῇ παραβάσει τῶν νόμων. *Desiit autem tam Pectorale ipsum* (intellige, gemmæ in eo) *quam Sardonix* (innuit gemmam in dextro humero Pontificis, quæ fulgorem quoque emittebat, quum litatum esset, ex ejus sententia, uti eodem hoc capite docet) *lucere annis* 200. *antequam hæc scriberemus, quoniam Dei ira ob transgressionem Legum provocata est.* Ibidem tradit, Deum prædixisse prospera prælia per fulgorem ex 12. gemmis Pontificalibus emissum, & minus prospera, siquidem splendore illæ destituerentur. Mohammedanorum hac in re opinionem his verbis pandit in manuscripta Historia Patriarcharum elegantissimus auctor, Kessæus, de 12. علما, *gemmis*, sive signis, in veste Aharonis existentibus scribens وان علو احد من الاسباط.

الاسباط كان يتغير علمه. *Si aliqua tribus peccasset, gemma* (sive signum) *ejus mutata fuit*. Dein idem enarrat ita deprehensum esse a Josua quendam qui furatus erat قطيفه *pallium*. Per eum sine dubio Achanem intelligit: nam ille abstulisse sibi legitur אדרת שנער אחת טובה *pallium, vel paludamentum, Babylonicum pretiosum*. Ita est in textu Hebræo *Jos.* 7. 21. Interpretes Græci ψιλὴν transferunt, & videntur אדרת שנער *pro tapete Babylonico* accepisse. Nam quod Vir Eruditissimus, Andreas Masius in *Comm. ad h. l. pag.* 134. putat illos per ψιλὴν voluisse innuere vestis genus *leve* & *expeditum*, id est, militare, minus arridet, quum ψιλὴ, etiam sine epitheto *Babylonici*, tapetum vulgo notet. Glossæ: *Tapetum*, τάπη, ψιλή. *Psila* hinc apud Latinos. *Lucilius, lib.* I.

Psilæ atque amphitapæ villis ingentibus molles.

Scilicet ἀμφιτάπης erat tapes utrinque villosus, sed ψιλὴ, ψιλοδάπις (uti Pollux *in Onom. l.* VI. *c.* I. & Eustath. *ad Odyss.* K. *p.* 378. scribunt) tapes minus vel ab una parte villosus. Isidorus, *Originum l.* XIX. *cap.* 25. ita differentiam utriusque speciei constituit. *Sipla* (puto legendum esse *Psila* vel *Psilæ*, uti apud Lucilium legitur) *tapeta ex una parte villosa, quasi simpla. Amphitaba* (hæc lectio sollicitanda non est, nec substituendum *Amphitapa*, quia Persæ *Taba* per B tapete vocant,) *ex utraque parte villosa tapeta.*

XV. De *Sabbathis* nescio an aliquid aliud memorat Scriptor nostri Chronici, quam *Cap.* 38. quod *ea observarent* يحفظون السبوت. At constat ex illorum epistolis in Sabbathi hebdomadalis celebratione multum differre Samaritanos ab hodiernis Judæis, qui inter nos vivunt. Hi enim Rabbanitæ sunt, & בעלי הקבלה *Traditionum* πατροπαραδότων *defensores*, quum בעלי המקרא sive *Karæi* (quo nomine notiores sunt) hac parte cum Samaritanis consentiant. Scilicet nostri Judæi ignem Sabbatho accensum habent, & insignem ardentium lampadum multitudinem alunt, quod Amstelodami, & alibi, ubi Judæi sunt, videre est: & in ipsa Misna, *Massechet Schabbath, cap.* 2. fuse agitur de Lampadum Sabbathinarum accensione; & ille qui lucernam extinguit, ut sumtibus parcat, reus pronuntiatur. Verum Karæi, quos se profitentur plurimi in Oriente, lampadum usum in Sabbatho damnant, nec ignem alunt, nec lucernas habent accensas, ii sc. qui in regionibus Orientalibus vivunt, nixi mandato Dei, *Exod.* 35. 3. לא תבערו אש בכל משבתיכם ביום השבת. *Non accenderis ignem in ulla ædium vestratum die Sabbathi.* Quod præceptum si de ipso actu accensionis, & non simul de accensarum lampadum continuatione, deberet intelligi, superfluum Karæis videtur, quum in mandato de cessatione ab omni opere satis contineretur. Quem morem quod suo tempore videret observari Rutilius, *frigida* appellavit Judæorum Sabbatha, quæ sine igne transigerent. *vers.* 389.

Radix stultitiæ, cui frigida Sabbatha cordi.

Uti monuit Vir egregius & Præceptor quondam meus, cujus memoria semper mihi in honore erit, nuper rebus humanis ereptus, Cl. Jacobus Triglandius in Exquisitissima Diatribe, *de secta Karæorum, cap.* IX. *pag.* 131. Quibus hæc duo testimonia addam; primum Bardesanis quod Eusebius conservavit *Præparat. Evangel. lib.* IV. *cap.* 10. Δι' ἡμερῶν ἑπτὰ, πάντες ὅπου ἂν ὦσιν ἀργοῦσιν ἐκ παντὸς ἔργου, καὶ οὔτε ὁδεύουσιν, οὔτε πυρὶ χρῶνται. *Septimo quoque die* (*Judæi*) *omnes ubicunque terrarum degant* (quod hodiernis moribus plane est contrarium, nam Rabbanitæ nulli ignem damnant) *ab omni opere vacant, nec iter suscipiunt, nec igne utuntur*. Alterum est Theodori Metochitæ in Historia Romana, quam primus typis edi curavit Lugduni Batavorum Cl. Meursius, *anno* MDCXVIII. qui de Judæis hæc habet: Ἐν αὐτῷ (Σαββάτῳ) γὰρ οὔτε πῦρ ἅψαι συγχωροῦνται, οὔτε ξύλα συνάξαι. *Die enim Sabbathi nec ignem accendere iis licitum est nec ligna colligere.*

XVI. Annum Sabbathicum ab Samaritanis quoque observari, ex eodem *Cap.* 38. Chronici & literis illorum ad Angelos datis liquet: & ex ipso Josepho, jam Alexandri Macedonis tempore illum morem apud illos viguisse docemur. Ita hic *Antiquit. Judaic. lib.* XI. *cap. ult.* Ἀξιούντων δ' ἀφιέναι τὸν φόρον αὐτοῖς τοῦ ἑβδοματικοῦ ἔτους· οὐδὲ γὰρ αὐτοὺς σπείρειν ἐν αὐτῷ, τίνες ὄντες ταῦτα παρακαλοῦσιν ἐπυνθάνετο. *Quum vero peterent* (*Samaritani*) *ut* (*Alexander*) *iis remitteret tributum septimi anni; se enim illo non serere, quinam illi forent, qui id peterent, percunctatus est*. Scilicet, quum & Judæi & Samaritani maximam partem suarum opum ex agrorum cultura acquirere deberent, grave ipsis erat anno septimo, quo omnis satio interdicta erat, tributum solvere: unde postea Jannæus permisit Judæis etiam anno septimo agrum colere, sed in illum usum tantum, ut tri-

tributum solvere possent. In Chronico nostro dicitur و يسمطو الارض من تاريخ يو شع الملك في كل سبع سنين سنه و احده *Et cultum terræ intermittebant, ab Epocha Ducis Josuæ numerantes, unum annum e septem.* Ubi per تاريخ يو شع. *Epocham Josuæ* intelligenda est æra, quæ ab ipso Jordanis transitu originem ducit. Ita noster *cap.* 15. cui titulus خبر جوزان بني اسرايل الاردن *Historia transitus Israelitarum per Jordanem*, transitum hunc enarraturus ita infit و فعلو بني اسرايل كما و صاهم الملك و ارتفع السحاب في اول شهر من السنه الاولي من السمطه الاولي من اليوبيل *Et fecerunt Israelitæ, quod (Josua) Princeps jusserat, & sublata est ab iis nubes (viæ dux) primo mense primi anni primæ Schemittæ ex Jubilæo.* Sic ut ab ipso Jordanis transitu primus annus e septem, quorum ultimus esset Sabbaticus, numerandus esset: nam per שמטה السمطه videtur non ipsum annum septimum, sed totum septem annorum spatium intelligere; non enim apte dicitur *primus annus ex Sabbathico primo*, si ipse sit Sabbathicus. Et apud Judæos שמטה non semper annum Sabbathicum, sed integrum Septennium notat. Idem de voce jubilæi in textu Chronici nostri dictum sit, quo nomine non unus annus, sed 50. intelliguntur. Erat autem hic annus, quo Jordanem transiverunt, juxta rationes Chronologicas Samaritanorum, uti mox loco citato scribunt, annus a Condito mundo 2794. Quumque ab mundo condito usque ad obitum Imperatoris Hadriani in eodem hoc Chronico numerent annos 4513. & 7. menses, facile quivis inde supputando scire poterit an hic annus E. G. Samaritanis sit Sabbathicus & quotus numero. Quamvis Illustris Scaliger in Eximio opere, *de Emend. Temporum*, *l.* VII. *pag.* 625. non recte Samaritanos illam rationem numerandi annos ad sua tempora referre scribat, & alieno tempore Schemittam ab iis observari. Ceterum inter Christianos disquiri solet, an primus annus Sabbaticus computari debeat ita, ut septimus sit a Jordanis transitu, quia dicitur *Lev.* 25. 2. כי תבאו אל הארץ *quum ingressi fueritis in terram*, an vero demum ab eo tempore quo tota terra acquisita & distributa fuit, quod septennio circiter post Jordanis transitum contigit. Ego his accedo, quod mox *v. seq.* 3. dicat Deus שש שנים תזרע שדך *sex annis seres agrum tuum*. At seri non poterat ager, qui sub potestate hostium erat: nec omnes Israelitæ, ad quos sermo Dei spectabat, ingressi erant in terram, cujus maxima pars ab inimicis incolebatur.

XVII. De Decimis, in quarum ritibus describendis adeo multi sunt Judæi, nihil omnino, quod sciam, Samaritani in literis ad Scaligerum, Ludolfum, aliosque Europæos datis memorant: unde suspicio alicui nasci posset, ac si hæc pars cultus Divini, licet in Codice Mosaico præcepta, neglectui a Samaritanis haberetur. Quæ exinde augeri videtur, quod Judæi scribant Manassem, generum Saneballathi, qui a Judæis ad Samaritanos defecit, & universam religionem Samariticam nova facie induit, concessisse Samaritanis, ut nullas primitias, nullas decimas, erogarent. Ita scribit R. Salomo Ben Verga, in libro *Schevet Jehuda*, quem titulo *Historiæ Judaicæ* Latine edidit Vir Eruditissimus, Georgius Gentius, *edit. Amstelod. pag.* 15. ומנשה ערום היה ושלח כרוז לכל הסביבות שכל מי שיבוא אל מקדשו לא יתן מן התרומות והמעשרות כי אם מתנת ידו ורצונו כי אין חפץ האל בדברים שהם על צד הכרח כי אם בנדבה *Menasses autem callidus erat (ut hominum animos sibi conciliaret) misitque præconem circumquaque, qui ediceret si quis ad Templum suum veniret nullas primitias nullas decimas eum daturum, sed tantum quantum vellet: Deo enim non placere oblationes coactas sed spontaneas.* Licet Deus ipse manifestum *Deut.* 12. 17. inter decimas & oblationes spontaneas distinxisset, quod Dei placitum sacrilege vilipendit. Culpæ tamen huic probabile est prætexuisse Menassen exemplum Ezræ, qui constituit ne Levitis decimæ darentur, quod cum ipso non adscendissent Hierosolymas, & quod illi in substitutione Sacerdotum pro Levitis licuisse videbatur, idem sibi licere in remissione statarum decimarum arbitratus est. Verum e Chronico nostro patet decimas ab iis erogari solitas, easque geminas, quarum illas *decimas* عسر ἁπλῶς, has *secundas*, uti Judæi מעשר שני, عسر ثاني, appellant. Ita *Cap.* 38. *pag.* 181. ubi status pacatæ rei publicæ describitur, disertis verbis legitur, Israelitas (ita se appellant) inter alias consuetudines etiam hanc observasse dandi decimas. Illæ autem decimæ primæ dicuntur datæ

من

من كل زرع وفاكهه و حيوان و غير ذلك *ex omnibus satis, & fructibus, & animalibus, &c.* Additurque has datas esse Sacerdoti summo a Levitis : quod cum Judæorum moribus & statutis non convenit, qui Decimas quidem Levitis datas fuisse fatentur, at ab iis non redditas Pontifici Maximo. Sed ex iis decimis, quas perceperant Levitæ dabant illi Sacerdotibus decimas alias, quæ מעשר מן המעשר *decimæ de decimis* appellabantur. Unde forte in hoc textu Chronici interponenda est particula من *ex*, sic ut sensus non sit, Levitas dedisse *illas decimas*, sed *ex illis decimis* aliquid, Sacerdoti. Nec requirebatur ut eas darent *Pontifici Maximo*, quod Samaritani volunt, sed לכהן *Sacerdoti* simpliciter, uti & sacræ literæ & traditiones Judæorum loquuntur. Porro decimas secundas ait cessisse in usum orphanorum & pauperum: quum apud Judæos מעשר שני sive decimæ secundæ, id est illæ quæ post ablatam decimam primam & Levitis datam e reliqua massa dabantur, Hierosolymis a dominis comedi debuerint, *Deut.* 12. 17. 18. & nonnisi tertio & sexto anno ab anno Sabbathico pauperibus & orphanis darentur, quæ מעשר עני *decimæ pauperis* tunc appellabantur. At quotannis hoc privilegium iis non concedebatur.

XVIII. De *Primitivis* (ita appellamus eas oblationes, quæ בכורים in scris literis dicuntur, distinguendas ab תרומות, quæ *Primitiæ* vulgo audiunt, quarum illæ e frugibus non elaboratis ad usum, uti tritico, hordeo, uvis, olivis, &c. hæ ex iisdem, sed elaboratis, uti oleo, musto, &c. dabantur) in Chronico nostro, eodem capite, lego, quæ نكر בכורים quoque ibi vocantur, & Sacerdoti dicuntur fuisse oblata, ex animalibus, satis, & frugibus. At de תרומות sive *primitiis* ibi altum silentium. Sic ut cum iis facere videantur Samaritani, qui nullam distinctionem inter *Biccurim* & *Terumoth*, id est *Primitiva* & *Primitias* agnoscunt: quamvis Judæi eo, quo dixi, & aliis modis, distinctas esse has oblationum species credant, uti vel ex Codicibus Misnicis, quorum ille titulum בכורים præfert, hic תרומות, manifestum est.

XIX. De planta, quæ ante tres annos jam plantata erat, sanciverat Deus, ut quum fructus ejus primo triennio fuissent interdicti, quarto anno sancti essent Deo, quinto demum usui vulgari cederent, *Levit.* 19. 23. Judæi interpretes hic in partes abeunt, & quidam existimant fructum quarti anni comedendum esse a Sacerdotibus, uti Abarbanel & alii : quidam vero eundem a possessoribus ipsis in loco sancto comedendum volunt, quod Sacra Scriptura expressis verbis Sacerdotibus illum fructum non concesserit, & קרש *Sanctitas* appelletur, scriptumque sit *Num.* 5. 9. sancta ad dominum pertinere, sic ut in potestare ejus situm videatur, quid de iis fieri velit. Samaritani, uti ex eodem Capite Chronici edocemur, cum illis faciunt, qui fructum quarti anni *Sacerdoti* الامام adsignant: & quum Judæi ex voce textu Sacri פרי *fructus* colligunt, nonnisi arbores illas, quæ fructus in usum cibumque humani generis comparatos ferunt, huic legi subjectas arbitrentur, Samaritani eodem in loco fructum quarti anni deberi ab omni نصب *planta* nova, quæ plantatur, scribunt.

XX. Circa manumissionem servi eodem Capite traditur, eam fieri consuevisse, postquam septem annos servierat. De qua re inter Judæos & Christianos Interpretes magna est disputatio. Sunt enim qui existimant, quorum ego sententiæ subscribo, manumitti servum debuisse postquam sex annos, non septem, servierat. Ita nos docent clara verba, *Exod.* 21. 2. כי תקנה עבד עברי שש שנים יעבד ובשבעת יצא לחפשי חנם *Ubi acquisiveris servum Hebræum, sex annos serviet, & septimo liber abibit gratis.* Confer *Deuter.* 15. 12. 18. Quæ loca quum adeo diserte indicent servum debuisse sex, non septem, annos servire antequam libertati restituatur, & Sacer Codex contrariari sibi nequeat, frustra sunt, meo judicio, qui in *Jeremiæ Capite* 34. 14. nescio quas difficultates sibi fingunt. Hæc ibi leguntur מקץ שבע שנים תשלחו איש את אחיו העברי אשר ימכר לך ועבדך שש שנים ושלחתו חפשי מעמך *Singulo septennio* (quare hæc ita vertam statim dicam) *quique vestrum dimittetis servum vestrum quem emeritis vobis, quique vobis servierit sex annis, & dimittetis eum liberum a vobis.* Quis, precor, non videt in hoc quoque textu dici, *postquam servivit sex annis*, non septem, adeoque & hunc pro nobis facere? Sed verba illa initialia מקץ שבע שנים transferunt quidam *a fine septem annorum*, atque ita videntur innuere servitutem septem annorum debere præcedere. At illa non posse ita intelligi sequentia satis ostendunt, per quæ ea explicantur, *postquam servivit sex annis*. Si enim Sacer Scriptor voluisset per קץ שבע שנים *finem anni septimi* innuere, ab-

absurde mox in eadem orationis pericopa addidisset, *ubi servit sex annis:* at, præterquam quod dici posset annum inchoatum pro absoluto sæpe sumi, & apud nos quoque vulgarem esse locutionem, ten eynde van agt dagen, quum tamen nonnisi una hebdomas intelligatur, nego קץ ubique finem vel extremum rei indicare: notat intervallum, spatium, periodum temporis: adeoque מקץ שבע שנים idem erit, quod singulo intervallo septem annorum, id est singulo septennio. Quod si vera est illorum virorum sententia, qui servum singula שמטה sive stato anno Sabbathico dimittendum fuisse statuunt, illi certe dubitare nequeunt, quin sex annis tantum servire debuerit: nam alias non singulis שמטות sive annis Sabbathicis potuisset dimitti. Sed ego, ut dicam quod sentio, id non puto: sed servum debuisse 6. annis servire ante manumissionem ex locis modo citatis edoctus sum, quod fieri non potuisset, si quolibet stato anno Sabbathico dimittendus fuisset. Quid enim de eo factum fuisset qui tertio vel quarto demum anno ante annum Sabbathicum servituti se addixerat? Proximo enim anno Sabbathico dimitti non poterat, at dimitti debuit. Nec video in *Deut.* 15. 12. sententiæ contrariæ præsidium esse collocatum, licet ibi conjungatur præceptum de anno Sabbathico, cum præcepto de manumissione servi. Quid enim ibi dicitur? Servus Hebræus *postquam serviverit Tibi sex annis*, כי עבדך שש שנים, dimittetur. An hoc fieri potest, si quolibet anno Sabbathico dimitti debuit? Dicitur בשנה השביעית *in anno septimo*, repetito ה demonstrativo, quod sæpe magnam emphasin habere non nego, at hoc loco illud innuere, *in anno illo septimo* Sabbathico, de quo statim actum est, non existimo: verum sequentia, *postquam 6. annis servit*, satis ostendunt quomodo præcedentia explicare oportuit.

XXI. De Asylis, eorumque numero & jure, quandoquidem multa inter Judæos & Christianos disquiri solent, non ingratum erit Samaritanorum hac de re opinionem exhibere. Ita illi Chronici *Cap.* 21. *pag.* 108.

ثم رسم لهم ان يفرزوا من ساير اقطاع بني اسرايل للواويه خارج من القسمه ثمانيه واربعين مدينه ومن جملتها سته مدن منها من جمله مدن السبطين ونصف ثلث مدن ومن جمله اقطاع التسعه اسباط ونصف ثلث مدن من هذه المدن لمر الله جل وعز ان تكون مفرده ولاسمها مدن رد يعني ملجا للهرب ثم للقاتل الذي يقتل صاحبه وهو لا يدري بذلك يعني اتفاق او سهوا من غير ارادته ولا بغضه تقدمت فتكون هذه المدن رد من لمثار ولا يقتل القاتل حتي يوقف بين يدي الحاكم وجماعه الاوليا وان كان قتل متعمدا اقتل وان كان سهوا هرب الي بعض هذه المدن ولا يخرج منها * الامام الكبير فان خرج عن تخم هذه المدينه ولقيه المثار وقتله كان بريا من دمه *Dein jussit (Josua) eos (Geometras, scilicet, agrorum mensores & regionum peritos) separare* **Levitis** *ex omnibus possessionibus Israelitarum, extra divisionem (jam factam) quadraginta & octo urbes, & en iis sex urbes, tres ex portione duarum tribuum & dimidiæ (trans Jordanem, sc. Ruben, Gad, & dimidiæ Menasse) tresque alias e portione reliquarum novem tribuum & dimidiæ. De urbibus hisce (sex) jussit Deus O. M. ut forent separatæ: & nomen earum est, urbes repulsionis (eo quod repellerent vim sequentis vindicis, in sacris literis* ערי מקלט *urbes refugii, in Versione Alexandrina* φυγαδεῖα, πόλεις φυγαδευτηρίων, *Chaldaica Onkelosi* קירוי שיזבותא *urbes evasionis) id est loca refugii, ita ut si quis inscius occidisset socium suum, id est, casu fortuito, vel per errorem absque voluntate sua vel odii, repellerent hæ urbes vindicem cædis, nec occideretur homicida ille, antequam sistatur ante Judicem & cœtum procerum. Quod si data opera socium occidisset, & ipse occidendus erat; si vero per errorem, confugiebat ad aliquam ex hisce civitatibus, nec egrediebatur ex illa* (* hic in M. S. to deficit قبل موت vel simile quid) *ante mortem Pontificis Maximi: quod si e limitibus ejus civitatis exivisset, occurrensque ei vindex cædis occidisset eum, liber erat ab ejus sanguine.* Hinc videmus clarissime, Samaritanos sex tantum urbes refugii agnoscere, quæ sententia mihi quoque verior existimatur, quam illa Judæorum, qui credunt non 6. tantum, sed omnes 48. urbes Leviticas, asyla fuisse. Quod & interpretes Alexandrini videntur putasse, quum *Jos.* 21. 27. vertunt, τὰς πόλεις τὰς ἀφορισμένας τοῖς φονεύσασι τὴν Γωλὼν καὶ Βεεσθρα, &c. Ita & Vulgatus. At in Hebræo tantum est עיר מקלט in *sing. urbs* refugii, & id nominis tribuitur urbi Golan, quæ inter sex asyla est, *Jos.* 20. 8. & distinguuntur

42. urbes Leviticæ reliquæ a ſex aſylis *Num.* 35. 6. Porro nomen مدن رد *urbes repulſionis*, quod repellerent & inhiberent vim vindicis, exprimit Hebræorum ערי מקלט, *urbes inhibitionis*, vel contractionis, quod manus vindicis quaſi contraheretur, quomodo hanc vocem Cl. Gouſſetus in Lexico explicat. Ceterum ſpatium temporis, quo homicida manere debuit in aſylo, definitur morte Pontificis Maximi, oleo ſancto uncti, uti & in ſacris literis ſcriptum extat, quum Judæi non poſt illius ſolius mortem, ſed & trium aliorum Sacerdotum, liberum abitum homicidæ concedant.

XXII. Memorabile & hoc eſt, quod de *ſacrificio* תמיר ſive *Jugi*, traditur eodem *Capite* 38. illud celebrari conſueviſſe قبل طلوع شمش وبعد غروبها *ante ſolis ortum & poſt occaſum ejus*. Tempus autem his verbis definiverat Deus *Exod.* 29. 38. *Unum agnum mactabis* בבקר *mane, alterum vero* בין הערבים *inter duas veſperas*. Unde videmus Samaritanos per hanc phraſin, *inter duas veſperas*, intelligere tempus poſt occaſum ſolis, quod & Karæi volunt: quamvis alii Judæi per eam credant innui illud ſpatium diei quod ſtatim poſt meridiem incipit, quodque nos pomeridianum appellamus, a ſexta hora juxta computum Judæorum, ſive a noſtra duodecima. Et hinc ſimul perſpicitur Samaritanos hac parte etiam cum Karæis inter Judæos conſentire; in tempore mactandi agni Paſchalis, qui בין הערבים *inter duas veſperas* mactari debuit, *Exod.* 12. 6. De Karæis, qui illud *inter duas veſperas* dicunt eſſe tempus אחר שקיעת השמש *poſt oocaſum ſolis*, adeoque tunc demum mactandum agnum Paſchalem cenſent, vide Cl. Triglandium *de ſecta Karæor. p.* 27. De Samaritanis, quamvis ex eo, quod oſtenderimus illos per phraſin, *inter duas veſperas*, intelligere *tempus poſt occaſum ſolis*, ſatis liqueat, eos agnum Paſchalem demum mactaſſe poſt occaſum, expreſſe tamen id apparet in literis eorum ad Ill. Scaligerum datis: *Sacrificamus in eo* (*Paſchate*) *veſperi, cum ſol occidit*. Quod ſi ipſa Samaritana verba haberemus vis illorum melius poſſet deprehendi.

XXIII. Quot pœnas capitales Samaritanis habeant, ex *Capite* 28. videmur poſſe colligere, ubi Joſua dicitur conſediſſe in throno, ut judicaret populum, و منهم من قد وجب عليه القتل و منهم من قد وجب عليه الحريق و منهم قد وجب عليه الرجم, *& inter illos, qui jugulari debebant, qui comburi, & qui lapidari*. Videmus hic tres ſolummodo pœnas capitales, quarum prima eſt I. *decollatio* הרג, (quod verbum convenit cum قتل, & licet utrumque generatim notet *occidere*, hic tamen de decollatione accipi debet) quum caput enſe præciditur, כדרך שהמלכות עושה *eo modo uti Romani facere ſolent*, ſicut in Codice Miſnico, *Sanhedrin, cap.* 7. legitur. II. *Combuſtio*, שריפה. III. *Lapidatio*, סקילה. His quartam addunt Judæi, חנק *ſtrangulationem*, quum reus fimo ad genua uſque immergitur, & linteum collo ejus circumdatum hinc inde trahitur, donec exſpiret. Hoc mortis genus, quod ſacræ literæ inter pœnas capitales non memorant, nec Samaritani videntur agnoviſſe: habetur autem a Judæis pro pœna laviſſima ex quatuor. Quod etiam Crucifixionis nulla hic fiat mentio, oſtendit nec Samaritanos illa pœna uſos fuiſſe, nec crediſſe illam *Num.* 25. 4. innui, uti volunt illi, qui Crucifixionem olim inter Judæos uſitatam contendunt. Hæc ita ſcripſeram, quum in alium Chronici Samaritanici locum incido, *Cap.* 3. Legati a Moabitis ad Bileamum miſſi, mores Iſraelitarum deſcripturi, conqueruntur, quod nec ſenibus nec infantibus parcant, ſed ſevere in omnem animadvertant, & hoc 4. modos memorant القتل بالسيف و الرجم بالحجاره و الصلب و الحرق بالنار *occiſionem per gladium* (ibi vides illuſtrari τὸ قتل quod ſtatim ita explicabamus) *lapidationem, & ſuſpenſionem, & combuſtionem*. Hinc dubium poteſt oriri, num ſuſpenſio hic uti pœnæ novæ ſpecies recenſeatur, an vero, quod verius crediderim, (quia proxime lapidationi jungitur, & aliam ſuſpenſionem virorum hominum Judæi inter 4. pœnas ordinarias ignorant) tanquam conſequens lapidationis. Solebant enim & illi ſuſpendi, juxta id כל הנסקלין נתלין, *omnes lapidati ſuſpenduntur*.

XXIV. Nullum eſt atrocius crimen, quod Samaritanis objiciunt Judæi, idololatria, quum tamen in hoc Chronico nullum ſit, quod magis deteſtentur. Quid? quod ſe ſincero unius Dei cultu a Gigantibus illis diſtinguant, contra quos Joſua bellum geſſit, quos *Cap.* 2. appellant الراكعين للاصنام و الساجدين للاجرام *proſternentes ſe coram idolis & adorantes res corporeas*. Sed jam ante monui (*pag.* 5.) Samaritanos idololatras quidem fuiſſe olim, 2. *Reg.* 17. verum ſequentibus ſæculis, & eo tempore

quo mundi Servator inter nos vixit nullo jure idololatriæ reos potuiſſe haberi. Τȣ̃ χρόνȣ προσιόντος πάλιν τῶν μὲν εἰδώλων ἀπεπήδησαν, ἔσεβον δὲ τὸν Θεόν. *Lapſu temporis iterum abjecto idolorum cultu Deum adorarunt*, ait) rectiſſime Chryſoſtomus *Homil.* 30. ubi colloquium Chriſti cum Samaritana narrat. At quatuor potiſſimum mihi videntur huic calumniæ occaſionem dediſſe: quorum primum eſt, quod clare teſtetur Sacer Codex 2. *Reg.* 17. 29. 30. *Samaritanos coluiſſe idola ſua*: verum hoc non erat extendendum ultra, quam conſtaret illos perſeveraſſe in ſua idololatria: nam poſtea, uti & hodieque, pura ab omni idolorum viguit vigetque apud illos religio. Huic calumniæ fulciendæ hanc addiderunt Judæi, quum 2. *Reg.* 17. 30. inter Deos Samaritanorum אשימא *Aſima* recenſeretur, Samaritanos in Pentateuchi initio ita legere, *in principio creavit Aſima cœlum & terram*, quod quidam ex השם *Nomen* ſive *Deus*, (unde אשימא ui אירא ex יר) pro *Elohim* lecto, ortum traxiſſe volunt, quod nec ipſum tamen in Pentateucho Samaritano extat. Alterum eſt, quod obverſa facie ad montem Garizim orarent, eumque montem benedictum & cultui divino unice dicatum, & ſacra quædam depoſita ſub eo eſſe abſcondita jactarent; quam rem quum plane fabuloſam eſſe perſuaſum eſſet Judæis, venit iis in mentem qui ſacrorum vaſorum occultationem ſub monte Garizim ignorabant, illa quæ abſcondita illic dicebant Samaritani non alia eſſe poſſe, quam idola quæ Jacob abdidit ſub quercu prope Sichem, & abuſi ſunt, ut hac quoque parte Samaritanos onerarent, textu *Gen.* 35, 4. quamvis ibi non ſub ipſo monte, ſed quercu vel planitie illa eſſe abſcondita dicantur. Sic ut antiquiorem putem illam Samaritanorum traditionem de ſacrorum vaſorum occultatione, cujus Joſephus jam meminit, hoc Judæorum commento, quod idola a Jacobo abſcondita adorarent; & tota illa fabula de idolis ſub monte Garizim latentibus, non ex *Gen.* 35. 4. ſed primum ex traditione illa Samaritanorum ortum traxerit, ad quam firmandam conferre textum illum *Gen.* 35. crediderunt. Epiphanius ubi de idolis iis ſub monte abſconditis agit, ita de iis loquitur, ac ſi inſcii ſimulacra illa a Jacobo abſcondita adorarent, & ac ſi tantum in *Gen.* 35. oculos haberet intentos; quum tamen probabilius ſit totam hanc fabulam primo ortam ex illa, quæ inter Samaritanos erat, traditione, de qua *Tom.* 1. harum *Diſſert. pag.* 151. egi fuſius. Quo etiam hoc teſtimonium Theophanis Ceramei, Archiepiſcopi Tauromenitani, facit, qui, non Jacobi tempore, ſed poſt conſtitutam Samaritanorum rempublicam, illos idola abdidiſſe ſub monte Garizim ſcribit. Hæc ejus verba ſunt. *Homil.* 38. *pag.* 265. Μηδὲν ὑπερθέμενος Ἔσδρα ἱερέα θεῖα σοφὸν, τὸν τρόπον χρηστὸν τὴν ἀρετὴν ἀπαράμιλλον πέμπει πρὸς τὴν Σαμάρειαν τὸ τῶν Ἑβραίων σέβας τȣ̃το ἑκάστῳ μυσταγωγήσοντα. Οἱ δὴ ἐνωπισθέντες οἱ μιαροὶ τῶν ἐκ τεσσάρων ἐθνῶν καὶ δείσαντες μὴ συντριβῆναι ὑπὸ Ἔσδρα τῶν θεῶν αὐτῶν τὰ βδελύγματα ἐν μυχῷ τȣ̃ ὄρȣς ταῦτα κεκρύφασι, πείσαντες τȣ̃το Σαμαρείτας ἐν ᾧ ἄν τις διάγοι τόπῳ τῷ ὄρει προσανέχειν καὶ προσκυνεῖν καὶ θεοκλυτεῖν. (*Rex Aſſyrius*) *nihil cunctatus*, *Eſram Sacerdotem*, *divinarum rerum ſcientiſſimum*, *bonis moribus & incomparabili virtute præditum*, *mittit in Samariam*, *ut Hebræorum ritibus ejus incolas initiaret*. *Quod cum reſciſſent homines ex* 4. *conſociatis gentibus*, *qui ibi erant*, *& vererentur ne Eſras Deorum ſuorum abominanda ſimulacra demoliretur*, *ea in abdito loco montis occultarunt*, *ſuadentes habitantibus Samariam*, *ut in quo loco quiſque degeret*, *in montem intenderet animum*, *& adoraret*, *& Deum invocaret*. Tertium, quod occaſionem dare potuit Judæis idololatriam exprobrandi Samaritanis, columba fuit in monte Garizim erecta, vel a Romanis, ut Samaritani ſcribunt, vel a Samaritanis ipſis, ut eſſet teleſma. Diſertis enim verbis columbæ cultum iis exprobrant. Vide ſupra *Diſſert.* III. *pag.* 137. Quartum, quod gentibus idololatricis Judæorum inimicis ſæpe ſe adjungerent, & inſtabiles eſſent animo, ſic ut ſe Sidonios dicerent, & Judæorum inimicos, quum Syri prævalerent, & forte multa in gratiam Syrorum aliorumque populorum, quibus parebant, & paſſi ſint & fecerint ipſi, quæ iilos idololatrici cultus & communionis cum moribus gentium ſuſpectos Judæis reddiderunt. Quo ſpectant hæc verba Cyrilli in Johann. *lib.* VI. *pag.* 568. Οὐ γὰρ ἀκριβὴς παρὰ τοῖς Σαμαρείταις ἐστὶν Ἰȣδαϊσμὸς, μέμικται δέπως ἔθεσι ἐθνικοῖς καὶ Ἑλληνικοῖς τι ἐκείνων λατρεία. *Non enim accuratus erat apud Samaritanos Judaiſmus*, *ſed permixtum quidpiam moribus peregrinis & Græcis in ipſorum religione inveniebatur*. Et hæc quidem conjicio præcipua fuiſſe, quæ anſam dederunt Judæis Samaritanos idololatriæ accuſandi. Quatenes autem jure hoc ab ipſis factum fuerit, jam ex iis quæ diximus liquere arbitror.

XXV. Exiſtimant nonnulli idololatriam Sa-

Samaritanis exprobrari verbis Christi, *Joh.* IV. 22. Ὑμεῖς προσκυνεῖτε, ὃ οὐκ οἴδατε. ἡμεῖς προσκυνοῦμεν ὃ οἴδαμεν. ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν. *Vos adoratis quod non nostis. Nos adoramus quod novimus: quia salus ex* Judæis *est*. Quasi idola innueret, per illud, quod adorarent: sed necesse non est hunc sensum verbis Christi dare: quum convenientissime de iis opposite ad gentem Judæorum, sobolem Patriarcharum, & solam hactenus Ecclesiam Dei dicatur illos adorare, quod non non noverant. Non enim Deum noverant Samaritani tali cognitione, qua oportuit, & qua salus acquiri poterat. Tales autem, licet Deum aliquem colant, & norint (novit enim aliqua ratione unusquisque illud quod colit) dicuntur tamen in sacris literis Deum non nosse, & sine Deo esse: quomodo non de gentibus tantum, sed & impiis inter Judæos dicitur, eos Deum non nosse. Adorabant quoque Samaritani Deum talem, qui montem Garizim elegerat, ut in eo solenniter adoraretur. Atqui ille Deus figmentum est, & nihil; adeoque certa cognitione nosci non poterat a Samaritanis. Verum Judæi, e contrario, Deum colebant, quem certi erant ex scriptis Prophetarum (quæ Samaritani non noverant) Hierosolymis locum cultus sui elegisse. Et huc potissimum videtur Christi oratio spectare, quia hoc erat, de quo mulier ipsum interrogaverat, locus sc. & modus cultus, non objectum.

XXVI. Appellant se ipsos passim, quum de se loquuntur Samaritani in hoc Chronico, بني اسرائيل *Filios Israelis* (quamvis in ultimis Capitibus, quæ serioribus sæculis videntur reliquis adjecta, se السامرة *Samaritanos* aliquoties vocent) & in Epistola secunda ad Eximium virum, Jobum Ludolfum, data, se ignorare scribunt, quid nominis sit *Schomron*, unde *Samaritani* vulgo dicuntur: esse autem se בני ישראל, *filios Israelis*, & omnes oriundos *ex filiis Josephi* הצדיק *justi* (ita & Mohammedani illum Patriarcham appellant) *e tribubus Ephraim & Menasse & e filiis Levi & filius Pinchasi, filii Eleazaris, filii Aaronis*. Quod autem scribunt se ignorare quid sit nomen Schomron, aperte falsum est, nam nomen montis *Schomron* شمرون (unde hi dicti sunt) extat in hoc illorum Chronico: quem textum *part.* I. harum *Dissertationum pag.* 125. exhibuit. At forte pro nomine viri illud Schomron habuerunt, quia Cl. Ludolfus illos *filios Schomron* appellaverat, & hoc sensu dixerunt se id nomen ignorare. Ceterum & Egesippus, citatus Eusebio *lib.* IV. *Histor. Eccles. c.* 22. Samaritas inter υἱοὺς Ἰσραὴλ *filios Israelis* recenset. Chrysostomus quoque in *Homil.* ad *Joh.* IV. Οἱ κατοικοῦντες οὐ Σαμαρεῖται ἀλλ' Ἰσραηλῖται ἐλέγοντο. *Qui montem Samariæ incolunt, non appellantur Samaritani sed Israelitæ*. Unde patet illos jam olim nomen Samaritanorum refugisse & adoptasse hoc filiorum Israelis sive Jacobi, ut origines suas magis occulerent. Ita & Ammonius in *Catena Patrum in c.* 4. *Johannis*. Σαμαρεῖται ἐκ γένους ὄντες τῶν Μήδων καὶ Περσῶν ἔθνους ἐπεφήμιζον ἑαυτὸν τοῦ Ἰακώβ. *Samaritani, qui genus ducunt ex gente Medorum & Persarum dicunt se esse posteros* Jacobi. Et Cyrillus in *Comment.* in *Johann.* IV. 12. Σαμαρεῖται μὲν οὖν ἀλλογενεῖς Βαβυλωνίτων γὰρ ἄποικοι· πατέρα δὲ καὶ αὐτοὶ τὸν Ἰακὼβ ἐπιγράφονται κατὰ δύο τρόπους. Ὡς γὰρ ὅμορόν τε καὶ γείτονα τῶν Ἰουδαίων οἰκοῦντες χώραν, ὀλίγα τῆς ἐκείνων λατρείας εἰς ἑαυτῶν ἀνεμάττοντο, καὶ τοῖς Ἰουδαίων πατράσιν ἐπαυχεῖν ἐμελέτων. Ἄλλως τε, καὶ ἦν ὄντως ἀληθὲς ὅτι τῆς Ἰακὼβ ἐξέφυσαν ῥίζης τὴν Σαμάρειαν οἰκοῦντες οἱ πλείους. Ὁ γὰρ τοῦ Ναβὰτ Ἱεροβοὰμ δέκα τοῦ Ἰσραὴλ συναγείρας φυλὰς καὶ τὸ ἥμισυ φυλῆς Ἐφραΐμ, ἀπαίρει μὲν τῆς Ἱερουσαλὴμ κατὰ καιρὸν τῆς Ῥοβοὰμ βασιλείας υἱοῦ Σολομῶνος, καταλαβὼν δὲ τὴν Σαμάρειαν καὶ οἴκους ἐν αὐτῇ καὶ πόλεις ἐδείματο. *Samaritani alienigenæ, Babyloniorum quippe coloni,* Jacobum *tamen patrem venditant duplici hac ratione. Vicinam quidem & conterminam* Judæis *regionem quum haberent, nonnulla ex eorum cultu sacro expresserunt, &* Judæis *patribus gloriabantur. Altera autem & verior ratio est, quod plerique Samariæ incolæ a* Jacobo *genus ducerent. Jeroboam enim filius Nebath, congregatis decem tribubus Israeliticis, & dimidia tribu Ephraimi profectus Hierosolymis regnante Roboamo, filio Salomonis, Samariam occupavit, in eaque domos & urbes exstruxit*. Liquet illud etiam ex Joh. 4. 12. *Num Tu major es patre nostro* Jacobo? Quod autem aliquos ex suorum numero faciunt posteros Pinchasi, fit, puto, ut successionem Sacerdotum suorum, quos adhuc habent, stabiliant. In hoc Chronico Pinchasum ideò vocant ابونا *Patrem nostrum*: utque certa generis propagatio constaret, Genealogias olim a Levitis scriptas esse *Cap.* 38. tradunt, at postea libros Genealogicos sibi ablatos sub imperio Hadriani conqueruntur. Benjamin, in Itinerario, quoque memorat illos gloriari כי הם משבט

משׁבט אפרים *se esse ex tribu Ephraim*, & esse sibi *Sacerdotes e semine Aharonis*. Et jam Josephi Ἀρχαιολόγου tempore dicebant se esse Josephi posteros, uti videre est, *Ant. Jud.* IX. 14.

XXVII. Traditum est in sacris literis, Regem Assyriorum Salmanassarem Israelitas, i. e. reliquias decem tribuum (antea enim Tiglath Pileser Assyriorum Rex incolas Galilææ, Gileadis & quarundam regionum affinium in Assyriam transtulerat, 2. *Reg.* 15. 28.) captivos abduxisse in Assyriam, & illorum loco misisse in civitates Samariæ homines ex Babylone, Cutha, Ava, Emath, & Sepharvaim, qui ab eo tempore possederunt Samariam, & habitarunt in urbibus ejus, 2. *Reg.* 17. 24. Hi vero quum a leonibus infestarentur, quod Deum non timerent, misit Rex Assyriæ unum e Sacerdotibus Israelitis captivis, qui novos illos Samariæ incolas Dei cultum doceret. Quæ res tamen hunc modo eventum habuit, ut & verum Deum, & falsos simul, colerent; quæ religio Samaritana postea dicta est. Hæc primæ sunt Samaritanorum origines, uti in Sacro Codice traduntur. Sed horum & recentiorum temporum Samaritani ab ipso Josua cultum suum in Garizim arcessunt, & sub Pontificatu Eli Judæos ab iis secessionem fecisse tradunt. Deinde non Salmanassarem, sed Nebucadnezarem, Regem Persiæ, primo Judæos oppugnasse, & Hierosolymas evertisse, mox conversa mole belli ad Israelitas, i. e. Samaritanos, illos dispersisse in terras peregrinas quaquaversum, juxta prædictionem, *Deut.* 28. 64. & substituisse loco Israelitarum قوم من الفرس *populum e Persia*, qui cum ibi infestaretur terræ sterilitate, permisisse Nebucadnezarem reditum & Judæis & Samaritanis sive Israelitis: Hos vero ad montem Garizim, illos Hierosolymas, esse profectos. Mirus est in hisce ἀναχρονισμὸς, & stupenda confusio. Hæc duo tantum notabo. Samaritanos incolarum novorum adductionem in Samariam, non Salmanassari, sed Nebucadnezari, tribuere: quod & Epiphanius videtur credidisse, ita scribens in *Anacephalaiosi*, *pag.* 133. Σαμαρειτισμὸς καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ Σαμαρεῖται· ὅς ἐστιν ἀπὸ Ἰουδαϊσμοῦ πρὸ μὲν τοῦ κατασχῆναι αὐτῶν τὰ δόγματα, μετὰ δὲ τοῦ εἶναι Ἑλλήνων τὴν θρησκείαν. Καὶ μέρος τοῦ Ἰουδαϊσμοῦ τὴν πρόφασιν εἰληφὼς ἀπὸ τῶν χρόνων Ναβουχοδονόσορ ἐξ τῆς τῶν Ἰουδαίων αἰχμαλωσίας. *Samaritanismus & Samaritæ. Hujus origo ab Judaismo deducitur, quæ sectarum apud Græcos divortiis & earum decretis ac dogmatibus antiquior est. Nam e sinu Judaismi prodiit circa Nabuchodonozoris & Judaicæ captivitatis tempora.* Epiphanium ex hoc loco Chronici nostri illam opinionem mutuatum esse conjicit Cl. Vogelsangius in *Exercit. Theolog. pag.* 122. Secutus est hunc errorem Epiphanii, vel descripsit potius Damascenus in libro *de Hæresibus*. Alterum est, quod de novis Samariæ colonis loquentes, solos Persas memorent. Ita etiam tempore Antiochi Epiphanis, ut rabiem ejus effugerent, dixerunt se ἀποίκους Περσῶν καὶ Μήδων, *Persarum & Medorum colonos*. *Joseph. Antiq. Jud.* XII. 7. Qui & Cutham, unde Cuthæi כותיים dicti sunt, esse τόπον τινὰ καὶ ποταμὸν ἐν Περσίδι, *locum & fluvium in Perside* scribit *lib.* IX. *Ant.* 14. Atqui in Chaldæa duas urbes, nomine *Cuthæ* كوثي dictas, fuisse novimus, non longe a Babele: quare, quum Cutha mox cum Babele in Sacro Codice jungatur, alterutram ex iis innui probabile est: quumque sæpe Babylonia sub Imperio Persarum fuerit, hinc urbs Persica dici potuit, non autem Persidis. Testimonium de Cutha ex Geographo Arabe exhibuit Vir in his literis summus, Thomas Hyde, in reconditæ eruditionis opere *de Relig. Vet. Pers. p.* 80. Et *p.* 72. ostendit nobilem fuisse urbem Cutham, quod crederetur natale solum Abrahami Patriarchæ fuisse. *Pag.* autem 39. etiam fluvios nomine *Cuthi* dictos memorat: quod & Josephus scripsit. Ab ista ergo Cutha, celebri Chaldææ urbe, prope Babelem sita, dicti sunt Cuthæi & כותיים.

XXVIII. Quod de *Corah*, quem more Orientalium قارون *Carun* vocat scriptor Chronici Samaritanici, *Cap.* 1. narrat, sapit traditiones Mohammedicas. Ut enim de ipso nomine nil dicam, quod non *Corah* קרח, uti id scribitur *Num.* 16. 1. sed قارون *Carun* pronunciat, uti in Alcorano fieri solet, quod omnes imitantur Mohammedani, nec quod ابن عم هارون *Patruelis Aharonis* appelletur, eadem phrasi qua hi uti solent, hoc mihi ex traditionibus Orientalibus haustum videtur, quod dicat illum descendisse الى القرار السفلي *ad mansionem infimam* Gehennæ. Novi equidem Judæos ipsos, præeunte Talmude, infernum in *mansiones septem* שבעה מדורים distinguere, & in earum numero septimam esse eamque infimam quæ ארץ תחתית *terra infima* iis nuncupatur, quamque Græci τάρταρον appellarunt. At

At illum locum Judæi non adsignant Coracho, sed mansionem tertiam. Verum Mohammedani sunt, qui mansionem infimam Gehennæ istiusmodi hypocritis adsignant, quales Korach cum suis erant. Vide *Suratam* IV. *Comm.* 144. Juvat ex manu scripta historia Prophetarum Kessæi, & nomina harum 7. mansionum, & illos quibus destinatæ sunt (quamvis in iis omnes non conveniant) exponere. Prima mansio appellatur جهنم *Gehenna*, destinata لاهل الكباير iis inter Mohammedanos, qui gravium peccatorum rei sunt. II. لظى *Lada*, in qua erunt cultores idolorum. Cl. Hottingerus in *Append.* II. *ad Grammat. Chaldæo-Syriacam*, *pag.* 190. hæc enarraturus, male secundum hoc inferni receptaculum vocat الكباير, quæ vox *graviora peccata* sonat, & ad præcedentia pertinet. III. الحطمه *Albotma* Gogo & Magego, & qui ipsis similes sunt. IV. السعير *Alsair*, Satanarum locus. V. سقر *Sacar*, eorum qui preces & eleemosynas negligunt. VI. الجحيم *Alhazjim*, Judæorum, Christianorum & Magorum. VII. الهاويه *Albaviat*, hypocritarum, qui externe religionem veram profitentur, intus pietate vacui. Hinc puto liquere cur Carun ad septimam Inferni mansionem ablegetur. Qui autem legere vult Historiam Caruni, uti a Mohammedanis traditur, consulat Cl. Gentii notas ad Gulistan, ad *pag.* 54. & Cl. Herbelotii Bibliothecam Orientalem, ad hanc vocem. Ego solum hoc Epigramma Persicum ex M. S. Bustan Scheich Sadi adponam, in quo mentio divitiarum Caruni.

چنين گفت شوريده در عجم
بكسري كه اي وارث ملك جم
اگر ملك بر جم بماند و بخت
ترا كي ميسر شدي تاج و تخت
اگر گنج قارون بچنگ آوري
نماند مگر آنچه بخشي بري

Dixit aliquando stultus in Persia
*Ad Cozroem: O hæres regni * Sjam*

* (Sjam fuit sextus Rex Persiæ, qui vulgo جمشيد *Sjamschid* dicitur. شيد *Schid* veteri lingua Persica solem significat.)

Siquidem penes Sjamum mansissent regnum & solium,
Quomodo ad te tiara regia, & thronus, pervenissent?
Etiamsi divitias Carunis in manu haberes,
Nihil maneret ex iis, nisi quod aliis das.

XXIX. Historia *Bileami* tam arcte conjungitur cum narratione scortationis, cujus se reos fecere Israelitæ cum puellis Moabiticis, ut, licet *Num.* 25. 1. non dicatur hoc consilium a Bileamo Moabitis datum esse, facile tamen conjici posset. At clare id ipsum dicitur a Mose *Num.* 31. 16. de istis puellis loquente, *Nonne istæ sunt quæ deceperunt Israelitas ad suggestionem Bileami* בדבר בלעם Et clarissime, *Apoc.* 2. 14. Ὅτι ἔχεις ἐκεῖ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Βαλαὰμ, ὃς ἐδίδαξε τὸν Βαλὰκ βαλεῖν σκάνδαλον ἐνώπιον τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ φαγεῖν εἰδωλόθυτα καὶ πορνεῦσαι. Samaritani nostri fusius totam illam historiam narrant, & consilium a Bileamo datum, ita ut probabile sit non aliter ab ipso datum fuisse. Res eo redit. Bileamus, quum frustra imprecationibus tentasset nocere populo Israelitico, tandem Moabitas ita fere alloquitur: Rogatis me, qua ratione hunc populum superare, aut finibus vestris arcere, possitis. Videtis id me frustra per vota & diras tentasse. Frustra vos quoque eritis, qui vi aut dolo hanc gentem deleri, vel vinci, posse existimatis: Stat enim pro illis Deus & Angeli. Quamdiu autem Deus iis favet, actum est de omnibus inimicis qui illorum perniciem meditantur. Quod si hoc fieri possit, ut Israelitæ in peccatum inducerentur, tunc Deus eorum, qui Sanctus est, & peccatores odio habet, illos defendere nollet, & sic, auxilio Divino destituti, facile superarentur. Hæc mihi unica & aptissima via judicatur, qua possent vobis subjici. Quod si porro rogetis, in quæ peccata maxime proclives sint eorum animi, Idololatria est & scortatio. Ad utramque allici debent. Seligite formosissimas ex puellis vestris, & mittite ad castra Israelitarum die Sabbathi, quo feriantur & in otio sunt, ut animos eorum capiant; nec corporis sui usum concedant antequam (amoris testandi gratia) ex cibis idolothytis, quos manu gerent, ederint, aut Deos earum coluerint. Ipsa Regis filia, (confer *Num.* 25. 14. 15.) curru vecta, qui celeritate ventos æquet, præcedens ad Tabernaculum tendat, & Ducem Israelitarum allicere conetur, quo in errorem inducto reliqui facilius seducentur. Huic consilio obtemperarunt Moabitæ: quod nisi illam historiam

riam ex Chronico nostro Samaritano jam exhibuisset Cl. Hottingerus in *Smegmate Orientali pag.* 446. eam hic inserere potuissem. Josephus eodem fere modo rem narrat; unde ex antiqua, & communi, traditione videtur hausta. Ita ille, *Antiq. lib.* IV. *c.* 6. Balaamum inducit loquentem. Τὸ μὲν Ἑβραίων γένος οὐκ ἂν ὄλεθρος παντελὴς καταλάβοι οὔτ' ἐν πολέμῳ, οὔτ' ἐν λοιμῷ καὶ σπάνῃ τῶν ἀπὸ γῆς καρπῶν οὔτ' ἄλλη τις αἰτία παράλογος διαφθερεῖ. Πρόνοια γάρ ἐστιν αὐτοῦ τῷ θεῷ σώζειν ἀπὸ παντὸς κακοῦ καὶ μηδὲν ἐπ' αὐτῶν ἐᾶσαι τοιοῦτον πάθος ἐλθεῖν, ὑφ' οὗ καὶ ἀπόλοιντο πάντες. Συμπέσοι δ' αὐτοῖς ὀλίγα τε καὶ πρὸς ὀλίγον ὑφ' ὧν ταπεινοῦσθαι δοκοῦντες μᾶλλον ἀνθήσουσιν ἐπὶ φόβῳ τῶν ἐπαγαγόντων αὐτοῖς τὰς βλάβας. Ὑμεῖς δ' εἰ νίκην τινὰ πρὸς βραχὺν καιρὸν κατ' αὐτῶν κερδᾶναι ποθεῖτε, τύχοιτ' ἂν αὐτῶν ταῦτα ποιήσαντες. Τῶν θυγατέρων τὰς μάλιστα εὐπρεπεῖς καὶ βιάσασθαι καὶ νικῆσαι τὴν τῶν ὁρώντων σωφροσύνην ἱκανὰς διὰ τὸ κάλλος, ἀσκήσαντες τὴν εὐμορφίαν αὐτῶν ἢ τὸ μᾶλλον εὐπρεπὲς, πέμψατε πλησίον ἐσομένας τοῦ ἐκείνων στρατοπέδου καὶ δεομένοις συνεῖναι τοῖς νεανίαις αὐτῶν προστάξατε. Ἐπειδὰν δὲ κεχειρωμένους ὁρῶσι ταῖς ἐπιθυμίαις, καταλιπέτωσαν· καὶ παρακαλούντων μένειν μὴ πρότερον ἐπινευέτωσαν, πρὶν ἂν πείσωσιν αὐτοὺς ἀφέντας τοὺς πατρίους νόμους καὶ τὸν τούτους αὐτοῖς θέμενον τιμᾶν θεὸν τοὺς Μαδιανιτῶν καὶ Μωαβιτῶν σέβωσιν. Οὕτως γὰρ αὐτοῖς τὸν θεὸν ὀργισεσθαι. *Hebræorum genus nunquam plane interibit, nec bello nec peste, nec fame, nec ullo alio casu. Deus enim curam illorum habet, eosque servat, ne clades aliqua iis obveniat, qua omnes delerentur. Interdum tamen quædam non poterunt vitari, quibus ad breve tempus adflicti, mox magis quam ante florebunt, castigatione ejusmodi ad sanitatem revocati. Quaproptrr si brevem victoriam de illis reportare vultis, hoc consilio voti compotes efficiam. Filias formosissimas, quæ pulcritudine sua mentes eorum expugnare possunt, quantum fieri potest cultas & ornatas mittite, ut circum castra eorum obversentur, & juvenibus complexus expetentibus faciles se præbeant; ubi vero cupidine captos viderint, subito fugam simulent: rogatæ vero, ut maneant, non annuant, nisi persuasis, ut relictis patriis legibus & cultu Dei, a quo eas acceperant, Deos Midianitarum & Moabitarum colant. Ita enim Deum sibi iratum reddent.* Conferamus cum hisce Josephi Philonem, *sermone* I. *de vita Mosis*, cujus hæc verba sunt, de consilio Bileami. Εἰδὼς γὰρ Ἑβραίοις μίαν ὁδὸν ἁλώσεως παρανομίαν, διὰ λαγνείας καὶ ἀκολασίας μεγάλου κακοῦ, πρὸς μεῖζον κακὸν ἀσέβειαν ἄγειν ἑαυτοὺς ἐσπούδασεν, ἡδονὴν δέλεαρ προσθείς. Εἰσὶ γὰρ, εἶπεν, αἱ ἐγχώριοι γυναῖκες, ὦ βασιλεῦ, διαφέρουσαι τὴν ὄψιν ἑτέρων. Ἀνὴρ δ' οὐδενὶ μᾶλλον εὐάλωτος ἢ γυναικὸς εὐμορφίᾳ. ταῖς οὖν περικαλλεστάταις ἐὰν ἐπιτρέψῃς μισθαρνεῖν καὶ δημοσιεύειν, ἀγκιστρεύσονται τὴν νεότητα τῶν ἀντιπάλων. Ὑφηγητέον δὲ αὐταῖς, μὴ εὐθὺς ἐμπαρέχεσθαι τοῖς ἐθέλουσι τὴν ὥραν. Ὁ γὰρ ἀκκισμὸς ὑποκνίζων τὰς ὁρμὰς ἐπεγερεῖ μᾶλλον καὶ τοὺς ἔρωτας ἀναφλέξει. Τραχηλιζόμενοι δὲ ταῖς ἐπιθυμίαις πᾶν θ' ὑπομενοῦσι δρᾶν τε καὶ πάσχειν. πρὸς δὲ τὸν οὕτω διακείμενον ἐραστὴν λεγέτω θρυπτομένη τις τῶν ἐπὶ τὴν θήραν ἀλειφομένων, οὐ θέμις σοὶ τῆς ἐμῆς ἀπολαῦσαι, πρὶν ἂν ἐκδιαιτηθῇς μὲν τὰ πάτρια, μεταβαλὼν δὲ τιμήσῃς ἅπερ ἐγώ. Πίστις δέ μοι τῆς βεβαίου μεταβολῆς γένοιτ' ἂν ἀείδηλος, ἢν ἐθελήσῃς μετασχεῖν τῶν αὐτῶν σπονδῶν τε καὶ θυσιῶν, ἃς ἀγάλμασι καὶ ξοάνοις καὶ τοῖς ἀφιδρύμασιν ἐπιτελοῦμεν. ὁ δ' ἅτε σαγηνευθεὶς πάγαις πολυειδέσι, κάλλει στωμυλίας, χορηγίαις οὐδὲν ἀντειπὼν ἐξηγκωνισμένος τὸν λογισμὸν ἄθλιος ὑπηρετήσει τοῖς προσταττομένοις ἀναγραφεὶς τοῦ πάθους δοῦλος. *Conscius enim Bileamus, uuicam viam ad expugnationem Hebræorum esse peccatum, sc. si impotenti malo libidinis tentarentur, per voluptatem inescatos conatus est ad gravissimum scelus pertrahere. Sunt, inquit, in regno tuo, o Rex, mulieres quæ forma reliquis præstant. Nulla autem re vir facilius capitur, quam pulcritudine mulierum. Si harum pulcherrimas permiseris ob quæstum vulgare corpora sua, facile capient juventutem hostilem. Sed præmonendæ sunt, ne rogatæ statim usum corporis sui concedant: hæc enim ficta tergiversatio magis accendet & incitabit eorum desiderium, atque obtorto quasi collo pertracti a suis libidinibus, nihil non patientur & facient. Sic ubi amatorem affectum vidarit puella, ita superba loquatur: non licet tibi habere mecum consuetudinem voluptatis, nisi, abjurato ritu patrio, eadem mecum numina colas: nec ante credam te mutatum quam videam non abhorrere ab nostris sacris & libationibus, quæ in delubris nostris peraguntur. Tum miser ille, his retibus, conditione accepta, & repulsa ratione monitrice imperata faciet, servus redditus suarum libidinum.* Eadem fere tradunt Mohammedani, uti in Kessæo videre est. Meminit & auctor Chronici, *cap.* 41. *librorum Bileami*, e quibus gentes edoceri cupiebant, qua via Israelitæ perdi possent. Quorum librorum Orientales sæpe meminerunt, ex illis magos, qui Christum infantem adorarunt, didicisse adventum Messiæ rati. Vide Cl. Hyde *de Relig. Vet. Persp. cap.* 31. & Herbelotium in *Bibliotheca Orientali pag.* 528.

XXX. Curiose solent inquirere Judæi In-

Interpretes, quum de conversione aquarum Ægypti in sanguinem agunt, num ea per Mosen, aut Mosen & Aaronem simul, peracta, & diversæ a singulis percussæ sint. Abarbanel jubet nos attendere ad *Exod. c.* VII. *v.* 17. 18. & conferre cum *v.* 19. Prior versus describit partes Mosis, qui extenso baculo mutaturus erat aquas היאר *fluminis*, i. e. Nili solas; aliarum enim non fit mentio. Ita habent verba Mosis ex mandato Dei: *Ecce ego percutiam virga hac, quæ in manu mea est, aquam fluminis* (male quidam hanc vocem יאר per *rivum* & hic & alibi transferunt, nam & Nilus & Tigris, maxima flumina, ita appellantur *Amos* 8. 8. *Dan.* 12. 5.) *& vertentur in sanguinem. Pisces quoque qui sunt in flumine morientur, & computrescent aquæ, & affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis*. At, quæ sequuntur, partes Aaronis videntur describere, qui non Nilum, sed reliquas aquas Ægypti, in sanguinem converteret. *Dixit quoque Deus ad Mosen: dic Aharoni; Tolle virgam Tuam & extende manum suam super aquas Ægypti & super fluvios eorum & rivos ac paludes & omnes congregationes aquarum, ut vertantur in sanguinem, & fit cruor in tota terra Ægypti*: & mox de utroque *v.* 21. *Feceruntque Moses & Aharon, sicut Deus præceperat*. R. Tanchum tamen, in *Schemoth Rabba*, & Raschi, putant Mosen ipsum virga Nilum non feriisse, ne videretur ingratus in fluvium, qui se infantem axceperat. Samaritani nostri favent illis qui Nilum a Mose percussum volunt, quum Josuam, *cap.* 7. ita inroducunt alloquentem defunctum Mosen يا قاتل النيل بعصاه *O Tu, qui jugulasti Nilum baculo tuo*. Eleganter Arabes jugulari liquores dicunt, quum inficiuntur, aut aliis rebus ineptis miscentur. Sic & Latini, de quibus egi in *Differt.* secunda *de Nummis Veter. Hebr. pag.* 18. Hoc addam, in Lexico Zjeuhari legi قتلت الشراب مزجته *Jugulavi vinum, id est, miscui illud*. Eadem phrasis قتل النيل *Jugulare Nilum Cap.* 29. hujus Chronici reperitur, ubi tamen Scaliger in suo exemplari substituendum judicabat قطع *percutere*, quæ locutio magis obvia est. Ego nihil muto.

XXXI. Insignis locus est, *Jos.* 9. 3. ubi Sacer scriptor enarraturus dolum Gibeonitarum, quo Josuam aggressi sunt, ut saluti suæ consulerent, ita incipit ויושבי גבעון שמעו את אשר עשה יהושע ליריחו ולעי: ויעשו גם המה בערמה וילכו וגו' *Et incolæ Gibeonis audiverunt quodcunque Josua fecerat Hierichunti & Ai. Et illi etiam fraudulenter egerunt, & profecti sunt, &c.* Torquent interpretes hæ voces גם המה, *illi etiam*, &, ut Eruditissimi Masii verbis utar ad hunc locum, *quorsum spectet comparatio illa quæ vi voculæ* etiam *continetur. Neque enim nuper aliquorum hominum dolus atque astus est commemoratus, cum quo iste Gabaonitarum conferatur. Et Talmudici quidem, quorum opinionem, nimis perfecto longe repetitam, refert R. Salomon, putant hanc Gabaonitarum fraudem veluti talionem esse illius qua usi olim fuerant filii Jacob ad opprimendos Sichemitas, Gabaonitarum gentiles*. At post pauca hunc loco sensum dat; quum superioribus versiculis expositæ essent regulorum per Chananæam consultationes, conspirationesque, neque Gabaonitas sibi defuisse, sed *illos etiam*, גם המה, se opposuisse Israelitis, non quidem vi, sed astu & prudentia. Quæ mihi videntur sufficere ad hujus loci explicationem. Sed, quod aliquis primo intuitu conjicere posset ex hoc loco & suspicari, ac si ipsi Israelitæ olim simili dolo usi fuissent, quo hic utuntur Gabaonitæ, & qua propter dici posset, *Etiam illi*, scilicet, uti ante ipsi Israelitæ, eundem dolum adhibuerunt, id Samaritani aperte narrant in Chronico suo, uti veram historiam. Exploratores nempe Hierichuntem missos simulasse se venisse e locis longinquis &c. Et id postea Gibeonitas imitatos fuisse scribunt. Integrum illud caput 13. ex Chronico nostro Latine tantum dabo, (omissis observationibus Criticis circa textum ipsum ejusque emendationem) & Arabica omittam, ne longior sim. Ita Arabice incipit. لما سمع يوشع بن نون بتجميش الكناعنه واجتماع الجبابره انفذ الجواسيس *Quum audivisset Josua fil. Nun Cananæos colligere exercitum & Gigantes convenire, misit exploratores, viros sapientes, prudentes, fortes & religiosos, ut lustrarent exercitum hostilem & Hierichuntem* (بريحا) *versus tenderent, & in numerum eorum, qui in ea erant, & illorum, qui se iis adjunxerant, inquirerent, quibus peractis reverterentur & ipsi quod res erat, significarent. Valedixerunt itaque exploratores exercitui, & implorato Dei præsidio profecti sunt, sed mutato habitu suo perinde ac si e locis longe dissitis venissent. Calebant etiam omnes linguas, quarum in* ca-

castris hostilibus usus erat, & cœperunt flere (ubi ad hostes pervenerant.) Hi vero quum illos de statu suo interrogavunt, hoc responsum ab exploratoribus tulerunt. Nos sumus ex populis Orientalibus, (من اهل الشرق quasi dicerent *ex Saracenis*: nihil enim aliud notat vox Saracenorum quam populos Orientales, licet vulgus eos a Sara dictos autumet) *& audiverunt socii nostri gesta hujus magnæ gentis, cui in deserto quadraginta anni exacti sunt sine duce ullo aut viatico. Porro nunciatum est cœtui nostro esse iis Dominum, quem ajunt esse Regem cœlorum & terræ, & possidendam iis dedisse nostram & vestram regionem. Quarum rerum, ad nos delatarum, veritatem ut exploraremus, & certiores eos faceremus, socii nostri nos miserunt. Quare profecti sumus ad vos e loco remoto, & vos adhuc in negotiis vestris estis occupati. Gentis illius castra nos intravimus, & deprehendimus illam perplexam & vagabundam per desertum, & revertentem (sæpe ad ea loca a quibus erat digressa, id est, oberrantem.) Erat autem secretum eorum, quod inter ipsos erat, Deum eorum iis iratum esse, nec ultra duos viros ex iis terram illam esse ingressuros: quo bono nuncio percepto læti & gaudentes sumus reversi. At illo tempore cognovimus ea, quæ fecerant Siboni & Ogo, & possessionibus & terris eorum & Regibus Moab; quomodo captivas abduxerint mulieres, quomodo infantes, & glorientur se vestram regionem, & deinceps nostram quoque intraturos. Festinavimus itaque ut socios nostros de hac re certiores faceremus, at dum ad illos proficiscimur, de monte descendentes, vix paulum a monte aberamus, quum tres quatuorve viri nos aggrediuntur & singuli singulos e nobis capiunt. Hi nos stiterunt coram Rege novo* (Josuam innuunt) *qui Mosi Prophetæ in regno successerat, & vir erat misericors, mansuetus*, ἀπροσωπόληπτος, *& summæ fortitudinis; cujus oratio frangere apta erat animos, cujus sermo corda hominum findebat, & cujus increpatio mentes reddebat attonitas. Simularque ante ipsum constiteramus, cognoscebat nomina nostra & familias & patriam, & tempus quo exieramus, & loca per quæ iter instituerамus, denique a veritate non aberrabat in ullo verbo quod proferebat. Nos vero, præ metu, credidimus in eum & Deum ejus. At ille: Fides hujusmodi quam vos profitemini* (tantum ex metu) *mihi pro vera non habetur. Nihil vobis metuendum est. Abite, redite & dicite unicuique cui occurretis, & sociis vestris, ut saluti suæ consulant, nam qui fugerit, servabitur, qui manserit, peribit. Intra hebdomade spatium stabit mihi aqua Jordanis, & præcepit Dominus noster; ut transeat populus ejus, nec erit arx quæ clausa manebit coram illis, ubi septies eam circumiverint, sed corruet murus ejus & peribunt superstites, quos in urbe invenient. Urbes illæ sunt urbes nostræ, possessiones illæ possessiones nostræ a Rege cœlorum & terræ* (nobis adsignatæ) *cujus creaturæ & servi omnes Reges sunt. Et hæc quidem summa est eorum, quæ ex ipso audivimus. Didicimus quoque nomen ei esse Josuæ filii Nun, qui in fugam conjecit Amalekum, interfecit Sibonem, subjugavit Ogum, & Reges Midianitarum & Moabitarum perdidit. At Væ nobis & vobis & omnibus qui se in terram nostram aut vestram receperint. Sunt enim populi, qui nullius miserentur nec ullum superstitem relinquunt, sed terras aliorum occupant, nec pacem cum ullo ineunt, nisi qui a nobis & vobis diversus sit. Nos enim habent pro infidelibus, impiis, superbis & rebellibus. Quod autem optimum erit & nobis & vobis, quisque cum familia sua, quanta fieri potest celeritate exeat e possessionibus suis, ne pœnitentia ducantur quum ea non proderit. Et perrexerunt illi, equis vecti, & ita dixerunt unicuique obvio donec Hierichuntem devenirent, ubi agniti fuerunt & quæsiti ad necem. Confugerunt autem ad mulierem, cui nomen Rahab*, πανδοχευτρίαν, الفندقية, *cujus ædes erant prope murum arcis, quæ eduxit eos & protexit, illi, qui eos quærebat, asseverans eos esse reversos. Eo tempore utrimque fœdus initum est, quod, si Deus O. M. urbem hanc iis traderet, ipsam superstitem fore relinquendam cum iis qui ex gente ejus in ejus domo invenirentur. Et stipulati sunt Exploratores, ut tecto domus suæ imponeret signum aliquod, quod conspicere possent, eo tempore quo cognosceret illos ad Urbem accedere, at, de illo quem de ejus familia extra ædes offenderent, sese liberos esse a sanguine ejus dixerunt. Tunc eduxit illos nocte, & Deus salvos eos evadere voluit. Hi ad Exercitum reversi nunciarunt Regi & Sacerdoti & cœtui ipsorum ea quæ viderant & quæ iis acciderant, & quæcunque mulier illa in gratiam eorum fecerat. Quibus tota Congregatio respondit, se parcere velle mulieri, quemadmodum illi cum ea convenerant. Et fama ejus per totum exercitum sparsa est, & totus cœtus eam cognovit.*

XXXII. Vix quidpiam in Chronico no-

nostro fusius traditur, quam bellum Josuæ cum Rege Persiæ Schaubeco, quod undecim capitibus enarratur, quodque jam Cl. Hottingerus in *Historia Orientali*, *pag.* 60. *& seq.* inde exhibuit: quo lectorem remittimus. Illud fragmentum, quod ibi Hebraice citatur ex ספר זכרוני הכותים *Libro Chronico Samaritanorum* subjungi solet libro Juchasin, at non est R. Abrahami Zacuthi, qui auctor ejus libri est, sed R. Samuelis Schullam, qui notas addidit. Duas tantum paginas in quarto (uti vulgo loquuntur Bibliopegi, implet, &, quamvis illum librum זכרני הכותיים Hebraice quæsiverim integrum, nondum tamen reperire potui. Non puto tamen eundem esse cum nostro Chronico sive libro Josuæ. Sunt plura Chronica inter Samaritanos, uti Abulfetachi & aliorum, e quibus illa peti potuerunt. Totam vero illam Historiam Schaubeci confictam esse satis apparet, ut alia taceam, ex ipsius Genealogia, collata cum ratione temporum. Ait Schaubec, *cap.* 37. *pag.* 175. انا شوبك بن حمام بن فوط بن حم بن نوح الذي باركه الله وقت خروجه من السفينه *Ego sum Schaubec, filius Hemam, filii Phut, filii Cham, filii Noachi, cui Deus benedixit, quum ex arca egrederetur.* Erat itaque a Noacho quartus, uti & Eber cui oportuit fuisse circiter coævum Schaubecum. Ita enim pariter Genealogia utriusque protenditur.

Noach.

I. *Sem.*	I. *Cham.*
II. *Arphaxad.*	II. *Phut.*
III. *Selach.*	III. *Hemam.*
IV. *Heber.*	IV. *Schaubec.*

Heber autem ex hac vita decessit circa annum a mundo condito 2188. & Schaubec, qui fingitur Josuæ æqualis, quatuor sæculis post vixit. Quod si Josuæ, qui σύγχρονος Schaubeco statuitur, Genealogiam conferamus cum illa Schaubeci, majus discrimen apparebit. Illam ita fere a Noacho deductam damus, licet non ignoremus, dubia quædam moveri de iis, qui Josuæ ætati proximi sunt, quæ hic excutere non vacat.

Noach.
Sem.
Arphazad.
Selach.
Heber.
Peleg.
Rehu.
Serach.
Nachor.
Terach.
Abraham.
Isaac.
Jacob.
Joseph.
Ephraim.
Beriha.
Rephach.
Reschepb.
Telach.
Tachan.
Ladan.
Hammiud.
Elisama.
Nun.
Josua.

Qui credat inter Noachum & Schaubecum tres solum modo, patrem, avum, proavum, intercedere, eosque tamdiu vixisse, contra leges illorum temporum; & inter Josuam, Schaubeco æqualem, & Noachum, tres & viginti? Adeone summum Numen faverit generi Chami, cui maledixerat, ut tres ex ejus stirpe oriundi vitam æqualiter produxerint cum tribus & viginti Semi posteris? Si vel ad hoc unum attenderent Samaritani, satis conspicerent fabulosum esse hoc Chronicon suum, nec fidem mereri. Adde quod *cap.* 26. Schaubecum non Hemami, sed رعولن *Ravani*, filium appellent; quæ quo modo conciliari possint, ipsi viderint. Ceterum altum apud orientales de hoc Schaubeco silentium est. Mohammedani regem Persiæ Josuæ æqualem faciunt نودر *Naudar*, octavum in serie Dynastiæ Pisdadæorum: quamvis nuper ad me librum miserit ἀκέφαλον & ἀτέλευτον Vir Celeberrimus, *Jacobus Meyerus*, Græcæ & Exoticarum linguarum in Athenæo Bremensi Professor dignissimus, in quo caput erat hoc titulo خبر نبوت يوسع بن نون اندر عهد منوجهر *Historia Prophetiæ Josuæ fil. Nun, tempore Manusjeber.* Fuit autem hic Rex Persiæ, cui Naudar successit. Nec ipsum nomen *Schaubec* norunt, sed affine شبك *Schaibec*, qui filius fuit Touschi, filii Gingischan cujus posteri adhuc in Transoxiana regione imperant.

XXXIII. Verum, quid illud est, quod *Cap.* 43. lego de Samuele Propheta?

ta? وكان شامول من سبط هارون اللبولني السحر والكفر *Fuit autem Samuel ortus ex tribu Aaronis, Levita, Magus, & vir infidelis*. Horresco referens. Scilicet ab eo tempore, quo a Judæis secesserunt Samaritani, & populus quidam hoc nomine a Judæis diversus esse cœpit, solam Legem Mosis sive Pentateuchum pro verbo Dei habentes, ignominiose traducere reliquos Prophetas, qui aliquo in honore erant, penes Judæos, e re sua esse crediderunt. Eulogius, Episcopus Alexandrinus, cui multum negotii fuit cum Samaritanis, teste Photio, aliquos ex iis, præeunte Dositheo, ὑβριστὰς τ̃ Θεῦ προφητῶν, *injuriosos in Prophetas Dei*, jam suo tempore, id est, sæculo post Christum sexto observavit. Quumque maximi inter illos nominis Samuel fuerit, mirum non est si dentes illorum juxta cum aliis ejusdem claritatis sit expertus. Nam & Ezræ Scripturam maledictam in epistolis suis vocant. Quod eum dicunt esse ex tribu Aaronis, non debet intelligi, ac si ex posteris Aaronis, aut familia Sacerdotali ortum traxisset, quod aperte negant sacræ literæ; sed ex eadem tribu, qua Aaron, Levi scilicet. Ita etiam loquuntur Mohammedani de prosapia Samuelis, (quem اسمويل *Ismovil* vocant, & a quo Caicobadum Persiæ Regem veri Dei cultum accepisse scribunt, benignius de eo sentientes quam Samaritani) illum oriundum ex tribu Mosis & Aaronis. Unde autem criminis magiæ potius, quam alius cujusdam, reum fecerunt Samuelem? Credo, quod dicatur post mortem suam arte magica a muliere saga evocatus. Eodem illo capite magiæ peritum quoque faciunt Pontificem ايلي *Eli*, quem fingunt, quum jam 50. annos natus & lis ei de Sacerdotio mota esset a filius Phineasi, populum congregasse شيلون *Silutem*, & ibi ædificasse ناووسا ναὸν *Templum*, ad instar illius quod in monte Garizim erat, quodque a Josua exstructum olim ferunt, in quo cum suis postea sacra fecit. Quo tempore primum Schisma ortum dicunt inter Israelitas, sic ut Judæi, Elin secuti, in Schilo sacra fecerint, & post Hierosolymis: alii vero Israelitæ, id est Samaritani constanter adhæserint monti Garizim, & Sacerdotium in stirpe Phineasi continuaverint, uti in literis suis nuperrimis gloriantur. Sequenti *Cap.* 44. ex hoc schismate occasionem sumsisse Philistæos fingunt bellum inferendi Judæis, qui jam minori numero erant, in quo arca capta est, &c.

XXXIV. Juvat & Chronologica quædam ex Chronico nostro excerpere, & eo quidem magis, quod illa abeant in nonnullis ab ratione temporum, quam habet Abulfetach, recens scriptor Chronici Samaritanici, quod ab antiquo illo est diversissimus. *Cap.* 15. a mundo condito usque ad transitum Jordanis annos 2794. effluxisse scribunt, quod jam notavit Ill. Scaliger in vasto doctissimoque opere *de Emend. Tempor. Lib.* VII. *pag.* 625. quem vide. Judæi vero constanter scribunt transitum Jordanis contigisse anno mundi 1488. *Cap.* 38. & 40. ab Adamo usque ad finem ايام الرضا *temporum gratiæ* (quæ durarunt 260. annos) 3054. annos numerant: ab Adamo ad Alexandrum 3902. annos. At Illustris Scaliger & Hottingerus in *Enneade Disp. pag.* 35. scribunt illos numerare 3930. Et hic vera citat ex Chronico *cap.* 46. sed pro eo, quod legit ثلاثين, 30. in meo codice est الاثنين, 2. Abulfetach Alexandri adventum in Palæstinam refert ad annum mundi 4094. Ab Adamo usque ad mortem Hadriani Imperatoris annos numerant in Chronico nostro 4513. At Abulfetach. 4563. Ceterum qui Chronologiam Samaritanorum ex Abulfetacho in compendium redactam legere vult, adeat *Acta Eruditorum Lipsiensium, Tom.* X. *Ann.* 1691. *pag.* 167.—173. ubi inserta illa est ab Celeberrimo Viro, Eduardo Bernardo, in tabula exhibens summam rerum Samaritanorum ab mundo condito usque ad annum (juxta æram Samaritanam) 6125. qui convenit cum anno epochæ Christianæ 1685.

XXXV. Videamus denique consensum Samaritanorum cum Karæis, cujus quædam specimina jam exhibui: nunc ea junctim cum aliis nonnullis hic traditurus; lectoribusque judicandum relinquens, unde hic consensus natus sit, & an non pro antiquitate doctrinæ Karæorum hinc peti argumentum debeat.

I. Samaritani gaudent ita appellari quasi *custodes*, שומרים, & *observatores Legis Mosaicæ*, φύλακες τῆς κατὰ τὸν νόμον Μωυσέως διατάξεων; uti Epiphanius loquitur, & Karæi קראים, Νομικοὶ, *Luc.* 10. 25. בעלי המקרא *Legis scriptæ observatores*.

II. Samaritani nullis traditionibus in negotio religionis locum concedunt. *Epist.* 1. ad Scaligerum: *Nos nihil facimus, nisi juxta mandata Dei in Lege Sancta per manum Mosis super quem pax in æter-*

æternum sit. Judæi vero deserunt quod dicit Dominus in Lege, & faciunt, quemadmodum dicunt iis sapientes & seniores eorum. Karæi quoque, quos ita introducit Cl. Triglandius, in *Diatribe de Karæis pag.* 118. *Sentiunt Rabbanitæ res multas Mosi esse dictas in Sinai quæ non sint comprehensæ in Lege scripta .... At nos Scripturarii hæc credimus nequaquam, sed tantum ea quæ Deus benedictus præcepit Mosi fideli in domo sua, quæque universa in Lege perscripta habentur.*

III. Samaritani nocte Sabbathi ab consuetudine uxoria abstinent. *Epist.* 1. *ad Scalig. Si interrogas de observatione Sabbathi, nos observamus illud sicut dixit Dominus* (*Exod.* 16. 29.) Non egredietur quisquam de loco suo in die Sabbathi, &: requievit populus die septimo: *Sed in domo Dei orationis causa laudes tantum & magnalia Dei cantantur, lectioque legis sanctæ habetur: non enim facimus in eo opus oliquod, cum mulieribus quoque non dormimus, nec ignem accendimus.* Karæi idem observant, & colligunt ex eo, quia dicitur Sabbathum esse sanctificandum. Vide Cl. Trigland. *l. c. p.* 133.

IV. Samaritani ignem non accendunt, nec alunt Sabbatho. Idem Karæi. Vide supra, *pag.* 39.

V. Samaritani Sabbatho non progrediuntur extra urbem, aut jumento vehuntur, sed eunt tantum quo exercitia pietatis ducunt. Epist. ad Anglos. *Nos tum* (Sabbatho) *haud egredimur aliquo præterquam ad Domum Domini, orandi causa, &c.* Karæi. Trigland. *loc. cit. pag.* 133.

VI. Samaritani Pentecosten supputant a die crastino Sabbathi. Scilicet præceperat Deus manipulum offerri debere ממחרת השבת *crastina Sabbathi*, & inde numerandos esse dies quinquaginta, qui inter Pascha & Pentecosten essent interjecti. Quidam ibi per Sabbathum intelligebant Sabbathum hebdomadale, sic ut nonnisi illo manipulus offerri debeat, & inde numeratio dierum 50. institui. Alii vero, uti Rabbanitæ inter Judæos, per שבת, diem festum vel primum azymorum, quicunque tandem esset, intelligunt. Samaritani cum illis faciunt, qui Sabbathum, proprie ita dictum, exspectandum censent, ut inde 50. dies usque ad Pentecosten numerentur. Ita mentem suam exprimunt in *Epist. Ad Anglos. Numeramus quidem 50. dies a crastino Sabbathi, quod sit aliquis ex 7. diebus festi azymorum, adusque crastinum Sabbathi septimi pro solemnitate festi messis, quando etiam festum celebratur apud montem Garizim juxta ritum festi azymorum. Haudquaquam vero cum Judæis* (Karæos excepisse debuissent) *Pentecosten computamus a crastino convocationis Paschalis.* Ita & in *Epist:* 1. *ad Scaligerum. Numeramus 50. dies postridie Sabbathi, quod unum est e 7. diebus azymorum.... sed Judæi numerant a crastino solennitatis Paschalis.* Consentiunt hac quoque parte cum Samaritanis Karæi, uti videre est in Cl. Triglandio *de Karæis, pag.* 28. & 33. ubi argumentantur ex ה demonstrativo in voce השבת, Sabbathum hebdomadale intelligendum esse.

VII. Samaritani in festo tabernaculorum לולב ignorant & malum citrium: ramosque illos, qui præcipiuntur *Levit.* 23. 40. non manu gestandos, sed ad constructionem tabernaculorum adhibendos putant. Epist. 1. ad Scalig. *Facimus nobis tabernacula, sicut dixit Deus* (*Lev.* 23. 40.) Et accipietis vobis die primo fructum arboris speciosæ, spathas palmarum, & ramos arboris densæ & salices torrentis. Atque ita in *Epist. ad Anglos.* Karæi quoque in eadem sententia versantur, quæ sine dubio verissima est. Confer *Nehem.* 8. 15. Hæc quæstio inter Rabbanitas & Karæos antiquissima fuit. Vide Cl. Trigland. *p.* 31. *de Karæis.*

VIII. Samaritani Pascha mactant occidente Sole. Vide supra, *pag.* 54. Ita & Karæi: vide Cl. Trigland. *pag.* 27.

Hæc speciminis loco sufficient. Cl. Hakspanius in *Præf. Notar. ad Nizzachon Lipmanni pag.* 249. & hoc notavit in Pentateucho Samaritanorum circa verba *Deut.* 25. 6. idem asserere Samaritanos & Karæos, & jubet conferri Lipmannum *num.* 143. & Seldenum *cap. ult. de success. in bona defunctorum.*

CHRI-

CHRISTOPHORI CELLARII COLLECTANEA ISTORIÆ SAMARITANÆ.

CAPUT PRIMUM.

De Geographia Samaritidis.

SAmaria & regionis nomen eſt, & urbis in regione illa olim primariæ. Regionem ita deſcribit Joſephus lib. III. Bell. cap. IV. ἡ Σαμαρεῖτις χώρα μέση μὲν τῆς Ἰουδαίας ἐστὶ καὶ τῆς Γαλιλαίας, *Samarienſis regio inter Judæam & Galilæam media eſt*. Urbis, quæ regioni nomen dedit, cum ſitum, tum originem, tum etiam adpellationem ſacer codex tradit 1. Reg. XVI. 24. nempe ab Omri, decem tribuum rege, monti *Schomron* fuiſſe impoſitam, eodemque nomine inſignitam על שם שמר ארני ההר שמרון *de nomine Schemer, poſſeſſore montis Schomron*, a quo rex montem emtionis jure acceperat. Inde Samaria Hebræis שמרון, Syris ܫܡܪܝܢ adpellata eſt, Græcis demum Σαμάρεια. Joſephus VIII. Antiquit. cap. VII. ἐν Σαμαρεῶνι (ſic recte Druſius ad Voces N. T. comment. priore p. 153. emendat ſcriptum Μαρεῶνι) ὑπὸ δὲ Ἑλλήνων Σαμαρεία καλουμένη, *in Samarone, quæ a Græcis dicitur Samaria.*

II. Hieronymus in Amos cap. IV. Samariam *cuſtodiam* interpretatur, & in Epitaphio Paullæ cap. VI. Samaritam *cuſtodem*, quod videtur ex Euſebii Chronico habuiſſe, ab ipſo num. MCCLXX. in Latine verſo: *Rex Chaldæorum ad cuſtodiendam regionem Judæam accolas miſit Aſſyrios, qui ſimulatores legis Judææ facti* Samaritæ *nuncupati ſunt, quod Latina lingua exprimitur* Cuſtodes, quanquam Scaliger Animadverſ. in h. l. putet Hieronymnm de ſuo addidiſſe: *quod Latina lingua exprimitur Cuſtodes*, quia alias quoque tali etymologia delectetur Hieronymus. Verum quoquo modo ſe res de Euſebio habet, alii certe tam Græci, quam Latini idem cenſuerunt. Epiphanius adverſus Hæreſes lib. I. Hæreſi IX. pag. 24. ἑρμηνεύονται Σαμαρεῖται φύλακες διὰ τὸ ἐν τάξει φυλάκων τετάχθαι ἐν τῇ γῇ, *Vox Samaritæ Cuſtodes ſignificat, quod ii quondam in illa terra tanquam cuſtodes collocati ſunt*: & Sulpic. Severus Hiſt. Sacr. lib. I. cap. XLIX. *Salmanaſſar*, inquit, *populum univerſum in regnum ſuum abduxit, Aſſyriis in hoſtili ſolo ad cuſtodiam poſitis. Exinde ea pars Samaria adpellata, quod lingua Aſſyoiorum cuſtodes Samaritas vocant*. Concedo, novos iſtos colonos a Caſpio mari in Palæſtinam miſſos fuiſſe, *ut regionem*, in poteſtatem Aſſyriorum redactam, *cuſtodirent*: nomen autem ab *cuſtodia* vel ipſos vel regionem accepiſſe pernego, cum ex antea dictis liquidiſſime conſtet, jam tum florente republica Iſraelitarum hoc nominis obtinuiſſe. Præterea falſus in eo eſt Sulpicius, dum Aſſyriorum lingua Samaritas *cuſtodes* ſonare exiſtimat, quia Aſſyrii & Chaldæi ne quidem vocem שמר, quæ Hebræis *cuſtodire* eſt, in ſuam adſumſerunt linguam, ſed pro illa ܢܛܪ, uti etiam Syri, conſtanter adhibuerunt.

III. Hodierni Samaritani, uti ex Epiſtolis ad ſummum virum JOBUM LUDOLFUM manifeſtum eſt, defugiunt noſtram etymologiam a *Schomron* & *Schemer* petitam, adluduntque ad *cuſtodiam & obſervationem Legis* ſuo nomine. Ita enim Epiſt. 1. pag. 2. [illegible] *neſcimus, quid ſit nomen Schomron*. Seipſos autem & nomen ſuum ita explicant [illegible] *Sumus filii Iſrael Samaræi, populus ſanctus, puri atque ſancti, obſervatores Legis ſanctæ.* Non nova hæc interpretatio, ſed Epiphanio etiam cognita, qui citatis antea verbis ſubjecit: ἢ ἀπὸ τοῦ φυλακὰς αὐτοὺς εἶναι τῆς κατὰ τὸν νόμον Μωϋσέως διατάξεως, *ſive quod quæ a Moſe conſtituta in Lege ſunt, cuſtodirent*, dicti Samaritani. Et Euſebius etiam verbis ſupra citatis non obſcure idem videtur ſignificaſſe, *æmulatores legis Judææ facti*, Sa-

Samaritæ nuncupati, quanquam præmiserat etiam *ad custodiendam regionem*. Verum neque hæc, neque ista ratio nominis valet, cujus genuinam originem supra indicavimus, quam cur hodierni Samaritæ vel occultent, vel negent, in Capite II. exponemus.

IV. Sunt qui ante Omri tempora vel oppidum vel castrum in illo monte fuisse ideo credant, quod ante hujus historiam I. Reg. XIII. 32. *Samaria* memoratur, nisi id nomen per πρόληψιν forsan anticipatum fuit. Illorum sententiæ accedit R. Levi Ben Gersom in c. l. היה שם עיר שמה שמרון קדם זה . אך עתה בנאה עמרי *Fuit* inquit, *ibidem ante hæc urbs nomine Schomron; Verum nunc* (splendidius) *exædificavit eam Omri*.

V. Ab Omri temporibus ad usque exsilium Israelitarum fuit Samaria caput regni & sedes regum Israeliticorum, urbs magnifica, natura & arte munitissima, ut Salmanassar, qui Samaritanos in Assyriam deportavit, post triennem obsidionem vix eam expugnaverit. Eversam tum fuisse urbem & funditus deletam, vero simillimum est propter diuturnitatem obsidionis, & graviorem pœnam captivis civibus illatam. Sulp. Severus lib. I. cap. XLIX. addit *urbemque excidit*, quod Animadversione Jo: Vorstii notatur, quia sacer codex nihil de eversione prodiderit. R. David Kimchi autem in Comentario II. Regum XVII. 24. conatur ex eo fidem facere, quod rex Assyriæ dicatur novos colonos collocasse בערי שמרון *in oppidis Samariæ*, כי שמרון החרב מלך אשור עד היסוד *quia Samariam diruerat funditus rex Assyriæ*. Sed quid opus est Judaicis conjecturis? Sanctus vates Michæas, qui falli non potuit, prædixit cap. I. commate VI. ita eversum iri Samariam, ut יסודיה *fundamenta ejus* detegantur, lapidibus ex monte in vallem projectis, quod de alia expugnatione intelligi non potest, quam quæ facta fuit, ut Aben Esra adnotavit, על ידי אשור *per Assyrios*.

VI. Eversam urbem Cuthæos colonos instaurasse dubitari non potest, quod sequentis ætatis historiæ Samariam non inter cadavera urbium, sed in præcipuis ac primi ordinis numeraverunt, adeo ut hujus instauratio universis colonis *Samaritanorum* nomen a primaria, quam colebant, urbe attulerit. Floruit ergo rursus, quamdiu stetit Garizitanum templum, cum quo iterum in cineres & ruinas redactum fuit. Joannes enim Hyrcanus, qui Judæorum rebus Antiochi Cyziceni temporibus præfuit, Samariam, etiam tunc πόλιν ὀχυρωτάτην, *urbem munitissimam*, ut Josephus vocat lib. XIII. Antiquitat. Judaic. cap. XVIII. ἐνιαυτῷ πολιορκήσας *integro anno obsessam* cepit tandem, nec expugnatione contentus, etiam πᾶσαν αὐτὴν ἠφάνισεν, ἐπίκλυστον τοῖς χειμάῤῥοις ποιήσας. Διασκάψας γὰρ αὐτὴν ὥστε εἰς χαράδρας μεταπεσεῖν τὰ σημεῖα τοῦ γενέσθαι ποτὲ πόλιν αὐτὴν ἀφείλατο, id est Gelenio interprete, *solo eam æquavit ductis illo torrentibus, quorum eluvie ita cuncta fœdata sunt, ut ne vestigium quidem superesset ejus oppidi*.

VII. Ex hoc tetro squalore multo post tempore adseruit hanc urbem Gabinius Syriæ præfectus, Scauri primi præsidis successor, de quo Josephus Antiquit. XIV. cap. X. καθῃρημένας τῶν πόλεων κτίζειν παρεκελεύετο. καὶ ἀνεκτίσθησαν Σαμάρεια, καὶ Ἄζωτος, καὶ Σκυθόπολις, *dirutas*, inquit, *urbes ædificari jubebat, & hoc pacto instauratæ sunt Samaria, Azotus, & Scythopolis*: & Bell. Jud. I. cap. VI. συνεπολίσθησαν τότε κελεύσαντος Σκυθόπολίς τε καὶ Σαμάρεια, *hujus* (Gabinii) *jussu Scythopolis & Samaria restauratæ sunt*, seu in urbium modum exædificatæ. Nam etiam ante adventum Romanorum habitari cœpisse, ut pagos forsan aut vicos, sine ornatu & splendore, exinde adparet, quod cap. V. ejusdem libri Josephus de Pompejo tradit, mediterraneas civitates a Judæorum imperio liberasse, ὅσας μὴ φθάσαντες κατέσκαψαν, Ἵππον, Σκυθόπολιν, καὶ Πέλλαν, καὶ Σαμάρειαν, *quas præventi non exciderant*.

VIII. Hinc nomen *Gabinii urbis* Samariæ est additum. Julius Africanus apud Eusebium in reliquiis libri prioris Chronicorum: Ἡρώδης ἐπικτίσας τὴν Γαβινίων πόλιν τὴν ποτε Σαμάρειαν, Σεβαστὴν αὐτὴν προσηγόρευσεν. Locum hunc corruptum esse testatur Scaliger in Animadversionibus Eusebianis, & in Elencho Trihæresii Nicolai Serarii cap. II. idem existimat legendum esse Γαναίων, ex גנאי *turpis, obscenus*, pro quibus Judæi Samaritas habuerint. Sed non possumus ire in sententiam illustris viri, cum, quod etiam Samuel Petitus lib. II. Var. Lect. cap. V. censet, longe facilius ex Josephi historia emendari possit τὴν Γαβινίου πόλιν, quam Γαναίων. Instaurata igitur a Gabinio Samaria Γαβινίου πόλις adpellabatur, donec tandem ab Herode τῆς Σεβαστῆς sortita nomen est. Sic enim Cedrenus quoque f. 151. in nomine quamvis reparatoris errans, ut num. X. dicemus: τὴν τῶν Γαβινίων πόλιν, τὴν ποτε Σαμάρειαν ἐπικτίσας, Σεβαστὴν αὐτὴν προσηγόρευσε, ubi eadem medicina opus est, quam Eusebio adhibuimus, ex quo hausit procul dubio Cedrenus.

IX.

IX. Ab Herode enim Antipatri filio, majus ornamentum acepit, qui in honorem Augusti Cæsaris Græco nomine Sebasten, hoc est *Augustam* adpellavit, ut vel solum nomen splendorem ejus atque ornatum possit ostendere. Josephus XV. lib. Antiquit. cap. XI. extremo: τότε τὴν Σαμάρειαν ὡρμημένος τειχίζειν---τήν τε προσηγορίαν ὑπήλλαξε, Σεβαστὴν καλῶν, *Tunc* (Herodes) *Samariam adgreditur munire, nomen ejus mutavit, Sebasten adpellans*, nempe ut Hieronymus Epitaphio Paullæ cap. VI. exponit, *in honorem Augusti Græco sermone Augusta est nominata*. Et vere augusta facta fuit. Eam τείχει καρτερῷ τὴν πόλιν περιέβαλε, *firmissimo muro urbem circumdedit*, καὶ μέγεθος οὐχ ὡς τὸν πρῶτον, ἀλλ᾽ ὥστε μηδὲν ἀποδεῖν τῶν ἐλλογιμωτάτων πόλεων περιλαμβάνων. στάδιοι γὰρ ἦσαν κ᾽, *præter veterem ambitum spatii tantum complexus, ut nulli celebrium cederet. Erat enim* XX. *stadiorum circuitus*.

X. Hæc & alia ornamenta Herodes addidit Antipatri filius, & censuræ notam meruit Georgius Cedrenus, quiquid est hujus operis Herodi filio sive Antipæ attribuit, filium cum patre confundens fol. 151. edit. Basileensis. Non autem dignitatem suam urbs ita ornata & amplificata tueri potuit, quo minus vicina *Neapolis*, amœnitate nulli secunda, primas partes in Samaritana regione teneret. Sequentium enim temporum historiæ passim *Neapolim* laudant, Sebastes raram admodum mentionem faciunt. v. g. Severi imperatoris ætate *Neapolitanos Palæstinenses pro Nigro diu in armis fuisse* scribit Spartianus in illius Vita cap. IX. Ammianus loco supra dicto, *Palestina*, inquit, *civitates habet quasdam egregias, nullam nulli cedentem, sed sibi vicissim velut ad perpendiculum æmulas: Cæsaream, quam ad honorum Octaviani principis exædificavit Herodes, & Eleutheropolim, & Neapolim, ibidemque Ascalonem, Gazam & Juliam, ævo superiore exstructas*. Sic Zenonis ævo memoratur Neapolis apud Procopium lib. V. de Ædific. Justin. cap. VII. Σαμαρεῖται----ἐπεσπηδῶσιν ἐν Νεαπόλει τοῖς Χριστιανοῖς, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὴν πεντηκοστὴν καλουμένην ἑορτὴν ἄγουσι, καὶ αὐτῶν τε πολλοὺς διαχρῶνται, *Samaritani irruerunt in Neapolim, & multos ex Christianis, Pentecostes solennitatem in ecclesia agentibus, trucidarunt*. Et in Itinerario Antonini p. 44. ed. Suritæ (fol. 12. ed. Bertii) iter a Bemmari, Syriæ oppido, inter Zeugma & Batnas sito, *Neapolim*, tanquam ad nobiliorem terminum, exhibetur. Sebastes autem nomen obscurum & ignotum in his historiis est, nisi quod in Synodo Nicena & Hierosolymitana subscripsit episcopus ὁ Σεβαστηνός. Dignitas etiam Neapoleos, quam præ Sebaste accepit, ex nummo M. Aurelii apud Harduinum apparet, qui ΦΛ. ΝΕΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. inscribitur. Ex quo constat, metropolim Samariæ fuisse, & a Sebaste in hanc urbem prærogativam translatam fuisse. Plinius dum præponit Neapolim Sebastæ, videtur jam suo ævo hanc prærogativam agnovisse.

XI. Plurimorum consensu hæc Neapolis est antiquum שכם, *Sichem*, nec esse video ex priscis, qui aliter censeat, quam Stephanum Byzantium, urbium & populorum scriptorem, cui Σαμάρεια πόλις Ἰουδαίας, ἡ μετονομασθεῖσα Νεάπολις, *Samaria urbs Judææ est, quæ postea Neapolis vocata fuit*. Thomas de Pinedo, Lusitanus, Adnotationibus in Stephanum p. 583. Mich. Anton. Baudrandum, celebrem geographum: hoc nomine notat, quod additis ad Phil. Ferrarii Lexicon Geographicum p. 155. scripsisset, *Samaria hodie Naplous dicta*. Qui vero nobis non male sensisse, quamlibet inconsideratius scripsisse videtur. Nam alibi pag. 191. mentem suam ita commodissime explicavit: *Sichem nunc Naplouze dicitur a Gallis, estque ex præcipuis totius Terræ Sanctæ etiamnum, & præfecti sedes. Crevit ex ruiniis Samariæ, & ideo Samaria nunc persæpe dicitur a recentioribus Naplouze, quæ revera Samaria nova vocari potest*. Id mihi dixisse videtur Geographus Parisinus, Neapolim, sive Naplouze, quidem *Sichem* esse, sed quod hæc ex Samariæ ruinis crevisset, ab imperitis ipsam *Samariam*, jam dirutam, ita vocari, quemadmovulgus *Babylonem* dicit, quæ *Bagdad* est, ex Babylonis autem ruderibus, sed alio loco, enata, vel suum nacta incrementum. Stephanus autem justius vapulat, uti etiam Baronius, qui ad annum Christi DCXXVIII. citans Theophanis verba Latine: *in domo Eustathii Neapolitani* (*ita tunc Samaria dicebatur*;) de suo addidit inclusa. Nam Græcus Theophanes edit. Paris. f. 273. habet tantummodo: ἐς τὸν οἶκον τοῦ Εὐσταθίου Νεαπολίτου, nihil de Samaria adjiciens.

XII. Ceteri magno consensu Neapolim a Samaria distinguunt, & illam, non hanc veterum Sichem esse ostendunt, quod adeo clarum est, ut Arabs interpres Genes XXXV. 4. שכם *Sichem* vertere نابلسا *Napolosa* haud dubitaverit. Plinius lib. V. cap. XIII. claro discrimine: *Intus Samariæ oppida, Neapolis,*

lis, quod antea Mamortha dicebatur: *Sebaste in monte, & altiore Gamala.* Ptolemæus quoque lib. v. Geograph. cap. xvi. Νεάπολιν & Σεβαστὴν distinguit, id est Sichem & Samariam, nec hujus novuum nomen *Neapolis* fuit, sed *Sebaste*, ut præter Josephum & Hieronymum, quos supra laudavimus, etiam Strabo lib. xvi. testatur, Σαμάρειαν Ηρώδης Σεβαστὴν ἐπωνόμασε, *Samariam Herodes Sebasten cognominavit.* Addo suffragium Beniamini Tudelensis pag. 38. Itinerarii: ומשם יום לשבשת היא שומרון ועדין ניכר שם ארמון אחאב מלך ישרל והיא היתה עיר בצורה בהר מאר ובה מעיינות וארץ נחלי מים וגנות ופרדסים וברמים והיתים ואין שם יהודים · ומשם שני פרסאות לנבילא . היא שכם · בהר אפרים ואין שם יהודים . והיא יושבת בעמק בין הר גריזים והר עיבל Constantinus l'Empereur ita Latine vertit: *Unde die uno Sebasten me contuli, dictam ab antiquis Samariam, hodieque Achabi Israelitarum regis aulæ dignoscuntur vestigia. Urbs in monte quondam munitissima, fontibus est irrigua, regioque aquarum rivis, hortis, pomariis, vinetis & olivetis dives est, a nullis tamen Judæis habitata. Hinc duabus parasangis distat Neapolis, olim dicta Sichem, intra montes Ephraim condita, nec ulli hic Judæi. In valle jacet inter montem Garizim & montem Ebal.*

XIII. Nemini sic potest dubium esse, quænam sit Neapolis, & quomodo disjuncta a Sebaste sive Samaria, licet de intervallo utriusque disputare nolimus, quod longius alii, quam Tudelensis, constituunt. De situ gratum nobis est, quod monti Garizim subjectam dicit perinde ac R. Uri in Cippis Hebr. p. 52. שכם העיר עונורת בין הר גריזים ובין הר עיבל *Sichem est urbs situ inter montem Garizim & montem Ebal.* Quod recentes Samaritani etiam confirmant in epistolis ad Europæos, præsertim nuperrimis ad τὸν πάνυ Ludolfum pag. 9. & 16. [illegible] [illegible] *urbs Sichem sancta e regione montis Garizim.* Quod etiam ex Judicum ix. 7. clarissimum est, ubi mons hic tam vicinus urbi Sichem esse dicitur, ut vel e monte clamantem audire cives in oppido potuerint. Ut adeo non audiendus sit Eusebius de Locis Ebraicis, quem Hieronymus Latine vertit, montes Garizim & Ebal prope Hierichuntem, non ad Sichemum collocans, quem Epiphanius c. l. fol. 25. imitatur, montem Sichemiticum Garizim σεσυκοφαντημένως, *fraudulenter* a Samaritis ita vocari ratus. Nam, inquit, ἰςέον ὅτι πρὸς τῇ Ἱεριχῷ κεῖνται τὰ δύο ὄρη, τὸν, τε τοῦ Γαριζὲιν, καὶ τὸν τοῦ Γεβὰλ, *sciendum est apud Hierichuntem duos montes sitos esse, Garizim & Ebal.* Quod Josephus etiam refutat iv. Antiquit. cap. ult. p. 130. οὐ πόῤῥω τῆς Σικίμων πόλεως *haud procul Sichemo* montes Garizim & Ebal constituens. Adde Bonfrerii commentationem ad Onomast. Eusebii p. 129. De religione & sanctitate montis Garizim, cap. iii. dicturi sumus.

XIII. Nunc de nomine Νεαπόλεως, a quo inditum fuerit, disputandum est. Abul-Pharagius in Dynast. vii. p. 109. Herodi Antipatri filio tribuit instaurationem & novi nominis originem وفي ايامه جدد هيرودس مدينة نابلس *In diebus illius (Augusti Cæsaris) instauravit Herodes urbem Neapolim.* Nihil Josephus in historia Herodis de hac Neapoli, qui etiam Σίκιμα potius in plurimis locis veteri Græco nomine, quam Neapolim adpellat: neque Strabo ejus mentionem fecit, qui vero Sebasten Herodis non illaudatam reliquit. Quid? quod *Flaviæ* cognomen clare ad Flaviæ gentis imperatorem incrementum oppidi refert, sive pater Vespasianus fuit, sive filiorum alter vel Titus vel Domitianus. De cognomine res certa est, & sic Justinus quoque Martyr, civis hujus urbis, Apologetico ii. ineunte Ιουστῖνος Πρίσκου, τοῦ Βακχείου τῶν ἀπὸ Φλαουΐας νέας πόλεως τῆς Συρίας Παλαιστίνης, quæ verba interpres Jo: Langus minus commode vertit *Flaviæ, quæ nova civitas est Syriæ Palæstinæ.* Reddendum erat, *ex Flavia Neapoli* (quæ urbs) *Syriæ Palæstinæ est.* Nam usitatum est Græcis nomen Νεαπόλεως disjungere, nec tamen intelligere aliter, quam si conjunctum fuisset. Nummus Faustinæ junioris in museo Jo: Harduini: ΦΛ. ΝΕΑC. ΠΟΛ. CΥΡ. ΠΑΛΕCΤΙ. hoc est: Φλαουΐας Νέας πόλεως Συρίας Παλαιστίνης. Et Domitiani apud Golzium & & Occonem, ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΣΑΜΑΡΕΙΩΝ. Nec tamen a Domitiano hoc nomen habuit, sed antea etiam in Titi nummo apud Seguinum legitur ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΙ. Non ergo dubitandum est quin eo tempore, quo Vespasianus & filius Titus Judaico bello in Oriente inclaruerant, cognomen hoc oppido Sichemo accreverit. Nec tamen coloniam a Flaviis eo deductam adfirmaverim, cum in nummis ante Elagabali tempora colonia haud inscribatur, sed vel civibus a Vespasiano concessum hoc nomen, ut Samosatenis aliisque, vel ab iisdem adulandi caussa adsumtum, quæ sententia etiam est clarissimi viri Jo: Harduini de Numm. Urb.

Urb. p. 431. qui plures hujus urbis nummos exposuit.

XV. Quanquam vero *Neapoleos* nomen invaluerat, ut ab Arabibus quoque نابلس *Napolosa* vocaretur, sicut hodieque a peregrinantibus *Naplouze* dicitur; tamen Samaritani hodierni antiquum nomen ࠔࠊࠌ *Sichem* in epistolis suis retinent, & Josephus plerumque Σίκιμα (sicut LXX. Seniores Σήκιμα & Σίκιμα) adpellat, raro admodum Neapolim, quamquam post Vespasiani tempora sub Domitiano historias suas conscripserint: nec aliud novi nominis exemplum observavi, quam IV. Belli Jud. cap. XXVI. f. 890. διὰ τῆς Σαμαρείτιδος, καὶ παρὰ τὴν Νεάπολιν καλουμένην Μαβαρθὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων, καταβὰς, *per Samaritidem ac præter Neapolim, quæ dicebatur Mabartha ab indigenis, descendens*, de quo indigenarum nomine post differemus, quando quidquid est nominis Sichem vel Σικίμων, expediverimus. Dubitationem adfert evangelistæ adpellatio Σιχὰρ vel Συχὰρ (nam utroque modo in libris est) Joannis nempe IV. capite, inciso V. quæ quomodo cum שכם *Sichem* conciliari possit, non apud omnes manifestum est. Hieronymus suspectam habet scripturam, in Epitaphio Paullæ c. l. *transivit*, inquit, (Paulla) *Sichem*, *non ut plerique errantes legunt*, *Sichar*; *quæ nunc Neapolis appellatur*. Et in Quæst. in Genes. cap. XLVIII. comma XXII. *Sicima juxta Græcam & Latinam consuetudinem declinata est*, *aloquin Hebraice Sichem dicitur*, *ut Joannes quoque evangelista testatur*, *licet vitiose*, *ut Sichar legatur*, *error inolevit*: *& est nunc Neapolis*, *urbs Samaritanorum*. Sed erroris suspicionem consensus omnium librorum tollit, etiam vetustorum interpretum, sicut Syrus habet ܣܘܟܪ, Arabs سيخار, (al. سوخار) uterque *R* in locum *M* cum Græcis acceptans. Aliæ vero caussæ subesse possunt mutati elementi, quarum aliquot adducit Jo: Lightfoot Hor. Hebr. in Joann. p. 938. scilicet vel ex linguæ usu litteram mutatam, ut *Nebucadnezar* & *Nebrucadrezar*: vel pietatis caussa mutationem factam, ut ad Talmudicam vocem סיכרין *sepulcra* referatur nomen, sepulcra inquam patriarcharum, quorum possessione in epistolis etiamnum gloriantur Samaritæ pag. 5. & 13. ࠏࠌࠍࠅ· ࠒࠁࠓࠉ· ࠍࠁࠉࠀࠉࠌ· ࠒࠃࠔࠉࠌ· ࠒࠁࠓ ࠀࠁࠉࠍࠅ· ࠉࠅࠎࠐ *Sunt nobiscum sepulcra prophetarum sanctorum*, *sepulcrum patris nostri Josephi* &c. addunt ࠌࠔࠓࠀ· ࠀࠍࠇࠍ· *veneramur illa & in honore habemus*: vel denique contemtus caussa Judæi ita primariam Samaritanorum urbem a שקר *mendacio & falso cultu*, vel a שכר *ebriositate* denominarunt, quemadmodum בעל זבוב in Βεελζεβοὺλ mutatum est, & vicissim Hierosolymam Samaritani recentes ࠁࠉࠕ· ࠇࠓࠁࠀ *domum desolationis* pro eo vocant, quod Judæis est בית המקדש *domus sanctuarii*, de quo relegi possunt, quæ doctissime illustris Ludolfus commentatus est ad Samaritanas epistolas pag. 25. Errat ergo Guilelmus Tyrius, quando lib. VIII. de Bello Sacro cap. I. distincte narrat *Sichar*, *confabulatricis Domini Samaritanæ patriam*: & interpositis urbibus Bethel & Sebastea, quam Samariam fuisse ostendit, tandem *Neapolim* quoque, *quæ olim dicta est Sichem*, ut diversam a Sichar, adjungit.

XVI. Hactenus de nominibus *Sichem* & *Neapolis*: intercessit nomen indigenis usitatum, secundum Josephum c. l. Μαβαρθὰ, secundum Plinium lib. V. cap. XIII. *Mamortha*, quod cujus originis sit & significationis, valde obscurum est. Suspicatus aliquando fuit valere Josephi vocem ࠌࠉ· ࠁࠓࠅࠕࠀ *aquam puritatis*, ut ad fontem patriarcharum, quo magnopere gloriati sunt Samaritani (vide Joann. IV. comm. VI.) respiciatur. Is enim extra portam Sichemi erat. Postquam vero nummum Marci Aurelii monstratore Harduino expendi, quo civitas nostra ΦΛ. ΝΕΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΜΟΡΘΙΑ inscribitur, deserui Josephi scripturam, & Plinianam pro integriore habere cœpi, de qua si secundum litteras divinare liceret, dicerem esse qua ܡܝܐ ܕܡܪ̈ܘܬܐ *aqua dominorum*, id est patriarcharum, Jacobi, Josephi, ut ad eundem Sichemitarum fontem referatur. Sed in nummo simpliciter ΜΟΡΘΙΑ, demto *Ma* priore syllaba scripturæ Plinianæ, vocatur, ut ita difficilius sit vim & notionem ejus hariolari, nisi cum Harduino credemus, *Ma* Articulum Hebræorum emphaticum trajectis litteris referre: in nummo autem scribi sine Articulo. Quod si est, eandem originem puto servari posse, quia ࠌࠓࠀ *dominus* est, & מרתא sive ܡܪܬܐ *domina* aut *hera*. An ergo princeps regionis civitas & dominatrix significatur? Nihil definio: malo autem alios audire, qui certiora divinabunt.

XVII. Hæc de præcipuis urbibus Samaritanorum Sebaste & Neapoli, hoc est Samaria atque Sichem. Ptolemæus Samaritidi addit Θῆνα, *Thena*, idnotam ceteris: Plinius *Gamalam*, aliam forsan a munitissima urbe Gaulanitidis in Peræa, quam Titus expugnavit testibus Jo-

Joſepho lib. IV. de Bello cap. I. & Svetonio cap. IV. Divinis ſcripturis commendatur *Thirza* tanquam regia ante Samariam, & *Jeſreel* ut ſeceſſus regius. Quod ſi vetus regnum decem tribuum definire velimus, quidquid in Galilæa & Peræa eſt, præter inſtituti noſtri rationes recenſendum foret: nos vero Samaritidem a Galilæa pariter & Peræa diſtinguimus auctore Joſepho, & ipſis ſacris ſcriptoribus, qui iter ex Galilæa in Judæam per mediam Samaritidem deducunt. De ceteris conſulantur geographi, & ſi placet, noſtra Geographia Antiqua cap. XX.

XVIII. Sed ſatis hactenus de oppidis: de incolis nunc ſive coloniis, ex Aſſyria in hanc regionem deductis, agendum erit, quæ quales fuerint, & quarum gentium in regno Aſſyriaco, operæ precium erit inveſtigare. De nullis enim, quam Babyloniis, certo conſtat: reliquorum nomina ſunt in hiſtoriis fere ignota & ſubobſcura. *Cuthæi* præterea nominantur II. Reg. XVII. 24. & *Avæi*, *Hamathæi*, *Sepharvini*. Sed bene notavit Hugo Grotius ad hunc locum, ab regione *Cuth* majorem vel nobiliorem partem fuiſſe coloniæ, quæ in Samariam & vicina loca deducta fuit. Hinc factum, ut qui ibi vivebant *κατ᾽ ἐπικράτειαν* dicerentur Χουθαῖοι, quemadmodum hodieque Judæis noſtris Samaritani vocantur כותיים *Cuthæi*. Grotius hæc videtur ex Tisbi R. Eliæ Germani hauſiſſe, cujus hæc verba ſunt p. 43. נקראו כותיים יותר משאר שמות האומות הנזכרים בפסוק אולי לפי שהם הם הרבים . לכך נקראו כלם כותיים *dicuntur Cuthæi potius, quam a ceteris nominibus gentium commemoratarum in ſacra ſcriptura, forſan ideo, quod illorum fuerunt plures, unde univerſi Cuthæi adpellantur*. Si itaque hos inveſtigaverimus, non erit, quod de ceteris ſolliciti ſimus nimium.

XIX. Joſephus Antiq. Jud. lib. IX. cap. XIV. vocat ἔθνη ἀπὸ Χούθου τόπου τινός· ἔστι γὰρ ἐν Περσίδι ποταμὸς τοῦτ᾽ ἔχων τοὔνομα, *gentes ex loco aliquo Chuth: eſt enim in Perſide fluvius hujus nominis*, & lib. X. cap. XI. τὸ Χουθαίων ἔθνος, οἱ πρότερον ἐνδοτέρω τῆς Περσίδος καὶ τῆς Μηδίας ἦσαν, *Cuthæorum gentem, qui prius in intima Perſide & Media fuerant*. Chronicon Alexandrinum (vulgo Faſti Siculi) ed. Raderi p. 254. οἱ καὶ μετοικισθέντες εἰς Σαμάρειαν Χουθαῖοι ἐκλήθησαν, τὴν τῆς χώρας ἐπίκλησιν λαβόντες. διὰ τὸ ἐκ τῆς Χουθὰς οὕτω καλουμένης τῆς χώρας, τότε μετατεθῆναι. ἔστι δὲ αὕτη ἡ Χουθὰς χώρα ἐν τῇ Περσίδι, καὶ ποταμὸς τοῦτο ἔχων ὄνομα. hoc eſt: *Qui vero in Samariam deducti ſunt, Chuthæi vocabantur, regionis nomenclaturam ſortiti, quod ex Chuthas, ita vocata regione, translati fuerunt. Eſt vero hæc Chuthas provincia in Perſide, ejuſdemque nominis ibidem fluvius*. Zonaras Tom. I. p. 77. eodem ſenſu: οἱ μετοικισθέντες εἰς Σαμάρειαν, Χουθαῖοι καλούμενοι, ἐκ τοῦ τόπου, ἐν ᾧ κατῴκουν τὸ πρὶν ἐν Περσίδι, *coloniæ in Samiam deductæ, Chuthæi vocantur ex loco Perſicæ, quem antehac coluerant*. Andreæ Maſio Cuthæi ſunt *Coſſæi* Medicæ, quos Plinius Suſianis ab oriente proximos locat. Sane Ptolemæo etiam lib. VI. cap. III. Κοσσαῖοι *ſunt*, κατέχοντες τῆς Σουσιανῆς τὰ πρὸς τῇ Ἀσσυρίᾳ, *qui Suſianæ partes ad Aſſyriam vergentes tenent*. Byzantio Stephano Κοσσαία μέρος Περσίδος, *pars Perſiæ Coſſæa* eſt. Addi poteſt Strabo lib. XVI. Prope ab hac ſententia abeſt Petrus Daniel Huetius, vir eminentis ingenii, in Obſervat. ad Origenem p. 13. *Cutha*, inquit, *eadem eſt ac Suſis ſeu Ciſſia, quæ* כוש *in ſacris litteris dicitur. Chaldæi* כותה *adpellant*. Κισσία autem Ptolemæo loco jam dicto & ipſa pars eſt Suſianæ. Eutychius patriarcha Tom. I. Annal. Alexandr. pag. 233. urbes præcipuas nominat, quorum coloni cum Samaritis permutati fuerint a Salmanaſſare. ونقل عشرة اسباطبني اسرايبل من ارض السامرية الى امد والموصل وبابل *deportavit decem tribus Iſrael ex terra Samariæ in Amidam, Muſalum & Babylonem*. Ibidem ونقل اهل بابل وامد والموصل واسكنهم في مداين السامرية *& transportavit incolas Babelis & Amidæ & Muſal, & collocavit in urbibus Samariticis*. Amida autem Meſopotamiæ, & Muſal ſive Moſul Aſſyriæ urbes notiſſimæ ſunt, eædemque primariæ.

XX. Sic plerique Cuthæos noſtros ex Media vel Perſia vel Aſſyria, aut his aliqua vicina provincia accerſunt, ut mirum ſit magnum Scaligerum in Colchide illos locaviſſe. Nam ad Propertii lib. I. Eleg. I. Scribit de Medeæ patria: *Eſt autem* Κυταία *urbs, in quam deportatæ decem tribus a Salmanaſſare Aſſyrio. Unde Samaritani hactenus a Judæis* κυταῖοι *dicti, Cuthæi. Etiam incolas illorum tractuum circumcidi ſcribunt veteres*. Quod ſi conceſſeris, ex eodem loco Samaritanos veniſſe, in quem abducti fuerant Iſraelitæ; plurimi Judæorum ad neſcio quos Orientis angulos potius, aut Caſpii maris ſinus te deducent, quam in Colchorum regionem. R. Salomo in Eſa. XXVII. 13. *pereuntes in terra Aſſur* de abductis Iſraelitis explicat, unde propter הנהר

סבטיון *fluvium Sabbatium* reverti non possint. Clarius Abarbinel in hunc locum: והנהר שנזכר כאן הוא נהר סמבטיון שגלו שם עשר׳ השבטים *fluvius memoratus* (commate XII.) *est fluvius Sambation, quo in exilium iverunt decem tribus*. Plura de hoc fabuloso flumine & Israelitis trans illud exulantibus habet Elias Germanus in Tisbi, qui addit, Mosen Gerundensem interpretari de fluvio גוזן *Gosan*, juxta quem R. Beniamin quoque Israelitas locat, & ita describit in Itinerario, ut Mediam & Persiam, ad latus quod Parthiam respicit, adluere oporteat. Vid. commentarius Constantini L'Empereur p. 205. qui hoc quoque adjecit, in Orchoth Olam ad Indiam reduci hunc fluvium.

XXI. Hæc ideo recensui, ut ex Rabbinorum sententia in quemvis alium locum, quam in Colchidem, deportatas decem tribus sciamus. Ipse sacer codex nihil nos dubitare sinit. Dicit enim Israelem abductum esse אשורה *in Assyriam*, collocatumque ad fluvium גוזן *Gosan*, וערי מדי *& in urbibus Medorum*, II. Reg. XVII. *6*. Nec Colchorum circumcisio tantæ rei probandæ satis est, quia Diodorus Siculus lib. I. cap. LV. ab Ægyptiis potius, quam Judæis, Colchichas gentes circumcisionis ritum didicisse testatur. Verba ejus sunt de expeditione Sesoosis sive Sesostris: Καὶ τὸν Γάγγην ποταμὸν διέβη, καὶ τὴν Ινδικὴν ἐπῆλθε πᾶσαν ἕως Ὠκεανοῦ, καὶ τὰ τῶν Σκυθῶν ἔθνη μέχρι Τανάϊδος ποταμοῦ, τοῦ διορίζοντος τὴν Εὐρώπην ἀπὸ τῆς Ἀσίας. ὅτε δή φασι τῶν Αἰγυπτίων τινὰς καταλειφθέντας περὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην συστήσασθαι τὸ τῶν Κόλχων ἔθνος. ὅτι δὲ τοῦτο τὸ γένος Αἰγυπτιακόν ἐστι, σημεῖον εἶναι τὸ περιτέμνεσθαι τοὺς ἀνθρώπους παραπλησίως τοῖς κατ' Αἴγυπτον· διαμένοντος τοῦ νομίμου παρὰ τοῖς ἀποίκοις, καθάπερ καὶ παρὰ τοῖς Ιουδαίοις. hoc est: *Et Gangem fluvium transiit, & Indiam ad Oceanum usque totam permeavit, tum & Scytharum gentes subjecit ad Tanaim usque fluvium, qui Europam ab Asia dispescit, ubi Ægyptiorum nonnullos, ad Mæotim paludem relictos, Colchorum nationem condidisse tradunt, quam ab Ægyptiis oriundam esse hoc argumento docent, quod Ægyptiorum ritu circumciduntur, qui mos in colonia hac, perinde ac apud Judæos, permanserit*. His gemella tradit Herodotus in Euterpe cap. IV. Φαίνονται μὲν ἐόντες οἱ Κόλχοι Αἰγύπτιοι. ---- νομίζειν δ' ἔφασαν Αἰγύπτιοι τῆς Σεσώστριος στρατιῆς εἶναι τοὺς Κόλχους. Αὐτὸς δὲ εἴκασα τῇδε, ---- ὅτι μοῦνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι, καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. *Colchi videntur Ægyptii esse. Dicunt autem Ægyptii, se opinari Colchos e Sesostris esse exercitu. Ipse vutem ex eo conjecturam capiebam, quod soli omnium hominum Colchi, & Ægyptii, & Æthiopes ab initio statim pudenda circumcidunt. Nam & Phœnices, & Syri, qui sunt in Palæstina, didicisse id ab Ægyptiis & ipsi confitentur*. Nihil ergo Κυταία, quæ Stephano πόλις Κολχική, *urbs Colchidis* est, ad Cutham Samaritanorum pertinet, quam ceteris cunctorum suffragiis constat in Oriente potius circa Persidem aut Mediam quærendam esse, quam in litore maris Pontici, hoc est in Colchide. De Cuthæeorum autem ritibus, lege, religione & politia sequentibus Capitibus agemus; jam sufficit originem eorum genuinam indicasse.

XXII. Reliquum est, ut de *coloniis* Samaritanorum alio deductis, quantum rescire potuimus, etiam referamus. Esse vero ad paucos admodum redactos, tam ex ipsorum litteris, quam aliorum, qui in Oriene peregrinati sunt, sermone cognoscimus. *Sichem* sive Naplouse metropolis est, cui ipsa gens primum locum dat, quod monti, quem sanctissimum habet, Garizim subjecta est, quo ceteros colonos proficisci oportet, cum sacris solennibus operaturi sunt. Nec vero ab solis Samaritanis, sed præterea a Turcis pluribus habitatur, & præfecto regionis Turcico, quem Bascham vocant, sedem præbet. Nicolaus Sanson, regius geographus, in Asiæ descriptione pag. 16. *Sichem, aujourd'huy Naplouse, a quelques Samaritains: & reste la capitale de ce quartier, & la mieux habitée, mais avec force ruines*. Quod sonat, Sichem, hodie Neapolim, *aliquos* Samaritanos habere: cetera caput esse regionis, & melius habitatam, quamvis non sine ruinis sit ingentibus. Et post paullo: *Hierusalem est aujourd'huy gouvernè par un Bacha, & Naplouse par un autre, qui obeissent au Beglerbey de Damas*. Hoc est, Hierosolymam a Bascha regi, Neapolim ab altero: utrumque subesse Beglerbego Damasceno. Nobilissimus quoque peregrinator Petrus della Valle in epistola ad Joannem Morinum (XIV. est in fasciculo Anglicano, cui titulus *Antiquitates Ecclesiæ Orientalis* est) *in urbe Sichem*, inquit, *similiter pauci* (Samaritani) *erant*.

XXIII. Ceteræ sedes Samaritanorum ab eodem peregrinatores laudata epistola p. 166. significantur: *Samaritani quidem hodie perpauci sunt, ex his aliquot repe-*

reperi in Ægypto Cairi, & Gazæ, quosdam alios in Palæstina, in civitate Sichem, a Turcis Naplus nuncupata, quæ nunc Samariæ regionis metropolis est, Samaria sive Sebastia civitate funditus diruta; atque etiam Hierosolymis: alios denique Damasci in Syria. De ceteris locis aliunde etiam notum est, ut postea indicabimus: de Hierosolymis vero dubitamus, quod non modo locum abominantur, & ࠁࠉࠕ· ࠌࠀࠔ *domum desolationis* pro בית המקדש *domo sanctuarii*, in epistolis ad laudatissimum Ludolfum contemtus caussa nuncupant: verum etiam ideo, quia eleemosynas, si quas missuri sint Europæi, in iisdem epistolis Hierosolyma deferri jubent ࠋࠐࠓࠍࠂࠉࠌ *ad Francos* Christianos, ࠉࠔࠋࠇࠅ· ࠃࠁࠓ *ut illi mittant* Sichemum Samaritis. Quod si suæ gentis homines Hierosolymis habitare cognovissent, illis potius, quam Francis, pecuniam committi voluissent. Et sicut Judæi Neapolim detrectant habitare tanquam locum sacris Samaritanis destinatum, testante Beniamine p. 38. אין שם יהודים *nullos ibi Judæos esse*: ita ex mutuo odio verisimillimum est, Samaritas pariter Hierosolymorum habitationem declinare.

XXIV. Ægyptus antiquissimam procul dubio coloniam Samaritanorum habet. Josephus lib. XII. Antiquit. cap. I. ad Ptolemæum Lagi refert Samaritanorum in Ægyptum traductionem: Ὁ δὲ Πτολεμαῖος, inquit, πολλὲς αἰχμαλώτες λαβὼν ἀπό τε τῆς ὀρεινῆς Ἰεδαίας, καὶ τῶν περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα τόπων, καὶ τῆς Σαμαρείτιδος, καὶ τῶν ἐν Γαριζεὶν, κατῴκισεν ἅπαντας εἰς Αἴγυπτον ἀγαγών. *Ptolemæus multos captivos ex montano Judææ tractu, & Hierosolymorum vicinia, Samariaque & Garizim monte in Ægyptum traductos jussit sedem ibi figere.* Ex his superstites pauci sunt in populosa urbe Cairo, quorum altera epistola est, ad Scaligerum missa, a Morino Latine versa, qua ipsi confitentur: *Hæc est epistola universæ congregationis Israelis, quæ est in Ægypto, adorans in monte Garizim domo Domini.* Petrus della Valle c. I. *Cairi erant circiter septem familiæ eorum, inter quos unus erat, quem vidi, Antistes sacrorum de progenie Levi, quod ab illis pro certissimo habetur.* Ab Ægyptiis Samaritanis novas colonias deductas esse (ut ab Judæis Ægyptiis colonia Cyrenaica) non est quod dubitemus, cum numerosos in Ægypto fuisse ex iis, quæ infra dicentur, constare possit. Una præcipue colonia Ægyptiorum Samaritarum, quam Nubiensis geographus in parte quinta climatis secundi describit, digna omnino est, ut commemoretur. Arabs hic de insulis Rubri maris locutus, hæc addit: ومنها جزيرة السامري يسكنوها قوم يهود سامريه وعلامتهم لن يقول احدهم اذا لقي انسانا لا مساس وبهذه اللفظة يعرف انهم من اليهود المنسوبين الي السامري صاحب العجل في زمن موسي عليه السلام Gabriel Sionita & Joannes Hesronita ita vertunt: *Inter has etiam est insula Samerei, quam colunt populi Judæi Samaritani, quorum tessera est, ut dicat quis ex ipsis, cum aliquem offenderit,* لا مساس *Ne attingas, & hac dictione deprehenduntur esse ex Judæis, qui descendunt ex Sameri, auctore vituli tempore Mosis, super quem pax sit.* Jos. Scaliger de Emendat. Temp. lib. VII. p. 622. ex his intelligebat, vere Samaritas esse, qui illam insulam incolunt, ut qui advenas colloquio sui arceant, & omnes profanos existiment, quos a sua lege ritibusque videant discordare, quæ arrogans superstitio hodieque Samaritanam gentem refert occupasse. Addit, in Alcorano etiam proverbialem locutionem esse لا مساس *Nullius colloquio fruaris*: nec dubitat, insulares illos Samaritas ex Ægyptiensibus, quos Ptolemæus Lagi traduxerat, quorumque posteri etiamnum synagogam in magna urbe Cairo habeant.

XXV. Proxima Ægyptiæ est *Gazensis* colonia sive in oppido *Gaza* ad mare mediterraneum sito inter Hierosolyma & limitem Ægypti. Hanc plures commemorant. Ipsi Samaritani epistola priore ad Scaligerum ex Morini versione: *Epistola tua, quam miseras in Ægyptum, pervenit ad nos Gazam & Sichem.* Et in epistola ad Anglos, cujus Latina versio cum Ludolfianis est edita, pag. 29. *Habitamus in Sichem, urbe sancta, nec non in Gaza.* Petrus a Valle ad Morinum c. I. *Gazæ, Hierosolymis, ac in urbe Sichem similiter pauci* (Samaritani) *erant, ut Cairi.* Richardus etiam Simon in Supplemento ad Rabbi Leonis Mutinensis librum de Ritibus Judæorum: *Les Samaritanis d'aujurd'huy sont a Gaza, a Sichem,* &c.

XXVI. Major paullo colonia est *Damascenæ*. Petrus della Valle c. I. *Gazæ, Hierosolymis, ac in urbe Sichem similiter pauci* (Samaritani) *erant, ut Cairo: Damasci profecto aliquantulo plures, at non multo.* Richardus Simon loco dicto adje-

jecit: *sont a Gaza, a Sichem, a Damas, au Cairo*. Celeberrimus Hottingerus in Exercit. AntinMorin. p. 34. *Testis*, inquit, *quidam αὐτήκοος, Samaritanis Damasci familiaris, clarissimo D. Golio referebat, insulsam atque ineptam esse hodiernorum Samaritanorum pronunciationem*. In codice Pentateuchi Samaritani Goliano testatur Hottingerus de Biblioth. Orient. p. 309. adscriptum, manca quidem oratione, de possessore ejus ࠀࠍࠉ· ࠐࠉࠍࠇࠎ· ࠁࠍ· ࠀࠉࠕࠌࠓ· ࠄࠊࠄࠍ· ࠄࠂࠃࠅࠋ ࠁࠃࠌࠔࠒ *Ego Pinecha (Pinchas) filius Ithamar sacerdos summus in Damasco*, e quibus vir clarissimus id colligit, ut credat, Samaritanos *Damasci habuisse summos sacerdotes, χειροτονηθέντας*, quod nescio an ex verbis illis probari possit, præsertim si in solo monte Garizim sacrificant, ut tam ex epistolis illorum, quam vulgari peregrinantium sermone fuit creditum. Fecit *antistitis* in synagoga Cairensi mentionem idem della Valle, supra prolatis verbis, non autem diserte vocat ࠄࠊࠄࠍ· ࠄࠂࠃࠅࠋ *sacerdotem summum*. Sed de loco sanctificiorum in Cap. III. disputabimus. Hoc jam sufficit nobis ex eadem inscriptione, Damasci habuisse ࠄࠃࠓࠔࠍ· ࠄࠒࠅࠓࠀ *oratorem & lectorem*, quod satis argumentum est synagogæ non incelebris, quæ Damasci congregatur. Sic possessor codicis Usseriani adscripserat (ut apud eundem Hottingerum est pag. 310.) ࠓࠁࠐࠁࠉࠄ· ࠃࠓࠌ· ࠁࠍࠉ· ࠌࠁࠁࠉࠄ· ࠓࠔࠌࠔࠒ· *qui ex filiis Aram est, ex colonia Damascena*. Alias colonias nominatim referri non cognovi: esse autem præter has alicubi aliquas in Oriente, minus dubitamus, idque etiam Richardus Simon c. l. adfirmat, qui cum habitare Samaritanos Gazæ, Sichemi, Damasci, & Cairi dixisset, adjecit *& autres lieux du Levant*, sive in aliis quoque locis Orientis.

CAPUT II.

De politia Samaritanorum.

DE Republica Samaritana longe aliter censent ipsi Samaritani, quam divinis humanisque literis est proditum. Gens enim est, (ut Scaliger scribit Emend. Temp. p. 620.) totius antiquitatis, etiam quæ ad ipsos pertinet, ignarissima. In monte Garizim sacrarium religionis, & in subjecto oppido Sichem constitutas sedes habent, neque a temporibus Josuæ se inde unquam expulsos fuisse, aut aliunde, quam ex Ægypto cum Mose huc immigrasse credunt. Reges veteres Samariæ, defectionem tribuum, impulsore Jeroboamo, ne fando quidem acceperunt. Nomina Samsonis, Samuelis, Davidis obiter perstricta habent in Chronico, qui liber Josuæ ab illis dicitur. In reliqua vetustate omnino peregrini sunt. Hæc etiam ex epistolis illorum ad Europæos patent, præsertim quibus nobilissimo Ludolfo respondent, ࠋࠀ· ࠉࠃࠏࠍࠅ· ࠔࠌ· ࠔࠌࠓࠅࠍ· ࠌࠄ ࠄࠅࠀ· *se ignorare, quid nomen Schomron (sive Samariæ) sit*: & ࠌࠉࠅࠌ· ࠓࠄࠅࠕࠄ· *a diebus gratiæ* seu ingressu Israelitarum ex Ægypto in terram Canaan se res suas & sacra habuisse in monte Garizim: item ࠄࠌࠍ· ࠁࠍࠉ· ࠉࠅࠎࠐ· ࠄࠑࠃࠉࠒ· ࠌࠁࠍࠉ· ࠀࠐࠓࠉࠌ· ࠅࠌࠍࠔࠄ· ࠅࠌࠁࠍࠉ· ࠋࠅࠉ· *se omnes esse ex filiis Josephi Justi, e tribubus Ephraim & Manasse; & ex filiis Levi*. Et in epistola ad Scaligerum pag. 124. ita conqueruntur de *Cuthæorum* nomine: *Vocant nos* (Judæi) *Cuthæos, sed mentiuntur in verbis suis*.

II. Relictis fabulis imperitæ gentis, ex divinis humanisque historiis Samaritanorum Rempublicam breviter delineamus. Tractum illum, ubi Samaria & Sichem sunt, Josuam Ephraimitis distribuisse, ex divisione terræ Canaan non ignotum est: nec obscurum, qualis sub Judicibus facies rerum, ut etiam sub Saule, Davide & Salomone fuerit. Schisma quoque decem tribuum, Jeroboamo rebellante, satis certum est, uti etiam series ac fortuna regum Samariæ sive Israelis. *Menachem* tributarius rex Assyriorum factus: *Pekah* amisit partem Transjordanem & superiorem Galilæam, abducente populum Tiglat-Phul-Assare, qui vulgo dicitur Tiglatpilesar: cum Hosea successisset, quidquid tribuum cis Jordanem in Israelis regno erat, Salmanassar in Assyriam deportavit, reductis vicissim Cuthæis & aliis ex Oriente gentibus in urbes & agros Samariæ. Et horum certa fides est, adfirmante divinorum hominum historia II. Reg. XV. XVI. XVII. & I. Paralip. V. & seq.

III. Mixta tum & barbara colluvies regionem Samaritanam occupavit, propter idolorum cultum gravibus pœnis exposita: veriore autem de Deo sensu inde liberata, quamlibet avitos ritus non plane deseruerunt, sed meliori cultui admixtos servarunt in posteritatem, de quo sequenti capite dicendum erit. Infirmata brevi post tempore Assyriaca dynastia, invaluit Babylonia, & post eam mo-

monarchia Persica, atque ita sub satrapis quoque Samaria mansit, ultimusque Sanballet fuit, a Dario Codomanno regioni impositus. Josephus lib. XI. c. VII. extremo: Σαναβαλλέτης ὁ πεμφθεὶς εἰς Σαμάρειαν ὑπὸ Δαρείου τοῦ τελευταίου βασιλέως, σατράπης, Χουθαῖος τὸ γένος, ἐξ ὧν καὶ οἱ Σαμαρεῖς εἰσὶν, *Sanaballetes, missus satrapa in Samariam a Dario rege ultimo, Chutæus genere, unde & Samaritis origo est*.

IV. Victo autem Dario in Cilicia, Sanaballetes in fidem se Alexandri dedit, cum is in Tyri urbis obsidione hæreret. Idem Josephus cap. VIII. νομίσας δὲ καιρὸν ἐπιτήδειον ἔχειν ὁ Σαναβαλλέτης τῆς ἐπιβολῆς, Δαρείου μὲν ἀπέγνω, καὶ λαβὼν ὀκτακισχιλίους τῶν ἀρχομένων παρ᾽ αὐτῷ πρὸς Ἀλέξανδρον ἧκε, *Ratus jam occasionem adesse Sanaballetes, a Dario defecit, & adsumtis octo millibus de sua provincia in Alexandri se castra contulit*. Mortuus brevi post tempore Sanaballetes, cum Gazam obsideret Alexander, Josepho auctore c. l. pag. 385. eique Andromachus successit, quem duro imperio irritati vivum Samaritæ, quod Curtius tradit lib. IIII. cap. VIII. cremaverunt. Non sane tam mitem in Samaritanos Alexandrum, quam in Judæos fuisse, ibidem Josephus vel vere, vel caussæ suorum non nihil indulgens, adseveravit. Sicimitis enim, quos Sanballet miserat, Alexandrum negasse tradit septimi anni immunitatem, quam Judæis concesserat: eosdem autem secum in Ægyptum abductos provinciæ Thebaidi præsidio imposuisse, qui an permanserint ibidem in colonia, antequam Ptolemæus suam deduceret, pro certissimo non habemus. Josephus tamen extremo libro XI. dixit, promisisse Alexandrum ἐκεῖ αὐτοῖς δώσειν κλήρους γῆς, *ibi se agros eis divisurum*.

V. Post excessum Alexandri in potestatem Ptolemæorum venerunt, sicut de colonia, ex Samaritide in Ægyptum a Ptolemæo Lagi deducta, supra prædiximus. Coram Ptolemæo Philometore contenderunt Samaritæ cum Judæis de templo suo, Josephus teste lib. XIII. c. VI. quod autem de Ægyptiis potius Samaritis, quam Palæstinensibus, intelligendum est. Nam varia fortuna Palæstinæ erat, quæ nunc Ægyptiis, nunc Syris regibus eosdem subjiciebat, pro ut hæc vel illa gens bello erat potentior. Nam & Antiocho Epiphani Samaritani paruerunt, ut non tantum præfectos ab illo haberent μεριδάρχην Apollonium, & Nicanorem πράττοντα τὰ βασιλικά: verum etiam templum suum Garizimitanum offerrent, προσαγορευθῆναι Διὸς Ἑλληνίου, *ut vocaretur Jovis Græcanici*, eodem auctore lib. XII. Antiq. cap. VII. Ex quo tempore in Syrorum potestate, saltim fide & clientela, mansisse Samaritas minus dubitamus, præsertim quod Antiochus Cyzicenus contra Hasmonæos tam suis copiis, quam auxiliaribus Ptolemæi Lathuri defensum illos ivit, quanquam nihil proficeret, bis fugatus ab Judæis, eodem historico referente lib. XIII. cap. XVIII.

VI. Vicit enim Joannes Hyrcanus, nec Samariam modo, urbem munitissimam, solo æquavit, sed templum etiam in monte Garizim exstructum, Sanaballetis opus, funditus evertit, lib. XIII. cap. XVII. & XVIII. Fracta tum potentia Samaritarum fuit, qui cum Judæis, quibus aliquandiu servierant, in Romanorum potestatem venerunt. Gabinius enim Samariam instauravit, ut cap. I. narravimus: Herodes, ab Romanis adpellatus rex, Samariæ etiam præfuit, & Gabinii urbem amplius exornans Sebasten nominavit, eoque mortuo Archelaus filius de Cæsaris Augusti voluntate præter Judæam & Idumæam, ex paternis possessionibus τὸ Σαμαρειτικὸν accepit, sed ea lege, ut quarta pars tributorum Samaritanis remitteretur, Καίσαρος αὐτοῖς κούφισιν ψηφισαμένου. Διὰ τὸ μὴ ἀποστῆναι τῷ λοιπῷ πλήθει, *Augusto Cæsare* (tributi) *relevationem decernente, eo quod ceteris tumultuantibus soli mansissent in officio*, Joseph. lib. XIII. cap. XIII. Relegato Archelao sub jus præsidis, quem *procuratorem* Cæsaris adpellat Tacitus XV. cap. XLIV. venerunt. Pilato hinc apud Joseph. XVIII. cap. V. negotium fuit cum Samaritanis, quos impostor quidam concitaverat, pollicitus se sacra vasa, in monte Garizim refossa, quæ Moses ibi deposuisset, ostensurum esse. Pilatus autem vicit & disjecit rebellantes, quamquam non sine periculo, quippe accusatus ab illis apud Vitellium Syriæ præsidem, Romam missus est ad caussam dicendam. Agrippa major, regni titulo auctus intervenit: successerunt rursus Romani præsides, ut *Histor. Antiq.* pag. 116. exposuimus.

VII. Judaico bello idem fatum, quod universam Palæstinam, etiam Samariam pressit, cujus rei si non alia vestigia essent, vel hoc sufficere potest, quod Vespasianus μετὰ δυνάμεως διὰ τῆς Σαμαρείτιδος καὶ παρὰ τὴν Νεάπολιν καταβὰς εἰς Κορέαν στρατοπεδεύεται, *cum exercitu per Samaritanam regionem, juxta Neapolim in Coream descendit ibidemque castra posuit*, unde postridie Hierichuntem pervenit.

Jo-

Joseph. de Bello Jud. lib. v. cap. III. Sub Hadriano, qui Judaicum bellum gessit, nihil memorabile de Samaritis invenio, nisi quod ipse imperator in epistola ad consulem Servianum (apud Vopiscum in Saturnino) *Samaritas* juxta ac Judæos memoravit, utrosque cum priscam religionem exuisse simularint, sequutos esse cultum Serapidis, dei Ægyptiorum. Sub Septimio Severo, ut Eusebius in Chronico refert, *Judaicum & Samariticum bellum motum* est, cui senatus propterea *Judaicum triumphum* decreverat *idcirco, quod & in Syria res bene gestæ fuerant a Severo*, ut Spartianus observavit in Vita cap. XVI. quibus & res Samaritanæ continentur. Nam ut idem cap. IX. prodit, *Neapolitanis Palæstinensibus jus civitatis tulit*, (id est abstulit) *quod pro Nigro* (Severi æmulo) *diu in armis fuerant*. Sed ut ceteris Palæstinis, ita etiam Samaritanis credo pœnam postea remissam esse. Nam cap. XV. idem *Palæstinis*, inquit, *pœnam remisit; quam ob caussam Nigri meruerant*. Lampridius in Elagabalo cap. III. Samaritanorum religionem memoravit: de republica illorum nihil, quod sciam, protulit, cujus in historia sequutorum temporum magna obscuritas est & profundum silentium.

VIII. Fuisse medio illo ævo Samaritas dispersos, nec per Ægyptum modo & reliquum Orientem, quod ex Hadriani epistola apud Vopiscum & aliis adhuc dictis adparet; verum etiam in ipso Occidente circa Constantinopolim & veterem Romam, leges imperatorum argumento sunt, præsertim XVI. & XXVIII. Cod. Theodos. de Judæis, Cœlicolis & Samaritanis, latæ ab Arcadio, Honorio & Theodosio Augustis, ut etiam lex XVIII. de Navicularis, & de Samaritis CXXIX. ac CXLIV. Romæ etiam Theoderici regis temporibus, & antea quoque, synagogam habuisse, ex Cassiodori lib. III. Variarum epistola XLV. manifestum est. Domum enim ibidem quæ ad ecclesiæ possessiones pertinuerat, Samaritæ repetierunt tanquam suæ olim synagogæ destinatam. *Existere*, inquit, *Samareæ superstitionis populum, improba fronte duratum, qui synagogam ibidem fuisse, iniquis conatibus mentiatur*. Vitæ genus hujusmodi dispersorum Samaritarum plerumque negotiatorium erat, ut etiam a multis sæculis mos Judæorum est. Unde factum, ut Constantinopoli *Samaritæ* vocarentur ministri mensariorum, qui rationes conficientibus aderant & iis subscribebabant. Justinianus in edicto περὶ ἀργυροπρατικῶν συναλλαγμάτων ita: Εἰ γράμματα φέροι αὐτῷ τῷ τῆς τραπέζης προεστηκότος, τῷ γε ὑπογραφέως αὐτῷ, ὃς Σαμαρείτας καλοῦσι. Casaubonus in Lampridii Elagab. cap. III. subdubitat, annon adlusum sit ad vocis originem, ut idem valeat Σαμαρείτης, quod φυλακήσιος, quia ex *custodiendi* vero שמר manavit. Quod non probabile est, & malim de iis, qui professione Samaritani sunt, intelligere, non autem de cunctis ejus nationis. Nam Balsamo etiam Σαμαρείτας γεωργοὺς, *Samaritas agricolas* memoravir ad Nomocanonem Photii titulo IV. cap. VII. & fuisse hos meliore conditione, quam ceteros, ostendit. Ipse Photius titulo X. cap. VIII. τοὺς τὰ γήδια γεωργοῦντας Σαμαρείτας nominat.

IX. Quamvis vero ita dispersi per orbem erant, eodem tamen ævo adhuc rempublicam quandam, saltim tumultuariam, in Oriente habebant. Procopius lib. V. de Ædific. cap. VII. ἐπὶ Ζήνωνος βασιλεύοντος ἀθρόοι ἐξαπιναίως οἱ Σαμαρεῖται γενόμενοι ἐπαναπηδῶσιν ἐν Νεαπόλει τοῖς Χριστιανοῖς, *Zenonis principatu Samaritæ irruebant Neapoli in Christianos*, sacris in ecclesia festo Pentecostes die operam dantes, in quos Zeno animadvertit, ἔκ τε ὄρους τοῦ Γαριζὶν τοὺς Σαμαρείτας ἐξελάσας, εὐθὺς Χριστιανοῖς τε αὐτὸ παραδιδοὺς, *exturbans illos de monte Garizim, quem Christianis habitandum dedit*. Globus quidam eorundem Samaritarum sub Anastasio montem subiit, Christianosque invasit: verum desertus a gentilibus suis oppidanis, quos inclamaverat, pœnas dedit præsidi illius regionis, quod idem Procopius c. l. narravit. Major tumultus sub Justiniano erat, quem Theophanes nobis f. 152. (ed. Paris.) ita descripsit: Σαμαρεῖται καὶ Ἰουδαῖοι ἐν Παλαιστίνῃ βασιλέα τινὰ Ἰουλιανὸν ἔστεψαν, καὶ κατὰ Χριστιανῶν ὅπλα κινήσαντες, ἁρπαγὰς, καὶ φόνους, καὶ ἐμπυρισμοὺς κατὰ Χριστιανῶν εἰργάσαντο, οὓς ὁ Θεὸς παρέδωκεν εἰς χεῖρας Ἰουστινιανοῦ καὶ ἀνήλωσε πάντας, καὶ ἀπεκεφάλισεν τὸν τύραννον Ἰουλιανόν. *Samaritæ & Judæi, Palæstinam incolentes, Juliano, quodam in regem coronato, motisque in Christianos armis, rapinas, cædes, incendia adversus eos excitaverunt, quos Deus in Justiniani manus tradidit, adeo ut deletis omnibus Julianum tyrannum capite obtruncarit*. Reliqui ad Chosroem, Persarum regem, profugerunt, & proditionem Palæstinæ polliciti revocarunt eum, ne pacem cum Justiniano, qui legatum ejus caussa miserat, iniret. Hoc enim Theophanes c. l. exsertis verbis Samaritarum machinationi imputat, πεισθεὶς, inquiens, ὑπὸ Σαμαρειτῶν, προφυγόντων αὐτῷ, *persuasus ita rex erat a profugis Samaritanis*.

X. Post

X. Post hæc tempora nihil de Samaritanis mihi compertum est: credo eos Saracenis in Oriente invalescentibus succubuisse. Quam miserabilis enim tum cœperit status Palæstinæ esse, Zonaras aliique scriptores in Heraclio & successoribus ostenderunt. Cum vero Christiani Terram Sanctam recuperassent, & divisa Palæstina esset in regnum Hierosolymitanum & alios principatus, regi Hierosolymitano mansit Neapolis & tractus ille, quem olim Samaritani possederunt: quorum autem in sacris istis bellis, quæ per CC. annos gesta sunt, vel nulla vel rarissima apud historicos illorum temporum est mentio, ut appareat ad exiguum numerum, ut hodie sunt, redactos fuisse, vel deletos bellorum tumultibus, vel ad Christianam religionem perductos, siquidem ex Procopii fide citato lib. v. cap. VII. de Ædificiis, Ἰουστινιανὸς βασιλεὺς τοὺς Σαμαρείτας ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον ἐπὶ τὸ εὐσεβέστερον μεταθέμενος καὶ καταστησάμενος Χριστιανοὺς εἶναι, *Justinianus Augustus Samaritanos plerosque ad pietatem Christique sacra traduxit*. Quod status Samariæ Belli Sacri temporibus mentionem jam fecimus; æquum est, ut fidei nostræ tuendæ vel unum ejus scriptorem producamus. Mar. Sanutus Torsellus lib. III. parte VII. ineunte: *Pro ipsius regni tutela inter principes & barones, ut adsolet, est divisum, qui terram sub rege custodirent ac defenderent, retenta regi parte digniori ac meliori, civitate scilicet sacra* JERUSALEM, NEAPOLI, PTOLEMAIDA ET TYRO.

XI. Cum nihil succurrat amplius, quod ex historiis proferamus, restat ut de conditione Samaritarum medio ævo aliquid edisseratur. Supra num. VIII. ad leges Codicis provocatum est, in quibus eorum mentio injecta sit, nempe Cod. Theodos. de Judæis, Cœlicolis & Samaritanis Lege XVI. & XXVIII. uti & Novellis quibusdam. Ex quibus id apparet, Honorii ævo ad honores militiæ, advocationis, & curialium munerum aditum fuisse Samaritanis æque ac Judæis, sed sub conditione dignitatis & liberalium studiorum, quæ illa ætate Samaritanis & Judæis, perinde, ac Christianis & gentilibus patebant. Cum autem Justinianus potitus rerum esset, reliquæ Samaritarum, qui recusaverant professionem Christianam, exciderunt honoribus, quos majoribus illorum superiores imperatores indulserant. Adi clarissimum jurisconsultum JACOBUM GODOFREDUM ad leges XVI. & XXIV. Cod. Theod. de Jud. Cœlic. & Samaritanis. Repetit hæc & explicat patriarcha Photius Nomocan. tit. X. cap. VIII. quod quædam constitutiones imperatoriæ permittant τοὺς Σαμαρείτας λαμβάνειν δωρεὰς ἐκ διαθηκῶν, καὶ διδόναι καὶ παραπέμπειν Σαμαρείταις αὐτῶν παισὶ, καὶ γονεῦσι, καὶ συγγενέσιν, *Samaritas ex donatione atque testamento capere, tum donare, & ad liberos suos parentes & cognatos Samaritanos transmittere*: alia autem constitutione dici, ὅτι Σαμαρεῖται οὐ κληρονομοῦσιν ἐκ διαθήκης, ἢ ἐξ ἀδιαθέτου, οὔτε ληγάτα ἢ δωρεὰς λαμβάνουσιν, *Samaritanos ex testamento aut intestato hæredes non fieri, neque legata aut donationes capere*. Plus tamen ibidem Samaritanis τὰ γήδια γεωργοῦσι, quam reliquis, concedit, nempe γράφειν κληρονόμους ἀνιόντας καὶ κατιόντας αὐτοῖς, καὶ ληγατεύειν, κἂν ὦσι Σαμαρεῖται, *hæredes scribere parentes aut liberos suos, quamlibet Samaritani sunt*.

XII. Caussa, quæ Justinianum moverit ad duriorem de Samaritis sententiam, non tantum communis erat, quod nollent cum aliis tribulium suorum se Christo addicere; sed propria etiam sævitiæ & immanitatis. Non enim in sola Neapoli Christianis damna intulerunt, ut ex Procopio supra narravimus, episcopum quoque civitatis illius obtruncantes: sed in aliis etiam Palæstinæ locis هدموا الكنايس كلها *omnes ecclesias diruerunt*, & in eas ignes injecerunt gravibusque cruciatibus adfecerunt Christianos, ut Eutychius Batricides, Patriarcha Alexandrinus refert Tom. II. pag. 156.

XIII. Hæc de politia Samaritanorum & civili historia conquisivimus. Addi ab aliis possunt, qui plura legerunt. Unum adjicimus ex historico illorum libro, quem *Josuæ* vocant, cujus summam nobis Hottingerus excerpsit. Supra ex Scaligeri mente proposuimus, hodiernos Samaritanos credere, se inde ab exitu Israelitarum ex Ægypto nunquam fuisse ex sede, quem circa montem Garizim occupassent, expulsos, aut aliunde huc novos colonos missos, quod in cunctis etiam ad Europæos epistolis non obscure confirmant, ex libro autem illo Josuæ Hottingerus Enneadis pag. 31. refert, *communem* (cum Judæis) *agnoscere captivitatem tam sub Nebucadnezare, quam sub Hadriano*. Cum vero non cujusvis sit illum codicem inspicere, definire non possum, num etiam in Babyloniam se abductos fuisse a Chaldæis credant, & post LXX. annos inde reductos, an de sola belli illud calamitate intellexerint.

CAPUT III.

De Religione Samaritarum.

I. COmmunem Israelitarum ante schisma religionem fuisse, nunc puram, nunc deorum cultu depravatam ex sacris historiis manifestissime constat, Æmulatio autem tribuum, Jehudæ puta & Ephraim, videtur etiam ante schisma viguisse, Ephraimitis ex singulari voto Jacobi ad se rapientibus, quod Jehudæ tribui proprium ex promissione erat. Non enim contenti erant Manassis se tribui prælatos esse, sed Messiæ etiam dignitatem sibi præ ceteris tribubus deberi spe haud dubia crediderunt. Recentissimus scriptor P. Allix parte II. cap. XVII. libri, quem *Reflexions sur les cinq livres de Moyse* vocat, id ex Judæorum suffragiis ita probavit: *Il ètoit comme naturel à ceux d'Ephraim de se nourir dans cette esperance, comme les Juifs nous aprennent aussi qu'ils ont fait, en parlant encore aujourd'huy d'un Messie descendu de Ephraim.* Naturalem quasi fuisse ait Ephraimitis opinionem, quemadmodum ipsi Judæi probant, quid illi senserint, dum adhuc loquuntur de Messia quodam ex tribu Ephraim oriundo.

II. Atque ita omnino est, & tam veteres, quam recentes Judæi multa de *Messia Ben Ephraim*, sive *Ben Joseph* jactant, quem opponunt alteri, qui & ipsis est *filius Jehudæ*, sive *filius Davidis*, Targum Canticor. cap. IV. comm. V. & cap. VII. comm. III. תרין פריקין דעתידין למפרקין משיח בר דוד ומשיח בר אפרים *Duo liberatores tui, qui parati sunt ad te liberandam, Messias Davidis filius, & Messias filius Ephaim.* Et aliud Targum, quod Jonathani tribuitur, Exod. XL. comm. XI. מטול משיחא בר אפרים דנפיק מניה *propter Messiam filium Ephaim, qui egressurus est ab illo.* Aben Esra in Psalm. LXXX. comm. XVIII. דרך משל והנמשל הוא על ישראל או משיח בן אפרים *Translatitio sensu hæc dicuntur, vel de Israele, vel de Messia filio Ephraim.* Alibi & sæpius vocatur משיח בן יוסף *Messias Josephi filius*, e. gr. ab eodem Raschi in Esa. XI. 13. ubi distinguit משיח בן יוסף משיח בן יהודה *Messiam Josephi filium, & Messiam filium Jehudæ*: ac in Esa. XXIV. 18. הנמלט מחרב משיח בן יוסף יפול אל חרב משיח בן דוד *qui gladium Messiæ, Josephi filii evadet, incidet in gladium Messiæ filii Davidis.* Addi & Aben Esra potest in Zachar. IX. 9. & Abarbenel in Esa. LIII. p. 78. col. 4. & ipsum Talmud in Massechet Succot cap. V. fol. 52. & cumprimis libet Aucot Rochel, quem clarissimus Hulsius vulgavit, qui quidquid hujus fabulæ est, & omnes res gerendas cunficti hujus Messiæ, nescio qua divinatione aut phantasia præcognitas, tribulibus suis in solatium exsilii diuturni prædixit.

III. Quod si ergo Judæis Messiam quendam ex tribu Ephraim agnoscunt, quem solum exspectant ex sua gente Samaritani: oportet de Messia Josephi filio sententiam multo antiquiorem, quam schisma decem aut novem tribuum fuisse. Post schisma enim odium Judæorum adversus tribus illas & has secutos Cuthæos & Samaritanos ita invaluit, ut nihil commercii cum illis, ne dum sacra haberent communia. Pronum ergo ad fidem est, ab antiquis temporibus tribum Jehudæ & tribum Ephraim, vaticiniis & benedictione fretas, de prærogativa etiam Messiæ, quem utraque tribus ex sua gente oriturum credebat, non leviter contendisse. Scissione autem Israelitarum facta Jeroboam veritus, ne sacrorum officiis, quæ Hierosolymis per singulos annos statutis diebus peragenda erant, gentes suæ ditionis ad Hierosolymitanos reges reducerentur; novam sibi suisque religionem instituit, *vitulorum* scilicet, quorum alterum in Bethele, australi limite regni Israelirici; alterum in Dane, qui terminus borealis erat, collocavit. Burchardus de Monte Sion, non incelebris peregrinator, in descriptione Terræ Sanctæ de Dane ita sensit: *De Sebaste contra austrum duabus leucis mons Bethel: inde ad dimidiam leucam est mons Dan supra civitatem Sichem ad sinistram. In quibus duobus montibus Jeroboam filius Naboth posuit duos vitulos aureos.* Sed errat: a monachis illius regionis, ut fieri solet, fortean persuasus. Josephus enim lib. VIII. Antiquit. cap. III. perspicue, δύο ποιήσας δαμάλεις χρυσᾶς καὶ οἰκοδομήσας ναΐσκους τοσούτους, ἕνα μὲν ἐν Βηθήλῃ πόλει, τὸν ἕτερον δὲ ἐν Δάνῃ; ἡ δὲ πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ μικροῦ Ἰορδάνου, *duas* (Jeroboamus) *fecit vitulas aureas, & totidem delubra ædificavit, unum in oppido Bethele, alterum in Dane, quæ urbs est ad fontes Jordanis minoris.* Kimch in I. Regum XII. 30. de oppido Dane, אף על פי שהיה בקצה הגבול באו אליו מן הקצה האחר כל כך היו ארוקין בעבודה זרה *Etiamsi in extremis finibus situm fuit, tamen inde usque ab altero limite eo venerunt religione compulsi.*

IV. Vitulos autem plurimi religionem Ægyptiam interpretantur. Hieronymus in Hoseæ cap. IV. comm. XV. *Videtur mi-*

mihi, inquit, *iccirco & populus Israel in solitudine sibi caput vituli, quod coleret; & Hieroboam filius Nabath vitulos aureos fabricatus, ut quod in Ægypto didicerant ἄπιν καὶ μνεῦιν, qui in figura boum coluntur, esse deos, hac in sua superstitione servarent*. Sed Allixius antea citato loco: *Jeroboam n' affecta de donner a son peuple pour symboles de la Divinitè les deux Veaux, qu' il dressa en Dan & Bethel, que pour suivre l' idee des songes de Pharaon expliquès par* Joseph, *dont l' image figuroit clairement & la grandeur de* Joseph *& les soins, dont la Providence l'avoit honorè*. Hoc est, noluisse Jeroboamum ut deos haberi illos vitulos, sed ut monumenta somniorum, quæ Pharaoni Josephus explicuerat; & honorum, quos idem inde fuerat consecutus. Verum quæcunque mens Jeroboami fuit, populus tamen ut deos, illos vitulos excepit, divinosque illis honores detulit, ut ex prophetarum invectivis manifestissimum est. De sexu vitulorum disputari quoque potest. Hoseæ x. 5. vocantur עגלות *vitulæ*, at I. Regum XII. 28. עגלים *vituli*. Hieronymus ad istud Hoseæ verbum: *cum irrisione non vitulos sexus masculini, sed vaccas, id est fœminas appellavit*. Kimchi autem nihil mysterii aut irrisionis subesse existimat, זכר אותם בלשון זכר ונקבה כי לא אלא צורות *memorantur*, inquit, *utroque sexu, quia nihil nisi simulacra fuerunt*, ut ita ex diverso hoc genere haud certo ostendi possit, utrum Apin taurum, an vaccas Pharaonis repræsentaverint. Addit ibidem Hieronymus ex sententia Hebræorum, *vitulos aureos a sacerdotibus furto esse sublatos, & pro his æneos & deauratos repositos*.

V. Hæc ratio sacrorum erat, antequam in Assyriam abducerentur Israelitæ. Successit Cuthæorum & æqualium perversa religio, II. Reg. XVII. a variis idolis seu diis ita descripta, sicut ex Babylonia hac missis tribuebantur *Succot Benot* Cuthæis, *Nergal*, Hamathæis *Aschima*, Havæus *Nibchas* & *Tarthak*, Sepharuæis Adramelech & Anamelech. Kimchi ita interpretatur סכות בנות, quod primum nomen est, כן היה שם ע״ז שהיו עוברים בארצם וראינו כי שם ע״ז שלבבל היה שמה בל - - - זה היה בימי נבוכדנצר - - - בימי מלך אשור היתה ע״ז שלהם סכות בנות וברברי ח״ל סכנת בנות זה תרנגלת כלומר דמות תרנגלת היו עוברים והיה שמה סכת בנות *Hoc nomen est idoli, quod in patria coluerant* (Babyloniorum coloni) *Videmus quidem nomen idoli Babylonii fuisse Nebucadnezaris temporibus* Bel: *at sub Assyriæ rege* Succot Benot, *quod sapientes nostri gallinam interpretantur, quasi simulacrum gallinæ adoraverint, cujus nomen fuerit* Succot Benot. De Nergal idem tradit זה תרנגולת הבר *silvestris gallina est*: de Aschima, הוא התיש *hircus est*: de Nibchas הוא כלב *canis est*: de Tarthak פירושו בו צירת חמור *figuram asini significat*: de Adramelech הוא הפרנ *onager est*: de Adramelech זה הסוס *hic equus est*. Eadem fere Abarbenel in hunc locum habet אנשי בבל עשו את סוכות בנות ואמר רב יהודה בפרק ארבע מיתות שהיו עוברים תרנגולת ואנשי כות עשו את נרגל שהוא התרנגול ואנשי חמת עשו את אשימא שהוא שתיש והעוים את נבחז ואת תרתק שהיה כלב וחמור שזכרו ח״ל במקום הנזכר *Babylonii fecere Succot Benot. Dixit R. Juda capite* ארבע מיתות *quod coluerint gallinam. Cuthæi fecerunt Nergal, hoc est gallum: Hemathæi fecere Aschima sive hicum: Avæi autem Nibhas & Tarthnak, id est canem & asinum, ut memorant sapientes nostri dicto loco*. Sunt autem hæc ex codice Sanhedrin, cap. ארבע מיתות depromta, quæ singula suis auctoribus relinquuntur. De solo nomine *Succot Benot* notamus, non incommodam expositionem Seldeni de Diis Syris Syntagm. II. cap. VII. & Vossii Theol. Gentil. lib. II. cap. XXII. videri, qua *tabernacula filiarum* sive *mulierum* significari dicuntur, ut ad Veneris Assyriæ templum, quod juxta Babylonem erat, sive ad pravissimum morem mulierum Babyloniarum, quem Herodotus lib. I. cap. CXCIX. & Strabo lib. XVI. describunt; id est ad cultum Veneris Assyriæ, quam Mylittam dixerunt, nomina *Succot Benot* referantur. Hinc *Siccam Veneriam* quoque Carthaginensium in Africa coloniam, ex eodem ritu nomen suum habuisse ejusdem Vossii sententia est, quatenus *Sicca* verbo Succot; *Venus* sive Veneria voci Benot respondet, *B* cum *V*, *T* cum *S* pro consuetudine permutatis.

VI. Mixtus cultus, ut ex sacra historia notum est, crassissimam hanc idololatriam excepit, qui vero non ultra tempora, quibus Judæi ex Babylonia redierunt, videtur permansisse. Tunc enim expiravit idololatriæ præsertim cum Manasses pontifex, Sanballetis gener, religionem institueret non admodum Judaicæ dissimilem. Mons *Garizim* ad hanc electus est, benedictionibus olim sacratus: qui ut sanctior esset, finxerunt perpetuo ibi puriorem Dei cultum constitisse. Damasius in Vita Isidori Αργαρίζον vocat, atque in eo Jovis templum fuisse positum ab Abraham: & forte idem

idem montis nomen excidit apud Scylacem in descriptione Palæstinæ, ubi legitur ὄρος ἱερὸν Διός: quod censet etiam Lucas Holstenius Adnotat. ad Ortelium voce *Garizim*. Hæc autem hausta sunt ex Alexandro Polyhistore, cujus verba referuntur ab Eusebio Præpar. Evang. lib. IX. cap. XVII. ubi Eupolemi auctoritate id adseritur. Facile errore in nomine Διός largimur: non autem concedimus facile in monte illo antiquissimis temporibus celebratum aliquod templum, quamlibet οἱ πατέρες ἐν τούτῳ τῷ ὄρει προσεκύνησαν, Joann. IV. 20.

VII. Fuit tamen aliquando, cum Garizimitanum templum Διὶ Ἑλληνικῷ, *Jovi Græcanico* ab ipsis Samaritanis permitteretur, ut illa vel simulatione, vel defectione declinarent Antiochi acerbitatem, quam Judæi perpessi fuerant. Josephus ut conditum hujus Templi lib. XI. Antiq. cap. VIII. ita etiam Jovi factam vel concessam dedicationem scripsit lib. VII. cap. VII. ut supra pag. 21. recensuimus. Ex mutata religionis & divini cultus sede implacabile odium inter Judæos & Samaritanos exortum est, quod in dies eo magis crevit, quo plures ex Judæis ad Samaritanos, male sibi conscii, perfugiebant; hinc mutuæ obtrectationes & calumniæ, ut perditissimum quemque mortalium *Samaritam* appellarent Judæi, qui longius inde ab Esræ temporibus originem hujus odii arcessunt. Dira exsecratio est, qua Judæi in Pirke R. Eliefer cap. XXXVIII. Samaritanos ab Esra & æqualibus perculsos esse tradunt מה עשו עזרא וזרובבל ויהושע בן יהוצדק. קבצו את כל אל היכל ה׳ והביאו שלש מאות תינוקות ושלש מאות ספרי תורה בידם ושלוש מאות כוהנים וג׳ מאות שופרות והיו תוקעין. והלויים משוררים ומזמרים ומנדין את הכותיים בסוד שם המפורש ונכתב הנכתב על הלוחות. ובחרם בית דין העליון ובחרם בית דין התחתון. שלא יאכל אדם מישראל פת כותי עד עולם. מכאן אמרו כל האוכל בשר כותי כאילו אוכל בשר חזיר. ואל יגייר אדם כותי. ואל יהא חלק בתחיית המתים שנאמר לא לכם ולנו לבנות בית לאלהינו. לא בעולם הזה ולא בעולם הבא. ועוד שלא יהיה להם חלק ונחלה בירושלם שנאמר ולכם אין חלק וצדקה וזכרון בירושלם. *Quid fecerunt Esra & Zorobabel & Josua filius* Jehozadak? *congregarunt universam ecclesiam in templo Domini, & adduxerunt* CCC. *parvulos qui totidem libros Legis tenebant manibus; &* CCC. *sacerdotes cum totidem buccinis, qui clangebant: & Levitas qui cantarent & psallerent; & excommunicarunt Samaritanos per arcanum Nominis sacrosancti & per scripturam, consignatam in tabulis; & per anathema domus superioris & inferioris, ne quis Israelitarum comedat cum Cuthæo. Dixerunt enim, quicunque comedet cibum Samaritani, similis est ei, qui edit carnem suillam: nec quisquam faciat ex Samarita proselytum, neque habeant partem in resurrectione mortuorum, quia scriptum est* (Esr. IV. 3.) *Non licet vobis ædificare domum Dei nostri nobiscum, neque in hoc sæculo, nempe in futuro: neque sit vobis pars & hereditas in Hierosolymis, quod scriptum est* (Nehem. II. 20.) *Non habetis portionem, aut jus, aut memoriale Hierosolymis*. Consuli etiam potest Abarbenel in Prophetas Priores pag. 292. col. 4. Caussa atrocis exsecrationis erat, quod Samaritani impeditum ibant templi Hierosolymitani instaurationem.

VIII. Crevit odium, ut diximus, cum Garizimitanum templum Hierosolymitano opponeretur. Ecclesiasticus cap. L. comm. XXVII. προσώχθισεν, inquit, ἡ ψυχή μου, *anima mea tres populos odio habet*, Philistæos, Edomitas (legendum enim οἱ καθήμενοι ἐν ὄρει Σηείρ, non ὄρει Σαμαρείας) & *Sichemitas*, quos ne nomine quidem gentis dignos habet, καὶ τὸ τρίτον οὐκ ἔστιν ἔθνος, ὁ λαὸς μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Σικίμοις, *plebs Sichemitarum insipiens*. Mira hinc Judæorum in Samaritanos convicia, quarum tria adduxisse jam sufficiat. Sententiam Sadducæorum, quasi *resurrectionem* negarent, illis imputabant. In Talmud Sanhedrin cap. בדבר הזה כל ישראל num. 3. R. Eileser זייפתי ספרי כותיים אומרים אין תחיית המתים מן התורה *Hac in re falsatos probavi libros Samaritanorum, quod dicunt resurrectionem mortuorum Lege non adstrui*, R. Joseph Albo libro IV. Ikkarim cap. XXXI. post initium ויקראו את זה תחיים המתים לחלוק על הצדוקים והכותיים הכופרים בהשארות הנפש ואומרים שהנפש תמות במות הגוף *in dubium resurrectionem mortuorum vocant Sadducæi & Samaritani, qui negant immortalitatem animæ, ajuntque animam cum corpore exstingui*. R. Ganz in Zemach David parte I. ad ann. DCXLVI. עלה המלך יוחנן הנקרא הורקנוס והחריב את מקדש הצדוקים והכותיים שעשו בהר גריזים *Adscendit rex* Joannes, *cognomine Hyrcanus, & diruit templum Sadducæorum & Samaritanorum, quod exstruxerant in monte Garizim*. Idem ad annum CCCCXLVIII. צדוק וביתוס נעשו להם לראש *Zadok & Baithos* (unde Sadducæi sunt) *facti sunt principes illorum*, Samaritarum intellige, quasi expulsi Hierosolymis ad Samaritanos transfugerint. Addi in hanc rem potest Kabbala R. Abrahami apud Serarium in Trihæres. lib.

lib. II. cap. XX. In Judæorum sententiam Christiani quoque doctores iverunt. Origenes in Matthæum p. 486. (edit. Huetii) τὸ αὐτὸ τοῖς Σαδδουκαίοις δόγμα περὶ τῆς τῶν ἀνθρώπων ψυχῆς φρονοῦσι μέχρι τοῦ δεῦρο Σαμαρεῖς. Epiphanius quoque Hæresi IX. p. 25. de Samaritanis ἠγνόησαν, inquit, νεκρῶν ἀνάστασιν. & Hæresi XIV. de Sadducæis, ἠθέτησαν οὗτοι νεκρῶν τὴν ἀνάστασιν, ὅμοια Σαμαρείταις φρονοῦντες. Falsum autem hoc esse, Hottingerus tam in Disputatione de Resurrect. Mort. p. 12. quam de Theol. Samarit. p. 26. ex ipsorum libro, quem Josuæ vocant, comprobavit. Diserte enim ibi memoratur يوم النقمة والمكافاة *dies vindictæ & retributionis*: sive ut in epistolis ad polyhistorem Ludolfum profitentur,

ࠁࠀࠌࠍࠄ: ࠀࠌࠍࠕࠉ ࠁࠉࠅࠌ: ࠍࠒࠌ:

ࠅࠔࠋࠌ: *dicimus* (quisque) *Fides mea est* (etiam) *in die ultionis & retributionis*.

IX. Deinde idolum *Asimæ*, & aliud *columbæ* formam præ se ferens objecerunt. Aben Esra principio commentarii in librum Estheris הכותים כתבו תחת בראשית ברא אלהים ברא אשימא *Cuthæi scribunt pro In principio creavit Elohim, creavit Asima*. De altero Drusius Observ. XIII. cap. XXIV. refert glossam Talmudicam hujus argumenti: *Samaritanus circumcidit* לשם דמות יונה *in nomine imaginis columbam referentis*, quam inventam in vertice montis Garizim certo quodam ritu colant. Quamvis vero Scaliger ad Manilii lib. V. vers. 31. ex Chronico Samaritano tradat, columbam eos Josuæ duci administram attribuere, divinitus, non humanis magisteriis, edoctam; vereor tamen cum Seldeno Synt. II. de Diis Syr. cap. III. ne quod habent Judæi de Samaritanorum circumcisione, *Columbæ* nomine peragi solita, æquæ spurcum sit eorum in gentem illam convicium, ac illud de *Asima* pro nomine Elohim commentum. Codices enim Samaritani, quotquot conspecti Europæis fuere, habent perinde ac Judaici ࠁࠓࠀ ࠀࠋࠄࠉࠌ, & in metaphrasi ࠁࠓࠀ ࠀࠋࠄ *creavit Elohim*. Originem figmenti ingeniose divinavit sæpe laudatus Ludolfus ad Epist. Samar. adnotationibus pag. 22. Cum enim in ipsis epistolis p. 3. & 12. se nomen ࠉࠄࠅࠄ per ࠔࠌࠀ *Schima* dicant pronunciare, quemadmodum Judæi per ארני *Adonai*: fieri potuit, ut Samariticam pronunciationem cum אשימא idolo Hamathæorum malitiose confunderent. Nova criminatio est R. Eliæ Germani in Tisbi p. 43. נראה לי שמהם בא העם ההולך נע ונד בארצות וסחורים הנקראים בלעז צנגני ובלשון אשכנז ציגייסר *mihi*, inquit, *videtur ex illis* (Samaritanis) *esse populus vagabundus, quem Italice vocant Cingari, Germanice* Ziegeuner. Nihil ergo conviciorum est, quod Samaritanis non intentent Judæi.

X. Nec vero semper eadem fuit & & unius confessionis Samaritanorum religio. Epiphanius Hæres. X quatuor illorum genera constituit, εἰς τέσσαρας, inquit, αἱρέσεις Σαμαρεῖται ἐτμήθησαν, Essenos, Sebuæos, Gorthenos, & Dositheos. Priores sectas parum differre ait: plus discriminis observari in Dositheis. Sed vereor ne *Esseni*, Ἐσσηνοὶ, sint iidem, qui Judaicam sectam, non Samaritanam, constituunt, quam Drusius, Scaliger & alii commentationibus suis post Josephum descripserunt. Dosithei a pluribus memorati adpellationem a *Dositheo* sive דוסתאי trahunt, cujus nominis plures apud Christianos & Judæos scriptores inveniuntur. Epiphanius Hæres. XIII. antiquiorem intelligit, & ipsos Sadducæos vocat ἀπόσπασμα ἀπὸ Δοσιθέου προλελεγμένου; *propagatos a Dositheo prædicto* Samaritanæ hæreseos principe. Hi severiore disciplina usi, ἐμψύχων ἀπέχονται, καὶ τινὲς αὐτῶν ἐγκρατεύονται ἀπὸ τῶν γάμων μετὰ τὸ βιῶσαι, ἄλλοι δὲ καὶ παρθενεύουσιν, *ab animalibus abstinent, nonnulli iteratas nuptias fugiunt, quidam virginitatem servant*. His etiam tribuit Epiphanius, quod ἀνάστασιν ὁμολογοῦσι, *resurrectionem confiteantur*. Tertullianus adversus Hæres. cap. XLV. *Taceo Judaismi hæreticos, Dositheum inquam Samaritanum, qui primus ausus est prophetas, quasi non in spiritu sancto locutos, repudiare*. Quod dicit hunc *primum* ausum esse prophetas repudiare, videtur omnino antiquum Dositheum intelligere, quia rejectio propheticorum librorum non nova & recens in hac gente erat. Eadem fere Hieronymus adv. Luciferian. cap. VIII. *Dositheus, Samaritanorum princeps, prophetas repudiavit: Sadducæi ex illius radice nascentes etiam resurrectionem carnis negaverunt*.

XI. Eulogius autem patriarcha Alexandrinus apud Photium sub finem Cod. CCXXX. Dositheum, celebrem Samaritanorum doctorem vocat συνακμάσαντα κατὰ τοὺς χρόνους Σίμωνι τῷ μάγῳ, *coævum Simoni Mago*, qui æqualis fuit Apostolis. Cum enim dixisset, Samaritanos esse εἰς ἀντικειμένας μερίδας διαιρεθέντας καὶ στασιάσαντας πρὸς ἀλλήλους, quosdam ait Josuam, Nuni filium, pro propheta, quem Moses Deuteron. XVIII. promisit, agnosce-

ſcere: alios Δοσθὴν τινα ἢ Δοσίθεον ἀνεκήρυττον, *Doſthæ alicui ſive Doſitheo id elogii dare*, ἐξ αὐτοῦ τὴν ἐπωνυμίαν ἔφερον, Δοσθηνοὶ καλούμενοι, *a quo Doſteni ſive Doſitheani adpellentur*. Hic, inquit, ὑβριστὴς γέγονε τῶν τοῦ Θεοῦ προφητῶν, ὑβριστὴς δὲ μάλιστα τοῦ ἑνὸς τῶν ιβ πατριαρχῶν, *obſervator prophetarum fuit*, *Judæ maximæ, unius ex* XII. *patriarchis*, quæ genuina hæreſis Samaritanorum eſt, ut rejiciant libros, quibus Hieroſolyma commendantur, & Judam, tribus Iſraeliticæ principem, obtrectent, quo ad Ephraimiticam gentem, quæ tribus Judæ prærogativæ ſunt, unice poſſint tranſcribere.

XII. Diverſi ſic fuere inter Samaritanos Doſithei, antiquus alter, in cujus ſententiam Sadducæi dicuntur tranſiiſſe, pariter propheticos libros vel averſati, vel minoris, quam Moſaicos, facientes; inſuper ex ſuo ingenio mortuorum negantes reſurrectionem: alter recentior & coævus Apoſtolis, qui civibus ſuis ſe Chriſtum eſſe perſuadere conatus fuit, teſte Origene lib. II. adv. Celſum & in Joannem p. 219. ed. Rothom. Auctor libri Juchaſin recte illos diſtinxit pag. 55. דוסתאי בן רבי ינאי הוא תלמיד ר׳ מאיר *Doſthai, filius R. Jannai, diſcipulus fuit R. Meir*. Sed de antiquiore tradit כי סנחריב שלח לכותיים לשומרון לרבי דוסתי בר ינאי ללמדם תורה *a Senacheribo miſſum eſſe ad Cuthæos in Samariam, ut Legem illos perdoceret*. Et ut fortius diſtinguat, adponit, לא תחשוב כי הוא ר׳ דוסתאי זה תלמיד רבי מאיר כי יש אלף שנים ביניהם *ne putes, Doſthai* (quem Sennacherib miſi) *diſcipulum fuiſſe R. Meir*, *nam ſunt mille anni inter eos*. Obiter adnotamus, magnum Scaligerum in Trihæreſ. Serarii cap. XV. negare דוסתאי *Doſthai* eundem eſſe, qui Græcis Δοσίθεος dicatur: malumus autem cum Druſio de trib. ſect. cap. V. & Petavio in Epiphanium p. 26. facere, qui idem nomen eſſe cenſuerunt. Deinde illud quoque prætereundum non erat, aliam ſectam Samaritanorum, quam Σεβουαίους, *Sebuæos* Epiphanius vocat, ejuſdem antiquitatis eſſe, cujus Doſitheani erant, a כבויא (forſan סבויא) *Sebaia* vel Sebuia auctore denominati, quem Judæi in libro Jelammedenu pag. 16. una cum Doſthai in Samariam a Senacheribo remiſſum eſſe tradiderunt, quæ ſententia Druſio c. l. cap. VI. placet, nobiſque aptior adparet ad fidem faciendam, quam illa Scaligeri, qua Sebuæos ישבועאי ἑβδομαδίτας interpretatur, quod omnem δευτέραν τῶν ἑπτὰ τῆς πεντηκοστῆς ἑβδομάδων eadem religione qua ipſum πεντηκοστῆς diem colerent. Vide *Canon. Iſag. p.* 218. Unum addo de Doſitheanis, Origenem in Joannem p. 219. a juniore Doſitheo nominatos putaſſe: ἀπὸ Σαμαρέων, inquit, Δοσιθεός τις ἀναστὰς ἔφασκεν ἑαυτὸν εἶναι τὸν προφητευόμενον Χριστὸν, ἀφ' οὗ δεῦρο μέχρι εἰσὶν οἱ Δοσιθεανοί. Facile vero confundi poſſunt, quamvis ætate differentes, qui ſunt ejuſdem nominis.

XIII. Quemadmodum ergo Doſitheo majori Sebaiam Judæi adjungunt; ita cum minore Chriſtiani ſcriptores Simonem Magum ſæpe componunt, de quo Juſtinus Martyr Apolog. II. p. *69.* Σαμαρεῖς, inquit, τὸν πρῶτον θεὸν ἐκεῖνον ὁμολογοῦντες. Tertulliani verbis de Præſcript. adv. Hæret. cap. XLVI. interpretamur: *Simon auſus eſt ſe ſummam dicere virtutem*, *id eſt ſummum Deum*. Hieronymus adv. Lucifer. cap. VIII. addi poteſt, ut & Origenes in Matthæum. Verum Chriſtianorum potius hæreticus Simon, quam Samaritarum fuit, quia baptizatus erat & Chriſtianum ſimulabat, de quo etiam Tertullianus c. l. & Hieronymus in Ezech. XVI. 4. & Auguſtinus Tract. VI. in Joannem p. 19. poſſunt conſuli.

XIV. Sed ſatis de hæreſibus, quibus hoc ſolum adjicimus, quod Richardus Simon c. l. p. 185. obſervat, *il faut bien prendre garde, de ne pas confondre le gros de Samaritains avec une certaine ſecte, dont le chef ſe nommoſt Doſitheus ou Douſis, comme les Arabes l' appellent*, quibus ſectam Doſitheorum a reliquo & majore corpore Samaritanorum diſcernit. Quæ fides eorum fuerit, cum Servator in terris ageret, ex Johannis IV. capite non ignotum eſt. Meſſiam enim muliercula illa exſpectabat, procul dubio ex Joſephi poſteris oriundum, cui Chriſtus propterea, ut errantem reducat, ſuaviſſime reſpondet, ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστὶν, ex *Judæis*, non Samaritanis, Meſſiam venire. Maxima controverſia de adorationis loco erat, de quo mulier quoque contendebat, ὄρος τοῦτο, montem Garizim, quem monſtrabat, eſſe; Judæi autem Hieroſolyma; quod ita acerbis odiis diſputatum fuit, ut Samaritani Herodis filiorum temporibus clam in templum Judæorum irrepentes διαῤῥίψιν ἀνθρωπείων ὀστῶν ἐν ταῖς στοαῖς ποιοῦντι καὶ διαπαντὸς ἱεροῦ ἤρξαντο; *humana oſſa*, profanationis indubitatum ſignum, *diſperſerint per porticus*, *& per totum etiam templum id cœperint facere*, ut auctor Joſephus eſt XVIII. Antiquit. cap. III.

XV. Omnia ergo monti ſuo Garizim tribuebant, quem tam in Pentateucho, quam

quam in epistolis ad Europæos adhuc missis conjunctim, quasi una voce, ࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ *Hargarizim* appellant, quod jam olim ita receptum usu fuisse ex Eupolemo apud Eusebium IX. Præpar. Evang. cap. XVII. constat, qui æque conjunxit in unum vocabulum Ἀργαριζὶν. Quamvis autem augustum templum Sanballetis pridem eversum fuerat, non tamen dubitamus, quin sacellum aliquod in hoc monte habuerint, quemadmodum non desunt, qui ante Sanballetem fanum quoddam illi monti imponant, Josephi verbis extremo libro XI. p. 386. inducti, quanquam & inchoatum sub Dario templum, ut Syncellus pag. 256. tradit, intelligi ibidem possit: & Richardus Simon c. l. de hodiernis Samaritis scripsit, *Leur temple, ou plutost leur chapelle est sur la montagne de Garizim, où ils font leur sacrifices.* Medio ævo deturbatos Samaritanos fuisse, montemque Christianis cessisse in habitationem, pag. 23. prædiximus. Ecclesia tum ibi exstructa & emunita fuit, ut instar castelli præsidio regioni esset. Procopius lib. V. de Ædific. cap. VII. de Zenone: ἔκ τε ὄρους τοῦ Γαριζὶν τοὺς Σαμαρείτας ἐξελάσας, εὐθὺς Χριστιανοῖς τε αὐτὸ παραδίδωσιν, ἐκκλησίαν τε ἄνω δειμάμενος τῇ Θεοτόκῳ ἀνέθηκε, *dejectis Samaritanis montem Garizim Christianis addixit, & in vertice ejus ecclesiam posuit Deiparæ.* Et eodem cap. de Justiniano: τὸ μὲν παλαιὸν τῆς ἐν τῷ Γαριζὶν ἐκκλησίας τείχισμα ἑτέρῳ ἔκτοσθεν τείχει περιβαλὼν ἄμαχον διεπράξατο παντάπασιν εἶναι *veterem murum altero cinxit exteriori, fecitque opus omnino inexpugnabile.*

XVI. Quæ hodie sit ratio religionis Samaritanorum, ex epistolis in Europam adhuc missis non potest obscurum esse. Legem Mosaicam, præsertim externo ritu, tenacissime observant, & ipsos Judæos hac in re superasse videri volunt, tanquam ࠔࠌࠓࠉ ࠄࠕࠅࠓࠄ ࠄࠒࠃࠔࠄ ࠕࠅࠓࠕ ࠌࠔࠄ *observatores legis sanctæ, legis nempe Mosaicæ.* Circumcisionem, lotiones, festos dies, sabbatum & jejunia religiose tenent, pascha cumprimis ita celebrant, ut Judæos videantur ceremoniis & cura antecellere. Illud autem non mactant, ut Scaligero scripserunt p. 120. *nisi in Sichem, e regione montis Garizim*, cum ceteras purificationes in *omni* se *civitate*, ubi habitant, *observando custodire* dicant pag. 121. Preces ubique fundunt ࠊࠋࠉ ࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ *facie ad montem Garizim obversa*; solenniores in ipso monte, ubi & festum Tabernaculorum agunt, quemadmodum in literis ad Scaligerum datis copiose narraverunt. Maxime gloriantur pontificum successione ex stirpe Araonis per Pinchasum, quibus summam sacrorum curam committunt: sacrificant quoque veteri ritu, & quidem, ut Petrus de Valle Tom. I. Epist. XIII. refert, *omnibus locis*, ubi habitant & occasione non destituuntur: ut vero Richardus Simon p. 174. probabilius censet, *ils ne sacrifient point ailleurs, que sur la montagne Garizim, où ils lisent la loy, & font des prieres a Dieu*, hoc est in solo monte Garizim. De summo Pontifice idem p. 188. tradit: *Leur grand sacrificateur, qui reside a Napolouse, ètend sa jurisdiction sur tous les autres Samaritains, ausquels il indique tous les ans par des lettres circulaires la feste de la Pasque, & des autres festes solennelles.*

XVII. De Messia interrogati a Scaligero, p. 125. respondent: *Petiisti de Messia: quod est ejus nomen apud nos, nisi* ࠇࠔࠄࠁ (ut Angli legunt) *Hasceab? & quis hoc intelligit nisi Dominus?* Oedipo opus est ad nominis hujus interpretationem. Cogitavi aliquando, an forte ex Imperativis compositum sit ࠇࠔ *festina*, ࠄࠁ *da*, quemadmodum Judæi in Seder Tephillot pag. 7. & 27. cum pro liberatione sua & adventu Messiæ supplicant, adjicere solent במהירה בימינו, *velociter, in diebus nostris*. Sed lubrica hæc conjectura est, & vel ideo incerta, quod neque de prima litera certissimus sum, ࠇ illa sit an ࠄ, quia minus illa clare Londinensi editione expressa est. Certiora exspectamus ab ipsis Samaritanis, quos etiam de hoc nomine celeberrimus Ludolfus consuluit.

XVIII. Claudimus hoc de Sacris caput verbis ejusdem Simonis, hominis harum rerum curiosissimi, ex pag. 177. *Pour moy je croy, qu' on ne peut mieux apprendre aujourd' huy la puretè de la loy des Juifs, que de ces Samaritains de Sichem, qui sacrifient encore selon l' encienne institution sur le mont Garizim, comme le P. Morin, & M. Peyresc l' ont remarquè. Ce seroit une cose curieuse de voir le lieu où ils sacrifient, & d' en observer la forme, la structure, ses ordres & ses proportions, & sur tout les dimensions & les mesures, tant de l' autel, que de vases, dont ils se servent pour ses sacrifices. Ce seroit aussi une chose bien digne de remarque, de voir leur grand sacrificateur revestu de touts les habits sacerdotaux, sur tout le jour de Paque, lorsqu' il est assistè de tout se ministres. Je m' etonne, que cette envie ne soit point venue en l' esprit de quelques uns de nos voyageurs.* Ita omnino est,

est, & multa ex Judaica antiquitate ab his ipsis Samaritanis disci & observari possunt. Addit, ex illorum forte opinione, R. Beniamin Tudelensis p. 39. fuisse seculo XII. penes ipsos המזבח מבני בהר גריזים מהאבנים שהקימו בני ישראל כשעברו הירדן *altare, quod in monte Garizim exstruxerunt Israelitæ ex illis ladibus, quos Jordanem transgressi erexerant*. Hoc narrasse, non probasse, sufficiat.

CAPUT IV.

De literatura Samaritanorum.

I. AB litteris Samaritanorum initium faciendum est, ubi multa controversia est, sintne primævæ Hebræorum, an Canaanorum propriæ. Id vero ante omnia prænotandum est, non semper eadem figura proponi, sed alia in antiquis nummis, alia in manuscriptis epistolis, alia in Anglis, Gallicis Germanicisque officinis reperitur, uti ex sequenti schemate cognosci oculis potest, quantum manuscriptæ Sichemitarum litteræ, & in nummis expressæ, a typis nostratium officinarum discedant. Sed quocunque modo ducuntur illæ literæ, satis tamen manifestum est, ab Hebræis Judaicis, quas Assyrias quidam appellant, nimium quantum illas discrepare.

Inscriptio Epistolæ

[illegible]

Alia Inscriptio

[illegible]

In his omnes literæ sunt præter vltimam N vel N






II. Hoc

II. Hoc ſchema ex Epiſtolis Samaritanis ad τὸν πάνυ Ludolfum, deſumtum eſt, cui duos nummos adjecimus, ut diverſorum temporum figuræ litterariæ cognoſci & diſcerni poſſint. Scaliger Animadverſ. in Euſeb. p. 102. Samaritanas literas eaſdem contendit fuiſſe & Phœnicias, quas Cadmus ex Oriente in Græciam attulerit: a quo Morinus diſſentit Opuſc. Samarit. p. 77. quod non tanta ſimilitudo ſit inter Jonicas, quas Scaliger ex veteri Viæ Appiæ columna proponit, & Samaritanas. Eſt vero, quo ſe Scaliger tueri poſſit, varietas ductus literarii pro temporum diverſitate, ſiquidem & illa forma, quam Scaliger c. l. exhibet, ſine dubio ex MSS. depromtam, a ceteris, quas nunc tradidimus, non mediocriter, præſertim in literis quibuſdam, differt.

III. Non ergo dubitamus, quin Samaritica ſcriptura ſit antiquiſſima, & in Phœniciæ & Palæſtinæ oris uſu recepta: an vero eadem veterum Hebræorum, hoc eſt quod in utramque partem diſputatur. Ajunt doctiſſimi viri, Scaliger, Caſaubonus, Druſius, Cappellus, Morinus, Fraſſenius, & horum ſectatores: negant plerique alii, maxime Buxtorfius, Hottinger, Lightfoot & horum æquales. Illorum argumenta ſunt ex Hieronymi præfatione in libros Regum, & Euſebii Chr. ad annum MMMMDCCXL. ex Talmud Hieroſolymitano Megill. c. I. ex nummis & Judæorum ſuffragiis deſumta: contra quos pariter ex Talmud, Rabbinorum ſententiis & aliis argumentis a Buxtorfio pugnatur.

IV. Hieronymi c. l. verba ſunt: *Certum eſt, Eſram alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur, cum ad illud tempus iidem Samaritanorum & Ebræorum characteres fuerint*, Euſebium quidam ſuperaddunt in Chron. num. MDL. de Eſra tradentem, *adfirmatur divinas ſcripturas memoriter condidiſſe, & ut Samaritanis non miſceret, literas Judaicas commutaſſe*. Ita editum Venet. MCCCCLXXXIII. Scaliger autem hæc verba prætermiſit. In Talmud Sanhedrin. cap. II. R. Joſe de Eſra ait, אף על פי שלא נתנה (התורה) על ידו נשתנה על ידו הכתב *etſi per ipſum non data eſt lex, tamen per eum mutata ſcriptura*: ibidem Mar Ukba dixit בתחלה נתנה תורה לישרא בכתב עברי ולשנן הקרש. חזרה ונתנה להם בימי עזרא בכתב אשורי ולשון ארמי. ביררו להן לישרא כתב אשורית ולשון הקודש והניחו להדיוטות כתב עברית ולשון ארמית. מאן הדיוטות אמר רב חסדא כותאי: *In principio data eſt lex Iſraeli ſcriptura Hebræa*, (id eſt Samaritana) *& lingua ſancta: iterum data eſt ipſis in diebus Eſræ ſcriptura Aſſyrica & lingua Aramæa. Elegerunt pro Iſraelitis ſcripturam Aſſyriacam & linguam ſanctam: & reliquerunt idiotis ſcripturam Hebræam & linguam Aramæam. Quinam ſunt idiotæ? Raſ Chaſda dixit, Cuthæi.*

V. Idem ex Talmude diſputat R. Joſeph Albo lib. III. Ikkarim cap. XVI. pag. 79. cujus verba digna ſunt, ut adponantur, אמרו רבותינו ז״ל בתוספתא דמסכת סנהדרין למה נקרא שמה אשורית שעלה עמהם מאשור רבי אומר בכתב זה נתנה תורה לישרא וכ׳לי ולמה נקרא שמה אשורית שמאשור בכתב *Dixerunt Rabbini noſtri felicis memoriæ in additamentis ad codicem Sanhedrin: Quare vocatur nomen* (noſtræ ſcripturæ) *Aſchurit?* quia ex Aſſyria allata eſt. *Rabbi dixit: in hac ſcriptura lex data eſt &c. & cur dicitur nomen ejus Aſchurith? quia felix & blata redditur in ſcriptura.* Additur ibidem הכתב שבידינו היום שהספרים נכתבים בו אינו כתב עברי בלי ספק *ſcriptura hodierna, qua libri noſtri ſcripti ſunt, ſine dubio non eſt ſcriptura Hebræa*, & interjectis, quæ ſupra partim ex Sanhedrin allegavimus, plenius rem ita enarrat, כיון שעלו בני הגולה בימי עזרא ביררו להם כתב אשורי ולשון הקרש והניחו להדיוטות כתב עברי כלומר לכותיים שהיו דרין אז בארץ ישרא קודם שעלו הם הניחו להם כתב עברי ולשון ארמי: *cum reverterunt captivi in diebus Eſræ, elegerunt ſibi ſcripturam Aſſyriacam & linguam ſanctam, & reliquerunt idiotis, hoc eſt Samaritanis, qui antequam illi ex Babylonia redirent, in terra Iſraelis habitabant, ſcripturam Hebræam & linguam Aramæam*. Aramæam, inquam, ſic enim corrigo ex citato Talmudis loco, quod editum in libro Joſephi Albo eſt לשון הקרש *linguam ſanctam*.

VI. Ex nummis quoque Samaritanas literas referentibus argumentum ſumunt, qui quod Hieroſolymorum nomen habent, non poſſunt non cuſi eſſe ante captivitatem Babylonicam, quippe poſt illam id nomen abominati ſunt Samaritæ. Exempla Waltonus produxit in prolegomenis ad Polyglotta Biblia, & Hottingerus de Cippis Hebraicis, quibus inſignem alium ex cimelio Ludolfiano adjicimus, majorem nempe ex duobus, quorum formam heic expreſſam tradimus. Antiquum hujuſmodi nummum etiam R. Moſe Bar Nachman in fine Commentarii in Legem commemorat, quem etiam Joſeph Albo c. l. ut idem probaret, recenſuit. Verba Ramban hæc ſunt: באתי לעכו ומצאתי שם ביד זקני הארץ מטבע כסף יופתוח פתוחי חותם

מצרו האחד כעין מקל שקד ומצדו השני כעין צלוחית . ובשוי הצדדים סביב כתב מפתוח באר הוטב והראו הכתב לכותיים וקראוהו מיד כי הוא כתב עברי אשר נשאר לכותיים כמו שנזכר במסכת סנהדרין וקראו מן כצד האחד שקל השקלים ומן הצד השני ירושלים הקרושה: ואומרים כי הצורות מקלו של אהרן שקריה ופרחית והצורה השנית השנית צנצנת המן : *Acconem veni & inveni ibi apud seniores regionis nummum argenteum, in cujus una facie virga amygdalæ, in altera vasculum expressum erat: utrinque circumscriptum erat claris literis. Ostendimus scripturam Samaritanis, qui e vestigio legebant, quod scriptura Hebræa erat, quæ relicta fuit Samaritanis. Legerunt autem in una facie* ࠔࠒࠋ ࠄࠔࠒࠋࠉࠌ SICLUS SICLORUM, *ex altera* ࠉࠓࠅࠔࠋࠌ ࠄࠒࠃࠅࠔࠄ JERUSALEM SANCTA, *dicebantque, formam baculum Aharonis, amygdalantem & florentem; & formam alteram vasculum Mannæ repræsentare.*

VII. Qui contrarium sentiunt, & scipturam, quam מרובה *quadratam*, vulgo אשורית Judæi vocant, antiquam Patriarcharum & Mosis fuisse persuasum habent, urgere inprimis solent locum ex Sanhedrin cap. II. ubi אשורית non exponitur *Assyriaca*, sed מאשורה *beata*. Urgent deinde mysteria ex Masora & Talmude Judaica de ם clauso in medio aut principio vocis, quæ cadunt, si primævam Samaritanorum formam dixerimus. Constat enim nullas Samaritis finales figuras esse. Urgent etiam ἰῶτα, *minimam Legis literam*, Matth. V. 18. cum ࠌ, Samaritanum elementum, fere sit maximum; & tandem nummos quoque ostentant quadratis inscriptos literis. De Hieronymo respondent, forsan a præceptore Judæo, alteri sententiæ addicto, ita persuasum fuisse, ipsum accurate caussam Samaritanam non examinasse, quod probari volunt, quia in Ezech. IX. 4. Samaritanæ litteræ ࠕ sive ⋈ *Tau* tribuit crucis figuram. Sed falluntur, qui ita de Hieronymo judicant. Variam enim olim & quondam persimilem cruci fuisse literæ *Tau* figuram, ex nummis clarissime ostenditur, in quibus hæ tres formæ



conspiciuntur, quarum duæ satis confirmant sententiam Hieronymi. In Talmude ajunt nihil legitime decerni, sed tantum diversa sentientium opiniones recenseri. Nummis ita urgentur, ut duplicem characterem Israelitarum constituant, sacram, quæ semper quadrata fuerit; & profanam, communem cum Samaritanis, in qua caussa tuenda laboriosus est Buxtorfius in Dissertat. de Literarum Hebraicarum antiquitate.

VIII. Sic in utramque partem proposuimus, quæ de Samaritanis literis eruditi, Christiani præsertim, censeant. Ad Judæorum convicia revertimur. R. Beniamin Tudelensis p. 39. de Samaritanis ait אין להם שלש אותיות ה' וח'. וע'. ה' מן אברהם אבינו ואין להם הור. ח' מן יצחק אבינו ואין להם חסר. ע' מן ועקב אבינו ואין להם ענוה *Tribus his carent litteris* ה, ח & ע: ה *in nomine Abrahami patris nostri, unde & desideratur nomen* הור gloria; ח *in nomine Isaaci patris nostri, unde etiam desideratur* חסר benignitas; ע *in nomine Jaacobi patris nostri, unde nec* ענוה mansuetudinem *habent*. Turpis & Judæo digna criminatio, quam vel ipse conspectus Samaritanorum codicum confutat, in quibus litteræ ࠄ, ࠇ & ࠏ non minus, quam ceteræ, se oculis objiciunt. Drusius de Tribus Sectis lib. III. cap. X. putat ex impura Samaritarum pronunciatione cavillum Judæorum ortum esse. *Habent quidem*, inquit, *tres illas literas, sed pronunciant per* א; *unde non habere dicuntur*. Verum est, crassior illorum, pronunciatio, quam Judæorum, narratur, ut Golii & Hottingeri suffragio in Horis nostris Samaritanis pag. 62. probavimus. Quamvis non certo constet de genuina illius ratione, maxime quod signis, quibus vocales declaramus, destituuntur. Cum Richardo ergo Simone c. l. p. 185. optamus, ut Hebraice peritus peregrinator satisfaciat capiditati nostræ, an Samaritani eodem modo legant Pentateuchum, sicut Judæi, aut quantum differant a punctis & lectione per Masoretas firmata. Petrus della Valle cum Orientem peragraret, securior erat: curiosior sero, cum post reditum Morini epistolis excitatus fuisset.

IX. Satis de literis Samaritarum: de lingua & libris nunc dispiciendum est. Cum pauci sint eorum libri, fit ut linguam etiam parcius intelligamus, quæ vix aliunde melius cognosci potest, quam ex versione Pentateuchi Samaritana. Hujus dictio ex Hebraica, Aramæa & Arabica ita mixta atque composita est, ut etiam multas voces habeat Cuthæorum proprias, proculdubio ex barbara regione, primigenia Cuthæorum sede, in Palæstinam invectas. Fidem faciunt Horæ nostræ Samaritanæ tam in Notis Exceptorum, quam in Glossario & Gram-

Grammatica, præsertim cap. XI. p. 109. Scribunt etiam Hebraice, ut in Epistolis nuper vulgatis, sed ita Hebraice, ut idiotismos suos non penitus obliviscantur, cujusmodi sunt [illegible] *alius*, *postea* pag. 7. pro חורן Chaldaico: [illegible] *propheta* sine א, Arabico more: quo etiam amplissimus Ludolfus [illegible] pag. 6. refert, per ما *non* interpretatus in literis ad nos datis, quod pronius videtur, quam ut interrogativum *quid* orationi neganti æquivaleat. Ad idiotismum linguæ cum primis etiam permutatio literarum, maxime gutturalium pertinet, ut in Grammatica nostra cap. XI. pluribus exemplis demonstratum est. Vulgariter utuntur hodie, ut ceteri Palæstinenses, dialecto Arabica, qua etiam conscriptos libros habent, ut postea trademus.

X. Liber apud ipsos sacrosanctus est [illegible] *codex Legis* sive Pentateuchus Hebraicus, Samaritanis litteris conscriptus, qui vero in nonnullis locis discedit a codice Judaico tam in ordine pericoparum (vide Horas nostras p. 37.) quam in vocibus aut literis. e. g. Gen. IV. 8. additur [illegible] *eamus in agrum*: cap. XLIX. 10. pro רגליו *pedes ejus*, [illegible] *vexilla ejus*, cujus generis multa collegit Hottingerus in Thesauro Philologio. Hieronymus in Galat. III. 10. scribit in Samaritano codice Deuteron. XXVII. 29. inveniri [illegible] *omnis*. ut cum LXX. interpretibus conveniat: verum abest illud [illegible] ab hodiernis libris tam Samaritice versis, quam Hebræosamaritanis. Notabilior cum primis discrepantia est Deuteron. XXVII. 4. ubi legunt [illegible] *mons Garizim*, pro eo quod in nostris codicibus est הר עיבל *mons Ebal*, quod Waltono videtur Proleg. p. 79. Sanballetis temporibus factum esse, ut templo in hoc monte auctoritas confirmaretur. Unde est, quod in epistolis suis ad Europæos hoc divino, ut credunt, oraculo quam maxime glorientur. Buxtorfius in Anticritica p. 539. Hebræi Pentateuchi codicibus Samaritanis novitatem objicit: quod vel antiquissimus ab Europæis tractatus vix ante CCCC. annos scriptus sit: ipsi vero Sichemitæ in epistolis suis oppido antiquum laudant [illegible] *inde a diebus gratiæ, quem scripserit Abisa filius Pinchasi*, pronepos Aharonis, & quidem [illegible] *anno XIII. ab ingressu Israelitarum in terram Canaan*. Quamlibet vero suspecta hæc antiquitas est, dubitari tamen non licet vetustissimum librum esse, & dignum qui a peregrinantibus inspiciatur & conferatur cum alis. A quibus in Europam codex Hebræosamaritanus primum illatus fuerit, enarrat Hottingerus Smeg. de Biblioth. Samaritana ita, ut prima gloria Peiresciumy manere videatur.

XI. Pentateuchi non unam versionem habent. Nota est illa pure *Samaritana*, in Bibliis Polyglottis exhibita, & in Horis nostris Samaritanis excerta, de cujus stilo num. XI. prædiximus. In Europam advexit hanc versionem Petrus a Valle, Romanus, a quo Morinus acceptam Polyglottis Parisiensibus primum inseri curavit, quem Angli sua editione secuti sunt. Vide Petri hujus & Morini epistolas mutuas XIV. & XV. & Hottingeri Smegma. Habent præterea etiam versionem Pentateuchi *Arabicam*, sed Samaritanis literis perscriptam, quam Hottingerus in Smegm. de Biblioth. Samar. delineavit. Plures ex sacris & divinis libros non admittunt. in epistola nuperima pag. 2. ajunt: [illegible] *non legimus alium librum nisi Legem, a principio Genescos ad finem Deuteronomii*. Ceteros repudiant, quemadmodum ibidem addunt, [illegible] *non legimus libros prophetarum Judaicorum*.

XII. Caussa cur prophetarum libros rejiciant, non potest obscura esse, quia scripti illi post schisma sunt: cur autem æque repudient libros Josuæ, Judicum, Samuelis, est quod plurimos in admirationem traxit. Petr. Dan. Huetius Tom. I. Demonstr. Evang. cap. de libro Josue p. 273. respondet. *Qui Dei legem Israelitis traditam tam aperte fuerant aspernati, haudquaquam mirabile est, libros quoque eorum aliquos, vel probatos vulgo & pro sacris habitos neglexisse, solo Pentateucho contentos, propter insignem scriptoris dignitatem ac famam, & rerum ab eo traditarum ac gestarum præstantiam, summamque gentium plurimarum, non Israelitarum modo, in eo probando consensionem.* Acutius de re hac, quem supra laudavimus, P. Allixius ratiocinatur c. I. pag. 14. *Il y a meme des raisons d'Etat, qui ont fait, que les Rois des dix Tribus n'ont pas eu ègard au partage de la* Ter-

Terre de Canaan, tel qu'on le voit en Josuè, & à l'autoritè du sacerdoce. Divisione ergo Terræ, per Josuam facta, non contenti Ephraimitæ, videntur illos libros neglexisse, quibus illa divisio adprobata fuerat.

XIII. Habent quidem Samaritani & magni faciunt librum quendam historicum, ad Hadriani usque tempora deductum. quem in epistolis p. 2. appellant ࠎࠐࠓ· ࠉࠄࠅࠔࠏ· ࠁࠍ· ࠍࠅࠍ: *librum Josuæ, filii Nun*, & Judæi in libro Jucasin (*p.* 154.*a*) ספר זכרוני הכותיים *librum chronicum Cuthæorum*: verum longe diversus est a nostro libro Josuæ, & ita tantummodo cognominatus, quod principio res Josuæ copiosius exponit. Plenior ejus titulus apud Hottingerum Smegm. p. 102. ejusmodi est كتاب سير اخبار بني اسرايبل من وقت لن قلد سيدنا موسي ابن عبران النبي عليه السلام يوشع ابن نون خلافه علي قومه *Liber continens historias filiorum Israel, a tempore, quo tradidit dominus noster Moses, filius Amram, propheta f. m. Josuæ filio Nun, imperium in populum suum*. In calce libri adscriptum est السفر المعروف بالسفر يوشع *Liber notus nomine libri Josuæ*. Jos. Scaliger eum nactus bibliothecæ Leydensi legavit: Hottingerus epitomen ejus dedit sub calcem Antimorini: & in Enneade Theologiam Samaritanam inde ostendit. Stilus ejus, quantum ex excerptis Hottingeri constat, totus Arabicus est. Habent & suas *Litanias* Samaritani, e quibus, præsertim ex Damascena, multa Edm. Castellus in Lexico polyglotto produxit ad comprobandum Samariticam dialectum, id est ex Hebraismo & Chaldaismo permixtam. Est ipsis quoque liber historicus, Hebræo Rabbinico stilo compositus, auctore Seduna, Gazensi patriarcha, de quo Hottingerus in Smegmate potest consuli, qui tantummodo *Relationem* vocat.

XIV. Chronologia & computus Samaritarum a vulgari non semel recedit. Samaritanus enim Pentateuchi codex in numero annorum patriarcharum concordat ut plurimum cum LXX. interpretibus, alicubi tamen differt & singularis est. Vide Cl. Spanhemii Introd. in Hist. Sacr. p. 6. & Scaligeri Emend. Temp. lib. VII. qui etiam specimen computi Samaritice scripti ibidem exhibet & notis illustrat. Diserte etiam de eo scripsit Godofredus Vendelinus Epistola ad Morinum, quæ XLI. est in Epistolis de Samaritanorum rebus in Anglia conjunctim excusis. Plura de eodem collegit vir clarissimus & amicus noster Guil. Ernestus Tenzelius, quæ ut speramus, propediem in lucem proditura sunt.



EPI-

EPISTOLÆ DUÆ SICHEMITARUM AD JOBUM LUDOLFUM

EPISTOLA PRIMA.

In nomine Domini Dei Iſraelis.

DOminus Deus noſter, & Deus Patrum noſtrorum, Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, laudemus eum ſemper in omnibus diebus: qui miſit Moſen Prophetam noſtrum cum lege, & præceptis, & manifeſtavit Sanctum Montem Garizim, Domum Dei. Iſte eſt locus electus (ſuper eum ſit pax) de quo dixit Dominus: *Cum tranſiveritis Jordanem, erigetis lapides iſtos, quos ego præcipio vobis hodie, in monte Garizim*, &c.

Poſt hæc ſalutamus vos, & oramus Dominum, ut cuſtodiat vos per potentiam ſuam magnam. Amen.

Poſteaquam pervenit ad nos Epiſtola in lingua Hebræa per manus Jacobi filii Iſrael Tomeritæ Judæi (in qua) memoraviſtis, quod eſſemus Filii Schomron (Samariæ) Neſcimus nomen Schomron quid ſit. Scitote (autem) o Fratres noſtri! quod nos ſimus Filii Iſrael Samaræi, populus Sanctus, puri, atque ſancti obſervatores Legis Sanctæ, Legis (inquam) Moiſis Filii Amram. Non autem legimus (alium librum) niſi legem a (verbo initiali בראשית *in principio*) uſque ad (verba finalia) לעיני כל ישראל *coram oculis univerſi Iſrael*. Eſt nobis quoque liber Joſuæ Filii Nun. Non autem legimus Libros Prophetarum Judaicorum.

Cæterum nos omnes ſumus e (gente) Filiorum Joſephi Juſti, e tribubus Ephraim, & Manaſſe; & e Filiis Levi, & e Filiis Pinchaſi, Flii Eleazaris, Filii Aharonis Sacerdotis.

Et nos effamur (nomen tetragrammaton) IHVH שמא Schimæ باللفظ in pronunciatione (ſeu prolatione) Judæi vero dicunt ארוני *Adonai*. Nos etiam dicimus בראשית *Baraſchith* بالفتح per Faiha: (vocalem Arabicam A) illi vero dicunt בראשית *Bereſchith* بالخطف per *Chateph* (i. e. Scheva) Nos lavamur aqua ab omni pollutione: & circumcidimus præputium infantis maſculi die octavo: & quid quid in Lege (continetur) obſervamus. Neque accendimus ignem in Sabbato, & diebus feſtis; neque concumbimus cum uxoribus in Sabbatis, & diebus feſtis. Sunt autem nobis ſeptem feſta ſolemnia. Præcipuum Feſtum eſt Paſcha. Septiduum Feſti azymorum. Numeramus autem quinquaginta dies a poſtero die Sabbati (ſequentis) ad diem Feſti Schbuah (i. e. Hebdomadum.) Septimus menſis. Dies expiationis. Feſtum Tabernaculorum, & dies octavus עצרה dictus.

Oramus autem ad Dominum facie ad Montem Garizim Domum Dei, (obverſa) veſperi, & mane: & incurvamus nos terram verſus: & proſternimus nos humi in ipſa ſuperficie terræ.

Poſſidemus etiam Codicem Legis a temporibus gratiæ, quem ſcripſit Abiſa Filius Pinchaſi (legitur enim) ſcriptum in eo: Ego Abiſa Filius Pinchaſi, Fil. Eleazaris, Fil. Aharonis Sacerdotis, Scripſi hoc in atrio Tabernaculi convocationis in monte Garizim anno decimo tertio a reverſione Filiorum Iſrael in teream Canaan, (&) in fines. Ejus circumcirca. Laudo Dominum.

Sunt etiam apud nos ſepulcra Prophetarum Sanctorum, Sepulcrum Patris noſtri Joſephi Filii Porath, & Eleazaris, & Ithamari, & Pinchaſi, & Filiorum eorum, Sacerdotum magnorum: Et Joſuæ, & Calebi, & ſeptuaginta Seniorum, Eldadi, & Modadi. Omnium iſtorum ſepulcra in manu (poteſtate) noſtra ſunt, & inſervimus illis. Super quibus ſit pax.

Nunc autem quæſumus a te, o Domine, ut nuncies nobis, quænam revera

ra tua sit religio? quisnam Propheta tuus? quæve Lex tua? Num tu (sis unus) ex nobis Samarita? & num sint apud vos Samaritæ Hebræi sicuti nos? Scimus equidem quod in Anglici sint ex nostratibus aliqui. Allatæ enim nobis fuerunt ab illis literæ, est etiam illis Rabbi (aliquis, sed) a quinque annis non miserunt (nobis) litteras, adeo ut non certo cognoverimus veritatem religionis eorum, & fidei illorum. Cum enim peteremus ab illis Eleemosynam præciderunt commercium literarum. Nos quoque petimus Eleemosynam vestram, si volueritis exercere misericordiam, & veritatem nobiscum. Respondeatis nobis verbum veritatis, neque cæletis quidquam. Quia meminimus omnium, quæ petivistis a nobis, neque obliviscamini bonitatem, & benignitatem eleemosynæ spontaneæ, pro loco hoc electo (scilicet) Monte Garizim, & Prophetis, & Sacerdotibus, & pro omnibus pupillis, & viduis. Præterea commonefacimus vos, quod inter nos nemo tollit Librum Legis, nisi Sacerdotes, Filii Aharonis, & Filii Levi, sicut dixit Dominus: Et scripsit Moses Legem hanc, & dedit illam Sacerdotibus Filiis Levi portantibus arcam Fœderis Domini. Adhæc dixit, & præcepit Moses Levitis portatoribus arcæ Fœderis Domini, dicens: *Sumite Librum Legis hunc, & ponite illum ad latus arcæ Fœderis Domini Dei vestri.*

Porro petimus a benignitate vestra, & ecce fuit oblatio vestra, (ut) mittatis nobis eleemosynam, & exhibeatis nobis beneficentiam, & benevolentiam, & mittatis illam per virum Francum, aut mittatis Hierosolymam, quæ est domus desolationis Francorum; iique mittent ad nos. Non autem mittatis quidquam per aliquem ex Judæis quia oderunt nos, & decipiunt nos, ideo quod illi dereliquerunt multum de eo quod in Lege (scriptum est) si possitis mittite e vestratibus duos viros ad nos, ut conveniamus cum ills, & lætemur cum eis: sitque (eis) nobiscum bene abundanter. Utque nuncient nobis verba veritatis, atque fruantur hoc pacto aliquamdiu locis sacris, & revertantur in pace. Precamur autem Dominum Deum nostrum, Deum Cœli, & Terræ, ut liberet vos e manu inimicorum vestrorum, & custodiat vos. Amen.

Postremo dicimus: Fides mea in te Domine, & in Mose Filio Amram servo tuo, & in lege sancta, & in Monte Garizim Domo Dei, & in die ultionis, & retributionis. Et benedictus sit Deus noster in seculum, & benedictum nomen ejus in seculum.

Pax Domini sit super Mosen Fil. Amram, Prophetam nostrum, & intercessorem nostrum in hoc Mundo, & in die extremi judicii.

Scripta (Epistola) die XIII. Mensis septimi anno sexies millesimo, centesimo, & vicesimo quinto anno a creatione Mundi. Scripsimus eam in urbe Sichem Sancta e regione Montis Garizim Domus Dei. A civibus Sichemi Samaræis. Scripsit illam Marchibus, Filius Jacobi, e posteris Ephraimi, Fil. Josephi Justi super quo sit pax.



EPI-

EPISTOLA SECUNDA SICHEMITARUM IN PLERIQUÆ CONVENIT CUM PRÆCEDENTE EPISTOLA.

In nomine Domini Dei Iſraelis.

Dominus Deus noſter, & Deus Patrum noſtrorum, Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, laudemus eum ſemper in omnibus diebus: qui miſit Moſen Prophetam noſtrum cum lege, & præceptis, & manifeſtavit Sanctum Montem Garizim, Domum Dei. Iſte eſt locus electus (ſuper eum ſit pax) de quo dixit Dominus: *Cum tranſiveritis Jordanem, erigetis lapides iſtos, quos ego præcipio vobis hodie, in monte Garizim*, &c.

Poſt hæc ſalutamus vos, & oramus Dominum, ut cuſtodiat vos per potentiam ſuam magnam. Amen.

Poſteaquam pervenit ad nos Epiſtola in lingua Hebræa per manus Jacobi filii Iſrael Tomeritæ Judæi (in qua) memoraviſtis, quod eſſemus Filii Schomron (Samaritæ) Neſcimus nomen Schomron quid ſit. Scitote (autem) o Fratres noſtri! quod nos ſimus Filii Iſrael Samaræi, populus Sanctus, puri, atque ſancti obſervatores Legis Sanctæ, Legis (inquam) Moiſis Filii Amram. Non autem legimus (alium librum) niſi legem a (verbo initiali בראשית *in principio*) uſque ad (verba finalia) לעיני כל ישראל *coram oculis univerſi Iſrael*. Eſt nobis quoque liber Joſuæ Filii Nun. Non autem legimus Libros Prophetarum Judaicorum.

Cæterum nos omnes ſumus e Filiis Joſephi Juſti, e tribubus Ephraim, & Manaſſe; & e Filiis Levi, & e Filiis Pinchaſi, Filii Eleazaris, Filii Aharonis Sacerdotis.

Et nos pronunciamus nomen IHVH Schima: Judæi vero dicunt *Adonai*. Nos etiam dicimus בראשית بالفتح (per vocalem Fatha: (Arabicam A) Illi vero dicunt בראשית بالجطف per *Chateph* ſive Scheva. Nos lavamur aqua ab omni pollutione: & circumcidimus præputium infantis maſculi die octavo: & quid quid in Lege eſt, obſervamus. Neque accendimus ignem in Sabbato, & diebus feſtis: neque concumbimus cum uxoribus in Sabbatis, & diebus feſtis. Sunt autem nobis ſeptem feſta ſolemnia. Præcipuum Feſtum eſt Paſcha. Septiduum Feſti azymorum. Numeramus autem quinquaginta dies a poſtero die Sabbati (ſequentis) ad diem Feſti Pentecoſtes. Septimus menſis. Dies expiationis. Feſtum Tabernaculorum. Et dies octavus עצרה dictus.

Precamur autem ad Dominum facie ad Montem Garizim Domum Dei, (obverſa) veſperi, & mane: & incurvamus nos terram verſus: & proſternimus nos humi in ipſa ſuperficie terræ.

Poſſidemus etiam Codicem Legis a temporibus gratiæ, quem ſcripſit Abiſa Filius Pinchaſi (legitur enim) ſcriptum in eo: Ego Abiſa Filius Pinchaſi, Fil. Eleazaris, Fil. Aharonis Sacerdotis. Scripſi hoc in atrio Tabernaculi convocationis in monte Garizim anno decimo tertio a reverſione Filiorum Iſrael in terram Canaan, (&) in fine ejus circumcirca. Laudo Dominum.

Sunt etiam apud nos ſepulcra Prophetarum Sanctorum, Sepulcrum Patris noſtri Joſephi Filii Porath. Et Eleazaris, & Ithamari, & Pinchaſi, & Filiorum eorum, Sacerdotum magnorum: Et Joſuæ, & Calebi, & LXX. Seniorum: Et Eldadi, & Modadi: Omnium illorum ſepulcra in manu (poteſtate) noſtra ſunt, ſervimus illis, ſuper quibus pax.

Nunc autem petimus a te, o Domine, ut nuncies nobis, quænam revera ſit tua religio, & Propheta tuus, & lex tua? num tu ſis (unus) ex nobis Sa-

Samarita? & num sint vobiscum Samaritæ Hebræi ficuti nos? quoniam scimus quod in Anglia ex nostratibus quidam sint, & allatæ sunt nobis ab iis literæ illisque (est aliquis) Rabbi: sed a quinque annis nullam miserunt epistolam, nec certo cognovimus veritatem religionis, & fidei illorum. Et cum petimus ab illis eleemosynam, abruperunt scriptionem. Nos quoque petimus eleemosynam vestram, si estis facientes misericordiam, & veritatem nobiscum, neque cæletis quicquam. Respondeatis nobis verbum veritatis: quia nos recordamur omnium, quæ quæsiveritis a nobis: nec oblivifcamini bonitatem, & benignitatem eleemosynæ spontaneæ pro loco hoc electo Monte Garizim, & pro Prophetis, & Sacerdotibus, & omnibus pupillis, ac viduis.

Rogabimus etiam Dominum Deum nostrum, Deum Cœli, & Terræ (ut) liberet vos ex manibus inimicorum vestrorum & custodiat vos, Amen.

Postremo dicimus: Fides mea in te Domine, & in Mose filio Amram, Servo tuo, & in Lege Sancta, & in Monte Garizim, domo Dei: & in die ultionis, & retributionis: Et benedictus sit Deus noster in seculum, & benedictum nomen ejus in seculum, & pax Domini super Mose filio Amram, Propheta & intercessore nostro in hoc Mundo, & in die ultionis (extremi Judicii.)

Scriptum die XIII. mensis VII. annis sexies millesimi, & vigesimi quinti anni scilicet a creatione Mundi.

Scripsimus hoc in urbe Sichem Sancta, e regione Montis Garizim, Domus Dei. A civibus Sichemi Samaræis.

INTERVALLUM

Quatuor vel quinque,

Versuum in Epistola.

PRæterea memoramus vobis, quod (apud) nos nemo tollat Librum Legis, nisi Sacerdotes filii Aharonis, & Filii Levi, quemadmodum dixit Dominus: Et scripsit Moses Legem hanc, & dedit illam Sacerdotibus filiis Levi portantibus arcam fœderis Domini. Et amplius dixit. Et præcepit Moses Levitis portantibus arcam fœderis Domini dicens. *Sumite Librum Legis hunc, & ponite illum ad latus arcæ Fœderis Domini Dei vestri.*

Porro petimus a benignitate vestra, & ecce fuit oblatio vestra (ut) mittatis nobis eleemosynam, & faciatis nobiscum bonum, & beneficentiam: multatis illam per virum Francum, aut mittatis Hierosolymam, quæ est domus desolationis, ad Francos, & illi mittent nobis. Non autem mittatis quicquam per aliquem ex Judæis, quia oderunt nos, & decipiunt nos, propterea quod illi deseruerunt multum de eo, quod est in Lege.

Et si potestis, mittite e vestratibus duos viros ad nos, ut conveniamus cum illis, & lætemur cum eis, sitque (eis) nobiscum bene abundanter, & nuncient nobis verba veritatis, atque fruantur hoc pacto locis Sanctis, & revertantur in pace.

Scripsit hoc Marchibus, filius Jacobi, æstimatus æstimatione veritatis, qui est ex filiis Ephraim.

INSCRIPTIO

Epistolæ Primæ.

PErveniat ad Urbem magnam Francfurt ad manum Domini mei Jobi Ludolfi, Germani, in regione Germania.

INSCRIPTIO

Epistolæ Secundæ.

PErveniat ad urbem Francfurt in Regione Germania, ad manum Domini Consiliarii boni, Jobi Ludolfi, Germani. Servet Dominus vitam ejus: Amen.

INSCRIPTIO

Involucri Samaritani

Epistolæ Primæ.

PErveniat per potentiam Domini ad Urbem Francfurt, in Regione Germania ad manum Domini Consiliarii boni Jobi Ludolfi. Custodiat eum Dominus, Amen.

NO-

NOTÆ JOBI LUDOLFI.

AD pag. 1. ࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ הרגריזים, *Mons Garizim*) Sic ſemper ſine diſtinctione ſcribunt, tamquam compoſitum voccabulum eſſet. Hebræi hodierni legunt per Scheva *Garizim*. Sed tempore Septuaginta interpretum lecta fuit prima Syllaba per A. Illi enim habent Γαριζὶν *Garizim* ſecundum MSS. Alex. Detulit mihi Jacobus Levi Tomerita: *Montem eſſe fertiliſſimum, fontibus, & ſcaturiginibus plurimis irriguum*. Montem עיבל *Hebal contra plane aridum & ſterilem eſſe; ex illo benedictiones: ex hoc vero maledictiones pronunciatas fuiſſe*, ut habetur Deut. XI. 29. & XXVII. 12. 13. Ubi pie mirari licet, cur Deus in iſto maledictionis monte deſerto juſſerit *ædificare altare & ſacrificare holocauſta, ibique epulari & lætari*, (ibid. verſ. 5. & 6.) & non potius in monte Garizim. Videant periti, quid Rabbini ad dubium hoc reſpondeant.

Dixit Dominus) Dum hoc eſt πολυθρύλλητον Deut. XXVII. 4. ubi textus Hebraicus *Hebal*, Samaritæ vero *Garizim* habent atque illo veterem ſuam hæreſim (de qua Joh. IV. 20.) ſtabilire nituntur. Brianus VValtonus in Prolegom. Bibl. Polyglot. §. 7. *p.* 77. *a.* ubi de templo Samaritarum, Hieroſolymitani æmulo in monte Garizim extructo, agit, ſubjicit: *quod locum Sanctum eſſe in lege Moſis* (quam in hoc manu ſacrilega corruperunt) *conſtitutum pro cultu publico contenderent*. In reſponſione mea nupera propoſui Sichemitis hoc dubium rogans: unde diverſitas iſta Codicum ſit, ut audiamus, quomodo corruptionem hanc excuſare velint, ſimulque interrogavi: *An adhuc veſtigia extent illorum magnorum lapidum in monte Hebal, quos Deus* d. cap. XXVII. 2. & 4. *erigi iiſque verba legis inſcribi juſſit*. Quid reſponſuri ſint, tempus docebit.

Pag. 2. Tomeritæ) *Tomer* pagus eſt haud procul oppido צפת *Tzefat*, quod trium dierum itinere Damaſco diſtat, ubi pater Jacobi noſtri habitavit, referente *Iſraele Falkio*, nuper admodum a Judæis Hieroſolymitanis huc miſſo.

Filii Schomron) Sic illos vocaveram in Epigraphe ſchedulæ meæ neſciens illos nomen hoc defugere. Eſt autem שמרון nomen urbis *Samariæ*, a שמר *Samero* ſic dictæ, qui montem cum arce Amro Regi Iſrael vendiderat, 1. Reg. XVI. Verum illi tanquam non ab urbe illa ſic vocarentur, שמרים *Obſervatores* ſc. legis *Samaræi* vel *Schomræi* vocari malunt.

Non legimus) ſc. publice in cultu ſacro; Nam & alios Libros habent & privatim legunt, ut librum *Joſuæ*, de quo mox, & *Liturgiam* ſuam, nec non *Chronica* & alios. Quod autem *ſolum Pentateuchum* pro Canone religionis ſuæ admittant, etiam aliunde conſtat. Gregorius Abul-Faragius Dynaſt. VII. p. m. 116. Septimam Judæorum ſectam ait eſſe السمرة الذين لا يقبلون من الكتب الا التفرية وهي مخموسة *Samaritas, qui non recipiunt e Bibliis niſi Legem, id eſt, pentateuchum*. Ultimam vocem Arabicam ſic corrigendam & exponendam cenſemus, pro impreſſo مجسمة quod vir in literatura Arabica alias Coryphæus reddidit *Suntque iidem Corporeitatis* (*in Deo*) *aſſertores*, tanquam eſſet a nomine جسم נשם *Corpus*. Verum quod pace tanti viri dixerim, nec ſignificatio, neque conſtructio hunc ſenſum patitur. Etenim de Samaritis iſta dici nequeunt: & ſi oratio illos reſpiceret, وهم *& illi* dicendum fuiſſet, ſed وهي *& illa* reſpicit vocem aliquam per ſynonyma vel æquipellentia hoc pacto exponere: وهو وهي وهم وهن. Nos vero dicimus *Ideſt, Hoc eſt, Videlicet, Nimirum*. مخموس autem Arabice eſt *quælibet res quinque* partibus conſtans, a خمس *Quinque*, ita ut مخموسة bene *Pentateuchum* ſignificare poſſit. Sed hæc obiter.

Liber Joſuæ) Scaliger *de Emendat. temp. in not. ad Comput. Samarit. in fine p. m.* 669. ait: *Sic vocari Chronicon eorum, quod ab exceſſu Moſis & Ducatu Joſuæ incipiat; & deſinat infra tempora Imperatoris Hadriani*. Sed hoc pacto non eſſet noſter Liber Joſuæ, primus ex Prophetis prioribus, quod, ut certo cognoſcerem, in mandatis dedi Judæo Iſraeli in Palæſtinam revertenti, ut ipſe librum introſpiceret.

Libros Prophetarum Judaicorum) Intelligent reliquos libros Biblicos, quos Judæi in Prophetas priores & poſteriores diſtinguunt. Eos non legunt, quia ſcilicet characteribus ſuis deſcriptos non habent. Id vero ſi ſumtibus Principis alicujus fieri poſſet, dubium non eſt, ut ſunt curioſiſſimi, quin avide eos lecturi & admiraturi, nec non aliquid luminis Evangelici exinde percepturi ſint.

Pag. 3. Et nos effamur IHVH Schiſma) nomen *Jehovah* pronunciant ࠔࠌࠀ שמא. Puncta quidem vocalia non adſunt, ſed uterque Jacobus & Iſrael mihi aſſeveraverunt, ſe ex ore Samaritarum audiviſſe, quod repetitis vicibus inter Sacra ſua exclamaverint *Schiſma, Schiſma, Schiſma* (lege *Sch* Germ. ut ש: *Sh* Angl. *Ch* Gall.) Hinc apparet, unde imputatio illa Judaica profluxerit, quaſi Deum vocent *Aſima* Gen. 1. Sic enim Abenezra in Prooemio ad Librum Eſther הכותים כתבו תקת בראשי״ת ברא. אלהים ברא שימא ita eſt *Cuthæi* (Samaritani) *ſcripſerunt pro In Principio creavit Deus, creavit Aſchima*; quia in pronunciatione *A* finale vocis *Schima* quaſi initiale ſequentis auditur *Schim Aſhim Aſhim*. Fuit autem אשימא *idolum* אנשי חמת *Hemateorum* II. Reg. XVII. Verum id non intelligi, cum religio Samaritanorum, tum ipſa ſcriptura nocis, quæ alia eſt, indicat. Quid vero vocabulum שמא *Schima* proprie ſibi velit, non declarant: crediderim ego eſſe nomen שם cum א Emphatico Caldæorum, alias illis quidem non uſitato. Sicuti per vocabulum *nomen* Judæi ſimpliciter Deum intelligunt.

* ࠁࠌࠀࠌࠓ in verbo.) Hæc vox in prima epiſtola ita ſcripta eſt, ut ࠁ juſtæ magnitudinis in ſerie & contextu lineæ ſit poſita; reliquæ literæ, ſed minutiores, in marginem excurrant. In altera epiſtola pag. 12. tota vox in marginem eſt ſcripta, ut appareat explicatrix eſſe præcedentis Arabicæ. Quamobrem ibidem uncinis incluſimus. Chr. Cellar.

Nos dicimus Baraſchith) Facile credo, Samaritas a lectione Judæorum hodierna multum diſſentire, cum diſcrepent ipſi LXX. Interpretes, Herente adhuc Republica Judaica viventes & pronunciationis genuinæ utique gnari. Sane in pleriſque conveniunt cum Samaritis, ut ſupra in voce *Garizim*, & in *nominibus propriis*, quorum notitia apud Judæos excleverat, ut cum pro מידד *Medad* Num. XI. 26. LXX. legunt Μωδὰδ, Samaritani ࠌࠅࠃࠃ *Modad*, qui tamen ut hoſte acerrimi nullam inter ſe communicationem habuerunt, ut forte diceres alium ex alio didiciſſe vel exſcripſiſſe. Ita quæ LXX. recte legerunt & expreſſerunt כורש Κῦρος, Cyrus, דריוש Δαρεῖος, Darius: ſequioris ſeculi Judæi, veræ pronunciationis ignari, ſcripſerunt כורש Coreſch. דריוש Dariaveſch: quæ ideo adjicere viſum nobis fuit, ut punctorum vocalium fautores ea moderatius erga diſſentientes defendant.

Non accendimus ignem in Sabbatho.) Hic habes exemplum, in quo Karæi cum Samaritis conſentiunt contra Judæos. Textus eſt Exod. XXXV. 3. לא תבערו אש בכל משבתיכם Quod Judæi & plerique Interpretes exponunt: *Ne accendatis ignem in omnibus habitationibus veſtris*, ut, ſi modo ab alio accenſus fuerit, (*quod hic Francofurti pauperes Chriſtia-*

ſtiani, quos Geyen נגים *vocant, illis præſtant*) totum diem bene ardere poſſit. At Samaritani & Karæi id in Judæis reprehendunt, & exponunt: *Ne ardere faciatis ignem* (actu continuo) *per Sabbathum*. Nam nullum penitus habent ignem die Sabbathi.

Septem Feſta ſolemnia) Sine ordine Protographo utroque poſita ſunt, facile autem numerari poſſunt. Diſtinguunt enim ipſum feſtum Paſchatis a feſto Azymorum per textum Lev. XXIII. 5. *Menſe primo decima quarta menſis inter duas veſperas Paſcha Domini. Et decima quinta die menſis hujus ſolennitas Azymorum eſt &c.* Propterea illi diſtinguunt feſtum Azymorum a feſto Paſchatis; vel ſi mavis ſeptimum diem æque ſolennem habent ac primum, d. c. verſ. 7. & 8. Sicuti uterque יום טוב *dies bonus* Judæis eſt & vocatur.

Pag. 4. numeramus quinquaginta dies poſtridie Sabbathi &c.) Textus eſt d. cap. XXIII. & 16. וספרתם ממחרת השבת *& numerabitis a poſtero die Sabbathi &c.* Ajunt igitur, *ſi contingat decimam quartam menſis primi Niſan incidere in alium diem, quam in Sabbathum, utique hoc exſpectandum eſſe, & non niſi die ſequenti initium computandi faciendum, ut quinquaginta dies uſque ad feſtum Pentecoſtes impleantur, alias verbis legis non ſatisfieri.* Itaque ſi decima quarta in primam forte feriam hebdomadis inciderit, ſex dies integros tardius inchoant Samaritani Pentecoſten, quam Judæi.

Septimus menſis) A Niſan numerando eſt תשרי *Tiſhri* menſis, quo celebratur ראש השנה *Novus annus* ſeu initium anni civilis Samaritarum æque ac Judæorum.

Proſternimus nos) Scilicet toto corpore in terram proſtrato, id enim verbum השתחוה Arabicum سجد ſignificat, Græci plerumque reddunt προσκυνεῖν, Latini *Venerari*. Cornel. Nepos in Canone: *Neceſſe eſt, ſi in conſpectu veneris, venerari te Regem &c.* Mos eſt Orientalium valde abjectus, non Deum modo, cui nos ſatis ſubmittere non poſſumus, ſed etiam Reges mortales venerandi. Græci id Perſarum Regibus præſtare nolebant. *Herodotus in Polyhymn.* Pathetice admodum *Iſocrates in Panegyrico de Barbar* ſic de hoc more ſcribit: Θνητὸν μὲν ἄνδρα προσκυνοῦντες καὶ δαίμονα προσαγορεύοντες, τῶν δ' Θεῶν μᾶλλον ἢ τῶν ἀνθρώπων καταφρονοῦντες. *Virum mortalem proſtrato corpore adorantes, & divum ſalutantes, Deos magis quam homines ſpernunt.* Confer *Plutarch. in Themiſtocle. Xenoph. in Ageſilao &c.* Sed inolevit mos iſte in Oriente, nobis, Deo propitio, ignotus. Barbari tamen etiam noſtris Regibus eum exhibent. Vidi Tartarorum legatos Reginam Sueciæ Chriſtinam ita venerantes.

Temporibus gratiæ ſeu benevolentiæ) Tempora florentis Reipubl. Iſraeliticæ intelligere videntur, qualia fuerunt circa XIII. annum reverſionis filiorum Iſrael ex Ægypto, poſt tantas a Cananæis victorias reportatas. Quomodo autem fidem tantæ antiquitatis facere velint codici ſuo, ab *Abiſa* pronepote *Aaronis* ſcripto, ſane conjicere non poſſum.

Pag. 5. Filius Porath) Epitheton *Joſephi* eſt Gen. XLIX. 22. & vulgo redditur *Fructeſcens* vel *accreſcens*, a פרה *fructuoſus fuit*. At Judæi ex Raſchi mihi expoſuerunt בן חן *Filius gratiæ*, i. e. *decorus*, formoſus, tanquam eſſet a פאר *decoravit, ornavit*, quæ ego in medio relinquo.

Modad) Sic legunt Samaritæ cum LXX. Interpretibus: non *Medad*, ut ſupra docuimus

Quiſnam Propheta tuus?) Reſpondi ipſis cum S. Petro Act. III. 22. *Prophetam meum eſſe magnum* illum, de quo Moſes Deuter. XVII. 15. ratiocinatus eſt, additis aliis nonnullis Pentateuchi locis, quæ de futuro Meſſia agunt.

Anglia) Dictum mihi fuit *Anglum* quendam, ut obtineret ab eis MSS. Pentateuchum, oſtenſis *literis Samaritanis*, perſuaſiſſe illis, dari etiam Samaritas in Anglia, ad linguæ peritos alludentem. Plura non comperi, niſi quod mihi epiſtola Samaritarum ad populares ſuos in Angliæ degentes data, Latine verſa miſſa fuerit, quam etiam Cellario edendam commiſi. Ubi protographum Samaritarum lateat, poſt mortem doctiſſimi Mareſchalli p. m. inveſtigari non potuiſſe, amicus Oxonienſis reſpondit.

Pag. 6. Nemo tollit Librum Legis niſi Sacerdotes) Petieram ab eis, ut mihi Librum Legis pro mercede deſcriberent, quod facere recuſant, ob cauſas in Epiſtola poſitas. Retulit mihi Jacobus Tomerita: *Pentateuchum Samaritanorum in modum voluminis, ut apud Judæos, conſcriptum eſſe, & ſacratiſſimum haberi, ut nemo atringere eum audeat, præter Sacerdotem ſummum. Hunc aliquando unum tantum ex ſua uxore genuiſſe filium, ideo conſultum viſum fuiſſe, ut tres alias uxores ſuperinduceret, & pluribus liberis operam daret, ne defuncto unigenito & genere Sacerdotali extincto, deeſſet, qui ſacrum volumen tractaret.*

Pag. 7. ࠋࠒࠇࠅ ſumite) Ita etiam ſcribitur in altera Epiſtola pag. 17. Verba deſumta ſunt ex *Deuter.* XXXI. 26. ubi Codex Hebræus Judaicus habet לקח infinito modo: Hebræus autem Samaritanus in Bibliis Polyglottis perinde ac in Epiſtolis, regulariter in imperative ࠋࠒࠇࠅ *ſumite*. Chriſt. Cellar.

Domus deſolationis) i. e. deſolata. Templum deſolatum innuere videntur: ࠌࠂࠐࠄ quidem eſt *percuſſio, plaga*, *Exod.* XI. 1. Levit. XIII. 23. a radice ࠍࠂࠐ *percuſſit*. Iſtud vocabulum, licet non ſatis commode, adhibent hoc loco Samaritani, alludentes & illudentes Judæorum בית המקדש mutatis parum elementis: Ut cum Judæi Hieroſolymam vocant *Domum Sanctuarii*, illi vocent *Domum deſolationis*, ſtatum ejus præſentem reſpicientes, ſecundum dictum Chriſti: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*. Matth. XXIII. 38.

ࠋࠐࠓࠍࠂࠉࠄ ad Francos) Primum Francorum exponebamus, ut ſecundus caſus ad Domum deſolationis reſpiceret: poſt accuratius conſtructionem expendentes verbum hoc expreſſimus *ad Francos* vel *Francis*; nempe Hieroſolyman mitti eleemoſynam poſtulant, ut illi mittant Sichemum.

* Sero tranſmiſſa erudita hæc obſervatio, cum prior Epiſtola jam impreſſa eſſet Verſionem ergo pag. 7. ad illam, quæ eſt pag. 17. conformari velim. *Chr. Cellar.*

Pag. 9. anno mundi) Die XIII. menſis ſeptimi (i. e. *Tiſhri*, qui partim reſpondet Octobri noſtros.) anno mundi 6125. data eſt hæc Epiſtola. Ex literis Jacobi Tomeritæ ſcio *datam eſſe Anno Domini* 1685. Quomodo autem illos mundi annos computent, inter tot alia negotia expendere nunc non licuit. Scaliger loco ſupra citato hypotheſes eorum proponens ſubdit: *Ita nullam veram rationem annorum mundi inire potuerunt*. *Godofredus Venderimus* in Epiſtola ad *Johannem Morinum*, quæ eſt XLI. in Libro, cui Angli titulum fecerunt *Antiquitates Eccleſiæ Orientalis* p. 214. de Samaritanorum Chronicis ex profeſſo tractat, cui Morinus p. 230. paucis reſpondet, quæ talium peritis conſideranda relinquimus.

* Pag. 18. Æſtimatus æſtimatione veritatis) Virum integrum & juſti tenacem videtur deſcribere. Quod ſi quis *Rationarium* gentis, officii nomen, malit interpretari, quia ࠇࠔࠁࠍࠄ etiam *rationes* ſunt; nos non repugnamus, quamvis ſic ࠇࠔࠁࠍ potius, quam ࠇࠔࠁࠍࠄ legendum videatur. *Cellarius.*

VER-

VERSIO LATINA
EPISTOLÆ SAMARITARUM
Qui Sichem. incolunt, ad * fratres ſuos in Anglia.

In nomine Domini magnipotentis ac reverendi.

IN nomine Domini magni τȣ̃ ὄντως ὄντος Dei noſtri, Deique Patrum noſtrorum, Dei Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, qui dixit in lege: *Ego ſum Deus Bethel*. Ipſe eſt Deus excelſus, qui poſſidet cœlos & terram, Deus, Deus omnipotens, qui miſit Moſen filium Amrami cum lege & præcepto, pèrque eum revelavit τὸ ἅγιον Montis Garizim, Aedis Dei.

Poſthæc, nos ſalutem vobis mittimus, o Synagoga Iſrael, Popule Domini Dei veſtri! qui ipſum ſibi elegit in populum peculiarem præ omnibus gentibus, quæ erant ſuper faciem terræ: quia vos populus Sanctus eſtis Domino Deo veſtro. Porro autem vos certos facimus o fratres noſtri, filii Iſrael! noſmet addictos eſſe profeſſioni Moſis Prophetæ in veritate, atque cultores eſſe legis ſacræ, vocari vero Samaritas; deinde nos Sabbathum obſervare, quo Deus præcepit modo. Haud quidem egreditur quiſquam de loco ſuo die Sabbathi, nos itaque tum haud egredimur aliquo, præterquam ad Domum Domini orandi cauſa, prout dictum eſt. Omnes autem qui quærebant Dominum exibant ad tabernaculum conventus, die autem illo nullius generis opus quicquam facimus, præter laudes ſacras, gratiarum actiones, & lectinem legis. Neque tum ignem accendimus, neque conjuge uti ſolemus nocte Sabbathina, cum tamen filii Jehudæ diem illum haud rite obſervantes, & ignem tum accendant, & cum uxoribus concumbant nocte Sabbathi, atque ipſo Sabbatho egrediantur foras in urbem, imo & jumentis vehantur. Deinde iſti haud eluunt aquis pollutionum omne genus, verum nos lympha ipſi proluimus, atque ita a quavis immunditie purgamus. Tum etiam ſingulis diebus veſpere & mane oramus juxta verbum Domini: *Agnum alterum parabis mane, parabis & alterum inter binas veſperas*. Incurvamus autem noſmet terram uſque, quando Dominum adoramus coram monte Garizim, Dei Domo. Inſuper ſolennitates obſervamus, nempe ſeptem illas, quæ ſunt totidem convocationes ſacræ. Harum prima eſt Feſtum Paſchatis, quo tempore Patres noſtri de Ægypto egreſſi ſunt. Hoc feſto oblationem Paſchatis menſe primo dieque decimo quarto inter veſperas ſub occaſem ſolis ſacrificamus, ipſum agnum comedimus ignis toſtum cum azymis & herbis amari. Illud autem apud Sichemum ſolum juxta montem Garizim præparamus: quin imo haud paramus illud, niſi certo ſciamus inſtare diem primum Niſan Græcorum. Septem autem dierum ſpatium ſibi vindicat Feſtum Azymorum, quorum ſex quidem diebus Azyma comedimus: deinde vero die ſeptimo montem Garizim, feſtum celebratum, ſcandimus, ibique mane, ſtatim a nocte, legem legimus, tum preces fundimus: quibus finitis pronunciat benedictionem Sacerdos de colle æterno ſuper caput filiorum Iſrael. Numeramus quidem quinquaginta dies a craſtino Sabbathi, quod ſit aliquis ex ſeptem diebus feſti Azymorum, aduſque craſtinum Sabbathi ſeptimi pro ſolennitate feſti Meſſis, quando etiam feſtum celebratur apud montem Garizim, juxta ritum feſti Azymorum. Haudquaquam vero cum Judæis (Pentecoſten) computamus a craſtino Convocationis (Paſchalis.) Obſervamus adhuc menſem ſeptimum, qui incipit a Sabbatho (vel feriatione) feſti Tubarum, quando etiam habetur convocatio ſacra. Decimus tamen inde dies nuncupatur in lege *Dies expiationum*, ubi orationes & cantica fundimus per diemque noctemque totam,' a veſpera puta, aduſque veſperam, quo tempore etiam jejunamus viri, fœminæ adoleſcentes, & pueruli, nec enim cum puerulo quovis diſpenſamus præter ſolos lactantes. Judæi interim parvulis intra ſeptennium indulgent. Mox ſolennitates Feſti Tabernaculorum die menſiis ſeptimi decimo quinto obſer- va-

* Iſtud illis perſuaſit Robertus Huntington Anglus.

vamus apud Montem Garizim tum feriantes, ut supra dictum est. Tabernacula quidem condimus, prout dixit Dominus: *Accipietis autem vobis ipsi die primo speciosarum arborum fructum, spathulas palmarum plexilis ligni ramos, salicesque torrentis*. Dies inde septem in scenis cætus degimus. Illorum adeo septem dies, quilibet apud Garizim montem celebratur, die autem octavo cætus est (seu Ἐξόδιον) post festa Domini.

Porro autem nos ratione vera justaque colligimus (&) decernimus, si conjunctio solis ac lunæ noctu contingat, aut interdiu ante meridiem, si intra sextam diei horam, illum ipsum diem mensis principium esse: sin vero accidat ea post sextam diei horam (*καιρικὼν* puta) aut sub ipsa sexta, diem crastinum pro istius mensis Calendis sumimus. Deinde cum fuerit conjunctio lunaris, erit mensis dierum 29. quando autem solaris 30. Insuper quando incidit conjunctio mensis (Novilunium) in undecimum mensis Hadar (Adar) Græcorum, aut citra paulo, erit annus ille intercalaris, sive tredecim mensibus oppletis: mensisque qui immediate sequitur est anni mensis primus. Quoties vero initium mensis incidit in duodecimum aut plusculum mensis Adar, erit ille primus mensis, annusque ipse restrictus sc. duodecim mensibus definitus. Ita quidem ut hebdomas festum Azymorum cadat in Nisan. Hæc autem res aliter se habet apud Judæos, quam penes nos. Quin etiam anno remissionis statim ab initio mensis septimi nosmet remittimus, pariterque in Jubilæo. Aquas separationis super omne, quod a fœmina polluitur, diebus tertio ac septimo effundimus, at vero super ipsam in profluvio mulierem per dies VII. puerpera quidem per XLI. dies, postquam pepererit, ob partum masculum sola mansitat, propter fœmineum LXXX. Mosis vero præputium nos die octava circumcidimus; velut præcepit Dominus, nec illud ullatenus in diem unum differimus. Judæi tamen id differunt in diem unum aut plures. Imo aquis nos purgamus propter casum nocturnum & gonorrhœam, atque nihil quicquam attingimus de classe rerum immundarum, quin mox nos proluamus. Ad hæc nos adipem sacrificii offerimus, sicut dixit Dominus, atque Sacerdoti tradimus humerum, carnem & ventriculum. Deinde neque patruelem in uxorem ducimus, neque consobrinam. Verum apud Judæos nullo discrimine patrueles suas & sobrinas suas quisque ducunt. Nos porro credimus in Dominum & in Mosen, & in Montem Garizim. Inter nos sunt sacerdotes, ex filiis Levi & ex filiis Aaronis atque ex Pinchasi filiis (oriundi.) Judæi vero nullos ex stirpe agnoscunt Pinchasin. Nosmet etiam sumus omnes de tribu Josephi Justi: scilicet abs Ephraim & Menasse, & de tribu Levi. Habitamus vero in Sichemi urbem Sancta, nec non in Gaza. Penes autem nos est scriptum reperitur: *Ego Abisha F. Pinchasi F. Eleazari F. Aaronis Sacerdotis, scripsi hoc scriptum Sacrum in ostio Tabernaculi conventus anno* XIII. *commorationis Filiorum Israel in terra Canaan circa limites ejus*. Legem autem in lingua sancta, lingua Hebraica legimus, & haud facimus quicquam nisi juxta præcepta ejus, qui nobis mandata dedit in Lege per Mosen Amramidem prophetam nostrum, super quem sit pax in seculum.

Certos autem nos facimus, o cætus fratrum nostrum filiorum Israel! venisse ad nos verum præputiatum Europæum vestratem nomine Robertum Huntingtonum, qui annunciavit nobis, esse vos populum bene magnum, purorum sanctorumque hominum adinstar nostri; ajebat insuper vos illum ad nos Sichemum misisse, expetitum a nobis Legis exemplar. Fidem autem dictis ejus haud habuimus, donec ipse coram nobismet aliquid scripserat in lingua sancta vestri gratia, ut vos certissimi sitis nos una cum vobis firmiter tenere professionem Mosis. Nisi autem esset ex amore nostro erga vos, haud misissemus Legem per virum præputiatum; hoc etenim opprobrium nobis esset. Nos tamen petitioni vestræ obtemperantes, misimus ad vos librum Legis cum binis libellis, adeoque haud vacuam remisimus postulatum vestrum. Jam vero nos obsecramus per Dominum τὸν ὄντως ὄντα, ne petitionem nostram vacuam remittatis, quin potius renuncietis nobis, quænam sit professio vestra? quæve lingua vestra, qua vulgo utimini? tum quo nomine veniat urbs quam incolitis? quis Rex vester sit, & cujusnam ille religionis? deinde an apud vos sint sacerdotes aliquot ex stemmate Pinchasico unusve aliquis ex illis sit sacerdos magnus, nec ne? Adjuramus autem vos per Dominum Deum misericordem & clementem, ut nobis veram rem declaretis, neque secus quicquam narretis, atque porro ut mittatis ad nos Codicem Legis, sicuti apud vos habetur in lingua sancta. Tum ut mittatis de vobis viros aliquot doctos, prophetas, celebresque, & cum iis quosdam de posteris Pinchasi. Scitote autem, o Fratres

tres

tres nostri! Dominum in populum peculiarem suum elegesse filios Israel, apud montem Garizim, sicut dictum est. Habitationem ejus inquiretis illucque venietis. Præcepit autem nobis ibi festa celebrare juxta illud: *Tria festa agetis mihi quotannis:* Dixit etiam: *Ter quotannis comparebunt omnes masculi tui, si vero feceritis, sicut dixit Dominus, tibi plane benedicet Dominus Deus tuus, & commutabis pecuniam, eamque ligabis in manu tua, atque ita proficisceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Sciatis porro o congregatio fratrum nostrorum! Omnes omnino prophetas in territorio urbis Sichem consepultos jacere, videlicet Patrem nostrum Josephum Ben Porath, Eleazarum, Ithamarum, Pinchasum, Jehosuam filium Nun, Calebum filium Jephunæ, tum LXX. Seniores, una cum Eldado & Modado.

Jam tandem si vos rem gratam erga nos ac veritatem præstare velitis, renunciate nobis. Et si vos adhæretis professioni Mosis, legique & Monti Garizim, Dei Ædi, & mittite ad nos libellos (*commonitorios*) per viros aliquot de vobis, neque vos admodum moveat itineris longitudo. Nullo tamen modo per aliquem Judæum ad nos quicquam mittite, ipsi enim oderunt nos. Atqui si a nobismet huc profecturi sunt viri aliquot, curate id resciamus per aliquem ex amicis vestris. Deinde, si sit apud vos liber Jusuæ Ben Nun, aut liber hymnorum & precum, eum ad nos mittite. Declarate autem nobis, quænam sit revera lex vestra quantave, nos autem legem vocamus, quod a בראשית (*principio Geneseos*) usque ad לעיני כל ישראל (*finem Deuteronomii*) sive Pentateucho comprehenditur. Ista tamen cuncta lingua sancta (*scripta*) bona fide mittite, itemque quo nomine veniat populus, qui superest (*præsens*).

Vos deinde adjuramus per fœdus Abrahami, Isaaci, & Jacobi, atque per Mosen Filium Amrami, ne petitionem nostram ullatenus vacuam remittatis, quin intra spatium anni ad nos mittatis.

Posthæc sicut & antea fecimus, laudamus Dominum Deum cœli & terræ, omniumque rerum, quæ in iis sunt, & obsecramus misericordiam ejus & justitiam, ut nos ac vos pariter instruere velit in eis, quæ majestati suæ grata sint, atque etiam utrosque docere viam bonam. Amen. Tum ut vos custodire velit custodia præcelsa, a manu inimicorum vestrorum colligere Fiat, ob meritum Mosis fidelis. Addimus hisce, credimus (*fides nostra est*) in te Domine & in Mosem F. Amrami, servum tuum; & in Legem sanctam, & in montem Garizim Dei Domum, & in diem vindictæ ac pacis. Benedictus autem sit Deus noster in seculum, sitque pax Dei super prophetam justum, perfectum, purum, fidelemque ipsum Mosen F. Amrami.

Hunc autem libellum scripsimus in urbe Sichem propo montem Garizim feria tertia, die quidem decimo quinto mensis sexti, qui est dies vigesimus septimus mensis Lunaris: at apud Græcos annoque orbis conditi sex millesimo centesimo & undecimo, qui est annus a remissione secundus. Incipiet vero hoc anno mensis septimus a die quarto mensis Græcanici Elul. Benedictus sit Dominus.

A Synagoga Filiorum Israel Samaritarum, qui apud Sichemum habitant, montemque Garizim, super quem sit pax.

Annus quidem instans est CIↃIↃCIↃCCCXI. commorationis filiorum Israel in terra Canaan. Benedictus sit Dominus.

Epigraphe.

Recte perveniat σὺν Θεῷ hoc scriptum in Angliam Urbem & ad Synagogam filiorum Israel, Samaritarum, quos conservet Dominus.

A Synagoga Israel, incolis Sichemi, nec non a Scriba Merchab ben Jacob ex posteris Ephraemi F. Josephi Justi.

Aliter.

Veniat in manus Synagogæ filiorum Israel, Samaritarum qui incolunt urbem England.

Et Arabice.

Tradatur Domino Roberto Huntingtono, Europæo, cum cura, qui tradendum curet Synagogæ filiorum Israel, qui habitant in civitate England in Europæ regione.

England.

Benedictus sit Dominus Deus noster in seculum, & benedictum sit nomen ejus in seculum.

JA-



JACOBI RHENFERDII
DISSERTATIO
DE
FICTIS JUDÆORUM
HÆRESIBUS.



ETSI Josephus, gravissimus disertissimusque rerum Judaicarum scriptor, tres tantum sectas commemorat, quæ stante templo secundo inter Judæos floruerint, *Pharisæorum* puta, *Sadducæorum* & *Essenorum*; vel summum quatuor, si illam *Judæ Galilæi* addas, quæ tamen potius factio quædam politica videri possit hominum libertati avitæ plus justo studentium, cætera vero cum Pharisæis communia habentium: Veteres tamen scriptores Christiani, quos vulgo *Patres* appellamus, plures Judæorum hæreses fuisse tradunt, & vulgo sex septemve narrant; in quarum nominibus recensendis cum antiquiores etiam ipsi dissideant, recentiores omnibus in unum congestis eundem numerum nova accessione auxerunt.

II. Quærenti vero mihi, quid causæ esse potuerit, cur homines Christiani & extranei tanto plures hæreses in populo Judaico longe post invenerint, quam ipse Josephus natione & professione Judæus, earumque rerum minime rudis, quæ ipsius ævo inter populares gerebantur; potissimum in mentem venit suspicari, idem forte Patribus illis evenisse, quod alii viri literatissimi de veteribus gentilibus pridem observarunt, illos quæ ab Ægyptiis aut Phœnicibus de rebus in oriente gestis acceperant, ea novis) commentis ex nominibus Orientalium, bene maleve versis & intellectis, mirifice auxisse & fœde contaminasse.

III. Itaque igitur operæ pretium me facturum existimavi, & rem viris cordatis & antiquitatis studiosis non ingratam, si quæ Patres Christiani de Judæorum hæresibus, Josepho, Talmudi, ipsique Christo & Apostolis ejus ignoratis, aliis denique sectis ex Judaismo ortis, tradiderunt, paulo diligentius executerem, & errorum fontes, quoad quidem ejus post tot seculorum decursum fieri poterit, demonstrarem, eademque homines innocentissimos, *Nazarenos* & *Ebionitas*, ab atroci hæreseos crimine vindicarem. Quod dum ago, nolim Lector noster de genuinis Judæorum sectis, *Pharisæis*, *Sadducæis* & *Essenis*, hic sibi quic-

quicquam promittat, cum de illis jam olim & nuper quoque viros Illustres atque Clarissimos, *Jos. Scaligerum*, *Joh. Drusium*, *Abr. Sculterum*, & *Joh. Lightfootum* adeo solide atque accurate egisse existimem, ut nostræ diligentiæ parum aut nihil reliquum fecerint. Ex quibus adeo ipsis Lector ea, quæ ad *Tribæresium Judæorum* pertinent, suo commodo & fructu maximo poterit haurire.

IV. Quod itaque ad catalogum attinet, quem Christiani Patres *de hæresibus Judæorum* ediderunt, is apud Justinum Martyrem in *dialogo cum Tryphone* hic legitur: Ὥσπερ οὐδὲ Ἰουδαίους, ἄν τις ὀρθῶς ἐξετάσῃ, ὁμολογήσειεν εἶναι τοὺς Σαδδουκαίους, ἢ τὰς ὁμοίας αἱρέσεις Γενιστῶν, καὶ Μεριστῶν, καὶ Γαλιλαίων, καὶ Ἑλληνιανῶν, καὶ Φαρισαίων, καὶ Βαπτιστῶν. *Sicut neque Judæos, si quis recte perpenderit, dicat esse Sadducæos, aut ejusmodi hæreses Genistarum & Meristarum, & Galilæorum, & Hellenianorum, & Pharisæorum, & Baptistarum*, vel ut alii Codices legunt καὶ omisso, *& Pharisæorum Baptistarum*. Hegesippus vero non paulo aliter instituit apud Eusebium *Historiæ Ecclesiasticæ* Lib. IV. cap. 22. Ἔτι δ' ὁ αὐτὸς καὶ τὰς πάλαι γεγενημένας παρὰ Ἰουδαίοις αἱρέσεις ἱστορεῖ λέγων. Ἦσαν δὲ γνῶμαι διάφοροι ἐν τῇ περιτομῇ ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ τῶν κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα καὶ τοῦ Χριστοῦ αὗται, Ἐσσαῖοι, Γαλιλαῖοι, Ἡμεροβαπτισταὶ, Μασβωθαῖοι, Σαμαρεῖται, Σαδδουκαῖοι, Φαρισαῖοι. *Adhæc*, inquit, *idem* (Hegesippus) *etiam veteres, quæ inter Judæos viguerunt hæreses, recenset. Erant, inquit, sequentes diversæ in circumcisione, Galilæi, Hemerobaptistæ, Masbothæi, Samaritani, Sadducæi, Pharisæi*. Denique Epiphanius *Hæres. Lib.* I. *Tom.* I. Ἰουδαϊσμὸς λοιπὸν μερισθεὶς καὶ αὐτὸς εἰς αἱρέσεις ἑπτά. *Judaismus*, inquit, *porro etiam ipse in septem hæreses distributus*. Illas vero hoc ordine enarrat & refutat: *Sadducæos*, *Scribas*, *Pharisæos*, *Hemerobaptistas*, *Nazaræos*, *Ossenos*, & denique *Herodianos*, De quibus Hæresi XX. §. 3. sic concludit: *Ergo septem omnino hæreses illæ Hierosolymis atque in* Judæa *fuerunt, quatuor vero antea a nobis memoratæ apud Samaritas atque in Samaria viguerunt: sed jam magna ex parte collapsæ sunt. Neque enim* Scribæ *amplius ulli sunt, neque* Sadducæi, *neque* Hemerobaptistæ, *nec* Herodiani *supersunt. Pauci quidem duntaxat* Nazari, *unus scilicet vel alter supra Thebaidem superiorem aut Arabiam restant. Sed &* Ossenorum *nonnullæ sunt reliquiæ quæ cum a* Judaicis *ritibus defecerint, se ad Sampsitas aggregarunt: quæ factio ultra mare mortuum, quod Palæstinæ imminet, constitutas a majoribus sedes obtinent, sed hodie Ebionitis adjuncti sunt*.

V. Etsi vero ita in numero definiendo satis amice conspirare videntur, tamen in hæresibus ipsis enarrandis in alia omnia diversi abeunt, adeo ut si, quas singuli tradunt, universas conjungas, non jam septem, sed fere bis septem sis habiturus. Præter *Pharisæos* enim, *Sadducæos*, & *Hemerobaptistas*, omnibus; *Essæos*, Hegesippo & Epiphanio agnitos, & *Galilæos* Justino & Egesippo memoratos, ille etiam *Genistas*, *Meristas & Hellenianos* allegat, hic vero etiam *Masbothæos* & *Samaritas*, Epiphanius denique *Scribas*, *Nazaræos* & *Herodianos*. Et hinc adeo Isidorus Hispalensis *Libro* IV. *Origenum* octo Judæorum hæreses recenset, deletis sc. ex Catalogo Justini *Hellenianis*, & in eorum locum *Esneis*, (pro *Ebionæis*, credo) & *Morbonæis*, pro *Masbothæis*, surrogatis: Auctor vero *Catalogi Hæresium*, qui Hieronymo vulgo tribuitur, præter *Esinæos* & *Marboneos* ex Hegesippo etiam *Samaritas*, & ex Epiphanio *Herodianos* in partes vocat, adeo ut tandem quatuordecim hæreses Judæorum enascantur, cum tamen antiquissimus idemque rerum Judaicarum, præsertim quæ suo seculo gerebantur, callentissimus Josephus tantum tres, vel summum quatuor agnoscat.

XI. Sed age, videamus, numque numerum hunc præter meritum ita adauctum imminuere, & novos atque obscuros homines illustrare, ac vel ex hæresium albo delere, vel ad suam quemque classem referre queamus.

VII. Quod priusquam aggredimur illud nobis ab æquo Lectore concedi velimus, ut Græca nomina, Hebraicis fictis imposita, ad fontes suos, id est respondentia illis nomina Hebræa, revocare liceat, & ad Judæorum ritus & dogmata, imo & Ecclesiæ Apostolicæ historiam examinare: Quo facto illico clarum fore speramus, unde tot hæreses sint enatæ: haud secus atque ex *Josephi*, *Josuæ*, *Calebi*, aliorumque nominibus, cognominibus, titulisve, *Adonis* Veneris *Pherepattes* amasius, *Penei* filia in *Daphnen* laurum mutata, Mars *in piscem* transformatus, & Hercules individuus comes *Canis*, & nescio quæ non alia monstra apud veteres Græculos sunt prognata.

VIII. Primi itaque quos Justinus Martyr præter *Pharisæos* & *Sadducæos*, de quibus non agimus, nominat, sunt *Genistæ*. *Sicut neque Judæos*, inquit, *si quis recte perpenderit, dicat esse Sadducæos*,

ἢ τὰς

ἢ τὰς ὁμοίας αἱρέσεις, Γενιστῶν ϗ Μεριστῶν, *aut similes hæreses, Genistarum & Meristarum &c.* Hi qui sint, Hieronymus seu quisquis est auctor *Indiculi hæresium*, ita explicat, *Genistæ*, inquit, *præsumunt, quoniam de genere Abrahæ sunt*. Isidorus vero Hispalensis paulo uberius: *Genistei* inquit, *dicti eo, quod de genere Abrahæ esse se gloriantur. Nam cum in Babiloniam venisset populus Dei, plerique relinquentes uxores suas, Babilonicis mulieribus adhæserunt, quidam autem Israeliticis tantum conjugiis contenti, vel ex iis geniti dum reversi essent de Babilonia, diviserunt se ab omni populo, & assumserunt sibi hoc nomen jactantiæ.*

IX. Lepidam vero hæresin, & idoneam hæreseos impingendæ causam, quod *de genere Abrahæ esse præsumebant* vel *gloriabantur*. Si *indiculi hæresium* auctorem spectes, hos homines non Judæos sed alienigenas esse suspiceris, qui cum de sanguine Abrahæ creti non essent, tamen pro posteris ejus sese gerebant, *de genere ejus esse præsumebant*. Si tamen Isidorum audias, genuini Judæi fuerint, ex Babilonia in patriam reduces, qui cum peregrinarum mulierum connubiis familiam suam non contaminassent, legitimove thoro nati essent, cæteros præ sese despexerint, qui peregrinis orti erant. At quid in eo vitii erat, aut singulare admodum, ut hinc peculiaris hæreseos infamia notarentur & ab aliis distinguerentur? Respiciunt procul dubio Αἱρεσιολόγοι nostri sermones Baptistæ & Christi cum Judæis habitos. Matt. III. Luc. III. Joh. VIII. ubi Judæi dicere leguntur, Σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμὲν, *Semen Abrahæ sumus*: πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ; *Patrem habemus Abrahamum*, vel ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ ἐστι. *Abraham est Pater noster*. Isidorus vero etiam historiam Esdræ spectare videtur, Cap. II. ubi quidam ex Babylonia rediisse leguntur cum ex vulgo, tum etiam sacerdotibus, qui cum genus suum & proavos ex tabulis genealogicis probare non possent, illegitimi habiti sunt, & Cap. IX. X. ubi Ezras, cognito multos mulieres duxisse Ammoniticas, Moabiticas, &c. id pro eo atque decebat, graviter molesteque ferens, & multum questus, matrimonia illa solvi & peregrinas omnes uxores dimitti jussit. Verum ne sic quidem satis causæ esse video, cur quidam Judæorum præ cæteris hæretici sint dicendi.

X. Quod enim ad illa verba Judæorum attinet, *Semen Abrahæ sumus*, & *Patrem habemus Abrahamum*, id adeo verum & certum erat, ut ne ipse quidem Christus inficias ire potuerit, sed liberali manu concesserit. *Novi*, inquit, *vos progeniem Abrahæ esse*. De quo naturæ beneficio si sibi gratulabantur, nihilo magis dici poterant peccare, atque ipse Paulus peccasse censendus est, quando hoc inter alia illorum privilegia agnoscit, quod *ipsorum sint Patres*, Rom. IX. 4. 5. vel ipse quoque in eo gloriatur, quod *Israelita* sit, quod *Hebræus*, quod denique *semen Abrahæ*, Phil. III. 5. 7. 2. Cor. XI. 22. Etsi hæc vana erat & inutilis gloriatio illorum, qui ab optimi patris moribus degenerabant, neque vestigiis fidei & pietatis ejus insistebant, quod solum erat, quod Christus cum Johanne & Paulo in illis desiderabat. Sed faciamus ita esse, fuerit gloriatio illa per se peccatum maximum, ideone vero etiam hæresin constituerit, dogma quoddam peculiare, quo certi homines ab aliis quibusdam distinguerentur? Johannes sane vanam ex illo titulo præsumtionem Pharisæis & Sudducæis ex æquo objicit. Imo ipsi quoque Samaritani sese Abrahæ filios esse jactabant, quemadmodum ex mulieris illius Sichemiticæ historia constat, quæ Christo loca

Relligione *Patrum* multos servata per annos

objiciebat, Joh. IV. 20. Quid quod hodienum, quando nemo, credo, *Genistarum* hæresin inter Judæos quæsiverit, nihil in Hebræorum scriptis & ore frequentius illo אברהם אבינו *Pater noster Abraham*. Quæ formula toti genti inde ab ævo adeo familiaris & trita fuit, ut ne ipsi quidem Apostoli sibi ab illa temperarint. Sic Petrus Act. III. 13. *Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi, Deus Patrum nostrorum*. Paulus Rom. IV. 1. *Quid ergo dicemus Abrahamum Patrem nostrum invenisse secundum carnem*. Vide & Act. VII. 2.

XI. Quod vero Isidorus porro ait, Judæos in Babilonia, uxoribus suis relictis, adhæsisse plerosque mulieribus Babilonicis; in eo vero mirum sit, ni illi idem evenerit, quod in simili argumento de lingua Hebræa in captivitate Babylonica oblivioni tradita viris plerisque doctis accidit, qui quod ab illis in sedes avitas reversis commissum est, sed ab Esra illico emendatum, pariter contra clarissimam historiæ sacræ lucem ad anteriora captivitatis retrahunt. Qua de re vide sis Esræ cap. IX. & X. ut & Cl. Altingii dissertationem *de constantia linguæ Hebrææ in captivitate Babylonica*. Sed & illud falsum est, quod inde quosdam, qui Israeliticis tantum conjugiis con-

contenti vel ex iis geniti erant, se ab omni populo divisisse ait, & sibi hoc *Genistarum* nomen assumsisse jactantiæ. Qui se de genere sacerdotali vel Israelitico esse certis & fide dignis tabulis comprobare non poterant, merito rejecti leguntur, ceu illegitimi Cap. II. sed qui id fecerint, hinc sibi hoc nomen jactantiæ assumsisse, id vero neutiquam liquet. Et si quæ denique hæresis inde sit enata, viderint, quibus hæc sententia arridet, an non ipse Esras Hæresiarcha sit dicendus.

XII. Alia itaque & commodior hujus sectæ origo & significatio quærenda venit, quam etiam facile inveniemus, si cogitemus, cuinam voci Hebrææ illud Justini Γενιστῶν commode respondere possit. Habent sc. Hebræi vocem מין, quæ & *genus* vel *speciem*, & quoque *hæresin* apud illos notat. Unde מינות *hæresis*, & מינים *hæretici*, & denique מינאי *hæreticus*, quisquis articulum fidei Judaicæ fundamentalem, veluti existentiam, providentiam, unitatem Dei, &c. negat. Illam vero vocem מין οἱ LXX. voce Græca Γένος reddere solent. Ita Gen. I. II. 12. illud למינו vel למינהו, κατὰ γένος reddunt, pronomine affixo neglecto; & למינהם vs. 21. addito pronomine κατὰ γένη αὐτῶν. Cum itaque Justinus Martyr vocem Hebræam מינים Græce reddere vellet, ac vel ex LXX. Interpretibus vel undecunque demum didicisset, Hebr. מין Græce Γένος significare; inde adeo factum existimamus, ut מינים illos Γενιστὰς interpretaretur, id est, ex altera & emphatica significatione vocis Hebrææ, *Hæreticos*.

XIII. Cum vero illud Hebræorum מין vel מינים latissime pateat, ac quosvis hæreticos ambitu suo comprehendat, & tamen procul dubio peculiarem quandam sectam a reliquis omnibus distinctam & Hebræi & Justinus spectarint, quinam illi hæretici sint, porro investigandum erit. Hos itaque non alios quam ipsos Christianos esse dicimus, non tamen gentiles illos, sed origine Judæos, qui Jesu Nazareno olim sacramentum dixerunt. Ita nempe solent Judæi Christianos etiamnum מינים *Minim* appellare, unde etiamnum in commentariis illorum legimus illud לתשובת המינים *ad respondendum τοῖς Minim*, id est Christianis, quoties locum aliquem Veteris Testamenti Christianis objicere, ab eorumve interpretationibus vindicare volunt. Etsi præpostero Censorum zelo, & Judæorum metu in impressis codicibus nunc minus frequenter quam in Veteribus MS. occurrit, qua de re videri potest Cl. Pocockius in Notis ad *Portam Mosis* cap. VIII.

XIV. Olim vero exorta inter ipsos Judæos luce Evangelii & multis quotidie ad Ecclesiam Christi sese adjungentibus, illos præcipue *Minim* vocabant, qui cum gente Judæi essent, in Jesum ceu Messiam credebant. Testis est Doctissimus & rerum Judaicarum callentissimus Hieronymus, qui id a Magistro suo Tiberiadensi procul omni dubio doctus erat, loco illo insigni & ab eruditis toties laudato in Epistola LXXXIX. ad Augustinum. *Usque hodie per totas Orientis Synagogas inter Judæos hæresis est, quæ dicitur* Minæorum, *& a Pharisæis nunc usque damnatur, quos vulgo* Nazaræos *nuncupant, qui credunt in Christum filium Dei, natum de Virgine Maria, & eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato passus est & resurrexit, in quem & nos credimus. Sed dum volunt & Judæi esse & Christiani, nec Judæi sunt nec Christiani.* Ecce tibi hic genuinos Christianos, quorum orthodoxa de Jesu Messia, a quo etiam *Nazaræi* dicti sunt, fides, cum in eundem Christum atque nos credant, eundemque & Dei Filium & Mariæ Virginis profiteantur, passum item, mortuum & resuscitatum: in quorum fide ne ipse quidem Hieronymus quod carpat habet. Hi vero *inter Judæos* erant, imo genere & origine, & quod unicam reprehensionem Hieronymi merebatur, etiam ritibus *Judæi*, *per Synagogas Orientis*, distincti sc. a Christianis gentilibus, & hinc Pharisæis invisi, qui doctrinam illorum מינות αἵρεσιν, *hæresin*, ipsos vero מינים, αἱρετικοὺς, hæreticos appellabant.

XV. Quod hic Hieronymus de hæresi *Minæorum* inter Judæos narrat, id ex Hebræorum monumentis inprimis confirmatur, narrantium temporibus Gamalielis Senioris adeo invaluisse המינים *Hæreticos*, qui unitatem Dei negarent (sic putabant & clumniabantur miseri atque improbi Judæi) ut necesse habuerint peculiarem formulam precationis contra illos concinnare, qua conceptis verbis omnes diras illis imprecabantur, quam formulam etsi sæpe ברכת צדוקים *precationem adversus Sadducæos* vocant, ad fraudem Christianis faciendam, tamen alias sæpe etiam ברכת מינים *precationem adversus Minæos* vel *hæreticos*, ברכת למשומדים *adversus Apostatas* appellant. Ut adeo certum sit, primis exorientis inter Judæos Christianismi temporibus, & aliquamdiu post, dum Judæi illi Christiani vigebant, hos egregie præter cæteros מינים *Minæos* seu *hæreticos*, quales Pha-

Pharisæis incredulis videbantur, esse appellatos, quos Justinus Martyr Græce Γενίςας novo nomine vocarit. Cæterum qui de *Minæis* illis plura desiderat, *Lexicon Talmudicum* Buxtorffii consulat col. 1199. seq. & 2442. ut & Altingii *Schilo*, Lib. IV. cap. 26. quorum verba describere non lubet, cum rerum Judaicarum gnaris satis scripsisse videamur, quas qui non ita intelligunt, memorata loca ipsi adire possunt.

XVI. Sequuntur porro apud Justinum Μεριςαὶ *Meristæ*. De quibus equidem haud scio, an æque feliciter, atque de superioribus, simus conjecturi. Auctor *indiculi hæresium*; *Meristæ*, inquit, *quoniam separant scripturas, non credentes omnibus Prophetis, dicentes aliis & aliis spiritibus illos prophetasse*. Quod iisdem verbis apud Isidorum legitur, addita etiam denominationis ratione: Μέρος *enim Græce*, *Latine* pars *dicitur*. Existimes forte *Sadducæos* intelligi, qui olim Patribus vulgo crediti sunt tantum Pentateuchum Mosis admittere, de quo tamen nunc inter eruditos aliter constat. At horum & Justinus, & Isidorus, & auctor ille Indiculi hæresium disertam mentionem faciunt, & suo illos nomine appellant. Præterquam quod hi *Meristæ* aliquos tantum, non universos prophetas rejecisse dicuntur, *non credentes omnibus prophetis, dicentes aliis & aliis spiritibus illos prophetasse*. Unde neque Samaritani intelligi poterunt, qui præter Pentateuchum nihil aliud recipiebant.

XVII. Si quid video, inaudiverat Isidorus vel alter ille quiddam de Judæorum doctrina de libris *Hagiographis*, כתובים dictis, quos non ברוח הנבואה *per Spiritum Prophetiæ*, sed ברוח הקדש *per Spiritum sanctitatis*, vel *Sanctum* scriptos existimant; unde forte conjecerint, qui sic credunt & docent, eadem etiam divinitatem & auctoritatem illorum librorum negare. Sed præterquam quod hæc distinctio, si recte intelligatur, sana & orthodoxa sit, & ab ipso Christo album calculum meruerit, Luc. XXIV. etiam toti populo, vel saltem doctioribus in illo, communis & recepta fuit, ut nihil causæ dari posse videatur, cur hoc nomine quidam Judæorum a reliquis suis tribulibus hæreseos potuerint damnari.

XVIII. Proximum itaque est, ut existimemus, Justinum respicere vocem quandam Judæis notam & usitatam, qua sententiarum divortium, imo etiam αἵρεσιν latius dictam significaverint. Est illa חלק *dividere*, unde נחלק *dividi*, *dissentire*, מחלוקת *divisio* & *dissensio*; בר מחלוקתו *adversarius ejus*, qui alias החולק *dissentiens*. Sic נחלקו רבותינו *dissentiunt Magistri nostri*. כל החולק על רבו כאילו חולק על שכינה *Quicunque disputat contra Magistrum suum, idem est acsi contenderet cum Deo*. Vide *Lexicon Majus* Buxtorffii. *Halichoth Olam* fol. 85. פעמים יש אמוראים חולקים ואומר הגמרא שאינם חולקים *Quandoque Gemarici doctores dissentiunt, & tamen Gemara dissentire negat*. Ut adeo omnis doctorum dissensus hac voce indicetur. Eadem vero ratione in N. T. μερίζεσθαι usurpatur. Matt. XII. 25. Πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, ἐρημοῦται, καὶ πᾶσα πόλις ἢ οἰκία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, οὐ σταθήσεται. *Omne regnum secum ipso dissidens vastatur. Et omnis civitas vel domus contra se ipsam divisa, non consistet*. Quemadmodum & & reliquas vocis חלק significationes, Græca μερίζειν, μερίζεσθαι, μέρος & μερὶς in N. T. obtinent.

XIX. Hinc ergo illos Justini Μεριςὰς facile est existimare non esse alios, quam quos Judæi החולקים appellant. At quinam illi? Videri possent iidem plane, atque superiores *Genistæ*, cum & hodierni Judæi Christianos hoc nomine חולקים sæpe appellent. Sic. R. David Kimchi ad Jes. VII. 14. quemadmodum verba illius Celeb. Pocockius in *Notis miscellaneis* restituit pag. 323. העלמה אינה בתולה כדבר התועים אלא עלמה כמו נערה תהיה בתולה או בעולה Ha Alma *non est virgo secundum verba errantium*, *verum* Alma *idem valet ac* (Naara) puella, *sive virgo sive nupta fuerit*. Et mox: להושיב לחולקים בזאת הפרשה מבואר בספר הברית שחבר אדני אבי ז"ל בתשובת החולקים. *Quomodo respondendum sit* DISSENTIENTIBUS *in hac sectione, explicatum est in libro* Habberith, *quem composuit dominus Pater meus f. m. ad respondendum* DISSENTIENTIBUS. Sed observat Pocockius MSS. codices habere למינים & המינים, *hæreticis* & *hæreticos*, ut adeo apud illos *Dissentientes* iidem sint qui *hæretici*, etsi convicium leniori vocabulo emollire conantur.

XX. Verum enim vero, cum Justinus illos *Minæos* jam alio nomine designarit, similius vero erit, alios hic ab ipso innui, qui non quidem *hæretici* erant, sed tamen τὴν κυρίαν δόξαν relinquentes in alia omnia ibant, quales erant Sammæi discipuli, vulgo בית שמאי *familia Sammæi* dicti, qui ab Hillele & discipulis ejus innumeris in locis dissentiebant; quemadmodum ex sequente hæresi clarius patebit.

XXI.

XXI. Eſt ea, ut *Galilæos* tantiſper miſſos faciamus, Ἑλληνιανῶν, *Græcienſium*, uti Langus & Scultetus reddunt, vel *Græcorum*, quod elegantiſſimo Perionio placuit. Hos Iſidorus & auctor *Indiculi hæreſium*, neſcio quo caſu vel conſilio, non explicant, niſi ſi id cauſæ fuerit, quod nomen jam ſuo tempore vitioſe ſcriptum non intellexerint. Si vulgatam lectionem ſequamur, aut leviter etiam immutemus, non poteſt non *Helleniſtarum* in mentem venire, ſive illos origine gentiles ſtatuamus, qui rite Judaiſmo ſint initiati, ſive ipſos gente Judæos, ſed qui extra Judæam viventes Græca Lingua uſi ſint. Sed quicquid in alterutram ſententiam dici poſſit, a præſenti loco alienum putamus, quamobrem de *Græcis* vel *Græcienſibus* verbum non addemus. Proxime ad verum acceſſiſſe videtur Illuſtris Scaliger, qui in *Elencho Tribæreſii N. Serarii*, pag. 239. ab *Hellenio* quodam ita dictos autumat. *Ut tuto*, inquit, *pronunciare poſſumus*, *ab auctore ſive Hæreſiarcha Hellenio dictos*; *ita quæ fuerit hæreſis illa*, *cujus ille* Ἑλλήνιος *pater fuerit*, *nulla conjectura aſſequi poſſumus*. Veriſſime illos *ab auctore*, vel *Hæreſiarcha* quodam ſic dictos autumat: quod cum recte conjiceret, mirum eſt viro ſagaciſſimo mendum non ſuboluiſſe, neque magni illius traditionum magiſtri *Hillelis*, vel, ut Græci Patres illum vocant, *Hellelis* in montem veniſſe, ut pro ΕΛΛΗΝΙΑΝΩΝ, levi unius literæ mutatione vel detractione lineolæ, legeret atque reponeret ΕΛΛΗΛΙΑΝΩΝ, quomodo quidem ipſum Juſtinum ſcripſiſſe exiſtimamus.

XXII. Etenim *Hillel* Babylonius, Semajæ & Abtalionis diſcipulum, cum ad octuageſimum ætatis annum privatus egiſſet, & cum in patria tum Hieroſolymis parce ac duriter puerorum inſtitutione victum quæſiviſſet, exorta in Academia Hieroſolymitana quæſtione, an Paſcha Sabbatum pelleret, ſive *liceretne die Sabbatico agnum Paſchalem mactare*, occaſionem nactus eſt ſuam in Jure Judaico & traditionibus πατροπαραδότοις ſcientiam oſtendendi, & difficultatem quæ aliis longe maxima videbatur, argumento a ſacris quotidianis deſumto, ita feliciter ſolvit, ut omnium oculos atque animos in ſe converteret, & filiis Bethiræ, qui tum Synedrio & Academiæ præerant, loco motis, cathedram Hieroſolymitanam obtineret. In qua cum quadraginta annos ſederet, & traditiones plurimas veluti a majoribus acceptas quotidie doceret, vel de ſuo comminiſceretur, ſectam conſtituit, quam vulgo בית הלל *Scholam* vel *familiam Hillelis* vocabant, quæ illius in jure Judaico interpretando placita amplectebatur. Quos adeo Juſtinus more Græcorum recte Ἑλληλιανὸς, *Hellelianos* appellavit.

XXIII. Huic, quem diximus, Hilleli, poſtquam Manaemus ſeſe ad Herodem contulerat, collega fuit loco & dignitate proximus, שמאי *Schammai*, quem Joſephus *Sameam* appellat. Hillel enim Synedrii & Academiæ Hieroſolymitanæ Præſes erat, quem נשיא *Principem* vocant, unde illum ſæpius *Hillel Hannaſi* appellant, & ſupremum in conſeſſu Patrum locum obtinebat: Sameas vero אב בית דין *Pater curiæ* vel *Senatus*, qui dextrum præſidis latus claudebat, & in cauſis judicialibus primus ſententiam dicebat. Quamvis vero adeo arcta collegii neceſſitudo inter illos intercederet, & Phariſaiſmi traditionumque πατροπαραδότων ambo fidi antiſtites eſſent, & Sameas denique etiam Hillelis diſcipulus; tamen ita uti fieri ſolet, Sameas in multis ab Hillele diſſentiebat, diſſenſumque ſuum publice profitebatur, ita ut qui ab illo faciebant diſcipuli atque ſectatores, ab illo etiam בית שמאי *Familia* vel *Schola Schammæi* dicerentur.

XXIV. Sic itaque Schola Hieroſolymitana jam in contraria ſtudia nonnihil diſtracta, etſi Sameas a ſingulari vitæ probitate & eruditione commendabatur, tamen Hillel muneris ſui dignitate, eruditionis Babylonicæ, cui ipſi etiam Bethiræ Filii palmam cedere cogebantar, exiſtimatione, diſcipulorum multitudine, & denique ſingulari, quæ in illo erat, morum ſuavitate, obtinuit, ut in pleriſque omnibus controverſiis ſecundum ipſum ſtatueretur, & ex ejus ſententia omnia in ſacris, politicis, & domeſticis agerentur. Unde adeo illud dialecticæ Talmudicæ axioma: בית שמאי ובית הלל הלכה כבה *Si quando inter Familiam Sameæ & Familiam Hillelis diſſenſio ſit*, *deciſio eſt ſecundum Familiam Hillelis*. Vide *Halichot Olam*, vel *Clavem Talmudicam*, pag. 228.

XXV. Cum igitur ſententia Hillelis & בית הלל ſive, ut Juſtinus illos nominat, τ̃ Ἑλληλιανῶν, publice recepta, alterius illius Sameæ ſententiæ prævaluiſſet; facile eſt exiſtimare, hujus diſcipulos, בית שמאי, *familiam Sameæ*, *Proteſtantes*, vel ut magis proprio & termino in Scholis recepto utamur, החולקים *Diſſentientes* eſſe appellatos, & Juſtinum, cum alteros illos Ἑλληλιανὸς vocaſſet, hos minime præteriturum fuiſſe, ſed hoc de quo agimus, nomine Μεϱισῶν voluiſſe deſignatos. Cæterum de *Hillele & Samea*

mea qui plura desiderat, Cl. Buxtorfium consulat in Lexico Talmudico, & Altingium, in Libro Schilo, & denique Cl. Hottingerum Thes. Philol. pag. 42. 43. qui nobis in hac *Meristarum* hæresi investiganda facem præluxit.

XXVI. His itaque, quas Justinus peculiares habet, *Genistarum*, *Meristarum*, & *Hellelianorum* hæresibus explicatis, sequitur ut jam porro videamus quinam *Galilæi* fuerint, qui ab Hegesippo etiam memorantur. Si quid illi *Indiculi hæresium* scriptori credimus, dicebant, *Christum venisse & docuisse eos, ne dicerent Dominum Cæsarem, neve ejus monetis uterentur*. Ergo non meri Judæi, sed ex Judæis Christiani fuerint, qui Messiam jam venisse crediderint, libertatis Judaicæ adversus Romanos vindicem & assertorem, cujus doctrinam amplexi imperium Cæsaris detractarint. Quemadmodum vero stupenda fuerit horum hominum, si unquam fuerint, insania atque impudentia, qui Jesu Christi nomine suam rebellionem & contumaciam prætexere non sint veriti; ita nobis non minus miranda videtur illa expositio, quæ quod omnis historia de meris Judæis tradit, id Christiani nominis professoribus adscribit. Respexit procul dubio historiam discipulorum Pharisæorum Christum tentantium de censu Cæsari dando, & Judæ Gaulonitæ, qui etiam *Galilæus* a Josepho appellatur. Sed præterquam quod Jesus talia nunquam docuerit, apud neutros unquam tanta ejus auctoritas fuit, ut ab illo suæ sententiæ commendationem ducere voluerint.

XXVIII. Fuit tamen quando Christini etiam per contemtum & opprobrium cum ab aliis, tum a Juliano Apostata, *Galilæi* sunt appellati. Sed illud nihilo magis huc pertinet, cum id ad Judæos aliquot seculis antiquiores referri non possit. Paulo magis ad rem facit, quod Petrus in aula Pontificis *Galilæus* dicatur, Luc. XXII. 59. imo Angelus Christo in cœlos subvecto, universos ejus discipulos *Viros Galilæos* appellet. Act. I. 11. quemadmodum & in festo pentecostes Judæi, Act. II. 7. verum & illud absque ulla hæreseos insimulatione factum est, neque unquam, quod quidem sciam, Judæi Christianos *Galilæorum* nomine insigniverunt.

XXIX. Quare restat, ut illos a Justino & Hegesippo *Galilæorum* nomine designatos arbitremur, qui a Juda Gaulonita contra Romanos rerum dominos stabant, illisque censum pendendum negabant, imo armis etiam oppressam libertatem vindicare aggrediebantur, de quibus Josephus Antiquitatum Libr. XVIII. cap. 1. & 2. Qui Judas cum non tantum *Gaulanites*, sed etiam *Galilæus* a Josepho vocetur, l. c. cap. 2. hinc admodum verosimile est, ejus asseclas aliquando etiam *Galilæos* dictos esse, ex quibus porro *Zelotæ* & *Sicarii*, deterrima populi Judaici pestis, orti sunt.

XXIX. Denique forte ultimo loco de *Baptistis* agendum esset, si sua Justino certa lectio constaret. Tametsi enim Valesius in Notis ad Eusebium Lib. IV. cap. 22. aliique, hic legunt φαρισαίων ϗ βαπτιςῶν, *Pharisæorum, & Baptistarum*, ut diversi esse videantur: Tamen editiones, quas consuluimus, constanter habent, ϗ φαρισαίων βαπτιςῶν, *& Pharisæorum Baptistarum*, vel *tingentium*, quemadmodum & Ill. Scaliger locum allegat: ut illud Βαπτιςῶν potius epitheton quoddam Pharisæorum, quam distinctam ab illis sectam Justino notare videatur. Quod si tamen peculiarem hæresin hac voce innuerit, procul dubio eadem erit, quæ ab Hegesippo & Epiphanio *Hemerobaptistarum* nomine insignitur; sic enim Hegesippus l. c. *Essæi*, *Galilæi*, *Hemerobaptistæ*, *Masbothæi*, *Samaritæ*, *Sadducæi*, *Pharisæi*.

XXX. *Hemerobaptistæ* Isidoro dicti sunt, *eo quod quotidie vestimenta sua & corpora lavent*; vel ut auctor *Indiculi hæresium*; *Qui quotidie & corpora sua & domum, & supellectilem lavant*. Haud procul a vero aberrant. Fuere enim, qui ex ipsius Dei mandato & *vestimenta*, & *suppellectilia*, & *corpora* etiam ipsa lavare tenebantur, nempe qui cadaver immundum tetigerant portarantve, vel reptile mortuum nuda carne attigerant, item qui gonorrhœa laborabant, aut ἐξονειρωγμὸν passi fuerant, aliique, de quibus videatur Lev. XI. XV. & Num. V. Sed *quotidie* id fecisse, id vero falsum est, & gratis a bonis viris additum. Lavabant quoties polluti erant, & se, & vestimenta sua, & vasa lignea æneave, quæ contactu suo polluerant, sediliaque quibus insederant; sin puri essent, a lotione abstinebant. Adeo ut Ἡμεροβαπτιςὴς idem sit, qui Rabbinis טבול יום vocatur, *eo die tingendus*, quo scilicet fuerat pollutus, quo facto post solem occasum iterum mundus erat. Maimonides præfatione ad Classem *Toharoth* sive de *mundationibus* pag. 2. col. 4. m. טביל יום הוא האיש אשר נטמא וטבל קודם שיעריב שמשו *Lotus diei*, Ἡμεροβαπτιςὴς, *dicitur*, *qui cum immundus sit, lavat ante solis occasum*.

XXXI. Epiphanius, ut ostenderet, quam in fingendo ingeniosus esset, pro mo-

more suo prolixius hos homines describit, ita ut etiam Sadducæismi illos reos agat. *Proxima*, inquit ex versione Petavii, *est Hemerobaptistarum Secta; quæ ut ab aliis nulla in re dissidet; eademque dogmata cum Scribis ac Pharisæis amplectitur: ita cum Sadducæis non modo in neganda mortuorum resurrectione convenit; verum etiam communem cum iis infidelitatem, cæterarumque rerum pravitatem retinet. Hoc vero præcipuum habet; quod tam vere & autumno, quam æstate atque hyeme quotidie lavant: unde & Hemerobaptistarum appellationem nacti sunt. Ita enim statuebant; vivere aliter hominem non posse, quam si quotidie se aquis elueret, atque ab omni crimine purgaret.* Nimirum Epiphanius, cognito esse inter Judæos, qui Ἡμεροβαπτισαὶ dicerentur, inde dictos existimavit, quod καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν lavarent. Quos cum cætera Scribis & Pharisæis paria facere & credere audivisset, ut esset, quo ab iisdem different, æque ac Sadducæos mortuorum resurrectionem negasse arbitratur & fingit; quod eadem facilitate, quod ille ait, nobis negare licebit, cum hujus sententiæ nullum alium idoneum testem alleget. Et si quid in postremis illis veri insit, ut existimaverint, *vivere aliter hominem non posse, nisi quotidie se aquis elueret, atque ab omni crimine purgaret*: quis adeo cœcus sit, ut hos homines vitam futuram respexisse non perspiciat atque intelligat? Adeone enim ipsi stolidi fuerint, ut quod non modo in aliis suæ gentis hominibus, sed & nationibus integris quotidie videbant, illud tamen fieri non posse crediderint, ut quis absque quotidiana lotione vitam hanc præsentem agat? Et quorsum adeo omni crimine ablui atque solvi voluerint, nullo nisi hujus vitæ præmio illis proposito atque exspectato? Ut liqueat, Epiphanium, ne in inquirendis hæreticis parum diligens videretur, hanc horum *Hemorobaptistarum* explicationem non aliunde quam ex fœcundo cerebelli sui penu depromsisse.

XXXII. Sed pergamus cum Hegesippo ad *Masbothæos*. Hos idem apud Eusebium haud multo ante in Samaritanos retulerat. Ἄρχεται δὲ ὁ Θέβυθις διὰ τὸ μὴ γενέσθαι αὐτὸν ἐπίσκοπον, ὑποφθείρειν, ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων ὤν, καὶ αὐτὸς ἦν ἐν τῷ λαῷ, ἀφ᾽ ὧν Σίμων, ὅθεν οἱ Σιμωνιανοὶ· καὶ Κλεόβιος, ὅθεν κλεοβίηνοι· καὶ Δοσίθεος, ὅθεν Δοσιθεανοὶ· καὶ Γορθαῖος, ὅθεν Γορθηνοὶ καὶ Μασβωθαῖοι. *Primus Thebutbis, indigne ferens, quod minime creatus esset Episcopus, eam occulte vitiare est aggressus. Fuit hic e septem illis sectis in Judaico populo proseminatis. Ex quibus fuit Simon, a quo Simoniani fluxerunt; & Cleobius, a quo Cleobiani, & Dositheus, a quo Dositheani; & Gorthæus a quo Gortheni: & Masbotheus, a quo Masbothei sunt cognominati.* Non caret hic locus sua & lectionis & interpretationis difficultate, quare eruditissimi Valesii editionem in Latinis pariter atque Græcis secuti sumus, cujus ad h. l. Notas consuli velimus. Sed quod in primis observandum existimamus; illud est, quod cum cæterarum hæresium principes atque auctores hic nominentur, nulla tamen ejus mentio fiat, a quo *Masbothei* orti sint. Doctissimus Valesius *Masbotheum* quendam inseruit, *a quo Masbothei sint cognominati*, Nicephori fidem secutus, qui eundem exhibet, ut integriore codice videri possit esse usus. Sed præterquam quod codices omnes Eusebii MSS. quos quidem ipse Valesius versavit, hunc *Masbotheum* ignorant: & ab eo Μασβωθηανοὶ dicendi erant, ut Nicephorus vocat, non Μασβωθαῖοι: facile fieri posse existimamus, ut Nicephorus, cum videret reliquarum hæresium primos auctores hic recenseri, a quibus illæ nomen ducerent, *Masbotheos* pariter crediderit a *Masbotheo* quodam sectæ suæ principe ita esse denominatos, etsi neque Hegesippus neque Eusebius ullam ejus ante ipsum fecerant mentionem. Id quod & alibi a Patribus in hæreticis recensendis factum esse novimus.

XXXIII. Illustre hujus rei exemplum Theorodetus nobis exhibet, *Hæreticarum Fabularum* Lib. I. cap. 17. de *Peratis*. Ἄδεμες δὲ ὁ Καρύστιος, καὶ ὁ Περατικὸς Εὐφράτης, ἀφ᾽ οὗ Περάται προσηγορεύθησαν οἱ τούτων ὁμόφρονες, *Ademes vero*, inquit, *Carystius, & Peraticus Euphrates, a quo Peratæ dicti sunt, qui in horum sunt sententia, &c.* Quod quid sit ut intelligamus, conferendus est Clemens Alexandrinus Stromatum Lib. VII. Τῶν δὲ αἱρέσεων αἱ μὲν ἀπὸ ὀνόματος προσαγορεύονται, ὡς ἡ ἀπὸ Οὐαλεντίνου καὶ Μαρκίωνος καὶ Βασιλείδου .... αἱ δὲ ἀπὸ τόπου, ὡς οἱ Περατικοὶ· αἱ δὲ ἀπὸ ἐθνῶν, ὡς ἡ τῶν Φρυγῶν· αἱ δὲ ἀπὸ ἐνεργείας, ὡς ἡ τῶν Ἐγκρατιτῶν. αἱ δὲ ἀπὸ δογμάτων ἰδιαζόντων, ὡς ἡ τῶν Δοκιτῶν, καὶ ἡ τῶν Αἱματιτῶν· αἱ δὲ ἀπὸ ὑποθέσεων, καὶ ὧν τετιμήκασι. ὡς Καϊανισαὶ τε καὶ οἱ Ὀφιανοὶ προσαγορευόμενοι. *Ex Hæresibus autem, aliæ quidem appellantur ex nomine, ut quæ appellatæ sunt ex Valentino, & Marcione & Basilide, ... aliæ autem ex loco, ut Peratici: aliæ autem ex gente, ut Phrygum hæresis: aliæ autem ex operatione, ut Encratitarum: aliæ autem ex positionibus, &*

iis

iis quæ ipsi honorarunt, ut qui appellantur Cajanistæ & Ophiani &c. Hic Clemens Alexandrinus varias denominandi hæreticos rationes affert, quarum secunda est, quæ a loco ducitur. *Aliæ*, inquit, *a loco, uti Peratici*. Id est, nisi me quid fallit, *Hebræi*. Nempe οἱ LXX. illud Gen. XIV. 12. לאברם העברי reddunt Ἀβρὰμ τῷ περάτῃ, id est *Transitori*, vel *Transfluviali;* Abraamum sc. inde *Hebræum* dictum fuisse existimantes, quod vel flumen Euphratis trajecisset, vel ex transfluviali regione מעבר הנהר oriundus esset, quod aliis quoque & Christianis & Judæis longe post visum est, & etiamnum quibusdam videtur. Et hinc adeo Christiani ex Gentibus eos qui ex Judæis in Christum crediderant, cum illos lingua vernacula עברים *Hebræos* dici scirent, voce Græca Περατικὸς appellarunt; quos cum in rituum quorundam observatione a se gentilibus differre viderent, hæresin fabricarunt *Peraticorum*, i. e. *Hebræorum*, quos alias Nazaræos & *Ebionitas* vel *Phebionitas* appellabant. Sed quid ad hæc Thodoretus? Ne sc. præter meritum libris suis *hæreticarum fabularum* nomen inscripsisse videatur, homines quosdam in scenam producit, *Ademen Carystium* & *Euphraten Peraticum*, a quo *Peratæ* dicti sint. *Peratæ*, inquam, a *Peratico*, ut *Basilidæ* & *Valentini*, a *Basilidiano & Valentiniano*. Quinam vero illi *Ademes Carystus* & *Euphrates Peraticus?* אדם כרוסתי *homo* quidam *Carystius*, עברי περάτης, ut LXX. verterunt, vel מעבר הנהר ἐκ τοῦ ΠΕΡΑΝ τοῦ ποταμοῦ, e regione *trans fluvium* sc. Euphratem. Sic nova metamorphosi homines & flumina nomina & naturas permutant, quando Patres Christiani Hebræa tractare aggrediuntur. Dubitas, Lector, & me bonis viris injuriam facere existimas? Ecce tibi Christum *Hominem* ab eodem Theodoreto in *Adamantem* mutatum, Hæretici Fabularum Lib. I. 13. de *Barbeliotis*, quos Patres pro sua elegantia & humanitate *Borborianos* appellant: *Adhæc*, inquit, *Hebraica quoque nomina adjecerunt, simpliciores obstupefacere conantes. Per se genitum porro dicunt produxisse hominem perfectum, & verum, quem & Adamantem vocant, unaque cum eo productam etiam conjugem, perfectam cognitionem*. Sic quidem Hervetus vertit, quod Græce est, ἄνθρωπον τέλειον καὶ ἀληθῆ, ὃν καὶ Ἀδάμαντα καλοῦσι. Quibus verbis Cabbalistas istos mysterium incarnationis Christi explicare suo more voluisse, nobis dubium non est, nec, credo, aliis erit, qui rem recte perpenderint. Sed quis credat, illos Christum hominem vocavisse *Adamantem*, ac non potius Patres illos ipsos præ stupore & linguæ Hebrææ ignorantia vocem Hebræam אדם ἀδὰμ quæ *hominem* notat, addita terminatione Græca in ἄδαμας, id est gemmam *Adamantem* transformasse? Quod si quis tamen nondum animum inducere possit, ut credat, doctissimos illos Patres in Hebraicis adeo misere ineptire potuisse, Epiphanium adeat, Heresi de *Ebionitis*, ubi videbit quanta turbas dederit, & quam misere, ne quid gravius dicam, optimam optimorum hominum sententiam perverterit, ejusdem vocis אדם prava & contorta inrerpretatione.

XXXIV. Eadem itaque ratione a Nicephoro factum existimamus, ut cum apud Eusebium *Masbotheos* hæreticos inveniret, illos non a peculiari dogmate vel ritu, sed ab hæreseos suæ antesignano, sicut & reliquos, dictos existimarit, eumque *Masbothum* vel *Masbotheum* appellarit. Quare potiorem ducimus aliorum interpretationem, ex qua denominationis ratio liquidissime constat. Isidorus: *Morbonei dicunt ipsum esse Christum, qui docuit illos in omni re sabbatizare*. Indic. Hæresium, & Rabanus Maurus iisdem omnino verbis utuntur, nisi quod pro *Morboneis* paulo melius legunt *Marbonei*, & id quidem pro *Masbothei*, quemadmodum Illustris Scaliger jam pridem observavit, & res ipsa arguit. A *Sabbatho* igitur, quod seorsim a cæteris Judæis observabant, id nominis nacti sunt, cum non vetus tantum Judaicum septimi, sed etiam novum primi diei celebrarent, quemadmodum infra de *Nazaræis* & *Ebionitis*, pluribus probatum dabimus, quos eosdem plane esse credimus, qui hic dicuntur *Masbothæi*, cum vero simile sit, quemadmodum Judæi olim Gentilibus a Sabbatho hebdomadario *Sabbatarii* dicti sunt, ita primos Christianos a novo, imo duplici Sabbatho, ipsis Judæis משבותאין, *Sabbatarios* esse appellatos.

XXXV. Ne quis vero dubitet, an hujusmodi homines Judæis noti fuerit, & hæreticorum nomine ab illis ornati, unum saltem locum allegabimus ex R. Benjamine Tudelensi, qui suo adhuc tempore in insula Cypro id genus homines offendit, quos Itinerarii pag. 30. hoc modo describit: ומשם ארבעה ימים לקופרוס ושם יהודים רבנים וקבוץ ועוד יש שם יהודים מינים קפרוסין והן האפיקורוסין ישראל מנדין אותן בכל מקום והם מחללין ליל שבת ושומרין ליל ראשון, *inde quatuor dierum itinere distat Cyprus, ubi Judæorum Rabbanæorum, sive qui majorum insti-*

ſtitutis vivunt, *cœtus eſt*; *nec non* Judæ *alii*, *hæretici* Cyprii, *nempe Epicuræi*. *Hos ubique excommunicant Iſraelitæ: quandoquidem veſperam Sabbathi profanant*, *primamque veſperam obſervant*. Sic habet editio & verſio Cl' Empereurii, ubi pro לדופרוס procul dubio ſcribendum legendumque erit לנופרוס vel לקופרוס. Sed quicquid de loco ſit, & de altera voce קפרוסין, quam pariter per *Cyprii* Vir Clariſſimus reddit, illud hinc conſtat, fuiſſe tempore Benjaminis homines nomine & natione *Judæos*, qui non Sabbatum Judaicum ſeptimæ, ſed primæ diei religioſe obſervabant, quos reliqui genuini Judæi, Rabbanæi vel Phariſaici, quotidie excommunicabant, atque inter alia convicia etiam מינים *Minæos*, id eſt Juſtini voce *Geniſtas*, ſive, ut vulgo loquimur, *Hæreticos* appellabant. De quibus adeo non dubitamus, quin noſtri *Masbothæi* ſint, ſive *Nazaræni*, qui in memoriam reſurrectionis Jeſu Nazareni primum diem ſeptimanæ obſervabant, Sabbatho ſeptimæ diei, quod majores illorum per aliquot ſecula eadem religione coluerant, tandem penitus abrogato.

XXXVI. Reſtant itaque apud Hegeſippum *οἱ Σαμαρεῖται*, *Samaritani*, poſt abductas a Salmanaſſare X. tribus novi Iſraelitidos coloni, cum aliunde tum maxime ex Cuſchitis trans Tygrim incolentibus collecti, unde Judæis vulgo כותיים *Cuthæi*, dicuntur, Græcis Latiniſque, a Samaria coloniæ Metropoli, Σαμαρεῖται, *Samaritani*. Quorum univerſa hiſtoria, origo, converſio, religio, mores, cum vulgo notiora ſint, quam ut verbum de illis addere ſit neceſſe; his tantiſper miſſis ad *Epiphanium* pergemus, ut, quas ille ſeparatim Judæorum hæreſes recenſet, pariter luſtremus.

XXXVII. Ut vero de *Oſſenis* nihil dicamus, quos apud doctiſſimos quoſque in confeſſo eſt eoſdem eſſe atque *Eſſenos*, quamvis hi ab Epiphanio in Samaritanos ſunt relati: primum locum ſibi Γραμματεῖς, *Scribæ*, vindicant, quos hoc modo ex Petavii interpretatione nobis depingit ſub finem Epiſtolæ ad Acacium & Paulum toti Operi præmiſſæ: *Scribæ Legis periti & traditionum*, *quas a majoribus acceperant*, (δευτερώτας *vocabant*) *obſervatores fuere*, *ac ritus omnes ſuperſtitioſius cæteris*, *diligentiuſque tenuerunt*: *quos non e lege didicerant*, *ſed ſibimet ipſi*, *tanquam juſtitiæ legis ſingulares cultus ac cærimonias indixerant*. Paulo prolixius de iiſdem agit Hæreſi XVI. Sed ita, ut inſignem ſuam rerum Judaicarum, etſi ipſe origine Judæus erat, ignorantiam prodat, dum *Phylacteria* & *Fimbrias*, Hebræi תפלין & ציצית appellant, per *πλατέα σήματα πορφύρας* *latos clavos purpuræ* veſtibus illorum attextos, & *ῥοϊσκούς τινας* *corymbos Punicorum malorum ſpecie quatuor e pallii laciniis pendentes*, explicat. Quæ explicatio adeo a vero aliena eſt, ut doctiſſimus Epiphanii interpres idemque hyperaſpiſtes acerrimus, Dionyſius Petavius, non invenerit, quo nomine illam excuſaret, ſed *admirandam potius* dixerit, *quam aut ſine alio idoneo auctore nimis amplectendam*, *aut acrius reprehendendam*; *quod in Elencho Scaliger*, *ipſo judice*, *inſtituit*. Nam quod addit, *ex reconditis Judæorum libris ac ritibus multa Epiphanium potuiſſe addiſcere*, *quæ hoc ſeculo & hodiernis Judæis ignota ſunt*; Id vero ejuſmodi eſt, ut nullus in hiſtoria error tantus eſſe poſſit, qui non contra teſtatum omnium Scriptorum conſenſum, & conſtantem integræ nationis & multorum ſeculorum uſum, hoc genere argumentandi defendi poſſit: præterquam quod ſupponit, ritus quotidianos, & toti nationi quaquaverſum diſperſæ receptos, tandem mutatos eſſe, & Epiphanio eam ingenii felicitatem & opportunitatem obtigiſſe occaſionis, ut reconditos Judæorum libros, & ipſis adeo Judæis Juris patrii compilatoribus inacceſſos, conſulere potuerit, atque inde *miram* hanc, uti ipſe Petavius vocat, *vocabuli* φυλακτηρίων *interpretationem* addiſcere. Quod merito ſuo *μέγα λίαν αἴτημα* dicere licebit.

XXXVIII. Cæterum hæc *Scribarum* hæreſis Epiphanio proculdubio inde enata eſt, quod in hiſtoria Chriſti & Apoſtolorum *Phariſæis* toties *Scribas* adjunctos videret, & hinc adeo diſtinctam ab illis hæreſin eſſe exiſtimaret. Cum vero eoſdem minime male per *Legis Interpretes* deſcribat, qui *velut quandam grammaticam profeſſi* ſint, *cum cæteris in rebus Judæorum inſtitutis inhæreant*; *quæ ſuperſtitioſis & cavillatoriis inventis interpolarint*: hic loci de illis verbum non addemus, ut ad reliqua & præcipua tandem perveniamus.

XXXIX. Sequuntur itaque *Herodiani*, ſeptima & ultima Judæorum hæreſis apud Epiphanium, ſed quam nos *Nazarenis* vel *Naſaræis* præmittemus, quoniam de his longe plura dicenda reſtant. Hi vero ex Epiphanii deſcriptione *nihil diverſum a reliquis habuerunt*; *& Judæi meri ſunt*, *inertes iidem ac ſimulatores*, *qui Herodem Chriſtum Dominum eſſe dicebant*. *Eum*, *inquam*, *Chriſtum*, *qui in ſcripturis omnibus ac Prophetis exſpectabatur*, *eſſe Herodem exiſtimabant*, *deque eo falſa*

qua-

quadam animi inductione gloriabantur. Hæc itaque illorum hæresis fuerit, quod *Herodem Magnum pro Messia* habuerint: in qua sententia alii Patres Epiphanium & præiverunt & secuti sunt, in quam etiam hoc seculo Viri maximi concesserunt, Scaliger, Grotius, Spanhemius, & Casaubonus, Cl. Stolbergio laudati Exercit. XII. de *Herodianis*.

XL. Enimvero cum non sit credibile, Judæos eo dementiæ venisse, ut Herodem ἀλλόφυλον, pessimis moribus hominem, ipsius Senatus Hierosolymitani, sanctissimi illius totius nationis concilii, cujus maximam partem neci dederat, oppressorem, pro Messia coluerint; quem ex tribu Juda & posteris Davidis oriturum sciebant, & a quo omnia alia sibi promittebant: longe diversos fuisse necesse est hos *Herodianos*, nempe aulicos illius, qui tunc temporis rerum potiebatur, Herodis Antipæ, & quotquot alii in populo ab illo & Cæsare faciebant contra eam, quam Pharisæi reliquusque populus universus defendebant, libertatem. Adeo ut *Herodiani* factio mere politica fuerint, Regia illa & Cæsariana, opposita alteri populari. Etsi suæ illis in religione etiam partes erant, Sadducæismum ceu moribus suis & institutis convenientiorem cum Rege suo amplexis, quemadmodum ex Matth. XVI. 6. & Marc. VIII. 15. coll. non obscure colligitur, & jam pridem ab aliis viris doctissimis est ostensum.

XLI. Supersunt itaque tandem Νασαραῖοι, *Nasaræi*, ab eodem Epiphanio in Judæorum hæreticos relati, qui vel soli digni erant, qui ab impacta hæreseos nota liberarentur; gens non Judæis solum, sed &, quod dolendum, Gentilibus Christianis olim invisa, Deo tamen & Christo ejus carissima. Sed age, videamus, quod genus hoc hominum fuerit, & quare Christianorum pariter atque tribulium suorum Judæorum odium sibi conciliarint.

XLII. Epiphanius Hæresi XVIII. contra *Nasaræos*: *Qui quidem*, inquit, *ut accepimus, genere Judæi sunt, e Galaaditide & Basanitide, ac reliquis ultra Jordanem regionibus oriundi. Quamobrem cum hæc secta Israelitica ex gente profecta sit, Judæorum in omnibus dogmata complectitur, nec ab iis quos antea commemoravi, fere ulla in re dissidet. Nam & circumcisionem perinde atque alii retinet, & idem Sabbathum observat; Eademque festa celebrat: Sed neque fatum neque Astronomiam admittit. Ac cum veteres illos Patriarchas, de quibus in Pentateucho mentio est, approbet, qui ab Adamo ad Mosen usque insigni pietate floruerunt: Nimirum Seth, Enoch, Mathusalem, Noe, Abraam, Isaac, Jacob, Levi, Aaron & Jesum, Nave Filium, Pentateuchum nihilominus ipsam repudiat. Nec Moysen quidem abjicit, neque oblatam huic a Deo legem esse diffitetur, sed aliam fuisse dicit, quam quæ vulgo circumfertur. Ex quo factum est, ut Judæorum reliquas ceremonias observent, utpote Judæi: a sacrificiis abhorreant; neque animata re ulla vescantur. Itaque carnes in cibum adhibere, vel sacrificare nefas esse ducebant. Conficta enim hæc esse volumina, neque eorum quicquam a majoribus profectum. Ejusmodi Nasaræorum discrimen a reliquis fuit: &c.*

XLIII. Quale vero & quantumcunque illud discrimen fuerit, quæcunque his *Nasaræis* ab Epiphanio tribuuntur, illos minime hæreticos, sed *Nazarænos* Christianos fuisse arguunt, quemadmodum ex nomine, genere, habitatione, & denique religione sive ritibus & doctrina constare potest, si ita uti decet, rite omnia excutiantur.

XLIV. Quod enim primo *Nasaræi* dicuntur, quid id aliud ostendit, quam Christianos illos esse, a *Jesu* Ναζωραίῳ, *Nazaræno*, in quem ceu Messiam credebant, ita appellatos. Jesus quando etiamnum a Judæis honorificentissime appellatur, vulgo הנוצרי ὁ Ναζωραῖος vocatur, quemadmodum neque ipsos Apostolos puduit hoc nomine illum appellare. Hinc etiam nunc Christiani omnes Judæi הנוצרים dicuntur, eorumque religio דת הנוצרים ὁ νόμος, imo vero ἡ αἵρεσις τῶν Ναζωραίων, Act. XXIV. 5. Sed res notior est, quam ut hic illam multis confirmare necesse sit. Videantur de hoc nomine cum alii, tum inprimis Cl. Altingius in *Schilo*, Lib. IV. cap. 13. & ad Jer. XXXI. 6. & Ezech. XVII. 22. s. & Heptade III. Diss. 4.

XLV. Si quis vero sit, qui existimet, hos, de quibus agimus, *Nasaræos* diversos esse a *Nazarenis* Christianis, eo quod Dominus Jesus & discipuli ejus cum in N. T. tum ab ipso Epiphanio constanter Ναζωραῖος & Ναζωραῖοι scribantur per Z & Ω, cum hi Judæorum hæretici ab eodem Νασαραῖοι scribantur per Σ & A: næ is nodum, quod ajunt, in scirpo quæret, & nimis levi tibicine hanc Epiphanii sententiam adversus tot & tam validos arietes, quos porro adhibebimus, frustra stabilire conabitur. Quis enim, ut de aliis taceam, de Epiphanio ignorat, quot modis in nominibus Hebraicarum hæresium ludere & aberrare soleat, qui ex *Essenis* modo *Ossenos* facit, & mox rursum *Jessæos*, ac illos quidem Samaritanos, istos Judæos,

dæos, hos denique Christianos fuisse arbitratur; Vide Hæreses x. xix. & xxix. §. 5. qui *Cerinthianos* etiam *Merinthianos* vocat, etsi se ignorare fatetur an *Cerinthus* alio nomine etiam *Merinthus* fuerit dictus, Hæresi xxviii. §. 8. & xxix. §. 7.

XLVI. Secundo vero *genere Judæi* erant, haud secus sc. ac Jesus, & apostoli ejus, illorumque primi discipuli *Nazareni*, qui & ipsi *Judæi* erant, Judæorumque lingua & moribus passim utebantur. Res vulgo notissima est, quæ probationis non indiget. Sed ecce tamen ipsum Epiphanium diserte id affirmantem, Hæresi xxix. §. 5. *Postquam Marcus in Ægypto divinum verbum prædicavit, nonnulli tum prodierunt Apostolorum assecla, Nazaræi videlicet isti, de quibus præsens institutus est sermo. Erant illi genere quidem Judæi, atque ad legem & circumcisionem adhæserant &c.*

XLVII. Quid vero illud, quod tertio hi Nasaræi ex *Galaaditide & Basanitide ac reliquis ultra Jordanem regionibus oriundi erant?* nonne & id satis causæ est ad persuadendum, hos eosdem esse quos Hæresis xxix. nomine Ναζωραίων, *Nazarænorum*, describit, hæreticos Christianos? Nam sane & illi eadem loca incolebant. Audi, quæso, ipsum Epiphanium Hær. cit. §. 7. *Cæterum hæc Nazaræorum Secta in Berœensi civitate potissimum viget, in Cœle Syria, atque etiam in Decapoli juxta Pellam & in Basanitide, in ea quæ vulgo Cocabe, Hebraice Chochabe dicitur. Hinc enim post illam ab Hierosolymis secessionem, illorum initia profecta sunt, cum Pellæ discipuli omnes habitarent, a Christo de relinquenda Hierosolymorum urbe migrandoque premoniti, quod ejus immineret obsidio. Qua quidem occasione factum est, ut in Peræa iis quibus diximus locis degerent. Indeque Nazaræorum hæresis sunt deducta primordia.* Ergo & *Nazaræis* & *Nazaræi* eadem *Basanitidis* & adjacentium regionum *ultra* Jordanem, vel *Peræa*, loca incolebant. Ut hoc quoque validissimo argumento probetur *Nasaræo*, Judæorum hæresin, eandem esse atque *Nazaræos*, vel *Nazarenos*, hæresim Christianorum.

XLVIII. Id quod quarto ex *religione* eorundem confirmatur. *Nasaræi Judæorum in omnibus dogmata complectuntur, nec ab iis fere ulla in re dissident. Et circumcisionem, & Sabbathum, & festa Judæorum eadem celebrant.* At non id ipsum, & solum illud atque unicum est, quod *Nazarænis* Christianis objectum est, quod adhuc Judaizarent, & omnia eadem atque Judæi observarent?

XLIX. Sed quinto *neque fatum neque Astronomiam admittebant*. Quemadmodum neque *Nazareni* Christiani illi, qui Aquilam Ponticum, Ælii Adriani generum, & novæ Hierosolymæ, Æliæ dictæ, præfectum, postquam Christianismo nomen dederat, hoc solo vel præcipue nomine excommunicarunt, quod Astrologiæ judiciariæ & nescio quibus aliis περιεργίαις nimis deditus esset, quod alias ostendemus.

L. Sed gravius est, quod sequitur. Cum enim *Nazaræi* Christiani *non tantum Novo Testamento, sed & Veteri Judæorum instar uterentur*, & in specie *libris Legis*, teste Epiphanio nostro Hæresi xxix. §. 7. Hi *Nasaræi* Judæi *Pentateuchum repudiabant*. Sed ignoscant mihi pii Epiphanii manes, si quod sentio, & res est, eloquar, & hanc lepidam fabulam, vel potius eorum, a quibus Epiphanius illam accepit, imperitam atque malignam dicam calumniam. Quid enim? *Judæorum omnia dogmata complectantur; circumcisionem, Sabbatum, cæteraque festa perinde atque reliqui Judæi observent*, quod ipsum Epiphanium de illis testantem modo audivimus; Imo vero *veteres illos Patriarchas, quorum in Pentateucho mentio est, approbent: & Pentateuchum nihilominus ipsam repudient?* Id vero monstri simile est, &, ut Petavius ad h. l. ait, *idem ac Judaismum* ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως *evertere, & Judaismi medullam funditus proscribere*: ut non sine ratione idem *se nescire* addiderit, *ejusmodi Judaici nominis hæresin an alius præter Epiphanium commemoraverit*. Quid quod hæc Hæresis, ipso Epiphanio teste, ne *Mosen quidem abjicit, neque oblatam huic a Deo Legem esse diffitetur? Sed aliam* (tantum) *fuisse dicit quam quæ vulgo circumfertur*. ὀ ταύτην δή φησιν, ἀλλ' ἑτέραν, *Non hanc esse ait*, quam Epiphanius cum sui similibus Græculis Latinisve, Hebrææ linguæ ignaris, versabat, *sed aliam*, Hebraice a Mose scriptam & ad ipsos usque propagatam. Nempe igitur idem tum temporis usu vaniebat Nasaræis illis & Christianis Græcis inter se disputantibus, quod hodie fieri solet inter Evangelicos & Romano-Catholicos, ut si Græci editionem Septuaginta interpretum in partes vocarent, Nasaræi illi, haud secus atque Evangelici a Versione Latina vulgata, ad Codicem authenticum, Hebræum illum provocarent, & Græcos suæ editioni plus justo tribuentes, & nimiis quandoque laudibus ex Aristæa efferentes, riderent, non ignari quot modis illa editio, sive Interpretum, sive librariorum vitio, esset cor-

corrupta. Adeo ut non *ipſam Pentateuchum*, ſed ταύτην, *hanc* ejus, qua Epiphanius cæterique Græci Chriſtiani ſola utebantur, editionem rejicerent; & a turbatis rivulis ad fontes ipſos provocarent. Quod cum optimo jure facerent, Chriſtiani gentiles Græci Latinive hanc illorum diſputandi rationem ita acceperunt, vel potius calumniati ſunt, acſi Pentateuchum ipſam negarent. Cujuſmodi fabula hodie etiam paſſim luditur. Hæc noſtra de hac controverſia ſententia eſt, in qua ſi non ipſum erroris fontem deteximus, per nos licet alii hos Naſaræos, qui Judæi erant viderique volebant, inſaniviſſe & ipſa Judaiſmi fundamenta funditus evertiſſe credant. Nos tamen interea hoc ſexto argumento utemur, ad demonſtrandum, *Naſaræos* Judæos, & *Nazarenos* Chriſtianos, idem hominum genus eſſe.

LI. Huc Septimo accedit, quod a *Sacrificiis abhorreant*, *neque animata re ulla veſcantur*; quæ & *Nazarenorum*, ſive Chriſtianorum ex Judæis, inſtituta fuiſſe partim nobis certum eſt, partim vero admodum ſimile videtur. Certum, inquam, eſt, quoſdam carnibus abſtinuiſſe, teſte Apoſtolo ad Rom. XIV. 2. ubi Chriſtianorum, qui Romæ degebant, *alios omnibus rebus*, adeoque & carnibus, *veſci* ait, alios vero *oleribus* tantum; qui poſtremi procul omni dubio Judæi fuerunt, qui temporibus Meſſiæ cum magnam rerum omnium mutationem exſpectabant, tum ex primæva lege, Adamo de cibis lata, ſibi videndum exiſtimabant, de qua re infra pluribus erit agendi locus. *A ſacrificiis* vero etiam *abhorruiſſe* admodum probabile eſt, ſive quod corpore ipſo exhibito umbras jam ceſſare exiſtimarent, & ab ipſo Chriſto, quod Epiphanius alibi de *Ebionitis* tradit, abrogatas crederent; ſive quod templum Hieroſolymitanum, in quo ſolo majores illorum ſecundum Dei præſcriptum rite obtulerant, everſum viderent, extra quod rem ſacra facere nefas eſſe ducebant. Ut adeo etiam hac parte ſatis amice inter hoſce Epiphanii *Naſaræos* & *Nazarenos* conveniat; & ſic jam extra omnem controverſiæ aleam eſſe putemus, *Naſaræos* eſſe quidem genere Judæos, ſed profeſſione Chriſtianos, primos Apoſtolorum diſcipulos, eorumque poſteros & ſucceſſores, qui Judæis olim & etiamnum vulgo הנוצרים *Hannozerim* dicti ſunt.

LII. Poſteaquam itaque vidimus, quales quique fuerint, quos Juſtinus, Hegeſippus, & Epiphanius in Hæreticos populi Judaici retulerunt, & obſcuros homines utcunque illuſtravimus, eorumque natales declaravimus; ſequitur ut jam porro etiam inquiramus, quo jure vel hæreſeos damnati ſint, vel ab aliis ſuæ nationis ſectis diſtincti: ut vel ad ſuam quoſque familiam, a quibus avulſi ſunt, reducamus, vel a diro hæreſeos crimine prorſus abſolvamus.

LIII. Quod itaque ad *Hellelianos*, & *Meriſtas* ſive *Sameanos*, attinet, nemo hodie rerum Judaicarum paullo peritior hos a *Phariſæis* diſtinxerit; cum nihil niſi meri Phariſæi fuerunt, ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν φαρισαίων, *ipſa genuina ſecta Phariſæorum*; eorumque anteſignani, a quibus nomen ducebant, *Hellel* & *Sameas*, id unice operam dederint, ut cœptum jam in populo Judaico Phariſaiſmum ſtrenue promoverent & ad ἀκμὴν producerent. Conferantur ſaltem ea, quæ Evangeliſtæ de Phariſæorum dogmatibus & inſtitutis narrant, cum iis quæ in Miſna Gemaraque de בית הלל *Familia Hillelis*, *&* בית שמאי *Familia Schammæi* traduntur, dubitari certe non poterit, quin *Helleliani* & *Sameani* ſint ipſiſſimi Phariſæi, & Phariſaiſmi fautores promotoreſque maximi.

LIV. Atque eadem omnino *Scribarum* ratio, quos Epiphanius in ſcenam produxit, qui cum populi doctores eſſent in Synagogis atque Academiis, Phariſaicas δευτερώσεις uſque inculcarunt, & novis quiſque inventis adauxerunt; tantum abeſt, ut ab illis diſtinguendi veniant. Quod vero *Phariſæis* a Servatore noſtro toties junguntur, ab iiſque diſtingui videntur, id ſolum cauſæ eſt, quod eorum antiſtites erant, ut cum *Phariſæi* omnes in univerſum *ſocios* dicant *regulam ſtrictioris obſervantiæ cira munditiem & immunditiem profeſſos*, quos inter plurimi idiotæ erant; Doctiores inter illos, qui non modo Legi & Traditionibus, ſed & Talmudi operam dederant, סופרים γραμματεῖς, *Scribæ*, alias חכמים σοφοί, *Sapientes*, vel רבנן *Magiſtri* vulgo dicerentur. Ut adeo Γραμματέων, *Scribarum* nomen, non diſtinctæ hæreſeos vel ſectæ ſed honoris & muneris fuerit in ſecta eminentis.

LV. De *Hemerobaptiſtis* porro liquidiſſima res eſt, non ſine gravi errore in *hæreticos* referri homines Legis divinæ obſervantes, qui contractam legalem immunditiem, ex ipſius Dei præſcripto, corporis & veſtium lotione expiabant, & reliqua quoque ſuppellectilia aqua luſtrabant.

LVI. Neque vero *Herodiani* & *Galilæi* majori ſpecie ab aliis ſectis diſtinguuntur, cum diverſæ tantum in Re-

publica factiones fuerint, illis Cæsarem ejusque dominatum contra populum Judaicum, his populi libertatem contra Cæsarem defendentibus, quæ res nihil ad religionem attinebant. Quam tamen ipsam si quis etiam de illis exquirat, *Heredianos* Sadducæis addictos fuisse comperiet, *Galilæos* vero Pharisaismi per omnia tenaces, a quibus nihil differebant, nisi quod etiam armis libertatem asserendam existimabant.

LVII. De *Samaritis* autem quis nescit, eos adeo a Judæis distinctos fuisse, ut & diversam Rempublicam, Templum, Sacra habuerint, Judæisque adeo invisi fuerint, ut hi ne beneficium quidem ab illis accipere voluerint, nedum illi horum aliqua pars fuerint habiti, quemadmodum rebus Judæorum florentibus apud exteros principes videri volebant.

LVIII. Ostensio itaque breviter *Helleliano* & *Meristas*, *Scribas* item, &, si religionem spectes, etiam *Galilæos* ad *Pharisæorum* Sectam omnes esse referendos; *Hærodianos* ad *Sadducæos*; *Hemerobaptistas* vero & *Samaritanos* Hæresium Judaicarum numero prorsus eximendos, illos ceu orthodoxos & ad legis divinæ pręscriptum ὀρθοποδοῦντας, hos vero ut a populi Judaici R. P. alienos: *Genistæ* tandem, *Masbothæi* & *Nasaræi* supersunt, quorum causa eo majorem a nobis diligentiam fidemque requirit, quo minori suo merito non solum a tribulibus suis Judęis gravissimas persecutiones perpessi sunt, sed & a Christianis gentilibus indignas criminationes sustinuerunt, & hęreseos suspicionem, eoque nomine anathematismum incurrerunt, a qua injuria optimos innocentissimosque homines vindicandos censemus.

LIX. Id autem priusquam agamus, quid Patres *Hæreseos* nomine intelligant, ex ipsis discendum erit. Justinus itaque suam omniumque Christianorum per omnia recte sentientium sententiam de *Resurrectione mortuorum* Tryphoni declaraturus, illum monet, caveat illis credere, qui nomine Christianorum abusi prava dogmata tanquam Christiana doceant, & *Nolite*, inquit, *eos Christianos ducere, non magis quam* Judæos, *si quis vere rem exquisiverit, esse fatebitur Sadducæos, aut similes sectas Genistarum, Meristarum &c. Sed* Judæos *& filios Abrahami, nomine & labiis Deum confitentes, quemadmodum Deus ipse clamavit, corde autem ab eo abhorrentes*. Ex quibus verbis evidens est, Justinum per *hæresin* non sectam quamcunque a dogmate aliquo, quod defendendum susceperint, dictam intelligere, sed quę prorsus perniciosum dogma foveat, Deo, & veritati, & ipsi denique saluti adversum, qualis est, quę primo loco ab illo recensetur, hęresis *Sadducæorum*, quę & Dei providentiam, & resurrectionem mortuorum, &, quæ hanc secutura sunt, pręmia & pœnas negabat. Neque vero Hegesippus aut Epiphanius mitiori sensu eadem voce *Hæreseos* utuntur, quemadmodum verba illorum consideranti constare potest.

LX. Cum itaque Justini Martyris *Genistas* illos esse ostenderimus, qui Hebræis מינים *Minæi*, *Hæretici* dicuntur §. 12. *Minei* autem Judæis inprimis sint הנוצרים, οἱ Ναζωραῖοι; Hieronymo *Nazareni*. sive Christiani, maxime qui ex Judæis in Jesum Nazarenum crediderant, §. 13. 14. hinc adeo evidens esse putamus, *Genistas* illos esse ipsos *Christianos*, & nullo suo merito in *Hæreticorum* album relatos. Nisi si & nos Paulum Hæreticum dicere debeamus, quia Judæi eundem vocant πρωτοστάτην τῆς αἱρέσεως τῶν Ναζωραίων, *primipilum hæreseos Nazarenorum*.

LXI. Deinde, cum §. XLII. & seq. *Nasaræos* Epiphanii eosdem esse vicerimus, qui alias ab eodem aliisque *Nazareni* vocantur; illos eodem jure ex albo Hæresium Judaicarum expungimus, & in Christianos transscribimus.

LXII. Porro vero cum Hegesippi *Masbothæi*, ipso nomine illorum agruente, & Isidoro attestante, a *Sabbatho* dicti sint, §. 34. & illi Judæorum *Minæi*, & Christianorum *Nazareni*, novum & Judæis insolens Sabbathum celebraverint, §. 35. nemini, credo, dubium esse poterit, quin hi quoque *Masbothæi* iidem sint, atque Iustini *Genistæ*, & Epiphanii *Nazareni*, de quibus adeo idem, quod de alteris illis censendum. Adeo ut hi tres Patres unam eandemque hæresint, uti quidem ipsi existimabant, Judæorum, tribus diversis nominibus appellent' *Genistas*, *Masbothæos & Nasaræos*; & nos, si *Nasaræos* ab objecto hæreseos crimine vindicaverimus, eadem opera etiam *Genistas & Masbothæos* liberaturi simus.

LXIII. Verum enim vero, cum *Nazareni* illi olim apud Græcas Latinasque Ecclesias vulgo pessime audiverint, & hæretici sint habiti atque dicti, & etiam nunc a plerisque habeantur, non suffecerit probasse, illos non fuisse *hæreticos Judaicos*, nisi & hoc ostendamus, illos neque inter *Christianos hæreticos* censeri posse, sed per omnia summa religionis Christianæ capita fuisse orthodoxos.

xos. Id quod ea methodo probare instituemus, ut primo historiam & sinceram illorum fidem ostendamus, tum quæ illis objecta sunt, diluamus, vel certe *hæreseos* nomine indigna esse probemus.

LXIV. Ut itaque rem inde ab origine repetamus, ex historia Evangelica notum est, Dominum Jesum ab oppido *Nazaretho*, ubi viginti septem admodum annos habitaverat, dictum esse *Jesum Nazarenum*, non a Judæis modo & Pilato, sed & ipsis Apostolis, Act. II. 22. III. 6. IV. 10. Quem cum hi *Christum*, vel *Messiam* esse crederent, & publice prædicarent, hinc & ipsi נוצרים, Ναζωραῖοι, *Nazareni* a Judæis vulgo sunt appellati, & quotquot porro doctrinam eorum amplectebantur, *ἡ αἵρεσις τῶν Ναζωραίων*, *Hæresis Nazarenorum*, Act. XXIV. 5. quo nomine ipsos libenter vocatos fuisse inde sit vero simile, quod Petrus locis modo allegatis Dominum Jesum non modo *Christum*, sed & cum emphasi identidem *Nazarenum* appellat.

LXV. Qui vero primi Apostolorum opera ad Christum conversi sunt, Judæi fuerunt, quibus prius offerri decebat promissum Patribus Messiam, quam Gentibus prædicaretur. Imo & Hierosolymis primum Evangelium prædicari cœpit, unde cum in alias regiones quaquaversum dispersum est, tum inprimis per vicinas Judæam, Samariam & Galilæam, Act. VIII. 1. 4. unde celebres & florentissimæ in illis oris Ecclesiæ natæ sunt, ibid. vers. 5. 6. 14. IX. 31. ex solis Judæis collectæ; cum Apostoli gentilibus Evangelium nondum prædicassent, quod Petrus divino oraculo monitus demum cœpit cap. X. reliquis fratribus, imo ipsis Apostolis mirantibus cap. XI. 1. Et licet maxima Judæorum pars ad crucem Christi & vocationem gentium impegerint, tamen tanto numero ad primam Evangelii prædicationem crediderunt, ut Jacobus Hierosolymorum Episcopus non centurias aut millia quædam, sed myriades jactare potuerit Judæorum conversorum. *Vides, frater*, inquit ad Paulnm, *quot Myriades sint Judæorum qui crediderunt*. Act. XXI. 20.

LXVI. Hæ porro Ecclesiæ ex Judæis collectæ, Hierosolymis atque vicinis locis manserunt, quoad extremum reliquæ male sanæ atque incredulæ genti Judæorum exitium, templi atque urbis Hierosolymitanæ excidium imminere senserunt, quando consilii Christi memores, Matth. XXIV. 15. & seq. imo divino oraculo de novo moniti; ne communi calamitate involverentur, trans Jordanem se receperunt in Cœlen Syriam, & maxime Pellam, quam cum vicinis locis insederunt, ubi & a Judæorum furore, & ab armis Romanorum securis esse licebat. Vid. . . . . Eusebius Hist. Eccl. Lib. III. cap. 5. & Epiphanius, Hær. XXIX. §. 7. & de Mensuris & Ponderibus §. 15.

LXVII. Hæc divina illa famosissimæ hæreseos origo, hæc incunabula fuerunt; de quibus cum universis, quotquot sunt in toto orbe Christiano, Ecclesiis hæc *Nazarenorum* hæresis merito suo certare potest. Jesus Christus Nazarenus sevit; Jesu Nazareni Apostoli irrigarunt; Jesus denique Nazarenus incrementum dedit; & quamvis gravissimis quandoque persecutionibus & calamitate publica, veluti aurum igne, exploravit, tamen quando in reliquam incredulam gentem horrendum illud judicium exercuit, eam tenerrime fovit, & mediis flammis eripuit.

LXVIII. Sed age, dogmata ejusdem hæreseos etiam perlustremus. Parum enim fuerit præclaros natales ostendisse, nisi firmissimis & omni exceptione majoribus argumentis probatum demus, *Nazarenos* illos tanti Magistri non degeneres discipulos per aliquot secula, & tum maxime, quum a Christianis gentilibus tantopere accusabantur, in recta fide perstitisse, & castos mansisse in religione nepotes.

LXIX. Ut enim ordinem Symboli, quod vulgo Apostolicum vocant, aliqua ratione servemus, *Nazareni*

A Deo universa producta esse confitentur. Epiphanius Her. XXIX. §. 7.

Unum esse Deum, ejusque Filium Jesum Christum prædicant. Ibid.

Credunt, inquam, *in Christum Filium Dei, natum de Virgine Maria*. Hieronymus ad Augustinum Epistol. LXXXIX.

Eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato passus est. Ibid.

Et resurrexit, Ibid. Tertio nempe die, sive primo Septimanæ, quem in memoriam Resurrectionis Christi celebrant, æque ac alii Christiani, quemadmodum Eusebius de Ebionæis testatur, Hist. Eccles. Lib. III. cap. 27. quos *Ebionæos* infra demonstrabimus ipsos esse *Nazarenos*.

Denique & mortuos excitari credunt, Epiph. l. c. adeoque procul dubio & *judicium* & *vitam æternam*.

LXX. Ex his vero quotus quisque est, qui non perspiciat atque intelligat, quam præclare atque orthodoxe de Deo & Christo ejus senserint? Quod si enim

hæc

hæc est vita æterna. Patrem cognoscere solum verum Deum, & quem misit Jesum Christum, Joh. XVII. 3. quis illos regno cœlorum excludat? Apostolus I. Tim. III. *στῦλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας* vocat, יסוד היסודות ועמוד האמת, *Christianæ veritatis* vel *religionis columnam & fundamentum*, hos articulos, *Deum manifestatum esse in carne, justificatum in Spiritu, apparuisse Angelis*. At non hos omnes crediderunt atque confessi sunt, vel ipsis illorum adversariis testibus? Quis itaque accuset illos, quis condemnet? *Christus est*, quem pro se *mortuum* credunt, imo quod plus est, *resurrexisse, & sedere ad dexteram Patris*.

LXXI. Quod vero de *Spiritu Sancto*, in quem ut Deum crediderint, aliisque articulis nihil proferre valeamus, quis miretur, cum hæc ipsa, quæ ad illorum orthodoxiam asserendam attulimus, non ex ipsorum libris, sed adversariorum infensissimorum testimoniis sint depromta? Quam ob rem ea quæ hactenus de illis dicta sunt, tanto majoris ponderis apud nos esse debent, quod a professis adversariis sint profecta, qui nihil in eorum gratiam, quos sibi accusandos sumserant, fingere voluisse sunt existimandi, sed ipsius veritatis vi adacti dixisse, quicquid boni de illis dixerint. Audire juvabit Epiphanium nostrum, Hær. XXIX. §. 7. *De Christo vero*, inquit, *certo illud affirmare nequeo, utrum Cerinthi vel Merinthi impietate illa decepti simplicem illum hominem asseverent, an uti sese res habet, per Spiritum Sanctum de Maria Virgine genitum esse fateantur*. Ex quibus ejus verbis perspicuum est, quam avide atque libenter negatæ miraculosæ conceptionis & nativitatis Christi illos reos egisset diligentissimus hæreticæ pravitatis inquisitor, si vel minimi hac de re rumusculi ad aures ejus allapsi essent. Sed, bonum factum! hanc tantam impietatem ne juratus quidem adversarius illis impingere est ausus, a qua alii pariter inimici illos diserte absolvunt. Quod vero ad *Spiritum Sanctum* attinet, præterquam quod sufficere nobis potest & debet, de eo illos nullius hæreseos accusari, inferius etiam occasio dabitur ostendendi, quid de illo & Christo senserint, postquam ad *Ebionitas* pervenerimus, qui sunt ipsissimi hi nostri *Nazareni*.

LXXII. Sed ad alia pergamus, quæ non minus probent *Nazaræos* genuinos Christianos fuisse. *Porro*, inquit Epiphanius Hær. XXIX. §. 7. *non solum Novo, sed & Veteri Testamento* Judæorum *instar utuntur. Neque enim apud illos Legis libri, Prophetæ & Hagiographi prohibentur, quæ* Judæi *Biblia nuncupant, ut & a* Judæis *approbantur*. Ergo, inquam ego, non tantum Veteri, sed & Novo Testamento utuntur, more Christianorum; quod unicum sufficere poterat ad retundendam diram illam Epiphanii accusationem, qua illos, etsi nomen *Nazarenorum usurpent, interim tamen nil nisi meros* Judæos *esse* ait.

LXXIII. In specie vero *Evangelio Hebræo Matthæi* utebantur. Quod cum veteres tanto consensu Hebraice scriptum fuisse testentur, & res ipsa exigat, facile animum inducimus hac in re illis assentiri. Cum enim illi, de quibus agimus, *Nazareni* gente Judæi essent, sive Hebræi, & *linguæ Hebraicæ callentissimi*, teste Epiphanio, *adeo ut cum Lex universa apud illos, tum Prophetæ & Hagiographa, hoc est libri illi qui versibus compositi sunt, Regum item libri, & Paralipomena, Esther, cæteraque id genus Hebraice, ut & a* Judæis, *legerentur*: nihil causæ dari posse putamus, cur non Deus illis quoque sua lingua verbum suum exhibere voluerit, eamque ob rem Apostolorum aliquis historiam Christi Hebraice conscribere debuerit. Nam si Deus infinitam suam gratiam & sapientiam eo olim comprobatam dedit, quod Vet. Testamentum mature in linguam Græcam curavit transferri; quod item N. Fœderis libros Græce scribi voluit, ut gentiles haberent, quo de Deo & voluntate ejus ad salutem erudirentur: qui nobis vero simile fiat, Christum & Apostolos ejus primam Ecclesiam ex Hebræis, Hebræa tantum lingua utentibus, collectam adeo negligere voluisse, ut peregrino idiomate apud illos uti voluerint? Græca autem lingua Judæis in solo patrio barbara erat, neque Apostoli ante Sp. Sancti effusionem, cæterique de vulgo Judæi, qui quidem Hierosolymam reliquaque Judææ loca incolebant, magis Græce callebant quam Latine. Unde neque Christus, neque Apostoli ejus, in Judæa ad populares suos aliter quam Hebraice, locuti leguntur.

LXXIV. Quemadmodum vero Veteris Novique Testamenti libros receperunt, ita eosdem diligenter legerunt, & felicissime sunt interpretati. Testis nobis locuples Hieronymus, qui familiare cum illis commercium habuit, & non tantum Evangelium Matthæi Hebraicum ab illis nactus est, sed & commentarios eorum in Prophetas sæpiuscule allegat, quorum specimen quoddam huc transferre non abs re erit. Sic ergo ille ad Jes.

IX. 1. *Hebræi credentes in Christum hunc locum ita edisserunt : Primo tempoe duæ tribus Zebulon & Neptalim ab Assyriis captæ sunt, & ductæ in hostilem terram, & Galilæa deserta est ; quam nunc propheta dicit alleviatam esse, eo quod peccata populi sustineret. Postea autem non solum duæ tribus, sed & reliquæ, quæ habitabant trans Jordanem & in Samaria, ductæ sunt in captivitatem. Et hoc, inquiunt, Scriptura nunc dicit : quod regio cujus populus nunc ductus est in captivitatem, & Babyloniis servire cœpit ; & quæ prius in tenebris versabatur erroris, ipsa primum lucem prædicantis viderit Christi, & ex ea in universas gentes sit Evangelium seminatum. Nazaræi, quorum opinionem supra posui, hunc locum ita explanare conantur : Adveniente Christo & prædicatione illius coruscante, prima terra Zabulon & Neptalim, Scribarum & Pharisæorum est erroribus liberata : & gravissimum traditionum Judaicarum jugum excussit de cervicibus suis. Postea autem per Evangelium Apostoli Pauli, qui novissimus Apostolorum omnium fuit, ingravata est, id est multiplicata prædicatio : & in terminos gentium, & viam universi maris Christi Evangelium splenduit. Denique omnis orbis qui ambulabat vel sedebat in tenebris, & idololatriæ & mortis vinculis tenebatur, clarum Evangelii lumen aspexit.*

LXXV. Ita *Nazareni* illum Jesaiæ locum enarrant, unde constare potest, cujus generis fuerint ipsorum explicationes scripturæ. Quod vero Hieronymus hic distinguit inter *Hebræos qui in Christum crediderunt*, & inter *Nazaræos*, more Patrum facit, ut illa, quæ sunt eadem & nulla ratione differunt, nimis accurate distinguat, quemadmodum ex ipsa interpretatione liquet, quæ, si recte consideretur, non duplex est, sed una eademque, verbis tantum variata.

LXXVI. In Scriptura vero V. T. publice privatimque legenda solum textum Hebræum adhibebant, utpote Hebraice callentissimi: Epiphanius Hær. XXIX. §. 7. cujus verba vide sup. §. LXXIII. Quo solo etiam in disputationibus usos fuisse vero simile est, rejecta auctoritate editionis Græcæ LXX. Interpretum ; quam cum non admitterent, hinc enata est fabula Pentateuchi Mosaicæ rejectæ: quia etsi historiam Mosis universam, legem a Deo datam, cæteraque omnia fatebantur, tamen vulgatam legis editionem, id est Græcam, aspernabantur. Unde porro factum arbitror, ut Theodotio Ponticus & Symmachus Samaritanus, postquam *Nazaræis* nomen dederant, Codicem Sacrum V. T. de novo in Græcam linguam transtulerint, ut qui Græca editione uti vellent vel deberent, accuratiorem & textui Hebræo convenientiorem versionem haberent.

LXXVII. Quemadmodum igitur solam Scripturam Veteris novique Testamenti, ut unicam fidei & vitæ normam recipiebant, atque indidem futurorum Ecclesiæ fatorum spem animo præcipiebant, ita & Pharisæorum traditiones, & vanas Mathematicorum gentilium artes detestati sunt. De traditionibus Pharisaicis mox videbimus §. LXXIX. De arte genethliaca aliisque superstitionibus argumento ex historia Aquilæ Pontici primi post τὸς LXX. Scripturarum Interpretis, quam Epiphanius narrat de Mensuris & & Ponderibus §. 15. *Inde* (Pella, Apostolorum discipuli, Nazaræi) *post eversam urbem regressi, ingentibus, ut dixi, claruere miraculis. Horum consuetudine vehementer animo commotus Aquila Christianam religionem amplectitur. Tum aliquanto tempore interjecto, Christianæ professionis sigillum, uti petierat, obtinet. Verum cum a priori usu, moribusque non discederet, & vanissimis Mathematicorum artibus, quas apprime callebat, nimium tribueret, adeoque genesin & horoscopum suum observaret indies; cum ob id a Magistris objurgatus ac reprehensus emendare se nollet: imo vero pervicaciter obluctans falsa quædam minimeque cohærentia tueri ac defendere vellet, ut pote fatum & quæ cum eo connexa sunt, rursum ab Ecclesia, tanquam ad salutem minime idoneus, ejectus est*. Erat hic Aquila Ælii Adriani Cæsaris Socer (non *gener*, uti supra nobis excidit) & novæ Hierosolymæ, sive Æliæ præfectus, gratia procul dubio & auctoritate apud generum suum plurimum valens, cujus adeo ad Ecclesiam accessio Christianis Nazaræis illis, qui Hierosolymam repetierant, omnia summa commoda promittere videbatur. Cum vero idem mathematicorum superstitionibus deditus esset, homines verbo Dei & providentiæ ejus confisi, spetatis commodis carere maluerunt, quam in universitate sua tolerare virum περιεργίας illis vel minimum tribuentem.

LXXVIIS. Quanquam vero & genere, & lingua, & moribus Judæi erant, tamen reliqui increduli Judæi illos Vatiniano prosequebantur odio, & veluti Apostatas ab avita religione exsecrabantur, & quotidie illis diras conceptis verbis imprecabantur. Testis est Hieronymus Epist. ad Augustinum, quæ est LXXXIX. *Usque hodie per totas orientis Synagogas hæresis est Judæorum, quæ dicitur Mi-*

Minæorum , *&* *a Pharisæis nunc usque damnatur* , *quos vulgo Nazaræos nuncupant*. Et clarius ad Jes. v. 18. *Dicuntur autem hæc ad Principes* Judæorum , *qui supra arguti sunt in avaritia atque luxuria: quod provocati a Domino ad pœnitentiam* , *&* *postea ab Apostolis ejus* , *usque hodie perseverent in blasphemiis* ; *&* *ter per singulos dies in omnibus Synagogis sub nomine Nazarenorum anathematizent vocabulum Christianum*. Et ad Jes. LII. *Et sub nomine* , *ut sepe dixi* , *Nazarenorum ter de die in Christianos congerunt maledicta.* Neque aliter ipse Epiphanius Hæresi XXIX. §. 9. *Neque enim* Judęorum *posteri solum capitali illos odio prosequuntur*, *sed & mane ac meridie*, *& ad vesperam ter de die*, *cum in Synagogis suis ad orandum conveniunt* , *diris illos devovent ac solenni imprecatione proscribunt* , *ac* NAZARÆOS , *inquiunt* , DEUS EXECRETUR . *In hos enim offensiore & acerbiore animo sunt*, *quod cum e* Judęorum *numero sint*, *nihilominus* JESUM ESSE CHRISTUM *predicent*, *quod iis qui* Judęorum *adhuc ceremonias colunt* , *imprimis est contrarium*, *qui Christum videlicet repudiant* . Formula illa execrationis temporibus Gamalielis Senioris, præceptoris Pauli Apostoli, cum Christianismus jam florere cœpisset, concepta, ex editione Bombergii hæc est: לכופרים אל תהי תקוה וכל המינים וכל המלשינים כרגע יאבדי וכל אויביך וכל שונאיך מהרה יכרתו ומלכות הרשעה מהרה תעקר ותשבר ותכלה ותכניעם במהרה בימינו ברוך אתה וגו׳ *Abnegantibus religionem non sit spes* , *&* *omnes heretici* (Minæi) *omnesque delatores quasi momento pereant* , *&* *cuncti hostes tui cunctique osores tui cito exscindantur*, *&* *regnum impietatis cito eradices* , *&* *confringas*, *&* *consumes* , *&* *humilies eos celeriter in diebus nostris* . *Benedictus esto tu* &c. Videatur Altingii *Schilo* , Libro IV. cap. 26. Nobis addere liceat illud Servatoris nostri , Matt. V. *Beati eritis* , *quum convitiati fuerint vobis*, *&* *persecuti fuerint*, *&* *mentientes dixerint quidvis mali adversus vos propter me* . *Gaudete & exsultate* , *quia merces vestra multa est in cœlis*: *ita enim persecuti fuerunt prophetas*, *qui fuerunt ante vos* .

LXXIX. Neque vero ipsi Pharisæis magis pepercerunt, quorum doctrinam , hypocrisin & vitia , Magistri sui exemplo, pariter acerrime sunt insectati, trattitionibus illorum infensissimi . Epiph. Loc. cit. Πάνυ δὲ οὗτοι ἐχθροὶ τοῖς Ἰουδαίοις ὑπάρχουσιν. *Judæis vero sunt longe inimicissimi*. Cujus rei argumenta Hieronymus allegat, ad Jes. VIII. DUAS DOMOS *Nazaræi* (*qui ita Christum recipiunt* , *ut observationes legis veteris non amittant*) *duas familias interpretantur Sammai & Hillel* ; *ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisæi* , *quorum Scholam suscepit Akibas* , *&c. Et has esse duas domus*, *quæ Salvatorem non receperint*, *qui factus sit eis in ruinam & in scandalum*. Et ad finem Cap. ejusdem : *Cæterum Nazaræi locum istum ita edisserunt*: *Cum dixerint ad vos Scribæ & Pharisæi* , *ut eos audiatis*, *qui omnia ventris causa faciunt*, *& in morem magorum strident incantationibus suis*, *ut vos decipiant* , *hoc eis respondere debetis*. *Non mirum*, *si vos vestras traditiones sequamini*, *cum unaquæque gens sua consulat idola*. *Ergo & nos a vobis de mortuis consulere non debemus*; *magis nobis Deus legem dedit & testimonia scripturarum*: *quæ si sequi nolueritis*, *non habebitis lucem*, *sed semper caligo vos opprimet*, *quæ transibit per terram vestram atque doctrinam*: *ut cum decepti a vobis se in errore perspexerint*, *& sustinere famem veritatis* , *tunc contristentur* , *sive irascantur & maledicant vobis*, *quos quasi Deos suos & reges putabant* . *Et frustra ad cœlum terramque respiciant*, *cum semper in tenebris sint* , *& non possint de vestris avolare insidiis*. Repetantur etiam quæ modo §. 74. ex eodem Hieronymo ad Cap. IX. Jesaiæ excerpsimus , quemadmodum & hanc Nazaræorum explicationem dicto paragrapho addi velim.

LXXX. Sane ex his constat , quam exosi fuerint Pharisæos , & quam abjecte de illorum traditionibus senserint atque locuti sint . Atque hæc ea sunt , quæ ut Christianismum *Nazaræorum* satis asserunt , ita capitale Pharisæorum odium in illos provocarunt. Sequitur ut videamus, quid causæ, & an satis causæ fuerit Patribus Christianis , cur illos *hæreticorum*, *Semi-Judæorum & Judæorum* nomine tantopere insectarentur . Hieronymus ad Jes. VIII. *Nazaræi* , *qui ita Christum recipiunt*, *ut observationes legis veteris non amittant*. Epiphanius Hæres. XXIX. §. 7. *Hoc igitur uno tam a* Judæis, *quam a Christianis differunt* : *ab illis quidem*, *quod in Christum credant*; *a Christianis vero* ; *quod* Judaicis *adhuc ritibus implicentur*, *velut Circumcisione* , *Sabbatho*, *aliisque cærimoniis*. Et Hær. XVIII. §. 1. de *Nasaræis* . *Pentateuchum ipsam repudiat*. *Nec Mosen quidem abjicit* , *neque oblatam huic a Deo legem esse diffitetur* , *sed aliam fuisse dicit*, *quam quæ vulgo circumfertur*. *Ex quo factum est* , *ut* Judæorum *reliquas cerimonias observent* , *utpote* Judæi : *a sacrificiis abhorreant*; *neque animata re ulla vescantur* .

Ita-

Itaque carnes in cibum adhibere, vel sacrificare nefas esse ducebant. Conficta enim hæc esse volumina: neque eorum quicquam a majoribus profectum.

LXXXI. Scilicet hoc illud est, quod Christiani Gentiles in illis tantopere detestati sunt, quod cum genere Judæi essent, Judaice etiam adhuc viverent, neque præputium attrahere aut originem Abrahamicam neglecta circumcisione ejurare vellent. Hinc illæ lacrymæ. Audiatur vel ipse Hieronymus ex Epist. ad Augustinum. *Si hoc verum est, in Cerinthi & Hebionis hæresin dilabimur, qui credentes in Christo propter hoc solum a Patribus anathematizati sunt, quod legis ceremonias Christi Evangelio miscuerunt, & sic nova confessi sunt; ut vetera non amitterent.* Dignus certe observatione locus, ita hic rem ipsam, nulla circuitione usus, eloquitur, & mitem illum nobis clementemque Patrum Gentilium animum describit, quibus ad anathematizandum, ad horrendum illud fulmen, ἔςω ἀνάθεμα, Μαρὰν ἀθά, vibrandum, satis vehemens causa videbatur, si quis *credens in Christum legis cerimonias Christi Evangelio misceret*, &c.

LXXXII. Sed, age, videamus, quam hæc justa & gravis causa fuerit. Erant Nazaræi illi omnes, erant Cerinthus ille & Ebion, si tamen uterque fuerint, genere Judæi, semen Abrahæ, cui circumcisio a Deo mandata erat, & data signum fœderis & sigillum justitiæ fidei; neque vero ipsi tantum, sed & semini ejus לדורותם *in generationes illorum* לברית עולם *in fœdus æternum*, quamdiu posteri Abrahami superstites erant futuri, adeo ut Deus piaculum pronunciaret, singulari judicio vindicandum, si quis circumcidi nollet. Gen. XVII. Rom. IV. 11. Quid ergo in eo non dicam hæreseos, sed vel erroris fuit, quod homines Abrahamo sati, & fœderis promissionumque ipsi factarum hæredes, illo signo atque sigillo utebantur, quo tot præclara beneficia olim promissa & nunc vere præstita, & Abrahamo & posteris ejus confirmata voluerat, quod, inquam, illo sigillo utentes se quoque fœderis illius socios & tantorum beneficiorum participes faterentur?

LXXXIII. At, inquies, Circumcisio jam pridem abrogata erat, & cum reliquis Veteris T. cæremoniis sepulta. Sic vulgo ajunt, atque uno omnes ore prædicant. Sed si quis hujus novæ legis tabulas desideret, si vocem preconis funus illud indicentis requirat; ubi inveniat, quis ostendat? De Paulo Apostolo jam olim fama.

Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri,

illud vulgavit, & ab ipsis aliquandiu Nazaræis creditum fuit, illum hujus legis funerisque præconem fuisse; sed falsissima illa erat, & mox prudenti Jacobi consilio & promto Pauli obsequio publice est refutata. Ut mirum sit, potuisse vanum rumorem tam altas in Christianorum gentilium animis radices agere, ut per tot secula in hunc usque diem nequiverint evelli.

LXXXIV. Ut fidem dictis nostris faciamus, adscribenda & curatius perpendenda erunt, quæ Act. XXI. 20. & seq. inter Jacobum reliquosque Ecclesiæ Hierosolymitanæ presbyteros, & Paulum acta narrantur. Ibi cum Paulus singulatim exposuisset, quæ Deus inter gentes ministerio ejus effecisset, illi Deum O. M. primo laudare, tum Paulum hisce verbis alloqui: *Vides, frater, quot myriades sint* Jud*æorum qui crediderunt. Atque hi omnes legis Zelotæ sunt. De te vero audiverunt, quod doceas quotquot inter gentes vivunt* Jud*æos deficere a Mose, vetans circumcidere filios suos, & priscis institutis vivere. Quid ergo est? omnino oportet multitudinem convenire: quippe te venisse audient. Fac igitur quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor voto obstricti. His assumtis cum illis mundator, & sumtus fac pro illis, ut caput radant, atque intelligant universi, quicquid de te audiverunt falsum esse; imo vero te quoque ipsum ita vivere ut qui legem observes. De Gentibus vero, quæ crediderunt, missis literis decrevimus, nihil hujus generis illis observandum, nisi ut caveant sibi ab idolothytis, & sanguine, & suffocato, & scortatione.*

LXXXV. In qua oratione primo atque ante omnia observandum est, accurate distingui inter *gentiles credentes* vers. 25. & inter Jud*æos*, qui itidem Evangelio *crediderant*, vers. 20. & *per gentes* omnes dispersi erant, vers. 21. Secundo vero, Judæos credentes de Paulo, nescio quibus nunciis aut rumoribus, accepisse, illum docere (non gentiles sed) Jud*æos*, qui inter gentes vivebant, deficere a Mose, *neque circumcidere filios suos*. Sic tum fama ferebat, quemadmodum etiamnum vulgo creditur, Paulum Apostolum abrogare legem Mosaicam & inprimis circumcisionem, non inter gentiles, qui illis obligari non debebant vers. 29. sed ipsos inter Judæos, vers. 21. Adeo ut idem jam tunc temporis status controversiæ fuerit, qui postea viguit, & nunc quoque est; *An Pau-*

Paulus docuerit, *Judæos credentes Evangelio non debere circumcidere filios suos?* Quid vero Jacobus cæterique presbyteri Ecclesiæ Hierosolymitanæ? illinc id verum esse credant? nequaquam vero. Meliora omnia sibi de Apostolo persuadent, *cui concessam* divinitus *gratiam norant*, quæ esset, Gal. II. 9. Quam ob rem ei auctores sunt, ut quod illi falsum esse sciebant, ipse quoque operam daret, ut publice omnibus innotesceret, ὅτι οὐδὲν ἐστιν, *id quidem nihil esse*; imo vero tantum abesse, ut Paulus alios Judæos defectionem a Mose docuerit, ut ipse Legis Mosaicæ vixerit observantissimus. Quid vero ad hæc Paulus tandem? An forte illum de se sparsum rumorem silentio suo comprobet? vel, quod æquius fuisse arbitror, rationibus etiam institutum suum defendere conetur? Nihil sane minus, sed tam salubri consilio parens, *adscitis viris illis postridie cum illis mundatus templum ingreditur*, atque omnia agit, quibus publice declaret atque demonstret, quæ de *circumcisione*, aliisque ab illo abrogatis ferebantur, merum hominum imperitorum errorem vel impudentem malevolorum calumniam esse.

LXXXVI. Ex quibus omnibus tandem sole meridiano clarius elucere putamus, Paulum Apostolum inde a primo ministerii die, usque ad vincula sua nunquam docuisse, *Judæos credentes non debere circumcidere filios suos*; neque Jacobum reliquosque presbyteros Hierosolymitanos illud unquam credidisse aut ab Apostolo factum voluisse; imo ipsummet Apostolum calumniam illam publice dedita opera refutasse.

LXXXVII. Sed quid ago? nunquam igitur Apostolus Circumcisionem prohibuerit, & abrogatam docuerit? Imo vero serio & severe illam prohibet Gal. V. 2. seq. *Ecce*, inquit, *ego Paulus edico vobis, quod si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. Et confirmo omni homini, qui circumciditur, illum debere universam legem præstare. Nihil vobis rei cum Christo est, quotquot per legem vultis justificari, gratia excidistis.* Verum cum hæc Paulus ad Galatas scripserit, gentiles origine, & præputiatos, perperam ea ad Judæos referuntur jam circumcisos. Ad gentiles enim datam esse hanc epistolam, ex toto argumento ejus clarius esse putamus, quam ut probare necesse sit. Unde etiam argumenta ab Apostolo adhibita ultra gentiles non sunt extendenda. Quid enim miseris illius temporis Judæis, quid ipsi Apostolo fieret, si Christus circumcisis inutilis? Quare observandum, Apostolum non dicere παντὶ ἀνθρώπῳ περιτετμημένῳ, *omni homini circumciso*, sed περιτεμνομένῳ, *qui circumciditur*, id est, vult circumcidi, quemadmodum οἵτινες δικαιοῦσθε, *qui justificamini*, id est, vultis justificari *per legem* vers. 4. cum *per legem non justificetur ulla caro*. Rom. III. 2. Gal. III. 1. Quo accedit, quod Apostolus hic loci neque circumcisionem ex prima ejus institutione considerat, sed ex fœdere illo operum ad montem Sinai percusso, cujus postea sacramentum esse cœpit, ita ut circumcisione initiarentur fœderi operum, de *tota lege* perfecte *præstanda*, ad justitiam propriam; quam in rem verba Apostoli satis diserta esse arbitramur.

LXXXVIII. At alibi idem Apostolus *Circumcisionem nihil valere* affirmat, 1. Cor. VII. 19. Gal. V. 6. VI. 15. Unde valide inferri posse videatur, Circumcisionem jam tempore N. T. ceu inutilem abrogatam esse, Judæisque in Christum credentibus minime usurpandam. Sed si quis sit, qui ita argumentari velit, hunc rogatum velimus, sequentia quoque consideret, ubi Apostolus idem de præputio asserit. *Circumcisio*, inquit, *nihil est, & præputium nihil est, sed observatio præceptorum Dei. In Jesu Christo enim neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides per amorem efficax, sed nova creatura.* Quod si enim ex eo quod circumcisio in Christo nihil valeat, concludendum sit, ergo a Judæis intermittendam & abolendam esse; eadem ratione Judæus nobis gentilibus objiciet, ergo & nobis præputium ponendum esse, cum neque illud valeat in Christo. Quid igitur? apud Deum, Tros Rutilusve fuat; Græcus an Judæus, præputiatus an circumcisus, nullo discrimine habetur: Christus fidem & virtutem sive bona opera exigit, *& quotquot* (gentiles) *secundum hunc canonem incedunt, illis pax erit & misericordia, & Israeli Dei*, qui nomine & re sunt Judæi vel Israelitæ Rom. II. 28. 29. Quamobrem quemadmodum gentiles non fuerunt cogendi Ἰουδαΐζειν *more Judæorum vivere*, ita neque Judæi credentes cogendi sunt ἑλληνίζειν *more vivere gentilium*. Quare optandum, veteres Christiani melius observassent, & hodierni tandem recte attendant, illud Apostoli gentium monitum, quod legitur 1. Cor. VII. 17. s. *Si quis circumcisus sit vocatus, præputium ne attrahat; sin in præputio vocatus, ne circumcidatur. Quisque in quo statu vocatus est; in eo maneto.* Sic Judæo licebit esse Judæo, nullo fidei Christia-

ſtianæ detrimento, quemadmodum nos gentiles ſumus & manemus, & tamen etiam Chriſtiani.

LXXXIX. Unde tandem concludimus, Nazaræos illos, qui in *Jeſum Chriſtum Filium Dei* credebant, cum gente & origine Judæi atque Abrahamidæ eſſent, jure merito retinuiſſe circumciſionem, non quatenus illam *Moſes dederat*, Joh. VII. 22. ſed quatenus *a Patribus erat*, inprimiſque Abrahamo, *qui accepit ſignum circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei, quæ erat* (illi jam) *in præputio; ut eſſet ipſe Pater omnium credentium in præputio, ut & ipſis imputaretur ad juſtitiam; & PATER CIRCUMCISIONIS, eorum qui non tantum ſunt ex circumciſione, ſed & qui ſequuntur veſtigia fidei Patris noſtri Abrahami in præputio*. Ex quo loco in primis patere arbitramur, quemadmodum ex eo quod Abraham credidit in præputio, & factus eſt Pater omnium credentium in præputio, ſequitur; Gentiles non debere circumcidi, quoniam fides illis imputetur ad juſtitiam: Ita pariter, quia Abraham circumciſus eſt, & factus eſt pater circumciſionis, illis nempe qui fidem ejus imitantur; Judæos circumciſos non debere negligere circumciſionem.

XC. Sed, ita ut fit, par pari Judæis egregie relatum eſt a Gentilibus, & faſtus faſtu compenſatus. Cum primum Apoſtoli Evangelium poſt adſcenſionem Chriſti & effuſionem Sp. Sancti prædicarent, gentes, quæ per contemtum ἀκροβυςία dicebantur, præ ſe deſpexerunt, atque indignas cenſuerunt, quibus exhibitum ſibi jam Meſſiam prædicarent, niſi prius characterem Judaiſmi ſibi aſſumerent, circumciſionem. Imo cum Petrus ſingulari Dei mandato Cornelium gentilem Chriſtianiſmo initiaſſet, Apoſtoli cæterique fratres per Judæam graviter cum illo queſti ſunt, atque indignati, quod ingreſſus eſſet ad viros præputiatos, & cum illis ediſſet, neque, niſi re omni de cœleſti viſione mandatoque divino expoſita, acquieverunt. Act. XI. Neque vero ab eo tempore defuere ex Judæis credentibus, qui gentiles ad circumciſionem Moſaicam adigere vellent, donec in Synodo Hieroſolymitana aliter ab Apoſtolis decerneretur, ſtatuentibus, fratres ex gentiliſmo a circumciſione reliquiſque omnibus ceremonialibus liberos eſſe debere. Act. XV. Sed quid ad hæc gentes? Nempe poſtquam ipſæ in Eccleſiam receptæ ſunt, & ab omni jugo liberæ, cum jam Evangelio totum terrarum orbem pervadente Eccleſiis Judaicis longe prævaluiſſent; his viciſſim dominari, neque Judæos beneficiorum Chriſti participes eſſe voluerunt, niſi prius gentiliſmum profiterentur, & abdicata circumciſione originem generis & ſocietatem fœderis Abrahamici ejurarent. Digna hercle compenſatio, ut ſic

Iliacos intra muros peccetur & extra.

XCI. Sed pergamus ad reliqua, quæ Patres Gentiles in Nazaræis damnarunt. Secundum itaque eſt, quod *Sabbathum*, reliquaque *feſta* Judaica adhuc obſervarent. At quid, quæſo, in eo hæretici, ſi dies a Deo ipſo in memoriam maximorum beneficiorum majoribus ſuis olim præſtitorum inſtitutos, religioſe adhuc obſervabant? Nonne & ipſi Apoſtoli idem fecerunt? Paulus ſane non modo Sabbatum priſtinum coluit, Act. XIII. 14. XVIII. 4. ſed & feſta Act. XVIII. 21. ubi Hieroſolymam feſtinaſſe legitur, ut feſto intereſſet. *Omnino*, inquit, *neceſſe eſt, ut inſtans feſtum Hieroſolymis agam*. Igiturne vero & hic hæreſeos accuſandus erit? Quod vero idem Coloſſenſes Calendis & Sabbathis non vult obligatos, Col. II. 16. pro more ſuo facit, & jure gentilium, qui illa dierum obſervatione non tenebantur. At faciamus ita eſſe: ſit illa veterum feſtorum obſervatio error; non tamen ideo hæreſis dicenda erit, neque qui feſta illa colunt, ideo Eccleſia erunt exturbandi. Longe aliud Pauli judicium fuit, Rom. XIV. quem locum mox commodius proferemus.

XCII. Tertium eſt, quod *carnibus abſtinerent, neque re ulla animata veſcerentur*. Quod ſi quoque hæreticum ſit, parum certe perite atque prudenter Apoſtolus egit, qui non modo iſtud dogma diſerte non refutavit, ſed etiam illos ſevere corripuit, qui eo nomine alios in Eccleſia Romana non dicam hæreſeos condemnabant, ſed vel *contemnebant*. Legatur Caput XIV. ad Romanos, & liquebit evidentiſſime, quid & de hac controverſia & de proxime præcedente circa feſta ſit ſentiendum. Nimirum erant jam tum temporis in Eccleſia Romana, qui diem diei præferebant, & relictis carnibus tantum veſcebantur oleribus. Qui procul dubio *Nazareni* noſtri fuerunt, vel Chriſtiani ex Judæis. Hi ex anni Sabbathici & Jubilæi typis exiſtimabant, quæ etiamnum Judæorum ſententia eſt, futurum ut Temporibus Meſſię omnia in priſtinum ſtatum reſtituerentur, qui fuerat tempore primæ creationis, quando inter alia etiam hoc obtinebat, ut primi parentes vi legis divinę Gen. I. 29. oleribus cęteriſque terra naſcentibus veſcerentur. Cum itaque

Meſſiam jam exhibitum ſcirent, jam illico etiam tempus illud adeſſe credebant, quo ex priſca lege ſibi vivendum eſſet, adeoque oleribus contenti carnibus abſtinebant, reliquoſque qui carnibus utebantur, condemnabant. Quid vero ad hęc Paulus? Errorem aliquem in illis notat, dum *infirmos fide* & cognitione appellat; hęreſeos non accuſat. Imo vero tantum abeſt, ut illos condemnet, ut illos a reliquis ne *contemni* quidem velit. *Qui edit*, inquit, carnes ſc., *eum qui non edit, ne contemnat*. vſ. 3. Et, *Tu quis es, qui contemnis fratrem tuum?* Cum ergo Apoſtolus illos, etſi *infirmos fide*, tamen eo ipſo fideles agnoſcat, & *ſervos Domini*, vſ. 4. & *fratres*, v. 10. *quos Deus aſſumſerit*, vſ. 3. *pro quibus Chriſtus mortuus ſit*, vſ. 15. *qui Domino edant, Deoque gratias agant*, vſ. 6. quos adeo *Deus confirmare & poſſit & velit*, vſ. 4. quo jure ſequentis ævi Chriſtiani Gentiles illos non modo contemſerunt, ſed & hæreſeos damnarunt? Quanto ſatius fuerat, ea animi moderatione adverſus illos uti, qua Apoſtolus cum ipſe utebatur, tum alios uti volebat. Qua lenitate ſi etiam nunc fratres inter ſe uterentur, τὰ τῆς εἰρήνης διώκοντες, multo minus, credo, hæreſium & turbarum in Eccleſia eſſet, quam nunc eſt, cum ob minimam vel in dogmate aliquo vel in ſcripturarum explicatione diſſenſum alii alios hæreſeos inſimulant atque condemnant.

XCIII. Denique Epiphanius in *Naſaræis*, quos eoſdem probavimus eſſe atque *Nazarenos*, etiam hoc culpat, quod *a ſactificiis abhorreant*. Qua in re equidem haud ſcio, an noſtro patrocinio indigeant, cum neminem hodie adeo ineptum eſſe arbitrer, qui ea in re illos errare exiſtimet. Quod vero Epiphanius addit, eo illos *nefas habuiſſe ſacrificia offerre*, quo *volumina Moſaica conficta eſſe exiſtimarent, neque eorum quicquam a majoribus profectum:* illud inſignem calumniam ſapit, vel, ut leviſſime dicam, ignorationem elenchi. Cum enim Legem Moſi a Deo datam fateantur, uti ſupra §. L. ex ipſo Epiphanio oſtendimus, alia ratio fuiſſe videtur, cur a ſacrificiis abſtinendum putarint, quemadmodum ſupra jam innuimus §. LI.

XCIV. Gravius multo eſt, & huic Epiphanii narrationi de *Nazaræis* contrarium, quod Hieronymus ad Jeſ. LXVI. de *Nazarenis* tradit. *Sin autem*, inquit, *hoc dicitur, quod poſt fulgur Evangelii, vetus religio ceſſet in nube: Quid reſpondebunt, qui credentes ex* Judæis *arbitrantur abſque noxa ſui poſſe carnaliter offerre ſacrificia*. Ergo hi, quibuſcum Hieronymo aliquando res fuit, aliter ſentiebant, & ſuo adhuc tempore ſacrificia licite offerri poſſe credebant. Unde ſcire licet, non ita illos in omnibus conveniſſe, quin de quibuſdam, ita uti fieri ſolet, alii aliquando aliter ſenſerint. Sed & illud notandum, illos non obtuliſſe ſacrificia, ſed *arbitratos* tantum *eſſe abſque noxa ſui poſſe carnaliter offerri ſacrificia*. Ut dogma tantum fuerit illorum a praxi ipſa ſejunctum. In quo quid ſit, quod hæreſeos magnopere accuſari poſſit, lubens equidem fateor me non videre, cum ipſe Apoſtolus ſacrificia procul dubio obtulerit, quæ completo Naziræatus voto debebat, Act. XVIII. 18. & myriades illæ Judæorum, quorum Jacobus meminit, iis non abſtinuerint, in quorum gratiam Paulus rurſum voti ſocietatem cum quatuor illis viris, ex Jacobi reliquorumque presbyterorum Hieroſolymitanorum conſilio, debuit inire. Quod cum abſque ullo Chriſtianiſmi & ſalutis Pauli detrimento factum ſit, quid mirum; ſi illi quoque Hebræi, quorum Hieronymus mentionem facit, nullam admodum difficultatem ea in re viderint?

XCV. Atque hæc præcipua ſunt, ob quæ *Nazareni* olim a Chriſtianis gentilibus *Hæreſeos* & *Judaiſmi* ſunt accuſati, & ex Chriſtianorum albo deleti. Quæ an ejus generis ſins, ut vel ſingula vel univerſa hæreſeos infamiam mereantur, candidi & cordati lectoris erit exiſtimare. Speraveramus fore, ut hoc vice etiam *Ebionitarum* cauſam agere liceret, ſed cum jam præter opinionem præſens diſſertatio excreverit, illorum patrocinium alii occaſioni ſervabimus, quando fontem fabulæ illius de *Ebione Hæreſiarcha* monſtrabimus, illorumque qui illum falſo ſecuti dicuntur, orthodoxiam aſſeremus, atque oſtendemus, quam parum fidei Patres Chriſtiani mereantur, quando Hebræorum hæreſes recenſent. Quibus addi poſſent, magno, uti equidem arbitror, veteris fidei Judaicæ & Chriſtianæ commodo, *Barbeliothæ*, *Sethiani*, *Naaſini* vel *Ophiani*, *Archontici*, *Atacti*, *Phibionitæ*, *Peratici*, aliique, quos in varias ſectas quaſi membratim diſtractos, veteres Chriſtiani ex gentiliſmo hæreticorum nomine ſunt dignati; niſi nobis verendum eſſet, ne zelotæ quidam, Hebraicorum myſteriorum æque ac veteres ignari, vel ipſis illis barbaris nominibus veluti larvis & inanibus umbris territi, criminaturi ſint, nos omnes veterum hæreſes, jam olim ab Eccleſia damnatas atque ſepultas, ab orco revocare.

XCVI. Sed ut Lector noster videat atque intelligat, quam frivola illa sint atque inania, quibus veteres Gentiles Christianos Hebræos gravare voluerint, verba Epiphanii, quæ descriptionem & accusationem *Nazaræorum* continent, hic integra repræsentabimus, pro eo atque Doctiss. Petavius illa in versione sua exhibet, quibus nostras observatiunculas, sed diverso charactere & uncinulis inclusas, interspergemus.

XCVII. Sic ergo ille Hær. XXIX. §. 7. „ Quod vero ad hæreticos illos attinet, „ de quibus modo sermonem instituimus, omisso Jesu nomine (*a quo, si* „ *Lojolitas excipias, nemo unquam sibi nomen fecit*) neque Jessæos se ipsos vocant (*quod hominum genus Epiphanius* „ *ex corrupto Essæorum nomine commentus est*) neque Judæorum vocabulum „ retinent, (*neque vero etiam abdicasse* „ *illud leguntur*) neque se Christianos „ *nomine Græco sc. cum ipsi lingua Hebræa uterentur*) sed Nazarenos de illa loci appellatione, (*imo vero a Jesu Nazareno*) nuncupant, cum interim meri (*& veri, Rom.* XI.) Judæi, neque aliud præterea sint, (*quemadmodum sc. in sequentibus probatur.*) „ Porro (*enim more omnium Christianorum*) non solum Novo, sed & Veteri Testamento Judæorum (*Christi*, „ *inquam, & Apostolorum*) instar utuntur. Neque enim apud illos Legis libri, Prophetæ aut Hagiographa prohibentur (*quasi sc. ad veri naturam* „ *Christianismi pertineat, Veteris Test.* „ *libros prohibere*) quæ & Judæi Biblia „ nuncupant, ut & a Judæis (*& hodieque a Christianis*) approbantur: a „ quibus Nazaræi nulla in re dissentiunt, „ qui ad legis præscriptum ac Judæorum more omnia sua dogmata profitentur: nisi (*quod leve & ridiculum* „ *est, ac vix commemoratione dignum, si* „ *quid Epiphanio credimus*) quod in „ Christum credunt. Nam (*ut mireris* „ *sive horum Nazaræorum, sive potius* „ *Epiphanii accusantis insaniam*) & mortuos excitari putant, (*ut a Sadducæorum impietate longissime obsint*) & a „ Deo universa producta (*contra quam* „ *Philosophi gentiles sentiebant*) Unum „ esse Deum, ejusque Filium Jesum „ Christum prædicant, (*Joh.* XVII. 3. I. „ *Tim.* III. 15. 16. I. *Joh.* IV. 2. 3. „ 15. 2. *Joh.* vs. 7. 10.) Hebraicæ vero linguæ scientissimi sunt (*quod solum ad hæreseos notam inurendam satis* „ *erat, si forte jam tum temporis inter* „ *Græcos Latinosque Hebraice scire hæreticum fuerit*) ac cum universa Lex „ apud illos, tum Propheta & Hagiographa, hoc est libri illi, qui versibus distincti sunt, & Regum libri, „ Paralipomena, Esther, cæteraque id „ genus Hebraice (*pro facinus indignum!*) ut & a Judæis leguntur. Hoc „ igitur uno tam a Judæis, quam a Christianis differunt: ab illis quidem, (*ut* „ *toto cœlo differre videas*) quod in Christum credant; a Christianis vero (*Gentilibus*) quod Judaicis adhuc ritibus „ implicentur, velut Circumcisione, Sabbatho, aliisque ceremoniis. De Christo vero certo illud affirmare nequeo, „ utrum Cerinthi vel (*adeo ipsius nominis certus est*) Merinthi impietate „ decepti, simplicem illum hominem „ asseverent, an uti sese res habet (*imo* „ *& alii de illis diserte testantur,*) per „ Sp. Sanctum de Maria Virgine genitum esse fateantur. Cæterum hæc Nazaræorum Secta in Berœensi civitate „ potissimum viget, ac Cœle Syria, atque etiam in Decapoli, juxta Pellam „ ac in Basanitide, in eaque vulgo Cocabe, Hebraice Chocabe dicitur. Hinc „ enim, post illam ab Hierosolymis discessionem, illorum initia profecta „ sunt, cum Pellæ discipuli omnes habitarent, a Christo de relinquenda „ Hierosolymorum urbe migrandoque „ præmoniti, quod ejus immineret obsidio. Qua quidem occasione factum „ est, ut in Peræa iis quibus diximus „ locis degerent. Indeque Nazaræorum „ Hæresis sunt deducta primordia.

XCVIII. Hæc quisquis attenta mente legerit, atque ea itidem, quæ idem Epiphanius §. 9. de Vatiniano inter Nazaræos & Judæos odio narrat, addiderit atque rite considerarit, mirum ni tandem benignius de *Nazaræis* illis sentire animum inducat.

JA-

JACOBI RHENFERDII
DISSERTATIO
DE
FICTIS JUDÆORUM
Et Judaizantium Hæresibus.

I. POstquam superiore dissertatione illas hæreses excussimus, quas olim homines Christiani Judæis affinxerunt; sequitur ut nunc porro etiam de illis agamus, quæ ex Judaismo ortæ inter ipsos Christianos viguerunt, & pessimorum dogmatum ab Ecclesiis gentilium sunt accusatæ & damnatæ. Inter eas vero quodam quasi jure suo *Ebionitarum Hæresis* principem locum sibi vindicat. Sive enim antiquitatem spectes, ea ipsum exorientem Christianismum & primam Apostolicam Ecclesiam æquat; sive dogmata, illis nulli alii hæresi cedere, imo teterrimis quibusque pestibus illam prælusisse dixeris: adeo horrendum, informe, ingens monstrum depingitur, ex Samaritanismo, Judaismo, Ossenorum item, Sampsæorum, aliorumque hæresibus, & ipso denique Christianismo conflatum.

II. Nomen & originem ejus quod attinet, illa ab *Ebione* quodam Hæresiarcha ducere narratur, qui cum Legem Mosaicam aliasque Judæorum & Samaritanorum superstitiones cum Evangelio miscuerit, tum æternam Christi Deitatem & miraculosam nativitatem ex Virgine Maria negarit. Qua de re operæ pretium erit Epiphanium audire, qui Hær. XXX. hunc *Ebionem* & hæresin ejus, pro more suo graphice omnibus suis coloribus depingit. *Nasaræos*, inquit mox ipso initio, *Ebion, a quo Ebionitæ dicti, proxime consequitur, eademque cum illis dogmata profitetur: Quod horrendum monstrum ac multiplex, &, ut ita dicam, fabulosæ illius, ac multorum capitum Hydræ serpentinam in se figuram exprimens, rursus ad exitium humani generis erupit. Ut enim si quis variis capillis ornatum sibi aliquem conficiat, aut variegatam coloribus vestem induat, atque exquisitam quandam elegantiam adhibeat; sic ille contra omnibus undique perniciosis ac pestiferis dogmatibus arcessitis, quicquid unaquæque hæresis horrendum inprimis, & exitiabile ac detestandum asserit, turpe inquam & absonum, absurditatisque plenum & odiosum, e singulis dogma concinnans, omnium in formas speciesque transtulit. Nam Samaritanorum impuram superstitionem affectavit. A Judæis porro nomen accepit. Ab Ossæis, Nazaræis, & Nasaræis dogmata. Cerinthianorum deinde formam, Carpocratianorum nequitiam, Christianorum denique appellationem usurpare contendit.* Et paucis interjectis: *Igitur cum revera Samaritanus ob execrandam nequitiam sit, istiusmodi tamen appellationem rejicit; & cum se idem Judæum faciat, Judæis refragatur, quanquam cum his eliqua ex parte consentit* &c.

III. Talis sc. Ebion ille fuerit, qualem eum nobis divinum illud illustris Constantiæ Præsulis pernicillum, sed mero felle & atræ loliginis succo tinctum delineat. De qua descriptione mirum ni quis illud jure optimo repetere possit, & huc transferre, quærebat quod olim Horatius de inepto pictore:

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum,
Desinat in piscem mulier formosa superne:
Spectatum admissi risum teneatis amici?

IV. Quænam vero præcipua hujus *Ebionis* dogmata fuerint, idem Epiphanius, §. 11. in hæc verba ex interpretatione Petavii nobis describit: *Ac primum e virili concubitu ac semine, puta Josephi, natum esse Christum asseruit, ut ante significavimus, cum ita diximus: Hunc cæteris in rebus eadem cum aliis sentientem, hac una re discrepare, quod Judæorum ritus ac ceremonias amplexus sit, veluti Sabbathum ac circumcisionem*

aliaque id genus, perinde atque a Judæis ac Samaritanis observantur. Quin etiam plura iste quam Judæi Sameritanorum imitatione complectitur. Nam & hoc adjecit, ut ab externorum hominum tactu sese contineret, utque diebus singulis quoties mulierem attigisset, ab ejusque complexu surgeret, aqua sese prolueret, sicubi ejus esset copia, marinæ videlicet, aut alterius generis. Quod si ab illa mersione rediens in quempiam incurrat, denuo ad abluendum sese, sæpe etiam cum ipsis vestimentis regreditur. Hodie vero virginitas apud illos & castitas omnino prohibetur, id quod & cæteræ omnes ejusmodi hæreses usurpant. Nam olim virginitate gloriari solebant, nimirum ob Jacobum fratrem Domini: adeoque libros suos ad Seniores & Virgines inscribunt.

V. Paulo brevius & moderatius alii hunc Ebionem describunt, sed tamen ita, ut negatæ Deitatis Christi & nativitatis ex Virgine illum fere accusent. Hieronimus Tom. VI. p. 120. 2. *Ex quo approbatur Ebionis & Photini etiam hinc hæresis retundenda, quod Dominus noster Jesus Christus Deus sit* &c. pag. 122. 2. *Ex hoc loco Ebionis & Photini dogma conteritur, quod Deus sit Christus, & non tantum homo.* Sic idem alibi passim. Theodoretus Hæreticarum Fabularum Lib. II. cap. I. interprete Herveto: *Hujus autem catervæ princeps fuit Ebion, Hebræi vero mendicum ita vocant. Hic unum quidem, sicut & nos, Ingenitum dixit, eumque mundi opificem esse qui homo quidem erat, sed virtute & innocentia omnibus antecellebat, ex Lege autem Mosaica vitam instituebat.*

VI. Atque hujusmodi quidem ea sunt, quæ Veteres de Ebionitarum origine & dogmatibus tradunt; quæ partim quantum fidei mereantur, partim quam justæ causæ sint ad miseros homines hæreseos condemnandos, præsenti dissertatione examinare lubet. Quod ut recto ordine faciamus. I. Veram nominis & sectæ originem indagabimus. II. Convenientiam ejus cum *Nazaræorum* sic dicta hæresi ostendemus. Et III. denique contra impactam hæreseos calumniam defendere conabimur.

VII. Quod itaque ad miserum illum *Ebionem*, teterrimæ hæreseos, uti vulgo perhibent, auctorem attinet; notandum est, hunc hominem antiquissimis Patrum, qui *Ebionitarum* hæresin describunt, ignotum fuisse, ab iisque longe aliam quam ab *Ebione* homine, originem huic hæresi assignari.

VIII. Irenæus sane, qui sæpius Ebionitarum dogmata describit, nullam *Ebionis* mentionem facit. Vid. Lib. I. cap. 26. III. II. 24. IV. 29. Origenes vero & Eusebius nomen illud a voce Hebræa אביון, Εβίων, non qua singularem aliquem hominem, quem penitus ignoraverunt, sed qua *pauperem* atque *egenum* significat, diserte derivant. Origenes contra Celsum. Lib. II. mox initio: *Considerandum igitur, quid dicat ad fideles conversos ex Judaismo: ait eos illectos & deceptos valde ridendo modo a Jesu, relictis patriis institutis ac legibus transfugisse ad nomen aliud, rationemque vivendi longe diversam: ne hoc quidem intellecto, quod Judæi, qui in Jesum crediderunt, non desciverunt a patriis legibus, vivunt enim juxta eas paupertati suæ legis cognomines.* Εβίων τε γάρ ὁ πτωχὸς παρὰ Ιȣδαίοις. *Ebion enim pauper Judaica lingua vocatur: & Ebionæi dicuntur, quicunque e Judæis Jesum pro Christo receperunt.* Et Philocaliæ cap. I. pag. 17. edit. Cantabrigiensis. Ὀυκ ἐλαμβάνομεν ταῦτα ὡς οἱ πτωχοὶ τῇ διανοίᾳ Εβιωναῖοι τῆς πτωχείας τῆς διανοίας ἐπώνυμοι. Εβίων γάρ ὁ πτωχὸς πάρ Εβραίοις ὀνομάζεται. *Hæc non accipimus, ut mentis inopes Ebionæi, qui ab inopia mentis nomen suum ducunt. Ebion enim pauper Hebræis appellatur.* Eusebius Hist. Eccles. Lib. III. cap. 27. Interprete Valesio. *Alios vero, quos ab amore Christi malignus Dæmon dimovere non potuerat, alia ex parte infirmos esse deprehendens, in ditionem suam redegit. Hi ab antiquis cognominati sunt Ebionæi, quippe qui humiliter admodum atque abjecte de Christo sentirent. Eum enim simplicem & vulgarem, nec aliud quam hominem esse censebant* &c. *Cujus rei causa* Ebionæorum *cognomen sortiti sunt, quo intelligentiæ illorum inopia satis indicatur. Sic enim* mendici *apud Hebræos vocantur.* In hisce neque Origenes, neque Eusebius ullam hominis *Ebionis* mentionem faciunt, sed *Ebionæos* a voce Hebræa אביון Εβιών, quæ *pauperem* vel *mendicum* notet, derivant. Id quod verissimum, etsi boni Patres pro suo lepore & elegantia multo aliam, atque res est, denominationis causam afferunt; *mentis inopiam, humilemve*, ut Eusebius explicat, *de Christo existimationem*, vel denique, quod Origenes priore loco innuere videtur, *egenorum elementorum* legis Mosaicæ *observantiam*.

IX. Nostra igitur hæc est ratio, atque ita animum induximus credere, *Ebionitas* illos neque ab *Ebione* hæresiarcha, neque a *mentis inopia* aut *humili de Christo sensu*, sed a vere & proprie dicta *paupertate*, bonæ mentis, ut vulgo ajunt, & primi Christianismi so-

ro-

rore, lingua patria אביונים *Ebionim*, Græce Εβιωναῖοι. Latine *Ebionitas* esse appellatos. Quemadmodum quidem ex sequentibus cuivis attendenti & præjudiciis libero clarum atque evidens fore confidimus.

X. Nempe qui primi ab Apostolis ad Christum conversi sunt, cum Judæi omnes essent, typorum & promissionum de Messia, & maximis beneficiis populo Israelitico per illum conferendis, non ignari; hanc spem animo conceperant, fore, simul ac regnum Messiæ revelaretur, ut id illico ἐν ἀκμῇ vigeret, & quæ temporum felicitas anno Sabbathico & Jubilæo promissa erat, ea ut e vestigio repræsentaretur, quemadmodum quondam tempore integritatis fuerat, quando, ut de aureo Saturni seculo Poeta canit,

> *Nec signare quidem, aut partiri limite campum*
> *Fas erat; in medium quærebant; ipsaque tellus*
> *Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.*

Sive itaque jam tempus illud adesse putarint, sive longe post futuro præludere debuerint, bona sua publicanda existimarunt, &, si commode fieri potuisset, ex lege anni Sabbathici remotis omnibus sepimentis, agros, vineas & oliveta omnibus aperuissent. At enim cum illam bonorum communicationem ob impiorum atque incredulorum, Judæorum pariter atque gentilium, multitudinem nondum instituere tuto possent, inter sese saltem illam observandam statuerunt. Hunc itaque in finem bona sua omnia, agros, fundos, &c. vendiderunt, & conflatam inde pecuniam ad pedes deposuerunt Apostolorum, atque in commune contulerunt, ita ut nemo quicquam proprium amplius habere censeretur. Act. II. III. V. VI. Hac itaque ratione bonis omnibus consumtis, brevi, ita uti fieri solet, Christiani illi Hierosolymitani ad egestatem prolapsi sunt. Quo cum porro gravissima illa Judæorum persecutio accederet, Act. VIII. I. s. & bonorum reliquorum direptio, Hebr. x. 34. ac denique dira fames tempore Claudii Cæsaris, Act. XI. 19. Ecclesia Hierosolymitana, reliquæque in Judæa vicinisque locis, ad extremas angustias redactæ sunt, adeo quidem, ut Ecclesia Antiochena pro sua in depauperatos fratres pietate statuerit, ut pro suis quisque facultatibus fratribus in Judæa habitantibus, ad sublevandam illorum egestatem, liberales eleemosymas conferret. Id quod & factum est, Barnaba & Paulo quod liberaliter collatum erat, Hierosolymam ad Presbyteros deferentibus. Act. XI. 29. 30. Sed cum unius Ecclesiæ quantumvis magna liberalitas tantæ egestati sublevandæ par non esset, Petrus Jacobus & Johannes præter cætera, quæ inter ipsos & Paulum ac Barnabam convenerant, etiam id negotii his dederunt, ut pariter per gentilium Ecclesias in usum Judaicarum Eleemosynas colligerent, paupertatem illarum ipsi fatentes, Gal. II. 10. Μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν. *Solummodo*, inquiunt, PAUPERUM *ut meminissemus*. Id quod Paulus sedulo & feliciter præstitit, cum inter Galatas, 1. Cor. XVI. 1. & Macedones 2. Cor. VIII. 1. s. IX. 2. s. tum apud Corinthios & Achæos, l. c. & Rom. XV. 25. 26. quo postremo loco etiam ipse fratres Hierosolymitanos diserte *Pauperes* appellat: *Visum est*, inquit, *Macedoniæ & Achajæ Eleemosynam quandam conferre in* PAUPERES *Sanctorum qui sunt Hierosolymis*.

XI. En itaque, Benevole Lector, genuinam nominis *Ebionitarum* originem, non ab Hæresiarcha *Ebione*, neque a *mentis inopia*, *humilive sensu*, sed a proprie dicta primæ illius & Apostolicæ Ecclesiæ *paupertate*, derivatam. Nam quos Paulus Gal. II. 10. a reliquis Apostolis πτωχὰς, *pauperes* appellatos & hoc nomine commendatos narrat, hos illi procul dubio, quippe Judæi & cum Judæo loquentes, אביונים *Ebionim* appellarunt. Haud secus atque olim Albigenses *Pauperes de Lugduno* dicebantur, & patrum nostrorum memoria, atque utinam ne nunc quoque, in Belgii Classibus ac Synodis *de Arme Noodlydende Kerken van de Palts*, *Pauperes atque egenæ Ecclesiæ Palatinatus*.

XII. Cæterum cum hi credentes Judæis Hierosolymis & in Judæa seorsim a Gentilibus credentibus conventus agerent, in iisque ritu & more majorum sacra facerent, circumcisionem, Sabbathum, cæteraque festa a Deo in memoriam maximorum beneficiorum instituta observantes: Cum item imminente Urbis excidio non se gentibus miscerent, sed Pellam vicinaque Batanææ & Cœles Syriæ loca insiderent, atque inde quidam illorum tandem Hierosolyma redirent: Illi qui ex gentibus crediderant, quibus ab Apostolis liberius vivendi potestas data erat, Judæos illos Judaismum & fœdus Abrahamicum, cujus natura hæredes erant, abjurare voluerunt, & omni veteris legis observatione sese abdicare. Id vero cum Hebræi constanter renuerent, illos anathematis fulmine percusserunt, & veluti

luti hæreticos Judaizantes vel ſemi-Judæos condemnarunt, nihilque ſibi cum illis commune habere voluerunt; priuſquam Judaiſmum penitus ejuraſſent. *De anathemate* res clara eſt ex Epiſtola Hieronymi ad Auguſtinum: *In Cerinthi*, inquit, *& Ebionis hæreſin delabimur, qui credentes in Chriſto propter hoc ſolum a Patribus anathematizati ſunt, quod legis ceremonias Chriſti Evangelio miſcuerunt, & ſic nova confeſſi ſunt, ut vetera non amitterent*. De *abjuratione* vero *Judaiſmi*, ſi quis ad Gentilium Eccleſiam tranſire vellet, auctor nobis eſt doctiſſimus Cotelerius, qui ipſius formulæ mentionem facit, qua conceptis verbis *Nazaræiſmum* ejurare ſint coacti. Quam formulam cum hactenus nobis videndi copia non fuerit. Cotelerii verba afferre liceat. Sic igitur ille in Notis ad Tom. I. *Monumentorum Eccl. Græcæ*, pag. 283. *Nec non formula abjurationis Judaici cultus, quam in Notis ad Clementinas Recognitiones evulgavi*. Et ad pag. 284. *Formula Judaiſmo renunciandi, quam ad Apoſtolicorum Opera produxi in lucem, Naſaræos* (vocat.) Ex quibus doctiſſimi Viri verbis ſatis liquere arbitramur, Chriſtianos Gentiles, ſi quem Nazaræum vel Ebionitam in communionem ſuam reciperent, illum coegiſſe conceptis verbis Judaiſmum, circumciſionem puta, reliquoſque ritus, & privilegia illis annexa, ejurare.

XIII. Porro cum Chriſtiani ex gentiliſmo Chriſtianos Hebræos, in Judæa viciniſque locis agentes, alio nomine etiam אביונים *Ebionim* dici audirent, idque *Pauperes* deſignare didiciſſent, nomen illud in ludibrium verterunt, & propria vocis ſignificatione ac vera nominis ratione relicta, ad Metaphoram ſe contulerunt, ac ne qua commento elegantiæ aut veritatis ſpecies deeſſet, Sacram Scripturam ad partes vocarunt, & ad illius quaſdam phraſes alluſerunt. Quoniam ita *Ebionæi* illi legi Moſaicæ addicti vivebant, cujus inſtituta Paulus Gal. IV. 9. ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ ςοιχεῖα *infirma atque egena elementa* appellat; ſatis cauſæ eſſe videbatur, ad repetendam inde nominis *Ebionitarum* rationem. Ita ſane Origenes contra Celſum, l. c. Βιοῦσι γὰρ κατ' αὐτὸν, ἐπώνυμοι τῆς κατὰ τὴν ἐκδοχὴν πτωχείας τοῦ νόμου γεγενημένοι. *Vivunt enim ſecundum illam* (Legem,) *paupertati literalis legis facti cognomines*. Quibus verbis ad Apoſtoli phraſin alludi ſatis evidens eſſe putamus.

XIV. Sed id hactenus leve ac ridiculum erat, niſi mordax jocus graviori contumeliæ viam ſterneret. Cum igitur alii in Sac. Script. quam proprie dicti *pauperes* occurrerent, ad illos quoque alludi debuit. Occurrebant itaque οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι ad verbum *pauperes Spiritu*, id eſt phraſi Hebræa ענוי רוח *humiles manſuetique animo*. Sed cum non adeo ipſi ingenio deſtituti eſſent, quin facile perſpicerent, quo nomine Chriſtus ſuos beatos prædicat, eo ſe Ebionæis illudere ac male dicere non poſſe; detorſerunt non nihil praſin, & πτωχοὺς τῇ διανοίᾳ vocaverunt, id eſt *mentis inopes*, vel potius, Hebraiſmi emphaſi quodammodo retenta, *humiliter atque abjecte ſentientes*, de Jeſu Chriſto ſcilicet, quem (ſic Patres aliunde nova calumniæ anſa arrepta fingunt) more cæterorum hominum ex Joſepho & Maria natum, & ψιλὸν ἄνθρωπον, *merum hominem*, nequaquam Deum eſſe crediderint. Electa Origenis, vel Philocalia loco ſupra citato: ὡς οἱ πτωχοὶ τῇ διανοίᾳ Ἐβιωναῖοι τῆς πτωχείας τῆς διανοίας ἐπώνυμοι. Sed clarius Euſebius, l. c. Ἐβιωναίους τούτους οἰκείως ἐπεφήμιζον οἱ πρῶτοι, ὡς πτωχῶς καὶ ταπεινῶς τὰ περὶ τοῦ Χριστοῦ δογματίζοντας καὶ δοξάζοντας. λιτὸν μὲν γὰρ αὐτὸν καὶ κοινὸν ἡγοῦντο. *Hos veteres proprie Ebionæos vocarunt, quippe qui tenuiter atque humiliter de Chriſto ſentirent, & inſtitutis* legis Moſaicæ) *viverent. Nudum enim illum hominem exiſtimabant* &c. Paulo aliter hic verba vertimus atque ſupra ex Valeſii interpretatione illa exhibuimus. Nempe ita legendum exiſtimamus δοξάζοντας, καὶ δογματίζοντας; ut illud proprie ad Chriſtum reſpiciat, hoc vero ſenſu Apoſtoli Col. II. ſit *ritibus ceremonialibus implicari*: cum ipſe Euſebius hunc ordinem obſervet, ut primo ſententiam illorum de Chriſto explicet, tum de legis ceremonialis obſervatione agat. Cæterum liquet ex hoc loco πτωχείαν τῆς διανοίας non tam de *mentis inopia*, quam quidem primo & proprie ſignificare videtur, quam de humili *abjectaque ſententia*, quam de Chriſto fovebant, accipiendam eſſe. Cujus noſtræ interpretationis auctorem habemus omni exceptione majorem Hieronymum, qui illam *Tom.* IV. ad Jeſ. LXVI. *adhibet*: *Judæi & Judaici erroris hæredes Hebionitæ, qui pro humilitate ſenſus nomen Pauperum ſuſceperunt*: & rurſus *Tom.* IV. pag. 2. a. *Simul arat bove & aſino Hebion, dignus pro humilitate ſenſus paupertate nominis ſui*: quibus verbis haud ſcio, an non ipſum illud Origenis τῆς πτωχείας τῆς διανοίας ἐπώνυμοι vertere voluerit.

XV. Denique cum hos homines in hæreticorum numero habere certum eſſet, quidam eorum nomen & originem etiam

etiam a certo auctore repetenda existimarunt, adeoque ab Hebræo אביון *Ebion*, quod *pauperem* notat, hominem quendam commenti sunt, cui nomen fuerit, *Ebioni*; qui pessimas hæreses de *observanda Lege Mosaica*, de *Christo* ψιλῷ ἀνθρώπῳ, *eodemque ex Josepho pariter ac Maria nato*, &c. invexerit, & Photino inprimis præluserit. Ita tandem per varios casus & tot discrimina rerum, ex purissimo semine Ecclesiæ Apostolicæ impura illa, uti Patribus gentilibus visa est, *Ebionitarum* hæresis; & Tertulliano, Epiphanio, Hieronymo, aliisque obstetricantibus & foventibus, tandem ipse *Ebion*, pater filiis multo recentior, non post elephantinam duodecim, uti ferunt, annorum, sed immanem integri seculi & eo amplius gestationem, est enatus.

XVI. Atque hæc ea sunt, quæ nobis hanc *Ebionitarum* hæresin investigantibus de genuina illorum origine occurrerunt; quæ ne quis nostri febricitantis cerebelli deliria putet, ipsos Ebionitas consulere non abs re erit, proprii sui nominis atque originis procul dubio non ignaros; qui, bene an secus conjecerimus, arbitri sunto.

XVII. Horum sententiam de nominis sui origine Epiphanius nobis exhibet, hæresi xxx. cap. 17. Quem locum, etsi prolixior est, integrum tamen appingere juvabit, quo clarius atque evidentius cum res ipsa, quam agimus, tum Epiphanii indoles, atque acerbitas in miseros homines, & in fingendo audacia, patescat. Primo igitur in Ebionem & nomen ejus invehitur *Sed apertam*, inquit, *calumniam struit callidus ille serpens, animoque mendicus*. Ebion *quippe Hebraica vox Græce* mendicum *sonat. Est autem hæreticus iste revera mente, spe factisque mendicus, utpote qui Christum merum esse hominem existimet, in eoque spem cum quadam fidei mendicitate collocet*. Tum vero Ebionitarum responsionem & hujus calumniæ depulsionem subjicit. *At enim isti de ea re gloriantur, seque mendicos prædicant, quod Apostolorum, inquiunt, tempore mos esset bona sua distrahere, & ad illorum pedes abjicere. Itaque se illorum exemplo ad mendicitatem redigi, ac bonis omnibus abdicare, proindeque passim Mendicos appellari*. Denique vero ipse hanc illorum explicationem rejicit, & his verbis refutat: *Sed hoc ab illis ex ingenio confictum est. Nam Ebioni proprium hoc erat nomen, non sine vaticinio tamen aliquo, quo mendicus infelixque fore significaretur, cum a parentibus id nominis accepisset*.

XVIII. Sic ergo Epiphanius, sic Ebionitæ, de etymologia nominis *Ebionitarum* disputant, interprete doctissimo Petavio. Qui tamen haud scio, an non melius fecisset, si voces πτωχοὶ & πτωχείαν per *pauperes* & *paupertatem* vertisset, quam *mendicos* & *mendicitatem*; cum de *mendicitate* Ebionitarum nihil legere meminerim, etsi facile fieri potuisse concedam, ut populares illorum Judæi vocem אביונים per contemtum de *mendicis* intellectam voluerint. Sed quicquid de eo sit, manifestum esse putamus, ipsos *Ebionæos* nullum *Ebionem* agnoscere, a quo nominis sui originem ducant, sed solum atque unice ad majorum suorum historiam & institutum, ad communicationem, inquam, bonorum, & inde ortam egestatem, referre.

XIX. At enim Epiphanius huic illorum Etymologiæ sedulo & serio contradicit, & lepidum commentum esse pertendit. Quare videndum erit, utri majorem in hac causa fidem mereantur, Epiphanius infensissimus hostis & actor, an Ebionitæ rei. Atque hic neminem, qui quidem æqua lance rem perpenderit, adeo iniquum fore confidimus, ut pro Epiphanio contra Ebionitas pronunciet. Cum enim ille nullum idoneum testem producat, sed sua solius auctoritate illis *Ebionem* sectæ & nominis auctorem obtrudere conetur; illi e contrario certam & irrefragabilem historiæ fidem allegant, actorum Apostolicorum actis comprobatam, atque inde nominis sui originem demonstrant. Qua in re tanto plus fidei merentur, quanto quæque gens rerum domesticarum & ortus sui peritior semper censetur peregrinis, præsertim iis, qui ab origine ejus longius absunt, & linguam gentis de qua agitur ignorant, neque publicarum tabularum fide sententiam suam valent comprobare. Et quid, quæso, caussæ fuisse putemus, cur *Ebionitæ* illi *Ebionis*, si quidem illum dogmatum suorum auctorem habuerint, nomen & memoriam tantopere fuerint detestati, ut cum doctrinam & mores ejus per omnia sequerentur, ipsum tamen exstitisse negarint, vel minimum ab illo noluerint denominari? Ego certe nihil causæ video, quam si quis alius comminisci possit, quæ saltem speciem habeat, ab illo discere non pudebit.

XX. Undenam vero etiam, & quando Hæresiarcha ille id nominis nactus sit? in ipsa circumcisione, si quid Epiphanio credimus, certe *ab ipsis parentibus*, neque *sine vaticinio aliquo, quo mendicus infelixque fore significaretur*. Ita scilicet

licet Deus O. M. hanc deterrimam pestem & Chriſtiani nominis opprobrium miraculo dignatus ſit, & mirum ni, ut olim Iſmaeli, Iſaaco, Cyro, & ipſi denique Filio ſuo, multo antequam naſceretur, vel per ſe vel per prophetam aliquem nomen indiderit. Sic mendacium mendacio obtegendum erat, ne perplueret; & Deus ipſe fabulæ intereſſe debebat, ad nodum, quem Epiphanius nexum iri prævidebat, ſolvendum.

XXI. Sed porro, cum duorum generum *Ebionæi* fuiſſe dicantur, quorum alteri nihil humile de Chriſti nativitate ex Virgine ſentiebant; cum item tempore Epiphanii præclara omnia de Deitate ejuſdem faterentur, ut infra probatum dabimus; Cum denique, quod Origenem jam ſupra aſſeverantem audivimus, illi in genere *Ebionæi dicantur*, οἱ ἀπὸ τῶν Ἰουδαίων εἰς τὸν Ἰησοῦν πεπιστευκότες, οἱ τὸν Ἰησοῦν ὡς χριστὸν παραδεξάμενοι, *qui ex Judæis in Jeſum crediderunt, eumque ut Meſſiam receperunt:* Quam ob rem, quæſo, his *Ebionæorum* nomen datum eſt, qui in graviſſimo fidei capite nihil cum *Ebione* illo commune habebant, ſed orthodoxam ſententiam ſequebantur? Aut illud nobis argumento erit, qua fide atque prudentia illi Patres uſi ſint, qui innocentiſſimos homines præter fas & æquum contumelioſiſſimo nomine ab hæreſiarcha peſſimo appellarint? quid quod ne ipſi quidem Apoſtoli, & quotquot ab illis ex Judaiſmo ad Chriſtum converſi ſunt, ex hoc *Ebionitarum* grege eximi poſſint, quippe *Judæi*, & *Jeſum recipientes pro Chriſto*, atque adhærentes denique adhuc ceremoniis Judaicis?

XXII. An vero ipſum *Ebionis* nomen, Hebræum inquam אביון, ejuſmodi ſit, ut illam ſive *mentis inopiam & mendicitatem*, ſive *humilem atque abjectam de Chriſto exiſtimationem*, ſignificare aptum natum fuerit? Vox Hæbræa ſane *Pauperem* notat, humilem illum & obſequioſum, uti Celeb. Coccejus recte obſervat, quales ſc. fortuna miſeros atque egenos fingere plerumque ſolet: At illum cum voce רוח *Spiritus*, vel לב *cordis*, conſtrui ſolere, ut *mentis inopiam*, vel *humilem de alio ſenſum* notet, id vero hactenus nullo exemplo probatum vidi. Fieri poteſt, ut fallar; ſed vel quovis pignore depoſito auſim plus ſemel in hac nominis Ἐβιωναίων explicatione & uſu, vel abuſu potius, a bonis Patribus aberratum eſſe. Audierant nimirum vocem אביון, Ἐβιὼν, πτωχὸν valere, Latine *Pauperem*. Cum itaque gentem ſibi inviſam ipſa nominis infamia notare & damnare vellent, viderentque proprie dictam *Paupertatem* illis vitio verti non poſſe (cum eam gentiles aliis quoque Chriſtianis vulgo exprobrare ſolerent) ad metaphoram confugerunt, & aliam paupertatem quæſiverunt, quam illis objicerent. Occurrebant itaque apud LXX. Interpretes, & in ſermonibus Chriſti οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, *pauperes Spiritu*, id eſt ענוי רוח, qui *humili manſuetoque animo* ſunt, humiliter de ſe ipſis ſentientes. Sed cum neque iſtac ſuccederet, quoniam Chriſtus hos beatos prædicat, alia via aggreſſi ſunt, & πτωχείαν τῆς διανοίας commenti ſunt, proprie *paupertatem mentis*, ſed per Hebraiſmum *humilitatem ſenſus*, quemadmodum in ſuperioribus Hieronymum phraſin iſtam vertere oſtendimus, ne ſc. dubitaremus, quin ad Hebraiſmum alluſum ſit. At cum illa *animi humilitas*, *humilis* cujuſque *de ſe ipſo ſenſus* exprimendus eſt, Hebræi nunquam voce אביון utantur, nedum illam cum ſubſtantivis לב vel רוח conſtruunt, ſed voce ענו *anav* ſive abſolute poſita, ſive cum memoratis ſubſtantivis conſtructa, unde ענוה *humilitas*, *manſuetudo*, & Rabbinis Syriſque ענון *anvaan*, & ענוות *anvuth*, *humanus*, *manſuetus:* Unde quis eſt, qui non illepidi commenti & frigidiſſimæ alluſionis futilitatem agnoſcat, & ſyrma errorum deprehendat?

XXIII. Ex his omnibus itaque tandem concludimus, *Ebionæos* non aliunde quam a proprie dicta primæ Apoſtolicæ Eccleſiæ *paupertate* nomen nactos; neque adeo alios eſſe, quam qui ex Judæis in Jeſum crediderunt, eumque pro Meſſia receperunt, a quo alio nomine *Nazaræi* vel *Nazareni* dicebantur, de quibus ſuperiore diſſertatione egimus. Quod poſtremum paullo fuſius probandum erit.

XXIV. Cum itaque primi ex Judaiſmo Chriſtiani, Apoſtoli ipſi & quotquot eorum opera, maxime ex Judæis, ad Chriſtum converſi ſunt, a Jeſu Nazareno *Nazaræi* dicti ſint, iidemque a paupertate *Ebionitæ;* liquet ſole meridiano clarius, *Nazaræos* & *Ebionæos* prorſus eoſdem eſſe, nequaquam vero diverſos.

XXV. Id quod porro ex pleriſque omnibus confirmatur, quæ Epiphanius aliique de utriſque narrant. De *Naſaræis* & *Nazaræis*, quos Epiphanius inepte diſtinguit, ut ſuperioris diſſ. §. 46. oſtendimus, illos *genere Judæos* fuiſſe; neque vero hi *Ebionitæ* aliunde, quam ex Judæis, imo, ſi quid Epiphanio credimus, ipſis Nazaræis, orti ſunt. Id præterquam quod lingua Hebræa, ſeu malis Syriaca, atque omnia vitæ inſtituta arguunt, diſer-

diserta Patrum testimonia comprobant. Ebionæi enim, uti supra Origenem plus semel contra Celsum audivimus asseverantem, non alii erant, quam οἱ ἐξ Ἰουδαϊσμοῦ πεπιστευκότες, *qui ex Judaismo in Jesum crediderant, eumque pro Christo recipiebant*. Sed clarissime omnium Hieronymus, qui etsi alibi distinguit, tamen in Epistola ad Augustinum Ebionitas & Nazaræos eosdem facit. *Quid dicam*, inquit, *de Ebionitis? Usque hodie per totas Orientis Synagogas inter Judæos hæresis est, quæ dicitur Minæorum, & a Pharisæis nunc usque damnatur, quos vulgo Nazaræos nuncupant* &c. Ubi nemini dubium esse potest, quin *Ebionitas* per *Nazaræos* describat. Ipse Ebion apud Epiphanium, Hær. xxx. §. 1. pro Judæo sese gerebat. Imo ex ipsis Nayaræis ortus erat.

XXVI. Deinde idem utrisque natale solum ab Epiphanio assignatur. *Nasaræi* ex Peræa, Batanæa, Cœlesyria orti erant; Neque vero *Ebion* & *Ebionitæ* aliunde oriundi. De Ebionitis §. 2. „ Sed hujus „ factionis exodium post Hierosolymitanæ urbis excidium cœpit. Quo tempore Christiani cum in Peræa degerent, atque in urbe Pella potissimum, „ quæ in Decapolitana provincia est, „ cujus exstat in Evangelio mentio, „ prope Batanæam ac Basanitidem: cum „ illic, inquam, domicilium collocassent, „ tunc Ebioni data est propagandi erroris occasio. Qui in pago quodam Cocabe in regione Carnaimorum, Arnemi, & Astarotharum, & Basanitidis „ tractu habitare cœpit, quemadmodum „ vetus ad nos usque fama pertulit. Inde igitur pessimi prædicandi dogmatis „ initium sumsit, unde & impios Nazarenos cœpisse docuimus. " Optime sane. Eadem utrisque patria, idem quoque secundum Epiphanium nascendi tempus, postquam Ecclesia Hierosolymitana Pellam vicinaque loca insederat. Neque sane mirum, cum & Nazaræi & Ebionitæ iidem plane essent, neque ex Hierosolymitanis tantum post Urbis excidium orti, sed & multo ante quam Hierosolymam relinquerent, ipsi Hierosolymitani & *Nazaræi* essent & *Ebionitæ*.

XXVII. De locis quæ hic ab Epiphanio recensentur, alii videantur, inque primis Lightfootus; de *Batanæa* & *Peræa*, in Chorographicis Lucæ præmissis, Cap. I. de *Decapolitana*, Decade Chorographica Marco præmissa Cap. VII. De *Cocabe* vero quoniam alibi non ita frequens mentio occurrit, non possumus, quin paucis situm ejus ex recentioribus monstremus. Fuit nimirum illud oppidum in vicinia Damasci, ad tertium quartumve lapidem inde dissitum. Edrisius, qui vulgo Geographi Nubiensis nomine venit, pag. 116. & 117. ad Damasci pagos refert; *Habetque*, inquit, *montes atque arva quæ vocantur Alghauta*, (*vallis*, ἡ κοιλή:) *protenditurque Alghauta spatio duarum stationum in longitudinem, unius in latitudinem: & continentur in ipsa pagi quasi urbes, qualis est Meza cum suburbiis suis, & Barda, Harsenna*, CAUCABA, *&c*. Sed Thevenotius accuratius situm ejus monstrat. Is cum ex Galilæa Damascum pergeret, & pontem Jordanis, quem vulgo pontem Jacobi vocant, transiisset, rudera loci illius in via vidit, ad montem siti. Verba hæc sunt: *Postridie Damascum venimus, Saxa septem horis dissitam. Primi vero sesqui horæ spatio a Saxa pons transitur instratus fluvio qui Saxa decurrit. Quatuor primis horis iter fit via lapidosa, in cujus fine & ad dextram vastati cujusdam vici, cui* CAKCAB *nomen, id est Stellæ, locus est, ubi Servator noster Paulo acclamavit*; Saule, Saule, quid me persequeris? *Reliquum iter per longe fertilissimam & amœnissimam planiciem est*. Ex quo loco apparet, *Cochaben*, vel Syrorum & Arabum pronunciatione *Caucaben*, proxime Damasco sitam esse, initio vallis illius, quæ Damasco ad Jordanem ducit, ut ab Edrisio in suburbia illius merito referatur.

XXVIII. Sed neque Cyprum prætervehi debemus, cum ibi quoque suus Ebioni locus fuerit. Epiphanius, Hær. xxx. §. 18. *Ergo Ebion tametsi in Asia, ac Romæ, errorem suum disseminaverit, nihilominus spinosorum suorum germinum stolonumque radices ex Nabathæa atque Paneade potissimum trahit - - - & in insula Cypro*. Passim ergo incertis sedibus Ebionem vagatum esse oportet, qui non tantum memoratis Perææ locis habitaverit, sed & in Asia, minore illa, & Romæ, & in Cypro hæreseos suæ semina sparserit. Sed quæ illi tanta Cyprum adeundi causa fuerit? Barnabas, credo, hic nobis mutato nomine sistitur, qui si non hic ipse *Ebion* fuerit Epiphanio memoratus, haud sane illi dissimilis fuit. Audiatur Lucas act. IV. 36. 37. *Joses vero*, inquit, *qui ab Apostolis Barnabas est appellatus* (*quod est si interpreteris, filius adhortationis* בר נביא vel נבואה) *Levita, Cyprius genere, quum agrum haberet, illum vendidit, & allatam pecuniam deposuit ad pedes Apostolorum*. Quo facto quis dubitet, quin אביון *Eaion* evaserit, id est *pauper*? cum quæ sibi pauca relicta jugera ruris erant, iis se ab-di-

dicasset. Hic cum esset vir bonus & Spiritu Sancto & fide plenus, postquam aliquandiu Pauli fidus comes & collega in opere domini fuisset, tandem jurgio aliquo oborto Paulum reliquit, & *cum Marco in Cyprum navigavit* Act. xv. 39. Ubi procul dubio pro veteri sua pietate & zelo *Ebionaismi* hæresin severit, qui quantus quantus erat nihil nisi *Ebion* erat, id est, ex Judæo Christianus & pauper. Si cui tamen religio fuerit Barnabam *Ebionem Cyprium* vocare, en alios complures, qui ob persecutionem tempore Stephani grassantem dispersi, Hierosolyma relicta Act. VIII. 1. *in Phœniciam, & Cyprum, & Antiochiam penetrarunt, verbum* (Evangelii) *nulli prædicantes, nisi solis Judæis*. Act. XI. 19. Quorum quin plerique אביונים *Ebionim* fuerint, gravissima persecutio, διωγμὸς μέγας, uti Lucas illam vocat, & quæ cum illa conjuncta fuit, direptio bonorum, nos dubitare non sinunt.

XXIX. Sed & in ipsa Urbe Ebion fuerit, ibique hæreseos suæ semina sparserit. Quod equidem facile largiar, cum Apostolus in Epistola ad Romanos complures memoret *Judæos ad Christum conversos*, cap. XVI. de quibus etsi dictu difficile est, an אביונים *Pauperes* fuerint, illud tamen certum est, quædam ficti illius *Ebionis* dogmata inter illos viguisse, quale illud de *abstinendo a carnibus*, de quo idem Apostolus Cap. XIV. prolixe agit.

XXX. Unde adeo animum induco credere, idem Epiphanio aliisque Patribus in historia Judæo-Christianorum evenisse, quod veteribus Græculis in historia Deorum & Heroum. Quemadmodum enim hi, quicquid ab antiquis heroibus præclare & fortiter gestum erat, Jovi, vel Belo, aut Herculi tribuebant; ita quoque Epiphanius, quicquid Judaici dogmatis in variis etsi inter se longissime dissitis locis traditum, vel quocunque modo actum fuerat, id omne ad unum aliquem miserum *Ebionem* retulit, vel ejusdem gregis atque commatis Cerinthum, quemadmodum in sequentibus ostendemus.

XXXI. Sed ut ad rem redeamus, a qua vagus ille Ebion nos tantisper abduxit; quemadmodum *Nazareni* & *Ebionitæ* genere, patria & natalibus conveniebant, ita inprimis etiam dogmatibus. Nazaræi credentes in Christo legi Mosis usque adhærebant; Sabbathum, Circumcisionem, aliasque legis ceremonias adhuc observantes: neque vero aliam ob causam Ebionem a Patribus anathematizatum narrat Hieronymus, quam quod ita Evangelium recipiebat, ut tamen veterem legem non amitteret. Nasaræi illi alteri Epiphaniani Mosen reliquosque Prophetas rejiciebant: similiter vero & Ebionitæ, si quid eidem Epiphanio in sequentibus credemus. Nazaræi Evangelio Hebraico Matthæi utebantur, cætera parvi pendebant: Neque vero aliter Ebionitæ. Quæ omnia cum id genus aliis, si superioribus jungantur, satis evidenter ostendunt, Nazaræos & Ebionitas ejusdem commatis atque hæreseos esse, & perperam plane divelli. Quod si enim, qui idem genus, eandem patriam, eosdemque natales agnoscunt, eademque per omnia dogmata profitentur, iidem esse non sint dicendi: lubens equidem me ignorare fatebor, quibus argumentis probari possit aut debeat, *C. Julium*, M. Bibuli in Consulatu collegam, eundem esse atque *Cæsarem*, primum Romani Imperii conditorem.

XXXII. Posteaquam itaque nominis Sectæque originem declaravimus, atque ostendimus *Ebionitas* eosdem esse atque *Nazaræos*; restat, ut nunc quoque de dogmatibus illorum agamus, atque inquiramus, an illa ejusmodi fuerint, ut eorum nomine a Christianis Gentilibus hæreseos fuerint accusandi & damnandi.

XXXIII. Hæc vero illorum dogmata ad tria præcipua capita non incommode revocari posse videntur, de Persona Messiæ, de Legum Judaicarum observantia, & denique de Chiliasmo.

XXXIV. De Messia, quem quidem Jesum Nazarenum esse credebant, ita vulgo sensisse dicuntur, ut illum neque Deum Deique filium, neque ex Maria Virgine natum esse faterentur. Res ex Hieronymo, Epiphanio, Theodoreto aliisque Patribus vulgo notior est, quam, ut probari mereatur: an æque vera ac certa sit hæc tam dira accusatio, id vero accuratius inquirendum erit.

XXXV. Enim vero cum nulla horum hominum monumenta supersint, quæ vel bellorum in oriente quondam grassantium sævitie sunt deleta, vel ab ipsis Christianis Gentilibus conquisita & suppressa, vel certe longi temporis injuria interciderunt; sane quam difficile erit genuinam illorum sententiam in lucem proferre, nisi ipsi illorum adversarii illis, nobisque, qui eos defendere conamur, suppetias ferant, & in ipsis gravissimis accusationibus ejusmodi veritatis vestigia impressa reliquerint, ex quibus orthodoxa illorum fides, quasi uncialibus literis scripta, legi & intelligi ab omni attento & præjudiciis vacuo lectore possit. Cum vero *Ebionem*, hominem sin-

ſingularem, nunquam fuiſſe credamus, & in ſuperioribus jam probatum dederimus, pro illo, inani hominum fabuloſorum commento, verbum non addemus, ſed eorum tantum, qui falſo ab illo orti creduntur, *Ebionitarum*, cauſam agemus.

XXXVI. Horum itaque ſententiam de Chriſto, & verba adeo ipſa, etſi parum dextre accepta atque verſa, Epiphanius nobis conſervavit, de Hæreſi Ebionitarum Cap. III. quæ Petavius ſic reddit: *Principio igitur Ebion, ut dixi, Chriſtum e viri ſemine, nimirum Joſephi, genitum affirmat. Verum aliquanto abhinc tempore in hodiernum uſque diem, qui ejus errorem ſecuti ſunt, animis eorum in abſurda ac perplexa quædam abreptis, alii aliter de Chriſto pronunciant. Ac ſuſpicari ſane licet, ab eo tempore, quo ſe illis Elxæus adjunxit, falſus quidam propheta, qui apud Sampſenos & Oſſenos atque Elceſſæos extitit, ab eodem edoctos confictum de Chriſto ac Spiritu Sancto neſcio quid effutire cœpiſſe. Nonnulli enim ex iis Adamum fuiſſe Chriſtum prædicant, illum inquam Adamum, qui primus a Deo formatus ejuſdem eſt animatus afflatu. Alii e cœlo eſſe Chriſtum confitentur, ſed ante omnia creatum, ac ſpiritum eſſe quendam, Angeliſque præſtare, atque omnium rerum dominatum tenere, appellari vero Chriſtum. Qui cum perpetuam illic habitationem ſortitus ſit, quoties libuerit in hæc infima delabitur, quemadmodum in Adamo deſcendit, & Patriarchis corpore circumfuſus apparuit, velut cum ad Abrahamum, Iſaacum & Jacobum adiit. Idem denique poſtremis temporibus venit, Adami corpore contectus, & homo viſus eſt, in crucem ſublatus reſurrexit, & adſcendit in cœlum. Rurſus ubi libuerit, ita ſeſe rem habere negant; in eumque duntaxat ſeſe ſanctum infudiſſe Spiritum, qui eſt ipſe Chriſtus, eumque qui Jeſus vocatus eſt, induiſſe. Quamobrem denſiſſima quædam illis eſt offuſa caligo, dum alias aliter de Chriſto opinione ſua ſtatuunt.*

XXXVII. Ita ipſe de ſui temporis *Ebionitis* Epiphanius. Μεγάλη χάρις αὐτῷ, pro hac ingenuitate & diligentia, qua nobis hoc vere aureum fidei Ebioniticæ fragmentum conſervavit. Quodnam enim, obſecro, hoc præclaro teſtimonio aliud diſertius expetas? quodnam pro orthodoxia illorum hominum validius atque evidentius argumentum deſideres? Tametſi enim portentum illud hominis, ſed & commentum, *Ebion*, de Chriſto peſſime ſenſiſſe dicitur; *Ebionitæ* tamen, qui ab illo nominati creduntur, longiſſime ab illa impietate abſunt, nihil humile atque abjectum, ſed præclara omnia ac plane divina de illo profitentes. Quare bona Lectoris venia ſingula verba paulo accuratius liceat examinare.

XXXVIII. Quid enim? *Quidam eorum*, inquit, καὶ Ἀδὰμ τὸν Χριστὸν εἶναι λέγουσιν, *etiam Adamum Chriſtum eſſe dicunt*, id eſt, uti ego interpretor, & quivis vel Hebraice callens, vel in Sacris literis non plane hoſpes, facile conceſſerit, *Chriſtum* verum *hominem eſſe*. Adeone enim hos homines ſtolidos fuiſſe arbitremur, ut vel de *Adamo* crediderint, illum ipſum *Chriſtum fuiſſe*; vel de *Chriſto*, illum *eſſe Adamum*? An potius ita exiſtimemus, vocem Hebræam אדם *Adam*, quæ & primum omnium parentem deſignat, & quemvis in genere hominem notat, bono Epiphanio impoſuiſſe, ut cum vocem illam proprie acciperet, atque adeo vertendam non eſſe exiſtimaret, tam monſtroſam illis opinionem affinxerit, & reliqua verba τὸν πρῶτον πλασθέντα *qui primus formatus eſt*, &c. de ſuo addenda putarit? Quippe ita exiſtimo, Ebionæos illos hunc in modum & ſcripſiſſe & locutos eſſe, המשיח הוא אדם *Meſſias eſt homo*, quod Epiphanius verterit, Ἀδάμ ἐστιν ὁ Χριστὸς *Chriſtus eſt Adamus*.

XXXIX. At parum eſſe inquies probaſſe, Ebionitas de Meſſia crediſiſſe, illum *hominem eſſe*; quod forte nemo ſanus unquam in dubium vocarit, nedum litem illis hoc nomine moverit; cum eo potius nomine a Patribus accuſentur, quod illum ψιλὸν ἄνθρωπον *merum hominem* eſſe putarint. Quod ipſum equidem lubens fateor, modo & mihi id concedatur, Ebionitas de hoc capite recte & ſenſiſſe & locutos eſſe; & lector noſter, quod equidem vehementer velim, hoc exemplo diſcat atque obſervet, quam imperite atque perverſe Patres Chriſtiani optimas optimorum hominum ſententias accipere atque interpretari ſoleant; & quam adeo fidem in exponendis adverſariorum ſuorum ſententiis mereantur. Quæ obſervatio ad ea, quæ apud Epiphanium mox ſequuntur, rectius intelligenda, magnum pondus atque momentum afferent.

XL. Pergamus itaque cum illo, & videamus, quid iidem Ebionitæ de Deitate Chriſti ſenſerint. *Atque* inquit, *e cœlo* (Chriſtum) *eſſe confitentur*: quod ſane longe ſublimiorem ejus, quam mere terreſtrem originem, arguit, convenienter illi Pauli dicto I. Cor. xv. 47. ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ. *Secundus homo, Dominus ex cœlo*: & Chriſti

sti de se ipso, Joh. III. 13. & 31. VI. 33. 38. ſ

XLI. *Ante omnia vero creatum*, πρὸ πάντων δὲ κτισθέντα. Quod quid aliud nisi *æternitatem* ejus arguit? quod αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, *ipse ante omnia est*, Col. I. 17. At quo minus Ebionitas de æternitate Christi recte sensisse credant, multos, opinor, cum alia Patrum testimonia impedient, tum hic ipse locus, in quo non *ante omnia esse* vel *fuisse*, sed κτισθεὶς, *creatus* dicitur; ut vel sic tamen ex Ebionitarum sententia in *creaturarum* ordinem Christus referatur, atque adeo ἦν ὅτε οὐκ ἦν, *fuerit, quando ipse nondum erat*. Ad quam objectionem ita respondeo: Vel sic tamen cuivis satis & ad oculum liquere posse illius falsitatem calumniæ, qua veteres Patres Ebionitas accusant, quod negent, *Christum ante Mariam fuisse*. Hieronymus Tom. I. pag. 121. b. pr. *Johannes Apostolus --- novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis, adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam non fuisse*. At qui Christum *ante omnia creatum* ajunt, non eo ipso Maria illum multis seculis antiquiorem faciunt? Liceat hic ipsius Hieronymi verba appingere ex Tom. VI. pag. 178. I. *Hic locus* (Eph. IV. 10.) *adversus Ebionem & Fotinum vel maxime facit. Si enim ipse est adscendens in cœlos, qui de cœlis ante descenderat: quomodo Dominus noster Jesus Christus non ante Mariam est, sed post Mariam?* Quæ consequentia si adversus miserum illum Ebionem & Ebionitas valeat; cur non & hæc illorum confessio tantundem valeat ad hanc diram calumniam amoliendam? Ἄνωθεν μὲν ὄντα, πρὸ πάντων δὲ κτισθέντα, *Christum cum e cœlis esse, tum ante omnia creatum fuisse ajunt*, ita particulas μὲν & δὲ per *cum* & *tum* melius reddideris, teste Epiphanio: Quomodo ergo non ante Mariam illum esse fateantur? Facessat igitur in posterum illa calumnia, & agnoscamus, quod hic ipse illorum adversarius refert, Ebionitas credidisse, Christum esse non Maria tantum, sed & ipso mundo priorem.

XLII. Nondum tamen id omne est, quod vel ex hoc loco lucremur, vel ad difficultatem ex eo motam respondeamus. Secundo itaque loco observandum est, cum hi Ebionæi gente Hebræi fuerint, & linguæ Hebrææ callentissimi, eademque in sacris usi, quemadmodum superioris dissertationis §. LXXII. de *Nazaræis*, qui sunt ipsissimi nostri *Ebionitæ*, ex Epiphanio ostendimus; non hæc ipsa illorum verba esse, quæ Epiphanius hic loci exhibet, sed eorum verborum, quibus illi suam sententiam exprimebant, versionem Græcam. Unde adeo facile fieri potuerit, quod jam factum esse ostendimus, atque ulterius etiam ostendemus, ut vel Epiphanius, vel quisquis horum verborum interpres sit, quædam parum recte intellecta, minus quoque commode reddiderit; ut adeo verba illa non tam ex rigore linguæ Græcæ vel morosiorum Theologorum, quam ex vi linguæ Hebrææ, quam exprimere debent, accipienda veniant & interpretanda.

XLIII. His positis, si sequentia etiam addantur, liquere putamus, Ebionitas in hac sua confessione Proverbiorum caput VIII. & respicere & quodammodo explicare. Ibi vero vers. 22. Æterna illa Dei Sapientia, sese a Patre ab æterno *genitam* vel *possessam* profitetur. יהוה קנני ראשית דרכו *Dominus possedit me in principio*, vel *genuit me* (confer Gen. IV. 1.) *principium viæ suæ, ante opera sua a tunc*. Istud vero קנני Græci interpretes reddiderunt ἔκτισέ με, *creavit me*. Quod adeo verbum cum Ebionitæ quoque adhiberent, hujus confessionis illorum interpres eandem vocem κτίζειν retinuit, quam LXX. olim usurparant, quæque in similibus locis apud Sirachidem in Ecclesiastico Cap. I. 8. & XXIV. 10. occurrit. Adeo ut vox illa κτισθέντα apud Epiphanium idem significare debeat, quod Hebræum קנני apud Salomonem.

XLIV. Id quod magis liquebit, postquam sequentia fuerint enucleata. Porro itaque Christum *Spiritum esse* confitentur, πνεῦμα ὄντα. Quod procul dubio eo pertinet, ut duas in Christo naturas distinguant & præter humanam, de qua in progressu agunt, se etiam divinam in Messia naturam agnoscere profiteantur, cum *Deus spiritus* sit, *Joh.* IV. 24.

XLV. Ne quis vero inde colligeret, eos Messiam Angelis tantum parem statuere, illis etiam *excellentiorem* prædicant, καὶ ὑπὲρ Ἀγγέλους ὄντα, *& Angelis*, inquiunt, *superiorem*: eadem ratione atque Apostolus ad ipsos Cap. I. vs. 4. & seq. prolixe probavit. Quem locum ipsos hic quoque respexisse, inde colligitur, quod Christo suo *dominatum omnium* adscribunt. Πάντων τε κυριεύοντα, inquiunt, *atque omnium rerum dominatum tenere*; quemadmodum sc. Apostolus l. c. vs. 2. illum a Patre *hæredem omnium constitutum* affirmat.

XLVI. Talis itaque tantusque Ebionitis erat is, quem pro Messia habebant,

bant, nam *&* *Chriſtum illum dici* ajebant, id eſt *ab æterno unctum*, Prov. VIII. 23. & *præcognitum* liberatorem Iſraelis & totius generis humani. Quamobrem illis parum erat cætera omnia ſumma de eo prædicaſſe, niſi etiam φιλανθρωπίαν & ἐνανθρώπησιν ejus adderent. Cum enim *perpetuam illic* (ἐν ἐκείνῳ αἰῶνι בעולם העליון *in ſupremo illo mundo*) *ſedem haberet*; cum eſſet, inquam, אמון אצלו, Prov. VIII. 20. ἐγκόλπιος, ſive εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρὸς, *in ſinu patris*, Joh. I. 18. & *deliciæ ejus*, Prov. VIII. 30. Tamen *inde, quoties libuerit, in hæc infima delapſus ſit*. Nempe *cum in forma Dei eſſet, rapinam non duxit æqualeam Deo eſſe; Sed in habitabili ejus luſit, & oblectatio ejus fuit cum filiis hominis*. Ibid. 31. & Phil. II. 6. Neque vero id tum demum, cum *exinanivit ſe ipſum, & forma ſervi aſſumta in ſimilitudine hominis inventus eſt*: Phil. II. 7. Sed & multis ſeculis antequam naſceretur, quando magno illi myſterio incarnationis præludere volupe fuit: *Quemadmodum & in Adamo deſcendit, & Patriarchis corpore circumfuſus apparuit, veluti cum ad Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum adiit*. Quæ verba uti Ebionæorum fidem de crebra apparitione Filii Dei, Angeli illius fœderis, Patribus facta ſatis declarant, ita & Epiphanii, vel quiſquis ille fuerit horum verborum interpres, inſignem παρερμηνείαν produnt, de qua jam ſupra innuimus. Niſi enim Ebionitæ, dum ita magnifice de Meſſia ſuo ſentiunt, prorſus inſanire ſint dicendi, vox Hebræa אדם hic iterum non proprie pro primo homine, ſed appellative reddenda erit; neque illi Chriſtum *in homine* באדם *deſcendiſſe* dixerint, ſed procul dubio בגוף אדם ἐν σώματι ἀνθρώπου, quemadmodum mox ſequitur, vel forte בדמות אדם ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπου, *in ſimilitudine hominis*, vel ἐν σχήματι, ut Apoſtolus loquitur Phil. II. 7. 8.

XLVII. Sed pergamus. *Idem* ergo *denique poſtremis temporibus venit*, (ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, באחרית הימים) *Adami corpore contectus* (lege & intellige *Hominis corpore*, non τὸ αὐτὸ σῶμα τοῦ Ἀδάμ. ſed abſque emphaticis illis articulis σῶμα ἀνθρώπου, בגוף אדם) *& homo viſus eſt*. Imo vero καὶ ἐσταυρώθη, καὶ ἀνέστη, καὶ ἀνῆλθεν, *& crucifixus eſt, & reſurrexit, & adſcendit in cęlum*.

XLVIII. En itaque, Chriſtiane Lector, præclaram Ebionitarum & magnificam de *Meſſia* ſuo, *Deo* & *homine*, *mortuo item* & *reſuſcitato*, ſententiam. In qua vel ipſa orthodoxia, ſi poſſit, vel hæreticæ illi pravitatis inquiſitores & cenſores acerrimi, mihi reſpondeant, quid ſit, quod deſiderent amplius? Credunt Ebionitæ & prædicant *Meſſiam* ſuum, *Deum, Spiritum æternum, ante omnia alia genitum, Angelis excellentiorem, omnium Dominum; qui & in V. T. Patriarchis in forma humana apparuerit, & in plenitudine temporis naturam vere humanam induerit, in eaque crucifixus, mortuus, & reſuſcitatus fuerit, denique in cœlos adſcenderit*. In qua fidei expoſitione ſi quiſquam ſit, qui ad perſpicuitatem & integritatem aliquid adhuc requiri poſſe exiſtimet, velim cogitet, quod res eſt, illam ab Epiphanio nobis conſervatam eſſe, parum ſane æquo cenſore, & infelici interprete: quam ſi ab ipſis editam haberemus, næ vero pulcherrimam illam legeremus, & validiſſimis ſcripturarum teſtimoniis munitam. Ne quid tamen deſit, quod ad hominum ὀρθοδοξοτάτων fidem declarandam facere poſſit, en alium teſtem Hieronymum, qui in Epiſtola ad Auguſtinum jam ſæpius laudata, *Ebionitarum*, quos Judæis alias *Minæos* vel *Nazaræos* dictos affirmat, hanc fidem tradit. *Credunt*, inquit, *in Jeſum, Filium Dei, natum de Virgine Maria; & eundem dicunt eſſe, qui ſub Pontio Pilato mortuus eſt, & reſurrexit*; Nondum ne id quidem ſatis clarum atque evidens de orthodoxa optimorum Chriſtianorum fide teſtimonium, Iterum ergo iterumque gratiæ Epiphanio, gratiæ item Hieronymo, qui inter media anathemata, quæ in miſeros atque innocentes homines vibrant, hanc præclaram eorundem, de *Meſſia Deo & homine*, confeſſionem nobis ſervarunt. Abſque eo enim eſſet, in æternum hi miſeri homines atrociſſimæ hæreſeos manifeſti convictique crederentur; qui nunc præclaris graviſſimiſque ipſorum adverſariorum teſtimoniis abſolvuntur.

XLIX. Cæterum cum ex dictis jam conſtet, ſententiæ Ebioniticæ interpretem, quiſquis ille ſit, in voce Hebræa אדם vertenda, in tam brevi periodo ter minimum lapſum eſſe; cum itidem veroſimillimum videatur, Ebionitas in illa fidei ſuæ expoſitione Caput VIII. Proverbiorum maxime ob oculos habuiſſe: quotus quiſque non agnoſcat jam, nobiſque concedat, illud κτισθέντα apud Epiphanium non ex vi Græcæ Linguæ, ſed ex Hebræo קנני explicandum eſſe? Quod ſi quis tamen necdum nobis concedere velit, ſtricto jure cum illo agamus. Primo itaque ab eo petere licebit, probe nobis evidentibus & omni exceptione majoribus argumentis, interpretem ſententiæ Ebionitarum in voce He-

Hebræa, qua hi usi sunt, Græce per κτίζειν reddenda lapsum non esse, quemadmodum nos illum in una voce ברא vertenda ter minimum aberrasse ostendimus, & vel eundem vel Epiphanium addita emphasi articulorum (τὸ αὐτὸ & τῶ) eundem errorem magis etiam auxisse. Id quod neminem unquam facturum confido. Deinde vero non erraverit interpres, quo tamen valido argumento nobis fides fiat, vel interpretem vel Hebræos ipsos, quacunque voce usi sint, proprie dictam creationem hic intellectam voluisse, ac non potius more Latinorum vocem κτίζειν, *creandi*, eo sensu adhibuisse, quo Latini dicunt *procreare liberos*? Audiatur Drusius, qui ad illud Ecclesiastici 1. 8. ita commentatur. „ Salomo dixerat Prov. 8. 22. *possedit*: „ ubi Interpres Græcus, itemque Chaldæus, *creavit*. Quæ si placet de „ Filio Dei accipere (fecit hoc universa antiquitas) debes exponere *creavit*. „ *h. e.* genuit. Nam hæc duo verba se „ mutuo explicant in linguis. Cicero „ lib. 1. de Rep. *Sed quoniam plurima* „ *beneficia, continet patria, & est antiquior parens quam is qui, ut ajunt*, „ *creaverit, major ei profecto quam parenti debetur gratia*. Virgilius citante „ Lactantio libs 5. c. 10.

- - - Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes - - -

„ Contra Psalm. 90. 2. *Antequam montes gignerentur*, vel si mavis, *nascerentur*, id est, crearentur. “ Tertio denique, cum ipsi Patres Christiani ante concilium Nicænum voce κτίζειν libere & sine crimine de generatione Filii usi sint, non de creatione proprie dicta; quid, quæso, causæ sit, cur vel Hebræi, vel Interpres ille adeo rigide sint accipiendi? Firmum itaque nobis & ratum sit, his Epiphanii verbis πρὸ πάντων κτισθέντα, æternam Filii generationem ab Ebionitis fuisse significatam.

L. Nondum tamen ita dimittendus nobis Epiphanius. Videmus illum initio capitis, in quo enucleando versamur, Ebioni objicere, *quod Christum ex virili semine progenitum docuerit*: Ebionitas vero ipsos ab hoc crimine absolvere, qui sc. in omnia alia eant. Quod ne qui errore aliquo & inadvertentia, ut alia multa, ab Epiphanio scriptum existimet, operæ pretium erit eundem audire data opera id repetentem & inculcantem, de Hæresi Ebionitarum cap. ult. *Cæterum hoc a nobis antea commemoratum est, qui ex illa secta sunt, eos varie de Christo sentire. Nam quod ad Ebionem ipsum pertinet, merum illum hominem ex humano concubitu putat esse prognatum. At qui Ebionæi de illo vocati sunt, nescio quam in cœlo virtutem divinitus obtinuisse filium, eandemque suo se tempore in Adamum insinuasse exuisseque postea.* Hic iterum Ebionitas multo aliter de Christo credidisse testatur, atque Ebionem, ita ut illum & *filium Dei* crediderint, & *ex Deo* esse, & *virtutem Dei*, quo nomine alias ipse Spiritus S. venit. Quid vero illud aliud arguat, nisi vel Ebionem illum miserum Patrum gentilium commentum esse, cum qui ab illo Ebionitæ dicuntur nihil ejus, quod ipse tradiderit, credant; vel Christianos Gentiles parum Christiane cum credentibus Hebræis egisse, qui illis a pessimo Hæresiarcha nomen imposuerint, a quo in maximi momenti capite fidei Christianæ toto cœlo differebant? Ebion iste humiliter atque abjecte de Christo sentiebat: Hebræi illi nihil humile, sed præclara ac magnifica omnia de illo prædicant: & tamen *Ebionitarum* nomine de hæresiarcha pessimo appellantur.

LI. Atque huc equidem scio, annon & illud Hieronymi institutum pertineat, qui quando de hæreticis agit, qui æternam Deitatem Christi negarint, Ebionem continuo nominat, Ebionitas, quod quidem hactenus observare licuerit, non nisi semel tantum; quod non aliunde ortum videtur, quam quod Hieronymus Ebionitas recte per omnia de Chriso sentire sciret, communem tamen illam & quaqua pervagatam fabulam de *Ebione* ad examen non revocasset.

LII. At Epiphanius, inquias, tempora prudenter distinguit, & sui sæculi Ebionæos ita, uti vidimus, de Christo sentire ait, antiquiores non item: imo ne hos recentiores quidem omnes & semper æque orthodoxos facit, quin eorum alios aliter existimare asseverat, & eosdem etiam quæ modo preclare confessi erant, mox *rursum ubi libuerit, negare*. Quare videndum erit, quo pacto nos ex his ejus tricis expediamus.

LIII. *Verum aliquanto*, inquit, *abhinc tempore, in hodiernum usque diem, qui ejus errorem secuti sunt, animis eorum in absurda & perplexa quædam abreptis, alii aliter de Christo pronunciant*. Certum itaque & ἐξαγώνιον est, non modo Epiphanii temporibus, sed & aliquamdiu ante, Ebionitas, certe quosdam eorum, aliter de Christo sensisse, atque Ebion vulgo credidisse dicitur. Sed quam invito id Epiphanio fiat, inde evidens est, quod eo ipso, quod melius tandem sentire cœperint, *ad absurda & perplexa eorum animos abreptos* dicit. Cum sc. fictus

ille Ebion pessime vulgo sensisse dicatur, dolet viro bono, eos qui ab illo dicti finguntur, non in eodem luto & hęreseos crimine hærere, sed in melius sententiam mutasse; & ἀσύςατον καὶ ἀμήχανον νοῦν illis objicit. Ita per id hominum genus, si vel maxime velis & re vera sis, tamen orthodoxo esse non liceat, postquam illi semel tibi hæresios crimen objecerint.

LIV. Quandonam vero isthæc nova illos incesserit religio, ut tam magnifice de Messia & sentire & loqui sustinuerint? Audiamus Epiphanium docte conjectantem. *Ac suspicari sane licet ab eo tempore, quo se illis Elxæus adjunxit falsus quidam propheta, qui apud Sampsenos & Ossenos atque Elcessæos extitit, ab eodem edoctos confictum de Christo ac Spiritu Sancto nescio quid effutire cœpisse*. Ubi vide, Lector, quanta in hoc homine sit animi impotentia, & quo τῆς ἀνθολκῆς studium eum abripiat. Quæ Ebionitæ vere & magnifice de Christo & Spiritu S. prædicant, ea hic homo φαντασίαν vocare non veretur, eorundemque originem ab Elxæo, pessimo, qualisquidem ipsi videtur, hæretico derivat. Ita ergo Pseudopropheta ille Ebionitas a perverso Ebionis dogmate ad saniorem mentem traduxerit? & quod illi a Prophetis atque Apostolis & orthodoxis Christianis discere noluerant, id illis Elxæus iste persuaserit? Quanto itaque satius erit ita animum inducere ut credamus, Ebionitas inde a prima origine ex Apostolorum ore & scriptis illam doctrinam hausisse, & ad Epiphanii usque & Hieronymi tempora in eadem sententia perstitisse? Quibus enim argumentis Epiphanius probet, inde ab Elxęo demum ita Ebionitas sentire cœpisse? nullo sane alio, quam suo illo τάχα δὲ οἶμαι, *facile crediderim*; quod quam validum sit, non dicam ad convincendum, sed vel accusandum, facile per se prudens lector perspexerit.

LV. Sed quid hominis ille *Elxai* fuerit, neque abs re, credo, erit disquirere, neque, spero, lectori nostro ingratum accidet; cum & Epiphanius sępius illius meminerit, & historia ejus obscura sit, & ab pręsens argumentum de *Ebionitis*, cum quo ab Epiphanio conjungitur, non nihil conferre posse videatur.

LVI. Nomen itaque hujus Hæretici, si tamen singularis hominis unquam proprium fuerit, ac non potius totius sectę commune, varie scriptum legitur, quemadmodum Cotelerius ad Monumentorum Eccl. Gręc. Tom. I. pag. 775. notavit. „ Ab Epiphanio (inquit) va-„ rie nominatur, Ἠλξά, Ἠλξαὶ, Ἠλξαος, & Ἐλκεσσαῖος; a Theodorito Ἐλκεσαί, aut Ἐλκασαὶ; a Methodio in „ Convivio Ἐλκεσαῖος vel Ἐλκεσαῖος: sic „ enim legere jubent duo codices regii. „ Apud Augustinum ediderunt *Elei*, & „ in Anonymo *Helchi*. Sed forsan in „ primo scribi debeat *Elesi*, in secundo „ *Helesi*; ut inde fiant *Elcesei* & *Helcesei*. Guido Carmelita *Elsum* & *Elsejos* nuncupat. Hęc Cotelerius de hoc nomine. Cujus variantes lectiones ad veritatem eruendam forte aliquid conferent, si notemus sectatores illius ab Epiphanio etiam Ἐλκεσσαίους scribi per duplex Sigma, etsi Valesius ad Eusebium illam scriptionem mendi arguit.

LVII. Ex his itaque de re ipsa conjecturam facturis varia occurrebant. Epiphanius Hęresi XIX. cap. 2. nomen a Sampsenis ita explicari narrat, ut *vim abstrusam* notet: *a quibus*, inquit, *perabsurde illud excogitatum est, ut ab occulta vi cognominatum ejusmodi nebulonem fingerent: propterea quod* Ιη (Hebraice חיל) vim; ξαι abstrusum *significat*. Illustris Scaliger *Elcessæos* eosdem facit atque *Essenos*, ex Arabico articulo אל & השאי, sive junctim אלחשאי Ἐλχασαὶ, vel contractius Ἐλξαί. Sed & Nahumus Propheta Hebr. אלקשי Gręce Ἐλκεσαῖος cognominatur Cap. I. I. & in historia Orientis apud montem Libanum populus *Ascasinorum* occurrit, Hebręis atque Arabibus אלחשישין *Alchasisin*, qui quidem ad Ἐλχασαίους proxime accedere videntur, pręsertim cum & in Glossario Du Cange sint, qui illos χασισίους appellent.

LVIII. Etsi vero in his omnibus satis manifesta vestigia nominis Ἐλξαί & Ἐλκεσσαῖος apparent, & pro singulis quędam dici posse videntur: tamen longe aliud esse putamus, a quo nominis hujus origo sit repetenda, ipsum nempe pręcipuum dogma, quod hęc hęresis proprium habuit. Id quale fuerit Eusebius nobis ex Origene narrat, Hist. Eccl. Lib. VI. cap. 38. *Quidam, inquit Origenes, nuper advenit, de se ipse magnifice sentiens, utpote qui impiam & nefariam Helcesaitarum opinionem, quæ adversus Ecclesiam recens exorta est, possit defendere --- Docet præterea indifferentem rem esse Christum abnegare: & eum qui sapit, ore quidem tenus in ipso discrimine negaturum esse, sed non ex animi sententia*. Neque dissentit Epiphanius, qui Hęr. XIX. cap. I. in hunc sensum scribit: *Denique etiam* (Elxai) *simulatores esse docuit; cum ullum negaret esse crimen, si quis persecutionis tempore Idola veneretur*, dum-

dummodo minime id ex animo faciat; aut ſi quid ore tenus, non item animo profiteatur. Hoc itaque precipuum illius hereſeos dogma fuit, licitum eſſe homini Chriſtiano perſecutione ingruente Chriſtum & fidem ejus abnegare. Nam quod Origenes quoſdam Veteris Novique Teſtamenti libros ab illis rejectos narrat, id procul dubio ejuſdem farinæ eſt, atque illud quod Epiphanius tradit, Naſaræos Judæos Legem Moſis repudiaſſe.

LIX. His de nomine & dogmate hæreſeos Elceſſæorum prælibatis, non difficile arbitramur ſtatuere, quis ille *Elxai* vel *Elceſæus* fuerit. Cum enim graviſſimis illis perſecutionibus, quæ inde a naſcentis Chriſtianiſmi temporibus adverſus Eccleſiam motæ ſunt, multi ſuccumberent; Paulo ipſo ante converſionem ſuam quoſdam cogente βλασφημεῖν, i. e. horrendam illam formulam, quam in Schola Gamalielis adverſus Nazarenos conceperat, publice in Synagogis recitare, atque ita Chriſtiano nomini maledicere; tandem non defuerunt, qui publice docerent, licitum eſſe, tempore perſecutionis fidem Chriſti abnegare, contra quam & Chriſtus diſcipulos ſuos docuerat Matt. x. 32. 33. Luc. xii. 8. & hi rurſus Eccleſias credentium Judæorum, Hebr. x. xi. xii. 1. Pet. iv. 12. ſ. v. 8. 10. Jac. 1. 2. 3. 4. Hos itaque hypocritas inter Judæos credentes, qui Cœlen Syriam vicinamque Arabiam incolebant, exortos, a reliquis, qui hoc illorum dogma merito abominabantur, voce Arabica vel hybrida Ελκεσσαίες vel Ελκασσαίες appellatos eſſe arbitramur.

LX. Nimirum כחש Hebræis eſt *negare factum* vel *acceptum*, Exod. v. 21. 22. imo Rabbinis etiam *abnegare fidem*, unde *Apoſtatæ* illis מכחישים vocantur. Hinc itaque forma Arabica fit כאחשין, & præpoſito articulo אלכאחשין *Alcaheſin*, vel ex alia pronunciatione *Elcaheſin*, quod eſt Græcum Ἑλχασσαῖοι, aſpiratione Græcis inſolente eliſa. Si cui tamen hæc nominis Etymologia non allubeſcat, en aliam forte probabiliorem. כסה ſignificat, *tegere*, *velare*, *obvelare*, veſte vel ſtragula injecta; & hinc generalius *celare*, *diſſimulare*, oppoſite ad קרא *prædicare*, & הודה *confiteri*: haud ſecus atque כפר, quod proprie eſt, pice aliave materia *illinere*, *obducere*, *obtegere*, Rabbinis, Chaldæo-Syris & Arabibus eſt *abnegare*, unde Rab. כופר, Arab. כאפר, imo & Hebr. כפיר, Pſal. xxxiv. 11. eſt *Apoſtata*, qui *Deum* vel *religionem* ejuſque *eximium aliquod dogma* abnegat. Inde itaque Chaldæo-Syris כסאי vel כסי *Caſſai* formari poteſt, ad formam זכאי vel זכי *Zaacai*; & Arabibus כסי *caſſai*, unde addito articulo אלכסי Αλκασσαί, vel receptiſſima articuli pronunciatione Ελκασσαι vel Ελκεσσαι, Ἐλκεσσαῖος, Ελκασσαιος, & tandem contracte, uti Epiphanius legit, Ἠλξαΐ, Ἠλξαῖος.

LXI. Atque hinc tandem evidens eſſe ſperamus, τὸ Ἠλξαΐ vel Ελκεσσαί, vel quocunque demum modo ſcribere & legere lubeat, non individui alicujus proprium, ſed commune totius ſecte nomen eſſe, quo reliqui orthodoxi & in fide atque confeſſione Chriſti perſiſtentes Ebionite illos notarint, qui cum tempore perſecutionis a profeſſione fidei Chriſtianæ deficiebant, tum maxime illam nominis Chriſtiani abnegationem licitam eſſe defendebant. Id quod inde etiam amplius confirmari videtur, quod qui primus hujus hæreſeos meminit, Origenes, non hominis ſingularis mentionem facit, ſed integre ſectæ *Elceſaitarum*.

LXII. Quod ſi itaque nunquam quiſquam *Elxai* exſtiterit, cui quidem id proprium nomen fuerit, haud ſane magis atque decantatus ille *Ebion*; novo argumento liquere arbitramur, cum qua fide peritiave Epiphanius in illis hæreſibus deſcribendis ſit verſatus, quæ ab ejus ævo paullo erant remotiores; tum quam frivolum atque inane illud ejuſdem ſit commentum, quando, quæ Ebionitæ præclare de Chriſto & Sp. Sancto profeſſi ſunt, ea illos ab Elxai iſto mutuatos hariolatur. Id quod magis liquebit, ſi tempora quoque conſideremus, quibus Epiphanius hæreſium harum ortum & progreſſum apte diſpertit. *Elxaus* enim ille temporibus Trajani caput extulerit, Hæreſi xix. cap. 1. *Ad hos* (inquit) *Elxai ſe quidam aggregavit, imperante Trajano*. At Nazaræi poſt everſam Solymam, poſtquam diſcipuli Pellam conceſſerant, orti ſint Hær. xxix. cap. 7. *Hinc enim poſt illam ab Hieroſolymis ſeceſſionem, illorum initia profecta ſunt, cum Pellæ diſcipuli omnes habitarent* &c. Ex his denique, atque adeo poſt illos demum Ebion, ſurrexerit, Hær. xxx. cap. 2. vide ſupra §. 2. & 25. Imo vero Trajani tempora attigerit, cap. xxiv. *Neque vero mirari quiſquam debet, dum Ebion occurriſſe Johanni dicitur. Hic enim diu admodum vixit, & ad Trajani pervenit imperium*.

LXIII. Hæc itaque ſi inter ſe conferantur, Ebionaiſmum ſimul natum & exſtinctum fuiſſe, certe non diu floruiſſe oportet. Cum enim Ebion Trajano imperante venenum ſuum ſparſerit, eodem adhuc rerum potiente Elxai Ebionitas ad ſaniorem mentem revocarit, ut mul-

multo aliter de Christo & Spiritu Sancto sentire & loqui inciperent; atque adeo intra unius Trajani imperium Ebionaismus concludatur, si Epiphanii Chronologiam sequamur. Quæ cum minime cohærere videantur, & miseram Epiphanii confusionem ubique prodant, potius erit ut Origeni assentiamur, qui ut ab Elcesaitarum ortu propius abfuit, ita eundem certius cognoscere posterisque tradere potuit. Is autem apud Eusebium Lib. VI. cap. 38. ita de illis loquitur, ut si non ejus ætate, certe non multo ante illam orti esse debuerint. Imo Eusebius ipse ad Origenis tempora diserte refert. *Alius quoque*, inquit, *tunc temporis error exortus est, Helcesaitarum sc. hæresis: quæ quidem simul nata, simul extincta est. Hujus mentionem facit Origenes in Homilia ad populum, qua Psalmum octogesimum secundum exponit, his verbis: Quidam, inquit, nuper advenit de se ipse magnifice sentiens, utpote qui impiam & nefariam Helcesaitarum opinionem, quæ adversus Ecclesiam recens coorta est, possit defendere.* Quod si itaque temporibus Origenis *recens orta* fuerit illa hæresis, quo pacto ad Trajani imperium referri possit non video, cum hic illum integro seculo anteverterit. Cum vero illa *Helcesaitarum* hæresis cum gravi aliqua persecutione *simul nata simul exstincta sit*, verum esse non potest, quod Epiphanius de Ebionitis asserit, illos ab Elxæo, inde a Trajani temporibus ad suum usque ævum, acceptam doctrinam de Christo & Sp. sancto propagasse.

LXIV. Sed instet forte aliquis Ebionitis minus æquus; Etsi non ab illo *Elxai* & temporibus Trajani secundum Epiphanium, tamen ab Elcesæis saltem novam sententiam mutuari potuisse temporibus Origenis. Sed ne sic quidem sese expedierit, quisquis ita credere animum induxerit: Adhuc enim æque atque ante firmum & ratum esse debebit, Elcesæos illos minus male de Christo sensisse, ut Ebionitæ illi meliora ab illis addiscere potuerint. Sed præterea etiam illud incommodi accedet, quod Ebionitæ eosdem novæ veritatis magistros agnoverint, & ob eandem veritatem abnegatam nominis infamia notarint. Quinam enim alii sint præter Ebionitas, qui abnegantes Christum illo אלכאחשין vel אלכסאין nomine insignire potuerint voluerintve, non facile explicatu esse confidimus. Nomen ipsum Cœles Syriæ & vicinæ Arabiæ incolas esse prodit, qui id hæreticis illis imposuerint. At in illis oris id temporis alias Ecclesias fuisse, quam Nazarenorum vel Ebionitarum, quæ Arabice locutæ sint, hactenus non liquet. Non ignoramus quidem, Eusebium Lib. VI. cap. 33. & 37. alios errores commemorare in *Arabia* ortos, quos Origenes publice in Concilio & Ecclesia fortiter & feliciter profligarit; sed has Ecclesias fuisse, in quibus Arabice locuti sint, id mihi quidem non sit verosimile; cum Origenes, linguæ Arabicæ ignarus, coram Synodo & tota multitudine disputans ab eadem sit intellectus. Ut adeo Græcas Ecclesias fuisse oporteat, nequaquam Arabico idiomate utentes.

LXV. Sed pergamus ad alterum Ebionitarum dogma, de nativitate Christi ex virili semine, an Virgine? Nam & hac parte parum sani fuisse dicuntur. Irenæus adversus Hæreses, Lib. III. cap. 24. *Non ergo vera est quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari scripturam; Ecce adolescentula in ventre habebit, & pariet filium: quemadmodum & Theodotion Ephesius est interpretatus & Aquila Ponticus, utrique Judæi proselyti, quos sectati Ebionitæ, ex Joseph generatum eum dicunt, &c.* Sic Theodoretus Hæreticarum fabul. Lib. II. cap. I. Ebionem testatur docuisse, *Dominum Jesum Christum ex Joseph & Maria natum esse &c.* Id quod Epiphanium quoque jam sæpius dicentem audivimus. Vide supra §. 4.

LXVI. Neque sane mirum erat, sic statuere miseros homines, qui nihil divini in Christo agnoscebant, sed merum illum hominem esse statuebant, ad cujus nativitatem nullo admodum miraculo opus esse putarint. Ita sane ex vulgata sententia merito concluseris. Quemadmodum e contrario, si Ebionitæ Christum verum Deum crediderint, minime quoque illis difficile fuerit credere nativitatem ejus ex Virgine. Qui enim cum Deus esset, sæpius sibi corpus humanum extra hominem assumsit, cur non idem etiam sibi in utero Virginis corpus formare potuerit? Quamobrem cum hactenus argumentis omni, uti quidem arbitramur, exceptione majoribus probatum dederimus, Ebionitas in capite de Deitate Christi recte per omnia sensisse; nulli dubitamus, quin hæc quoque sententia de Christo ex Josepho nato iisdem per calumniam sit afficta.

LXII. Hieronymus certe, quantumcunque etiam in Ebionem invehatur, ipsos Ebionitas tamen melius sentire testatur. *Quid dicam*, inquit, *de Ebionitis? usque hodie per totas Orientis Synagogas inter Judæos hæresis est, quæ dicitur Minæorum, & a Pharisæis nunc us-*

que damnatur, quos vulgo Nazaræos nuncupant, qui credunt in Christum Filium Dei, natum de Virgine Maria. Videns hic *Ebionitas* nostros, qui a Judæis hæreseos damnabantur, & infami ipsi *Minæorum* nomine notabantur? at quam præclare illi de Messia sentiunt? *Credunt in Christum Filium Dei, natum de Virgine Maria*. Quod Hieronymi testimonium tanto majoris apud nos ponderis esse debet, quo infensiorem ipse se illis adversarium exhibet, cum & ipse illos Christianorum nomine indignos censeat. *Sed dum & Judæi esse volunt*, inquit, *& Christiani, nec Judæi sunt, nec Christiani*. Interea dum adeo inclementer de illis judicat, ut ex Christianorum albo deletos velit, tamen illud dissimulare non potest, eos de Jesu Christo per omnia recte sentire, cum illum præter cætera & *Dei filium* & *Mariæ Virginis* agnoscant. Quo accedit, quod Hieronymus ob locorum viciniam quoddam cum illis commercium habuerit, ut melius illorum sententiam explorare potuerit reliquis Patribus Christianis, maximeque Irenæo, qui occidentem incolebant.

LXVIII. Sed non solus Hieronymus est, qui illos ab hæresi in hoc dogmate absolvat. Idem & Origenes, & Eusebius, & Theodoretus faciunt, quorum testimonia hic adscribere non abs re fuerit. Origenes lib. II. contra Celsum, pag. 56. ἔτοι διττόι ἐισιν Ἐβιωναῖοι, ἤτοι ἐκ παρθένε ὁμολογῦντες ὁμόιως ἡμῖν τ Ἰησῦν, ἢ ἐχ ὕτως γεγεννῆσθαι, ἀλλ' ὡς τὲς λοιπὲς ἀνθρώπες. *Ebionæi duorum generum sunt, vel nobiscum fatentes Jesum natum ex Virgine, vel non ita, sed reliquorum more hominum*. Eusebius Hist. Eccl. Lib. III. cap. 27. *Alii præter hos, qui eodem appellantur nomine, dictorum quidem summam refugiebant absurditatem, non negantes, Dominum ex Virgine & Spiritu S. natum esse: verum ipsi quoque non fatentur, eum semper fuisse Deum, cum sit verbum & sapientia, unde etiam priorum impietate seducebantur: maxime quando corporalem legis observantiam æque atque illi tueri studebant*. Theodoretus Hæret. Fab. Lib. II. cap. I. *Alia præter hanc classis fuit nominis ejusdem; nam hi quoque Ebionæi vocantur; qui in cæteris quidem omnibus cum prioribus conveniunt; Servatorem vero & Dominum ex Virgine natum dicunt*. Satin hinc tandem clarum est atque evidens, Ebionæos credidisse & confessos esse *Christum natum ex Maria Virgine*?

LXIX. Sed, inquies, iidem Patres, qui hic pro Ebionitis testes producuntur, Origenes, Eusebius & Theodoretus, iisdem locis eodemque halitu, Ebionæorum alios negasse affirmant *nativitatem Christi ex Virgine*, & in duas illos classes dispescunt, quarum una quidem recte de hoc gravissimo fidei Christianæ capite, altera vero pessime senserit. Sed id nobis, & ipsis adeo Ebionitis, parum obesse putamus, cum sic tamen satis liqueat, quosdam saltem Ebionitarum orthodoxos fuisse. Unde porro quærere licebit: Quod si Ebionitæ in gravissimo illo dogmate adeo diversum senserint, quid adeo causæ fuerit, cur non eosdem etiam nominibus distinxerint? Sive enim *Ebionæi* ab *Ebione* dicti sint, pessimi dogmatis primo præcone; sive a voce אביון *pauper*, ceu πτωχῶς κ̀ ταπεινῶς περὶ τῦ Χριςῦ δοξάζοντες, *humiliter atque abjecte de Christo sentientes*; quæ hæc, malum, inscitia est, atque iniquitas, orthodoxos homines, qui huic culpæ affines non erant, tam probroso atque contumelioso nomine appellare? Sin vero alia nominis *Ebionitici* causa atque origo sit, cur pessimos hæreticos communi cum orthodoxis nomine insigniverunt, ac non potius peculiari appellatione a reliquis illis orthodoxis secreverunt?

LXX. At forte nostram quis nobis hypothesin concesserit, *Ebionæorum* nomen nihil per se mali inferre, sed ipsos tantum Christianos ex Judæis notare; & sic tamen fieri potuisse contenderit, ut illorum quidam a recta fide defecerint, vel ex illis orti sint, qui tam pravum dogma invexerint. Quo modo si quis ratiocinatus fuerit, illi equidem me non admodum refragari fatebor, cum illud potissimum vel unicum sit, quod aliqua specie dici posse videatur; modo rem ita gestam esse liqueat. Hieronymus certe & Epiphanius omnes ex æquo Ebionitas ab hoc crimine absolvunt: reliquos vero Patres, quos recensuimus, varia præjudicia & falsa ratiocinia impellere potuerunt, ut adeo sinistre de Ebionitis existimarent. Quare opera danda erit, ut ipsum fontem erroris, si fieri possit, ostendamus: Quem quidem partim in nomine Ebionitarum, partim in παρερμηνέιᾳ & falsis ratiociniis, partim denique & præcipue in Vatiniano illo odio situm esse arbitramur, quo Gentiles credentes ex Judaismo persequebantur.

LXXI. Cum vero de nomine Ebionitarum, contemtu item & odio Christianorum Gentilium in credentes ex Judaismo, in superioribus satis egerimus, παρερμηνέιαν tantum & frigida illa Patrum Gen-

Gentilium ratiocinia indagasse hic loci satis habebimus. En itaque primo loco Irenæum, antiquissimum omnium, quem quidem noverimus, quorum scripta adversus Ebionitas supersint. Is Lib. III. cap. 24. ita ratiocinatur. *Non ergo vera est quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari scripturam; Ecce, adolescentula in ventre habebit & pariet filium: quemadmodum & Theodotion Ephesius est interpretatus, & Aquila Ponticus, utrique Judæi proselyti; quos secati Ebionæi, ex Joseph generatum eum dicunt, tantam dispositionem Dei solventes* &c. Ex eo, quod dicti interpretes vocem עלמה apud Jesaiam non per παρθένος sed per νεᾶνις verterunt, calumniæ illos seu malitiosæ interpretationis arguit; quorum versionem cum Ebionæi, qui Græce Biblia legebant, adoptassent, ceu textui originali Hebræo convenientiorem, hinc eos negatæ nativitatis Christi ex Virgine reos agit: *Quos secati Ebionæi ex Joseph generatum eum dicunt*. Tanti constitit Ebionitis veterem & receptam in Ecclesia versionem, quam τῶν Ο'. appellabant, relinquere, ac novas Aquilæ & Theodotionis recipere ac lectitare: ut cum hi in versionibus suis aliquid innovarent, id illi orthodoxiæ suæ periculo & aperta hæreseos accusatione luere debuerint.

LXXII. Sed age videamus, quam hæc justa causa sit Ebionitas accusandi, & quam validum Irenæi ratiocinium. Aquila Ponticus, qui primus post LXX. Interpretes vetus Testamentum Græce transferre ausus est, *contentiosus interpres fuit, qui non solum verba, sed Etymologias quoque verborum transferre conatus est*, teste Hieronymo ad Pammachium de optimo genere Interpretandi, ubi etiam exempla affert, quæ adscribere operæ erit, ut locum a sciolo imperitoque librario misere corruptum restituamus. *Quis enim pro frumento*, inquit, *& vino, & oleo, possit vel legere vel intelligere, χεῦμα, ὀπωρισμὸν, στιλβότητα, quod nos possumus dicere fusionem, pomationemque & splendentiam? Atqui non solum Hebræi habent ἄρθρα, sed & ille κακόζηλος, qui syllabas interpretatur, & literas, ut dicat σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν, quod Latina lingua omnino non recipit*. Quæ hic Hieronymus ἄρθρα vocat, Hebræi מלות *voculas*, nos vulgo *Particulas* appellamus, quæ neque *Nomina* sunt neque *Verba*. Itaque in allato exemplo prn σέει quod verbum est, sed nihili, legendum est, σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν, ex Hebræo את השמים &c. Sic enim Aquila primum Geneseos versum reddiderat, Ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ Θεὸς ΣΥΝ τὸν οὐρανὸν καὶ ΣΥΝ τὴν γῆν. Ne sc. voculam Hebræam את negligeret, quæ quando casum patientem designat, apud Græcos peculiarem voculam respondentem non habet, sed tantum casus terminatione indicatur; maluit Aquila pro illa Græcum Σὺν adhibere, quod & ipsum τῷ את respondet, sed ita ut non cum ablativo more Græco, sed nove cum accusativo construeret, ut ab ablativi nota distingueret.

LXXIII. Sed non minus ex eodem versu liquet, quo pacto Aquila ipsas etiam *literas & syllabas* reddere sit conatus. Nempe Hebræum ראש Græce proprie κεφαλὴν valet, unde cum ראשית derivetur, addita a fine syllaba ית, Aquila non ἀρχὴν reddidit, sed a κεφαλὴ, κεφάλαιον; Ἐν κεφαλαίῳ: quod ipsi nihil aliud significavit, quam ἐν ἀρχῇ. Atque hoc institutum ubique observat, & in ipso adeo Jesaiæ loco. Nam cum עלמה παρθένος, *Virgo*, fœmininum sit a masc. עלם *adolescens*, quod Græce νεανίας redditur, hinc ad etymologiam servandam τὸ עלמה per νεᾶνις vertit. Quemadmodum a מלך βασιλεὺς, *Rex*, est מלכה βασίλισσα, *Regina*; ita a עלם, νεανίας, *adolescens*; Aquila facit עלמה νεᾶνις, *adolescentula*: non quo neget; τὸ עלמה significare *Virginem*, παρθένον, sed ut pro more suo Etymologias ipsas venetur. Id vero & Theodotion hic loci imitatus est, etsi alias minus contentiosus fuisse dicitur & media via inter veteres & novos interpretes incessisse. Utriusque denique & Aquilæ & Theodotionis interpretatione Ebionitæ utebantur, quibus inter Græcos dispersis versione aliqua opus erat, missa versione vulgata Septuaginta, ut vulgo audit, Interpretum, quam ab Hebræo textu innumeris locis immane quantum dissidere sciebant.

LXXIV. Sic itaque ad fontem ipsum fabulæ accessisse videmur. Ebionitæ Aquilæ & Theodotionis versione usi sunt, qui עלמה Jes. VII. 14. non per παρθένος vertunt, sed νεᾶνις; Ergo Christum ex Virgine natum esse negarunt. Quæ quam misera & infirma sit consequentia, multis exemplis ex nostri ævi historia probari posset, nisi consideremus lectori nostro eam per se satis patere. Unum ex antiquitate desumtum adversus Irenæum, cæterosque Patres, sufficiat. Græcus interpres insignia illa Messiæ epitheta Jes. IX. 5. ita pervertit: Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, ἄξω γὰρ εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας. Hac versione Græci Patres utuntur. Ergo Christum *omnipoten-*

tem

rem & æternum Deum esse negant. Quod eodem sane jure de Patribus Græcis concluseris, atque superius illud de Ebionitis. Cujusmodi argumentum si & olim Patres Christiani merito abominati sint, & hodie cordatus quivis rideat; non est, cur de superioris consequentiæ infirmitate ostendenda admodum laboremus.

LXXV. Si quis vero sit, qui existimet, fieri vix potuisse, ut Veteres illi Patres tam infirmis argumentis, vel suspicionibus usi sint, ad Ebionitas gravissimarum hæresium accusandos; is velim cogitet atque attente secum repetat, quæ supra de innocentissimo *Ebionitarum* vel אביונים *pauperum* nomine, & hinc secutis Patrum allusionibus, dein etiam contumeliis, jecimus. Quo si & odium illud accedat Christianorum Gentilium in credentes Judæos, ex rituum diversitate, & hæreditaria Judæorum prærogativa ortum; nemini mirum videbitur, si eo animi impotentiæ veteres illos Patres delapsos dicamus, ut tam misero & inepto argumentorum genere uti voluerint ad Ebionitas pessimarum quarumque hæresium accusandos.

LXXVI. Cujus nostri effati ut plenam lectori fidem faciamus, age, Origenem audiamus, qui ad historiam cœcorum illorum Jerichuntinorum ita commentatur, ad Matth. pag. 427. edit. Huetianæ: *Duo siquidem cœci sunt Israel & Judas* &c. *Ingenti ergo e gentibus multitudine, una cum Jesu, ipsiusque discipulis, e rebus mundanis exeunte, Israeliticæ quædam juxta viam sedentes reliquiæ cogitationum inopes, & animæ necessaria mendicantes, cum Jesum Nazareuum esse audissent, magna voce clamantes, & Servatoris tanquam Filii David, misericordiam implorantes accedunt; & postquam Judæorum in Jesum credentium fidem de Servatore perspexeris, qui nonnunquam eum e Maria & Josepho natum, aliquando e Maria sola & Sp. S. at neutiquam cum Theologica ipsius cognitione existimabant, facile intelliges, quomodo id dicat cœcus: Fili David miserere mei, quem plurimi quidem increpant: multi enim Jerichunte exeunt gentiles,* Judæos *fidem amplecti visos ob inopiam incessentes; quæ si ad animam natalibus nobilem, rerum quasi egenam, ad mendicitatem usque reductam retuleris, non multum a ratione aberraveris*. Ex eo quod hi cœci Jesum titulo olim hodieque inter Judæos recepto *Filium Davidis*, בן דוד, salutant, Origenes illos negatæ Deitatis reos agit, & pro more suo ἀλληγορῶν eosdem illos cœcos Judœorum in Christum credentium typum atque emblema facit, qui scilicet non nisi humanam in' Chisto naturam agnoverint. Sed quid est, si non hæc cavillatio est? Quod argumentum si vel minimam veri speciem habeat, viderit Origenes, imo videant omnes illi qui ab eo sunt, an vel ipsum Matthæum ab hac cœcorum & Ebionitarum hæresi excusare possint, qui in ipso historiæ suæ principio Jesum Messiam non alio quam *Filii Davidis* & Filii Abrahami titulo dignatur. Quid vero & illa turba, quæ Jesum Hierosolymam ingressurum, quid item pueris illis, qui eundem templum ingressum, non sine divino instinctu, *Filium Davidis* læti salutant? quid denique Christo ipso futurum censeamus, qui se toties *filium hominis* appellat? Igiturne & illi Ebionitico sermento imbuti fuerint, & hic ipse Ebionitarum princeps, & pessimi dogmatis auctor habendus erit? Quod sane utrumque fieri necesse est, si illud Origenis ratiocinium tantillum valere putemus.

LXXVII. Atque hoc pacto tandem & alterius fabulæ fontem de *negata ab Ebionitis Deitate Christi* invenisse videmur, inde nimirum scaturientem, quod Hebræi credentes in Christum, illum phrasi vernacula בן דוד *Filium Davidis*, appellarent. Quam boni Patres ex Gentilismo eo acceperunt, quo Hebræos illos negare crederent *Christum esse Deum*; quasi sc. qui Christum *hominem* vel *Filium Davidis* dicit, eo ipso *Filium Dei* esse neget; quemadmodum Origenes de Bartimæo ratiocinatur: vel necesse sit, ut qui Messiam *hominem* dicit, is continuo eodem Spiritu etiam *Deum* debeat appellare.

LXXVIII. Cum itaque disertissimis Patrum testimoniis evicerimus, *Ebionitas* credidisse *Jesum Nazarenum Messiam suum & verum Deum esse, Deique Filium, & verum hominem de Virgine natum*; finem huic disputationi de Pesona Messiæ imponere liceret, nisi una adhuc difficultas expedienda restaret, quæ inde necti posse videtur, quod Origenes & Eusebius, uti supra vidimus, διττὸς Ἐβιωναίους, *duplex Ebionitarum genus* commemorant, quorum alteri alteris melius pejusve de Christo senserint. Quæ distinctio uti insignem Patrum illorum ingenuitatem declarat, dum omnes eodem crimine non involvunt: ita eadem certam illorum notitiam arguere videtur, qua uti alteros hæreses absolverunt, ita alteros illos non nisi causa probe cognita sciverint condemnandos.

LXXIX. Quæ argumentandi ratio uti magnam speciem habet, & valere debet apud eos, qui *Ebionitarum* originem & no-

nomen vel ab *Ebione* arcessunt pessimi dogmatis præcone, vel a πτωχεία τῆς διανοίας, *humili sensu* repetunt: ita adversus rem ipsam nullum pondus habet, cum illam sectæ nominisque derivationem jam dudum in superioribus falsam atque ineptam esse evicerimus, & ex odio Christianorum Gentilium adversus credentes Judæos confictam. Unde adeo fundamento isto subruto atque everso, cætera quoque omnia quæ illi superstruuntur, sponte sua collabi necesse est.

LXXX. Quam ob rem ita potius de istac distinctione statuendum arbitamur. Credentes ex Hebræis, sive Ebionitæ, quadam nominis sui calumnia & præjudicio damnati, pessime vulgo apud reliquos Christianos gentiles audiebant, maxime eos, qui quam longissime ab illis aberant, quaies Irenæus in Gallia & in Africa Tertullianus. At qui illis propiores erant, ut vel ex ipsis, vel ex aliis, certius quid de illis cognoscere possent, omnia alia de illis audiebant; uti Origenes, Eusebius, Epiphanius & Hieronymus, qui Alexandriæ, & in Palæstina & Cypro vivebant. Epiphanius certe & Hieronymus præclara omnia de illis prædicant. Quorum ille cum Nazaræos (sunt autem hi ipsi nostri Ebionitæ) *impietatis Cerinthi* accusare non audet, Hær. XXIX. cap. 7. tum de Ebionitis nominatim ea narrat, quæ magnificam illorum de Christo sententiam sole meridiano clarius ostendunt. Hic vero disertissimis verbis illos in *Jesum Christum* credere ait, *Filium Dei natum de Virgine Maria*. Cum itaque nihil esset, de quo *Ebionitas* in hoc gravissimo fidei capite de Christo accusarent, quos per omnia orthodoxe & sentire & loqui sciebant; miser ille *Ebion* plectendus erat, & identidem in partes vocandus, quoties de Hæresi aliqua circa personam Messiæ agere volebant. Hunc Hieronymus accusat, quoties Photini præceptorem, vel qui illi præluserit, nominare e re videbatur: *Ebionitas* non ita, certe non nisi semel, & quidem antiquissimis temporibus, in historia Johannis; ex quo ipso merito concludimus, satis Hieronymum de sui temporis Ebionitis novisse & apud animum suum convictum fuisse, illos hactenus orthodoxos esse. Origenes vero & Eusebius cum de *Ebionitis* illis, quos ipsi noverant, exploratum haberent, illos credere *Christum de Virgine natum*; & tamen publico præjudicio laborarent, neque vero fabulosum illum *Ebionem* agnoscerent: hinc *duplex Ebionitarum genus* commenti sunt, quorum alteri melius, sequius alteri de Christo sentirent. Adeo ut manifesta & veluti solis radiis perscripta veritas illos quibusdam Ebionitarum *orthodoxiæ* testimonium dare coegerit: quo minus vero de omnibus in genere idem crederent, commune præjudicium, & quaqua pervagata fama, credulitas item, & suspicax odium, impedierint.

JACOBI RHENFERDII
DISSERTATIO
DE
SETHIANIS.

I. IN pergula illa hæreticorum, quam veteres Græci Latinique Patres exſtruxerunt, & conquiſitis undique turpibus viſuque horrendis monſtris exornarunt, quædam etiam ejuſmodi imagines conſpiciuntur, quæ, ſi oculis propius admotis accuratius examinentur, elegantiores ſunt, quam quæ in tam horridum ſquallentemque locum meruerint detrudi. In quibus præterquam quod quædam, quæ olim turpia viſa ſunt, nunc decentiſſima eſſe deprehenduntur; reliqua, quæ revera deformitatem aliquam habent, non tam ipſis propria ſunt, & nativa, quam ab iis profecta, qui dum illas obtorto collo & quaſi renitentes per cœnum & lutum raptarunt, miſere eas fœdarunt, & ſic non niſi male multatas, mutilas, laceras, & diſtortas ſtatuerunt.

II. Talis nobis inter alias *Sethianorum* imago videtur, quam Epiphanius in Panario ſtatuit, ordine XXXIX. in qua tot & tam præclara priſtinæ illius venuſtatis lineamenta ſuperſunt, & nativum formæ decus etiamnum ita elucet, ut, ſi quis in eo genere exercitatus oculorum aciem intendat, ſatis appareat, meliori loco dignam fuiſſe, & vel nunc inde eſſe eximendam. Id quod præſenti diſſertatione oſtendere conabimur.

III. Atque illa Sethianorum imago, qualem quidem Epiphanius nobis illam reliquit, hæc eſt. *Sethiani a Setho Adami filio genus ſe traxiſſe gloriantur. Quem quidem magnopere prædicant: eique quæ ad virtutem ac juſtitiam pertinent omnia, earumque ſigna, ac cætera generis hujus attribuunt. Eundemque Chriſtum nominant, & ipſummet Jeſum fuiſſe confirmant. Atque hunc in modum declarant. Ab Angelis enim non a ſuperiori vi, producta eſſe dicunt omnia.*

IV. Primum quod his hominibus vitio datur, illud eſt, *quod ad Sethum generis ſui originem referrent*: quod Chriſtianis tanti viſum eſt, ut ab eo tanquam præcipuo crimine illis nomen impoſitum voluerint. Sed quid eſt, obſecro, ſi hoc non eſt, miſeram animi anguſtiam prodere? Quid enim, ſi rem ſimpliciter conſideres, verius, quid certius ab illis dici poterat eo, quod a Setho Adami filio genus ducerent? Ipſe enim Epiphanius, ſi viveret & ſaperet, aliunde ſuam cæterorumque omnium, quotquot vivunt & victuri ſunt, originem repetere vellet aut poſſet? Niſi forte more veterum Græculorum, genus humanum veluti fungo terra enatum, aut cum ſcarabæis ſtercore bubulo vel equino ortum credere debeamus.

V. Sed quo provehimur? neque enim, qui primi id nominis & hæreſeos commenti ſunt, tantopere inſanierint, ut hoc illorum aſſertum in dubium vocarint; ſed procul dubio gravius quidam in illis culparint. Nempe hi Sethiani ita ſeſe *Sethi filios* dixerint, ut alios excluſerint, eorumque originem alio retulerint. Id Epiphanius innuere videtur, voce σεμνύνονται, *gloriantur*. Ita ſibi gratulati fuerint, ſerioque id triumpharint, ſe Sethi filios eſſe, ut præ ſe alios, ceu hoc titulo minime dignos, contemſerint. Credo equidem, nec vana fides. Procul dubio enim majus quid in hoc titulo *filiorum Sethi* latet, quam quod Epiphanius capere potuerit, vel reliqui Chriſtiani Doctores ex Gentiliſmo per tot ſecula aſſecuti ſint; donec Cl. Altingius illud eruit & in clara luce collocavit.

VI. Nempe illud בני שת *filii Sethi*, in vaticinio Bileami Num. XXIV. 17. *Eccleſiam* vel *fideles* notat, quos Meſſias ſuo beneficio ſit ſervaturus. וקרקר כל בני שת *& veluti gallina glocitando ſub alas ſuas convocabit*, fovebitque ac defendet Meſſias, *omnes filios Sethi*. Ita enim hæc verba reddenda & explicanda eſſe, ex nexu & ſcopo totius orationis, & ſignificatu vocis קרקר, cæterarumque verſionum incommodis, Altingius ſolide atque præclare evicit in *Locis Parallelis*, pag. 8. 9.

VII. Sed res ipſa paucis explicanda erit, eoque magis quo planiorem ab his ad ſequentia intelligenda viam ſternet. Poſt-

Postquam Cain, *qui ex malo erat*, 1. Joh. III. 12. fratrem Habelem, *cujus actiones justæ erant*, occiderat; facile est intellectu, quantopere ea res Adami atque Evæ animos afflixerit, qui de Habelis pietate procul dubio sibi spem magnam fecerant. Cum itaque Eva haud multo post novam prolem eniteretur, atque ita promissionem Dei de Semine caput Serpentis contrituro novo argumento confirmatam videret, in spem novam erecta est, fore, ut aliquando res generis humani, vel certe Ecclesiæ, in melius verteret, atque in hujus suæ fiduciæ argumentum filio nomen *Sethi* dedit, quoniam Deus illi שת *posuerat*, sive *dederat aliud semen* loco Habelis, quem Cain occideret. Non *filium alium* ait, sed *semen aliud*; procul dubio ut innueret, se promissionem illam divinam respicere, quæ ipsi *Semen* promiserat. Gen. III. 15. Neque vero hac spe falsa fuit pia mater, cum eventus ipse docuerit, per hunc Sethum semen mulieris propagatum & conservatum esse, posteris omnibus Caini reliquorumque Adami liberorum diluvio tandem extinctis.

VIII. Ad hoc aliud accedit. Cum Cainitæ, ingeniosum hominum genus, cum alia ad generis humani utilitatem invenirent, tum omne genus violentiæ & voluptatum instrumenta cuderent, & omnia quotidie in deterius ruerent, tempore Enoschi filii Sethi publicum schisma ortum est, fidelibus nova sibi nomina adsciscentibus, certe profitentibus sese *filios Dei*, Gen. VI. & IV. coll. Cum vero in hac secessione Ecclesiæ a reliqua impiorum turba, Sethi studium, fides, pietasque maxime excelleret; quod quidem plurimis gravissimisque Interpretibus videtur, hinc adeo factum est, ut iidem fideles, qui se *Dei filios* profitebantur, tandem etiam a Setho, cujus vel consilium in secessione facienda secuti fuerant, vel fidem pietatemque postea æmulabantur, *filii Sethi* sint appellati.

IX. Id ergo cum non ignorarent hi homines, natione Hebræi, professione Nazareni vel Christiani, linguæ Hebrææ Syræque callentissimi, Catecheseos veterum Patrum sive mysteriorum Cabbalisticorum minime ignari, *Filios Sethi* se professi sunt, id est, illius fidei & pietatis, quæ quondam in Setho fuerat, studiosos atque æmulos, id est vere fideles, vere Christianos, illorumque beneficiorum, quæ quondam cum alibi, tum Num. XXIV. *filiis Sethi* per Messiam promissa erant, participes.

X. Sed quæ tanta, inquies, illis causa fuerit, a *Setho* potius, quam ab alio quovis Patriarcharum, maxime Abrahamo, generis sui, & professionis atque nominis originem repetendi? Responsio in promtu est, & facilis, opinor, creditu illis, qui veterem historiam norunt, & hodiernos mores non ignorant, ex iisque veterum consuetudinem noverint æstimare.

XI. Quemadmodum a Jesu *Nazareno*, quotquot in illum crediderunt, & pro Messia sive *Christo* receperunt, olim *Ναζωραῖοι* dicti sunt, atque etiamnum Judæis הנוצרים Syris נצריא, Arabibus אלנצראניך, *Nazareni* dicuntur; vel Græcis Latinisque Χριστιανοὶ, *Christiani*: ita antequam ille carne exhibitus esset, fideles ab aliis quibusdam, quorum spectata in Ecclesia fides, pietas, ac virtus erat, fideles sunt denominati.

XII. Prima omnium, cui hæc gratia a Deo, posteaque ab hominibus honor obtigit, est nostra omnium Mater; cui cum Deus *Semen* promisisset, *contriturum caput serpentis*, Adam hoc beneficium uxori suæ a Deo collatum intelligens atque agnoscens, ipsam הוה *Evam* appellavit, *quoniam ipsa facta esset* a Deo *mater omnis viventis*, & Christi sc. qui melioris *vitæ* auctor esset futurus, & electorum omnium, qui per fidem in illum *victuri* essent; cum e contrario ab ipso oriundi essent, qui reatus illius hæredes naturales essent. Unde factum, ut *fidelis* quisque multo post tempore a Jobo & amicis ejus, ילוד אשה *natus muliere* Job. XIV. 1. XV. 14. & ab ipso Christo omnes in universum fideles *γεννητοὶ γυναικῶν nati mulierum* dicerentur, Matt. XI. 11.

XIII. Alter ab hac *Sethus* fuit, cujus cum præclara ante omnes alios fides pietasque in Ecclesia eluceret, ad eandemque fidem & virtutem doctrina & vita alios adduceret, id honoris apud æquales suos atque posteros obtinuit, ut qui vestigia fidei & pietatis ejus legerent, ab ipso בני שת *filii Sethi* dicerentur; quo nomine Bileamus Ecclesiam fidelium insignit, Num. XXIV. 17.

XIV. Tertius & quartus sunt *Semus* Noachi F. hujusque pronepos *Eberus*, Gen. XI. 21. *Atque ipsi etiam Semo proles nata est*, *Patri omnium filiorum Eberi*. Quod quidem supervacaneum, si non ineptum, Semi epitheton erit, si naturalem tantum relationem dicere debeat, quæ inter duos illos & utriusque posteros intercesserit. Quis enim adeo stupidus sit, ut dum proxima verba legit, non perspiciat atque intelligat, Semi proi nepo-

nepotem Eberum esse, & hujus adeo proavum Semum? Et quid causæ dici possit, quæ saltem speciem habeat, cur Semus *Eberi* potius & *filiorum* ejus *Pater* tam diserte dicatur, quam Elami, Jectanis, vel quorumvis aliorum, qui genus suum quoad carnem æque ad Semum referebant, atque Eber & posteri ejus? Igitur singulare quiddam atque eximium in utroque fuisse necesse est, quod illam denominationem Semi, & singularem historici sacri observationem meruerit: quod etsi hic loci a Mose diserte non est traditum, tamen ex reliqua historia facile elicitur.

XV. Nempe qui in unius veri Dei cognitione & cultu & relligione primorum Patrum perstiterunt, reliquis passim ad idololatriam prolabentibus, illi vero עבריים *Hebræi* dicti sunt. Sic Abraham inter Cananæos, Gen. XIV. 13. & Josephus inter Ægyptios Cap. XXXIX. 14. XLI. 12. *Hebræi* audiunt, procul dubio a religione, quam a sua utrique diversam videbant, & ab Ebero quondam observatam & inculcatam esse ex veteri fama norant. Sic Jonas Cap. I. & denique Paulus, Phil. III. se *Hebræos* profitentur, & hic emphatice *Hebræum ex Hebræis*, ut cum generis sui originem declarent, tum simul etiam religionem suam profiteantur. Cum vero homines religiosi ab *Ebero* potius, quam ab alio quovis Patriarcha postdiluviano dicti sint, necesse est, Eberum singulari ratione & præ cæteris religionem & pietatem inculcasse iis temporibus quibus reliquum genus humanum contra mandatum a Noacho, vel potius Deo ipso per Noachum datum, insanum illud de struenda turri Babylonica consilium moliebatur, & cum ad idololatriam tum ad alia omne genus scelera atque flagitia degenerabat.

XVI. Cum itaque Eberus talis tantusque esset, ut ab illo omnes qui in avita & vera religione casti manebant, *Ebræi* dicerentur, id primum Semo laudi datur, quod hujus Eberi pater sit, quod tam præclara indole nepotem genuerit; quemadmodum e contrario Chamo hoc stigma inuritur, quod improbum illum Canaanem genuerit, Gen. IX. 18. הוא אבי כנען *Hic est pater Canaanis*, cui ob insignem impietatem atque flagitium adversus avum commissum ipse Noachus præter cæteros omnes Chami posteros maledixerat, Ibid. vs. 25. seq.

XVII. Nimirum cum ab omni ævo illud Venusini vulgo verum esse creditum sit;

Fortes creantur fortibus & bonis.
Est in juvencis, est in equis Patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam:

Parentum fortunæ apud cultiores omnes nationes semper æstimatæ sunt, pro eo atque bonæ malæve indolis filios procrearant. Ita senex ille Terentianus: *Uno ore omnes omnia bona de me dicere, & laudare fortunas meas, qui habeam filium tali ingenio præditum.* Sic Dido Ænæam demirans:

Hei qui te talem tanti genuere parentes?

Leander apud Musæum ad Heronem:

Ὄλβιος ὅς σε ἐφύτευσε, καὶ ὀλβίη ἥ τέκε μήτηρ,
Γαστὴρ ἥς ἐλόχευσε μακαρτάτη.
Beatus qui te plantavit, & beata quæ te peperit Mater,
Venter qui te enixus est felicissimus.

Nec minus Hebræi, apud quos frequens de viris pietate vel eruditione præstantibus illud: אשרי יולדתו *Beata* (mater) *quæ peperit illum*. Sic Rabban Johannes Zacchæi F. de R. Josua Ananiæ F. אשרי יולדתו, Pirke Avoth, Cap. II. Paulo aliter alii de R. Akiba: *Beatum*, inquiunt, *Abraham ex quo R. Akiba ortus est!*

Sed inprimis in hanc rem notanda est formula huic contraria, qua parentibus, qui mali moris filios genuerant, maledicere solebant. R. Salomon Jarchi ad Gen. III. 17. משל ליוצא לתרבות רעה והבריות מקללות שדים שינק מהם *Exemplo filii degeneris, quando homines maledicunt ubera quæ suxit*. Cui rursum contrarium est illud Luc. XI. 27. Μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, καὶ μαστοὶ οὓς ἐθήλασας. Quod non longe abludit ab illo Leandri, quod modo adduximus.

XVIII. Enim vero Semus hic non tam *Eberi Pater* dicitur, quam *filiorum Eberi*, id est, *Hebræorum*, qui sc. non tantum genus ex Ebero ducebant, sed etiam fidem & pietatem ejus æmulabantur. Ex quo sequitur, in *Hebræis* non tantum Heberum, a quo vulgo dicti sunt, sed & Semum, ceu patrem exemplarem simul & carnalem, familiam ducere.

XIX. Denique Abram successit, quem Deus ipse אברהם *Abraham* vocari voluit, quod non tantum ex ipso Messias aliquando oriturus erat, sed & Pater futurus erat multarum gentium, quæ ipsius exemplo crediture erant, & fide maximorum beneficiorum futuræ participes; Gen. XVII. Rom. IV. Quod vulgo notius est, quam ut declarari mereatur.

XX. Cum ergo tot stirpes dentur, ad

ad quas Sacra Scriptura piorum originem refert; hi homines Abrahamo Patre omnium credentium, Ebero a quo Hebræi dicti sunt, Semo Hebræorum omnium Patre, denique ipsa omnium viventium matre Eva missis, Sethum elegerint, a quo nomen & originem derivarent, ut & inter sese aliquando & ab aliis *Filii Sethi* dicerentur: Etsi nunquam adeo ineptos credere possum, ut se *Abrahami*, *Eberi &c.* filios negarint.

XXI. Id vero qua ratione factum sit, uti scitu necessarium, ita explicatu facile erit, si ex hodierno Concionatorum nostrorum more rem æstimemus. Faciamus enim, quod fieri potuisse nemo sanus inficias iverit, Ecclesiæ cujusdam Judæo-Christianæ Antistitem, sive in Synagoga pro concione, sive in schola enarrasse historiam Sethi, Gen. IV. vel vaticinium Bileami; Num. XXIV. atque ibi exposuisse, quinam sint illi *Filii Sethi*, vers. 17. quid item קרקר, in eum sc. sensum, quem tandem Cl. Altingius eruit; *Et* (*veluti gallina pullos suos*, *ita Messias sub alas suas*) *congregabit omnes filios Sethi*, id est, *omnes fideles*: Inde vero ulterius perrexisse, & pro re nata cœtusque sui constitutione, historiæ illius vaticiniique usum ostendisse, atque ex utroque ansam cepisse auditores suos & consolandi, & ad veram fidem atque infucatam pietatem exhortandi atque inflammandi: & mox sole meridiano clarius elucebit, ex quam præclaro fonte lepida illa fabula hæresisve *Sethianorum* orta sit.

XXII. Faciamus, inquam, in hunc fere sensum aliquem illorum loqui solitum: „ Quod si itaque Jesus Nazarenus, „ in quem nos credimus, est promissus „ ille Messias, Astrum illud ex Jacobo „ processurum, Sceptrum surrectum ex „ Israele; Si item illi *Sethi filii* sunt, „ qui in eundem Jesum credunt; agite, „ bono fortique animo simus, quotquot „ in Jesum rite credimus, neque metuamus quid nobis faciant homines. „ Fremant & tumultuentur gentes, captent nationes consilia, conjurent Reges & Principes terræ:

„ *Ecce Sionæi processit Principis A-*
„ *strum*,

„ surrexit jam sceptrum ex Israele, Jesus Nazarenus, qui illuxit nobis ex „ alto, jamque rursus ad dextram Patris consedit & sceptrum moderatur: „ Is nostros, eosdem suos hostes, profligabit, & pedibus suis conculcabit; „ nos vero, qui *Filii Sethi* sumus, & „ reliquos fratres nostros, quotquot unquam futuri sunt, quod quidem jam „ pulcre facit, sub alas suas vocabit, „ ibique benigne fovebit, & adversus „ ipsas portas inferorum fortiter protéget atque defendet. Ne quis vero nostrum erret, fratres, & se hac spe „ frustra lactet, id nobis opera danda, „ in id omni studio, cura, & cogitatione incumbendum erit, ut non degeneres *Sethi filii* simus, sed tanto patre dignos filios nos præstemus, &c. &c.

XXIII. Hunc itaque vel similem in modum cum phrasis illa *Filiorum Sethi* & ad consolandum & ad exhortandum adhiberetur, & identidem repeteretur, ac sæpius inculcaretur; atque ea res ad aures Christianorum quorundam gentilium allapsa esset, qui vim & mysteria phrasium scripturæ ignorabant: facile est existimare, hos miratos esse primum, mox etiam risisse & in ludibrium vertisse præclaram hominum illorum doctrinam, illosque, qui ita docebant atque credebant, per risum & jocum *Sethianos* appellasse; quo cum alia quædam accederent, Christianis gentilibus æque ignota atque mira, tandem optimos homines in hæreticos esse relatos, quemadmodum ex sequentibus clarebit.

XXIV. Sequitur enim apud Epiphanium: *Quem quidem magnopere prædicant; eique quæ ad virtutem & justitiam pertinent, omnia, earumque signa, ac cætera generis hujus attribuunt*. Id nullus equidem inficior, sed magis miror Epiphanii ingenium, qui illud vel negare, vel bonis illis hominibus vitio dare non vereatur. Quis enim dubitet, quin Sethus, a quo pii omnes *Filii Sethi* dicuntur, haud secus atque postea ab Abrahamo *Filii Abrahæ*, spectata & prorsus singulari in Deum fide fuerit, & pietate, virtute atque justitia insigni? Cujus adeo vitam universam & res præclare gestas, quas forte ex antiqua Ecclesiæ Judaicæ traditione & Apostolorum institutione cognitas habuerint, sibi & suis exemplum proponere, & usque inculcare, quid vitii habet? Sed ineptus sim & in lectorem nostrum injurius, si his tam frivolis & ineptis Epiphanii accusationibus refellendis immorari velim. Consulatur saltem Josephus, Antiq. Jud. Lib. 1. cap. 2. §. 3. & Patricides sive Eutychius Alexandrinus, Annalium pag. 19. 20. & ex hodiernis Celeberrimus Heideggerus, Histor. Patriarch. Lib. 1. Exerc. 6. & perpendatur item, quam commoda ex adhortatione illa, quam §. 22. cœpimus, doctori Ecclesiæ occasio nascatur in laudem Sethi excurrendi, ejusque vitam & virtutes ceu vivum incul-

culpatæ fidei & probitatis exemplum commendandi.

XXV. Sed gravius eſt, quod ſequitur, neque ita facile diluendum vel ab hæreſeos crimine purgandum, modo tam certum ſit, quam ab Epiphanio audacter affirmatur; Sethianos credidiſſe, Sethum fuiſſe Meſſiam. *Eundemque*, inquit, *Chriſtum nominant, & ipſummet Jeſum fuiſſe confirmant*. Quod nobis quidem vero non ſit ſimile, qui non ignoramus, quot fabulas atque hæreſes linguæ doctrinæque Judaicæ ignorantia apud veteres Chriſtianos gentiles pepererit, cujus rei jam in ſuperiore diſſertatione de Ebionitis aliquot ſpecimina exhibuimus.

XXVI. Ut itaque fontem fabulæ oſtendamus, Veterum quorundam Judæorum de Setho traditio conferenda erit, quam inter alios R. Meir B. Gabbai, inſignis inter Judæos Gnoſticus, ſive Cabbaliſta, nobis exhibet, in libro quem עבודת הקדש id eſt, *Cultum Sacrum*, inſcripſit, Lib. IV. *de myſteriis legis* cap. circa finem. ולזה רמזו בב״ר באמרם זרע אחר ר׳ תנחומא בשם ר׳ שמואל אמר נסתכלה אותו זרע שהוא בא ממקום אחר ואי זה זה מלך המשיח *Atque illud innuunt in Geneſi Magna, quum dicunt ad illud*, Semen aliud; *R. Tanchuma nomine R. Samuelis dixit; intendebat illud ſemen, quod venit ex loco alio. Et quodnam illud? Rex Meſſias*. Viden hic, Lector, *ſemen* illud, quod Eva ſibi *datum* gloriabatur, Sethum inquam, explicari de Meſſia? Nempe Veteres in hoc Evæ dicto obſervant emphaſin vocis זרע *Semen*, qua ipſe Deus uſus erat in promiſſione Meſſiæ. Gen. III. 15. Deinde vero & hoc notant, illud Semen dici אחר *aliud*, ejuſque rationem reddunt, quod *ex alio loco*, ſublimiori ſc. & cœleſti, vel certe ſibi imperveſtigabili ſit oriturum, quemadmodum Judæi quidam Joh. VII. 27. *At hunc novimus unde ſit, Chriſtus vero quando venerit, nemo ſciet unde ſit*. Itaque illud *aliud Semen* Judæi deſignare ajunt *Meſſiam*.

XXVII. Itane vero, inquies, jam Veteres Judæi crediderint, Sethum eſſe Meſſiam? nihil ſane minus. Hoc volunt atque declarant, Piam Matrem Evam, cum poſt cædem optimi Abelis novam prolem enixa eſſet, tum vero ſperaſſe illam, ſeſe jam certe Meſſiam peperiſſe, promiſſum illud *ſemen*, ſed id *aliud*, ſive alius, id eſt, nobilioris originis. Adeo ut Judæi idem de hac Evæ promiſſione credant, quod præſtantiſſimi noſtri Interpretes de priore dicunt; quando Cainum pepererat; *Acquiſivi virum ipſum Dominum*. Quæ verba eo accipiunt, quo Eva ſe vi promiſſionis divinæ jam ipſum Meſſiam peperiſſe putarit, איש את יהוה θεάνθρωπον illum, verum ſimul *Deum atque hominem*.

XXVIII. Eadem itaque ratione hos Sethianos, quos & divinorum Oraculorum & veterum traditionum Judaicarum callentiſſimos fuiſſe undique elucet, hæc Evæ verba explicuiſſe putamus: Quod cum Chriſtiani gentiles inaudiviſſent, ſive quod rem, ita uti erat, non intelligerent, ſive quod odium in Eccleſiam illam cætera quoque Judaizantem illos tranſverſos ageret, ita interpretati ſunt, quaſi Sethiani illi Sethum pro ipſo Meſſia haberent. A quo tamen ipſos penitus abhorruiſſe veroſimile eſt, niſi prorſus inſaniviſſe ſint dicendi. Sed quid dico vero ſimile? cum ipſe inſenſiſſimus illorum adverſarius rem extra omnem dubitationis aleam ponat, & ab ineptiſſima illa ac ridicula hæreſi abſolvat.

XXIX. Nempe poſtquam Epiphanius Cap. II. doctrinam illorum de propagatione duplicis atque oppoſiti ſeminis, Caini & Habelis, atque mox in hujus locum ſuccedentis Sethi, enarraverat; & Cap. III. utriuſque ſemini per ἐπιμιξίας conjugia commixtionem, atque hinc ſecutam corruptionem, eamque excipiens judicium divinum per diluvium, quod Cainitas prorſus delevit: addit, ex illorum ſententia, nova utriuſque ſeminis poſt diluvium incrementa, per improbum *Chamum* ſc. & *Sethum*, vel potius, niſi noſtra nos conjectura fallit, *Semum*. Atque hic hanc aureolam illorum confeſſionem exhibet: *Cæterum a Setho continuata generis ſucceſſione Jeſus Chriſtus prodiit, non ipſe quidem generis ſtirpe procreatus, ſed in hunc mundum admirabiliter introductus*. Ita quidem Petavius reddidit, Græca ſic habent: Ἀπὸ δὲ τοῦ Σὴθ κατὰ σπέρμα, καὶ κατὰ διαδοχὴν γένους ὁ Χριστὸς ἦλθεν αὐτὸς Ἰησοῦς, οὐχὶ κατὰ γένη, ἀλλὰ θαυμαστῶς ἐν τῷ κόσμῳ πεφηνώς. Satis hinc clarum atque evidens eſt, quam præclare atque orthodoxe hi homines de Jeſu Nazareno ſentiant: primo quidem confitentur illum eſſe *Chriſtum*; deinde non naturali modo, ſed θαυμαστῶς prorſus *mirabiliter*, ex ſola virgine abſque viri opera natum eſſe, ut procul ab illo fictitii Ebionis dogmate abfuerint de Jeſu ex Joſepho pariter ac Maria nato; denique vero non ipſum Sethum Meſſiam fuiſſe, ſed *a Setho continuata generis ſucceſſione Jeſum Chriſtum ortum eſſe*. Quibus verbis quid, obſecro, deſiderari poſſit evidentius ad futilem illam calumniam de *Setho Meſſia* refutandam?

dam? Et tamen, si quid Epiphanio credimus, *idem qui illis temporibus Sethus fuit, modo Christus appellatus, a cœlesti Matre de cœlo missus ad homines descendit*. Cujus commatis uti postrema verba Sethianorum sunt, & cœlestem Christi originem atque conceptionem ex Spiritu S. docent, hunc enim *Matrem* vocant; ita attendenti dubium esse non potest, quin priora illa ab Epiphanio gratis sint addita, ad receptam de illis opinionem usque fovendam & inculcandam.

XXX. Eodem itaque jure Sethiani statuuntur Sethum pro Messia habuisse; quo Lutherus, Fagius, aliique, quos Cl. Pfeifferus longo ordine recenset, in *Dubiis vexatis* ad Gen. IV. 1. Cainitæ dici merentur, & Cainum dici possunt pro Messia coluisse, ex eo quod verba illa, *Acquisivi Virum Dominum*, ex sententia Matris Evæ interpretantur de Messia.

XXXI. Hac itaque gravissima, uti prima specie apparebat, difficultate sublata, reliqua, quæ Epiphanius Sethianis objicit, minori negotio expedire licebit, cum ejusmodi pleraque sint, ut illa recensuisse etiam sit refutasse. Unum illud hæreticum ac plane impium videtur, quod *ab Angelis, non a superiori vi, producta esse dicunt omnia*. Sed cum hæc hæresis Sethianis cum aliis pluribus communis fuerit, nunc argumentum illud non occupabimus, sed suo servabimus loco & tempori, quando ostendemus, & tam clare demonstrabimus, quam sol lucet in meridie, Optimos Patres Christianos, linguæ Hebraicæ Syræve ignorantia rursus toto cœlo aberrare; cum Sethiani cæterique ejusdem commatis Ebionitæ, per τὸν Δημιουργὸν ἢ Δημιουργοὺς τοῦ Κόσμου, *Conditorem Conditoresve Mundi*, uti quidem Græci verba illorum reddiderunt, nihil aliud intellexerint, quam quos Christus atque Apostoli ἄρχοντα τοῦ Κόσμου τούτου, & ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας καὶ κοσμοκράτορας τοῦ κόσμου τούτου appellant; quam phrasin cum illi homines similiter frequenti sermone usurparent, & Græculi ex Hebræo Syrove male verterent, hinc nova fabula, *mundi ab Angelis conditi*, est enata.

XXXII. His itaque tantisper missis, reliqua considerabimus, quæ Epiphanius illis objicit, eaque exigui momenti, ac haud satis dextre a Gentilibus accepta esse probabimus. Quod quo melius ostendamus, fundamentum doctrinæ illorum, ex initio historiæ Geneseos præmittendum erit, & quasi substruendum, quo recte intellecto sponte sua hominum illorum non solum orthodoxia, sed & insignis eruditio Scripturaria sponte sua elucescet.

XXXIII. In primo itaque Evangelio Deus O. M. duplex *Semen* fore commemorat, alterum *Serpentis*, alterum *Mulieris*; tum *inter hoc diversum semen bellum* fore ἄσπονδον, ejusque illum eventum, ut *semen mulieris* patiatur *contritionem calcanei*; *semen* vero *serpentis* immedicabili vulnere *contritionem capitis*. Gen. III. 15. Ubi per *Semen Serpentis* omnes impios, per *Semen* vero *Mulieris* cum alios omnes pios, tum caput atque Principem illorum Messiam intelligi, apud plerosque orthodoxos in confesso est. Inde vero Deus Evæ atque Adamo calamitates quasdam denunciat, ipsos atque universum genus humanum de reatn, transgressione contracto, convincere aptas natas. Ibid. vs. 16. s.

XXXIV. Hujus porro divini oraculi, unicæ quondam & præcipuæ rerum in orbe eventurarum normæ, historiam atque eventum Moses in sequentibus enarrat. Primum quidem utriusque seminis propagationem, & manifestationem, per luctam atque exitum illius, novamque impietatis convictionem, in historia Kaini atque Abelis Cap. IV. 1.--16. Mox alterum utriusque seminis incrementum in posteris Kaini, & nativitate Sethi hujusque posteris, Cap. IV. V. novam item luctam, in secessione Seminis Mulieris ab impiis Cainitis, Cap. IV. ult. & utriusque seminis conjunctione Cap. VI. 1. sequente itidem nova atque singulari convictione de reatu atque impietate totius generis humani per aquas diluvii, Cap. VI. VII. VIII. Quod universale generis humani exitium cum Noach atque familia ejus evasissent, sacer historiographus de novo utriusque seminis incrementum & manifestationem ostendit, serpentini quidem in Chamo præcipue ejusque nequissimo filio Canaane, mulieris vero in Semo & posteris illius, Cap. IX. X. Quæ omnia cui susius legere atque accuratius perpendere volupe est, Cl. Altingium consulat, Tom. I. in *Analysi Exegetica Geneseos*, & Tom. V. in *Historia Oeconomiæ Patriarcharum*.

XXXV. His itaque fundamentis jactis, quorum soliditatem nemo sanus, credo, in dubium vocare ausit, age doctrinam Sethianorum conferamns, pro eo atque Epiphanius illam consignatam reliquit. (1) *Nam cum superiore Cajanorum Hæresi hac ex parte consentiunt, quod asserunt; duos ab initio homines extitisse; a quibus Cainus & Abelus exorti sunt*. (2) *De quibus inter se dissidentes Angeli contra se mutuo venerunt: idque* per-

perfecerunt, ut Abelum fratrem Cainus occideret. Siquidem de amborum illorum hominum & generationibus, a quibus Cainus & Abelus producti sunt, pugnantibus Angelis, acris est coorta contentio. (3) *Sed enim victoria penes Vim illam superiorem fuit, quam Matrem esse, fœminamque definiunt.* (4) *Quippe Matres ab his in cœlo, & feminæ, maresque collocantur; ac propemodum etiam generis necessitudines, stirpiumque capita.* (5) *Posteaquam igitur, ut ajunt; vicit illa Mater ac femina, & Abelum interfectum esse cognovit, secum animo cogitans, Sethi generationem procuravit, eique vim suam indidit.* (6) *Proinde vis illius superioris semina quædam aspersit, ac scintillam immisit, quæ ad primam illam seminis propagationem, constitutionemque lapsa de cœlo fuerat.* (7) *Quam quidem Justitiæ constitutionem, ac seminis electionem fuisse jactant, quo utriusque beneficio Angelorum vires everterentur, qui & mundum fabricaverant, & duos homines initio produxerant.* (8) *Quas ob caussas Sethi genus seperatim ab illa origine deductum est, utpote electum & ab reliqua stirpe sejunctum.* (9) *Progredientibus deinceps temporibus, & utraque sobole in unum conflata, hoc est Caino, & Abelo convenientibus invicemque permistis, omnium Mater ea re animadversa generis humani semina integra ac sincera repræsentare constituit: cum, uti diximus, Abel esset occisus.* (10) *In Sethum illud delegit, & ab omni labe purum ostendit. In eumque solum cœlestis illius vis suæ ac sinceritatis genus immisit.* (11) *Rursum vero cum promiscuam, & Angelorum hominumque temerarios impetus cerneret, quod commista simul genera illa duo fuissent, qua ex confusione nova quædam essent genera constituta: eadem illa Parens femina progrediens aquarum eluvione contrariam omnem factionem funditus extinxit; ut incorrupta ac justa Sethi stirps ad celeste genus, scintillamque justitiæ conflandam, in terris sola retineretur.* (12) *Verum clam ipsa rursus Angeli Chamum e genere suo prognatum in Arcam introducunt.* (13) *Nam ex octo capitibus illis, quæ in Noemi Arca servata leguntur, sincerioris generis septena fuisse prædicant, octavum vero nomine Chamum ab aliena vi productum latuisse celestem Matrem, & in Arcam irrepsisse: & id ipsum Angelorum fraude ac consilio esse perfectum.* (14) *Cum enim, ut ajunt, didicissent illi, genus omne suum diluvii aquis exterminandum, mira calliditate, quo mali generis, cujus authores erant, reliquias foverent, Chamum in Arcam inculcant.* (15) *A quo in humanum genus error, & oblivio, atque inconsiderati flagitiorum impetus, & scelerum varietas multiplex in Orbem terrarum erupit.* (16) *Atque ita Mundus ad pristinam perturbationem denuo revolutus, perinde atque ante diluvium, malorum copia redundavit.* (17) *Cæterum a Setho continuata generis successione Jesus Christus prodiit, non ipse quidem generis stirpe procreatus, sed in hunc mundum admirabiliter introductus,* (18) *Idem enim qui illis temporibus Sethus fuit, modo Christus appellatus, a celesti Matre de celo missus ad homines descendit.*

XXXVI. Ex his, si quis attendat, & æqua mente omnia consideret, evidens est, Sethianos in Scripturis explicandis ita versatos esse, ut primam illam generis humani historiam non aliter consideraverint, quam commentarium quendam in primum illud Dei oraculum de *Semine Mulieris contrituro caput Serpentis*, & *perpetua diversi seminis oppositione & lucta*. Id quod clarius esse putamus, quam ut nostram in illustrando operam magnopere desideret, nisi quod ejusmodi quandoque phrases occurrunt, quæ cum a nostrorum Theologorum usu sint remotæ, morosum lectorem nonnihil offendere posse videantur. Quamobrem, quæ opus erit, paucis explicare non pigebit.

XXXVII. Quod itaque §. 2. de *Angelis* dicitur, id de malis præcipue intelligendum est, qui §. 7. *mundum condidisse dicuntur*, qui Christi & Apostolorum phrasi, Ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, *Princeps hujus seculi*, & αἱ ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι, καὶ οἱ κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου audiunt; quemadmodum ex eo satis liquet, quod a Semine Mulieris *vires illorum evertendæ* dicuntur, §. 7. & Chamus a genere illorum prognatus, & ab illis tantopere defensus esse dicitur, §. 12. 13. 14. His vero opponitur ἡ ἄνω δύναμις *Vis illa superna*, id est, Sp. Sanctus, ἡ δύναμις τοῦ ὑψίστου *Virtus Altissimi*, Luc. 1. 35. quem Cabbalistice *Matrem* dici alibi jam ostendimus; cujus denominationis uti sua a Cabbalistis ratio redditur, ita illum Sethiani ab officio regenerationis forte ita appellarint, quoniam Dei filius, uti hic Setho, *vim suam indat*, §. 6. & τῆς ἄνωθεν δυνάμεως σπέρμα, *supernæ virtutis semen*, & *divinum illum igniculum*, τὸν σπινθῆρα τὸν ἄνωθεν πεμφθέντα, §. 6. id est *divinæ indolis participes* faciat, τῆς θείας φύσεως κοινωνοὺς, ubi Petrus ait, II. Epist. 1. 4. Conf. Ibid. vs. 3. Joh. III. 3. s. unde, quia non secundum carnem geniti sunt, sed ex Spiritu, hic quoque §. 7. ἐκλογὴ σπέρ-

σπέρματος, vel potius, uti uſitatior Hebraiſmus habet, σπέρμα ἐκλογῆς *ſemen electionis* dicuntur, id eſt, *electum*, uti mox §. 8. occurrit, ex 1. Pet. II. 9. Huic vero *Vi ſupernæ*, ſive Spiritui S. ſuas quoque præcipuas in illa hiſtoria partes fuiſſe, ex Gen. VI. & 1. Pet. III. 18. 19. ſatis notum eſt.

XXXVIII. Quod vero toties Angelorum horum mentio occurrit, atque iidem etiam Chamum in Arcam quaſi Deo invito intruſiſſe leguntur, ex eo ſatis apparet, Sethianos omnem mali originem Diabolo adſcripſiſſe, eodemque modo locutos eſſe, quo noſtri vulgo ſolent, quando Deum & Diabolum inter ſe opponunt, uti in πολυτρυλλήτῳ illo, quo vel graviſſimus ille eruditiſſimuſque Theologus, P. Fagius, pro concione uti non eſt veritus: Wo Gott ein Kirchen bawet: Da richtet der Teuffel ſein Capel dar neben auff: narrante Melch. Adami in *Vita* ejus. Quo ipſo ad hanc Chami hiſtoriam ex Sethianorum mente nihil aptius dici poteſt.

XXXIX. His itaque breviter explicatis, nihil cauſæ eſſe arbitramur, cur non omnia & ſingula, quæ hic de Sethianorum fide narrantur, commode & dextre accipi poſſint & debeant, convenienter Sacræ hiſtoriæ, ductu fili analytici, quod in ſuperioribus jam explicuimus. Omnis illorum oratio huc tendit, ut ſecundum declarationem Dei Gen. III. 15. factam, duplex Semen oſtendant, & quæ inter illas partes inimicitiæ, quis harum diſtinctis temporum intervallis eventus fuerit, exponant. Cujuſmodi doctrinæ nihil unquam ſolidi objici poſſe confido.

XL. Sed tamen non deeſt, quod Salaminius Præſul in hac ſacræ hiſtoriæ expoſitione carpat atque acriter perſtingat. *Hoc modo*, inquit, *illi univerſa ſtatuunt. Verum quam ſtolida, quam porro imbecilla ac vana ſint, quæ ab illis jactantur, nemo non videt. Neque enim duo conditi ſunt homines, ſed unus duntaxat Adamus: a quo Cain, & Abel, Sethuſque geniti. Tum reliquæ deinceps ad diluvium uſque generationes non a duobus hominibus, ſed ex uno ſolum capite, nimirum Adamo, profectæ ſunt. Sed & ab uno rurſus Noemo inquam, qui e Sethi proſapia fuit, genus hominum omne derivatum eſt, non bifariam diviſum, ſed una ſtirpe comprehenſum. Ex qua tam Noemus quam ejus uxor prodiit, eorumque liberi Sem, Cham & Japhet: nec non & ſingulorum conjuges; qui quidem omnes, unius ex Sethi genere procreati ſunt, non a duobus hominibus producti: qui nunquam in terris fuerunt, quemadmodum iſti fabulantur.*

XLI. Nolim vero quiſquam exſpectet, quibus verbis ad hanc miſeram Epiphanii logomachiam reſpondeam. Quin tuum BL. ipſius arbitrium eſto; Sethianorumne *ſtolida*, *imbecilla ac vana* ſint dogmata de perpetua duplicis ſeminis oppoſitione, an hæc frigida atque elumbis Epiphanii diſputatio, pro Adamo unica generis humanis ſtirpe. Quippe ita exiſtimo, neminem, qui Sacras literas vel a limine ſalutarit, adeo rudem atque imperitum eſſe poſſe, quin facile per ſe ipſe perſpiciat atque intelligat, quid inter illa Sethiana dogmata & hanc Epiphanii diſputationem interſit. Quare verbum non amplius addam, niſi ut lectori noſtro Auguſtini lectionem commendemus, de *Civitate Dei*, Lib. XV. Cap. I. V. XVII. & XXII. ubi cum de *duplici Civitate*, uti ipſe appellat, agit, ſatis diſerte in ſententiam Sethianorum ſcribit. Nos interim ad reliqua, quæ Epiphanius Sethianis objicit, examinanda pergemus.

XLII. *At enim certos*, inquit, *libros Clariſſimorum Virorum nominibus inſcriptos circumferunt. Ex quibus ſeptem omnine Setho tribuunt; alios vero* ἀλλογενεῖς, (hoc eſt *generis alterius*) *nuncupant. Eſt & alius liber falſo Abrahami nomine, quem pro Apocalypſi venditant, omni nequitia refertus. Præter quem alterum a Moſe, reliquos ab aliis editos eſſe mentiuntur.* Quid vero in eo vitii, quod doctores illorum, non contenti viva voce præſentes inſtituere, libris quibuſdam editis etiam abſentibus & ſeræ poſteritati, ſi ſupereſſe contingeret, conſultum iverint? Enimvero *clariſſimorum virorum*, *Sethi*, *Abrahami*, *Moſis*, aliorumque heroum *nominibus falſo inſcripti erant*; & pars *omni nequitia referti*. Quis vero horum, maxime poſtremi, nobis certam fidem faciat? Epiphaniuſne noſter? Atqui hunc jam tot exemplis probavimus optimorum hominum optima dicta, & linguarum & rerum imperitia ita miſere ſæpius detorquere, ut ſi vel ipſa verba proferre videatur, tamen integram fidem non mereatur; nedum ut hæc ita ſimpliciter affirmanti credamus. Quod ſi vero ipſi illi libri ſupereſſent, nobis non eſt dubium, quin multo illos meliores deprehenſuri ſimus, quam hic ab Epiphanio depinguntur; quemadmodum ex fragmentis illis fidei Ebionitarum & Marcoſiorum alibi jam abunde dedimus probatum. Ex quibus etiam illud conſtare poſſe arbitramur, ſi integra Ebionitarum aliorumque, qui hæretici dicti & habiti ſunt, ſcripta ſupereſſent, nihil cauſæ fore, cur cum eruditiſſimo Anglo de languo-

guore Ecclesiæ Christianæ, exeunte primo seculo, multum suspicemur: cum ejusmodi scripta, quæ a Christianis Gentilibus, convenienter suo de illis judicio, neglecta & contemta fuerunt, & tandem temporis injuria plane interciderunt, e contrario non tantum puram illorum hominum fidem, sed & insignem in Scripturis enarrandis eruditionem nos abunde docere possent, cum utriusque præclara vestigia in exiguis illis fragmentis supersint. Qui vero ex Gentilismo recens in Ecclesiam recepti erant, e vestigio ad scribendum non prosiliisse, quis admodum miretur, quisquis de illorum modestia paullo benignius sentiat? Qui enim inter illos eruditionis laude florebant, Philosophi sine dubio erant, Oratores, & Grammatici sive Philologi, qui quamvis ad Gentilis Idolatriæ refutationem plurimum conferre posse videbantur, ad solidam Sacrarum literarum interpretationem & mysteriorum Christianorum explicationem parum erant instructi. At eodem tempore in Ecclesia Judaica zelum quoque omnem refrixisse, & nihil memorabile dictum, factumve esse, quis credat, tametsi nulla illius Ecclesiæ monumenta supersunt? Ita res est. Prima illa & antiquissima Ecclesia Christiana, quam ipsi Apostoli Hierosolymis vicinisque locis plantarant, imminente Urbis excidio, Pellam in Cœlen Syriam concessit, donec gravissima illa tempestas transiret. Aderant in illa cum alii, qui more Judæorum a teneris sacras literas norant, ut potentes essent in Scripturis, tum etiam Apostolorum discipuli; qui cum ab illorum ore Christianam doctrinam accepissent, non poterat non inter eos vigere solidioris Theologiæ cognitio ejusdemque studium, horrendo illo Dei judicio in incredulos Judæos, & singulari in credentes gratia, zelum pietatis & studia literarum excitante. Quo cum accederet linguarum Orientalium cognitio, quæ illis vernaculæ erant, rituumque omnium sacrorum & typorum exacta notitia, non nisi omnia summa de studiis & profectibus illius Ecclesiæ augurari licet, tot cognoscendi & proficiendi mediis instructæ. Atque ejus rei vel hi Sethiani nostri præclari testes esse possint, in quibus insignis Scripturarum cognitio & divina earundem interpretatio undique elucet. Adeo ut fatendum videatur, quo tempore in Gentilium Ecclesiis sacrorum studiorum veluti prima infantia fuit, eodem in Judaica Ecclesia illa maxime viguisse & floruisse; maximeque sit dolendum, eorum quæ in illa Ecclesia olim scripta sunt, hodie nihil superesse.

XLIII. Sed dum illa frustra votis requirimus, age, nomina saltem librorum illorum consideremus, si quid forte lucis ex illis nobis affulgere queat. *Ex quibus septem*, inquit Epiphanius, *omnino Setho tribuunt, alios vero ἀλλογενεῖς nuncupant*. Idem Epiphanius sequenti hæresi *Archonticorum* repetit, & paullo etiam fusius; *Hinc etiam*, inquit, *libros aliquot ediderunt Sethi nomine inscriptos, quos ab eo traditos ac relictos affirmant. Item alios cum illius, tum septem ejus liberorum nomine. Totidem enim ab eo procreatos volunt, quos ἀλλογενεῖς nominant: ut in aliis Hæresibus Gnosticorum sc. ac Sethianorum ostendimus*. Satis sibi hic Epiphanius constat, & utrobique *libros Sethi* ab illis, quos ἀλλογενεῖς vocatos ait, distinguit, ut omnino diversi fuisse videantur. Et tamen quamprimum hæc legi, & quotiescunque postea relegi, nescio quid de nimia Epiphanii subtilitate identidem in mentem venit suspicari. Quid enim illud ἀλλογενής, nisi זרע אחר σπέρμα ἕτερον, ut LXX. reddiderunt, vel ἄλλος γένος? Quodnam vero *aliud* illud *semen*, nisi ipse Sethes, de quo Mater, *Dedit mihi Deus semen aliud*? Imo ipse Epiphanius de Archonticis, Cap. VII. *Quem* (Sethum) *& ἀλλογενῆ vocant*. Adeo ut si quem librum habuerint זרע אחר inscriptum, is inprimis ad Sethum ipsum referendus videatur. Sed sit ita, neque enim magni interesse arbitramur, iidem illi an diversi fuerint libri; quid vero in eo sit vitii, habere libros *Sethi &c.* nomine inscriptos? Impudentia, inquies, & mendacium, quod libros a se conscriptos Setho attribuant. At unde constat, *Setho* ab illis *attribui*? Satis illis causæ erat, cur libros istos *Sethi* & ἀλλογενῶν nomine vocarent, quod in illis de *Setho* ejusque doctrina, vita, & rebus gestis; de *Semine* item *alio* de *Filiis Sethi*, eorumque civitate, jure, legibus & beneficiis ageretur; etsi libros ipsos ad Sethum tanquam scriptorem non referebant. Nempe facile est ad intelligendum, eundem, qui in Ecclesia scholave doctrinam illam de *Setho* ἀλλογενεῖ, & de *Filiis Sethi* tradere solebat, eandem etiam dignam judicasse, quam literis consignaret, librosque illos, ita uti decebat, ab ipso argumento inscripsisse, vocasseque *libros Sethi*, vel *Filiorum Sethi*, vel ἀλλογενῶν, Hebr. ספר בני שת , ספר זרע אחר , ספר שת vel si qua alia ratione ipsis lubitum fuerit.

XLIV. Sed *est & alius liber*, *falso Abrahami nomine*, *quem pro Apocalypsi* ven-

venditant, omni nequitia refertus. Quid id libri ſit, quis dixerit? Nobis illud notaſſe ſufficiat, eſſe hodieque inter Judæos antiquiſſimum librum *Jezira*, ſive de *Creatione* inſcriptum, quem hi itidem Abrahamo tribuere dicuntur. Rittangelius interpres & editor in ipſa inſcriptione; *Liber Jezirah, qui Aarahamo Patriarchæ adſcribitur*: Non quo Judæi librum ab ipſo Abrahamo ſcriptum velint, ſed quo credant, eandem illo doctrinam contineri, quam Abraham olim crediderat ac profeſſus fuerat, quemadmodum Cl. Buxtorfius alicubi obſervat. Quare igitur Sethianis non licuerit libro alicui nomen Abrahami præſcribere, etſi non crederent, illum ab ipſo Abrahamo editum?

XLV. An vero hic Sethianorum *liber Abrahami* idem ille ſit Judæorum *Sepher Jezirah?* id nullus equidem dixerim. Etſi neque illud inficias iverim, eandem doctrinam, quæ illo Judæorum libro continetur, inter Sethianos olim maxime viguiſſe. Certe tanta convenientia inter Judæos Cabbaliſtas & Sethianos aliosque hæreticos Judaizantes deprehenditur, ut alteri alteris maximam lucem fœnerari poſſint.

XLVI. De *Libro Moſis* nihil dicere habemus, niſi quod in mentem venit ſuſpicari, eſſe forte eundem librum, quem Judæi olim hodieque *Torah*, vel *Chamiſſcha Chumſche Tora*, appellant, ut hi Sethiani eadem impietate & contumacia uſi ſint, qua *Nazaræi*, quos jam alibi oſtendimus, Verſione Septuagintavirali rejecta, ſola editione Hebraica uſos eſſe; ut ex eodem libro (תורת משה) cum alia ſuæ hæreſeos dogmata, tum illud inprimis de *Filiis Sethi*, conati fuerint probare.

XLVII. Præter hos denique ipſe etiam Epiphanius libri mentionem facit, ſed qui magis Judaicam quam Gentilem originem ſapit. *Extat in Jubilæis*, inquit, *qui liber Geneſis Parva dicitur; uxorum Caini Sethique nomina &c.* Ergo duplex eidem libro nomen, utrumque mere Judaicum. Ubi enim, niſi inter Judæos, *Jubilæi* noti? Ubi בראשית רבה *Geneſis magna*? Ubi סדר עולם רבא *Chronologia major*? Ubi סדר עולם זוטרא *Chronologia minor*? ſi non apud Judæos, apud quos hæ aliæque id genus inſcriptiones frequentes occurrunt? Eandem *Geneſin Parvam Cedrenus* quoque ſæpiuſcule allegat, eademque inde filiarum Adami nomina depromit. Quod cum & ab aliis fiat, nullo Chriſtiano magnopere contradicente; lubens equidem ſcire velim, qnid inter hunc Judaici ingenii fœtum, & illos Sethianorum libros interſit, ut cum hi ab Epiphanio tantopere accuſentur, ille tanquam fide dignus ab eodem contra Sethianos allegetur. Sed de his libris, ſpero, aliquando melius nos erudiet celeberrimus atque eruditiſſimus Vir, *Eduardus Bernardus*, qui cum in ſuis Notis ad Joſephum *commentaria ad Panarion Epiphanii* promittit, tum ibidem *Jubilæorum* librum ספר הקבלה vertit, ad mentem, ut ait, Epiphanii. Id quod nobis argumento eſt, Virum rerum Orientalium peritiſſimum quædam jam hujus generis congeſſiſſe, quæ noſtram, imo & aliorum plerorumque notitiam hactenus fugerunt. Quæ dum ab illo exſpectamus, nos in dogmatibus Sethianorum examinandis pergemus.

XLVIII. *Ad hæc*, inquit Epiphanius, *quæ eſt illorum ſtoliditas ac væcordia, uxorem Sethi Horæam neſcio quam nominatim vocant. In quo vide, quæſo, quam inepti ſint, ut illorum velut ſcenica commenta, ſtultiſſimaſque fabulas, ac temere conficta mendacia omni ex parte condemnes. Nam cum nonnullæ ſint hæreſes, quæ* VIM *quandam eſſe ſtatuunt, quæ* HORÆA *nominetur: illi* VIM *ejuſmodi* HORÆAMQUE *Sethi conjugem exſtitiſſe prædicant.*

XLIX. Sed fruſtra Αἱρεσιολόγος noſter carpit & ſtoliditatis accuſat, quæ non intelligit. Quæ enim hic Sethiani, & alibi alii Judaizantes de *Horæa*, *Vi quadam divina* tradunt, illa, quanta quanta ſunt, nihil niſi *Cabbala* ſunt, ſive Theologia myſtica Judæorum, quam Epiphanius nunquam attigit, certe non intellexit. *Cabbalæ* enim Judæorum eſt ipſiſſima Judaizantium *Gnoſis*, & *Cabbaliſtæ*, חכמי האמת, *Gnoſtici*. Quod ut paucis oſtendamus, hic ipſe locus exigit, in ſequentibus, Deo volente, plenius demoſtrandum.

L. Cabbalæ Judaicæ pars prima atque potiſſima in Theologia illorum, ſive doctrina de Deo, explicanda verſatur. Hanc decem *Sephiroth*, *Numerationibus*, ſive totidem Prædicamentis, vel Locis communibus ſunt complexi. Nomina illarum hæc ſunt: כתר עליון *Corona ſumma*, חכמה *Sapientia*, בינה *Intelligentia*, גרולה *Magnificentia*, גבורה *Potentia*, תפארת *Decus*, נצח *Victoria* vel *Æternitas*, הוד *Majeſtas*, יסוד *Fundamentum*, מלכות *Regnum*. Harum *Sephiroth*, ſive Numerationum, tres primæ Subſtantiales ſunt, quæ *tres divinas perſonas* in uno אין סוף ſive *Infinita Eſſentia* exhibent: Reliquæ *Attributa*, quæ illas Dei *Virtutes* explicant, quibus Triunus ille ſeſe in mundo, vel Eccleſia potius, ejuſ-

ejuſque Redemtione per Meſſiam, manifeſtat. Univerſas illas nomine & Schemate *Arboris Cabbaliſticæ* proponunt, ubi ſuis ſingulæ circulis vel orbibus quaſi incluſæ conſpiciuntur. Qua de re prolixe videri poteſt Rittangelius, in *Libro Jezira*, pag. 10. ſeq.

LI. Eædem vero Sephiroth, ad doctrinam illam celandam ſimul atque declarandam, aliis quoque infinitis pene nominibus inſigniuntur. Ita, verbi gratia, ſeptem inferiorum tres priores, de quibus nunc potiſſimum agendum eſt, etiam חסד *Benignitas* vel *gratia*, דין *Juſtitia*, & רחמים *Miſericordia* appellantur, quæ ipſum nucleum nobis exhibent, qui reliquo illo verborum cortice velatur. Quoniam vero harum ſingula nomina ſingulis Patriarcharum nominibus juncta inveniuntur, Benignitas Abrahamo, חסד לאברהם *Dabis Benignitatem Abrahamo*, Mich. VII. 10. *Terror*, ſive terribilis Dei juſtitia, Iſaaco, פחד יצחק *per terrorem Iſaaci* Gen. XXXI. 42. & denique Decus Iſraeli, תפארת ישראל *Decus Iſraelis* Thren. II. 1. Hinc eadem Dei attributa horum Patriarcharum nominibus appellare ſolent, univerſa ſimul ג׳ אבות העליונים *Tres Patres ſuperiores*, ſingula ſeorſim, מרת אברהם *Proprietatem Abrahami*, מרת יצחק *Proprietatem Iſaaci*, & denique מרת יעקוב *Propietatem Jacobi*. Eadem vero ratione & aliis propriis nominibus, propius longiuſve petitis, in eodem argumento utuntur. Sic *Sem*, *Cham* & *Japheth* appellant; quorum nominum vim quemadmodum quiſquis methodi Cabbaliſticæ ignarus eſt, nunquam aſſequetur, ita qui his myſteriis leviter eſt initiatus, facile intelliget, *Semum*, cui Noachus præ cæteris ſuis filiis benedixit, *Gratiæ* divinæ Emblema eſſe; *Chamum* vero, qui a fervore nomen habet, æſtum *iræ* ſive *juſtitiæ* vindicativæ ſignificare; *Japhetum* denique, cujus nomen יפת ad יפה vel יפי *pulchrum* vel *pulchritudinem* proxime accedit, Cabbaliſtice denotare תפארת, id eſt tertiam proprietatem, quæ alias *Decus* appellatur.

LII. Ut itaque ad rem veniamus, Gnoſticorum eadem methodus, eadem dogmata ſunt, vel ipſo Epiphanio teſte, Hæreſi XL. de *Archonticis*, Cap. II. *Sed eo libro, cui Symphoniæ nomen eſt, uti potiſſimum ſolent: in quo cœleſtes orbes octo vel ſeptem eſſe definiunt. Horum in ſingulis reſidere principes: ita ut per ſeptenos orbes deſtributi ſint, atque unus in quolibet Princeps exiſtat. Certos porro unicuique Principi ordines eſſe deſcriptos. Supra quos omnes octavo in cœlo lucidam Matrem cæterarum Hæreſeon more conſtituunt.* Viden' hic *Orbes*, & quidem *ſeptem* inferiores, ſupra quos unus, *octavus*, in quo *Mater*, ſive בינה, *Intelligentia*? Ubi octavus orbis procul dubio complexu ſuo reliquos quoque ſuperiores includit, quorum *Hi tres unum ſunt*, non tantum phraſi Johannis, ſed & Cabbaliſtarum.

LIII. Sic ex eodem fonte eſt eorundem *Archonticorum*, qui & ipſi *Sethiani* fuerunt, ἡ ἀκατονόμαστος δύναμις *innominata*, vel *quæ nullo nomine comprehendi poteſt Virtus*, Hær. XL. cap. 7. כוח הנסתר Cabbaliſtis, *Pater* noſtris, oppoſite ad *Filium*, qui eſt כוח הנגלה Virtus illa manifeſta & manifeſtans omnia. Hinc illa Gnoſticorum *Achamoth*; ipſa Cabbaliſtarum חכמה, *Sapientia*: Hinc item alia multa, quæ hic non eſt dicendi locus.

LIV. Cum ergo inter Sethianos, quoſdam; ſaltem, eadem doctrina vigeret, hinc *Sethum* more reliquorum Cabbaliſtarum, tertiæ proprietatis Symbolum conſtituerunt, ſive *Decoris*, adeoque illi attribuerunt בת זוגו conjugem τῶν Ὡραίων, quod Hebraice & Cabbaliſtice idem eſt atque תפארת. Hoc ſc. eſt grande illud myſterium iniquitatis, *ſtoliditas* inquam illa, *atque vecordia*, quod cum Cabbaliſtæ Abelum atque Cainum *Gratiæ*, atque *Iræ*, vel *Juſtitiæ* objecta atque ſymbola feciſſent, Sethiani cum iiſdem convenienter artis ſuæ præceptis, *Sethum Pulchritudinis* emblema conſtituerent, eandemque illi tanquam *conjugem* Cabbaliſtica phraſi addicerent.

LV. Ut vero verbis noſtris fidem faciamus, neu quis hæc a nobis potius conficta, quam a Cabbaliſtis tradita exiſtimet, ex R. *Meir Gabbaide*, præſtantiſſimo Cabbaliſta, quædam excerpere juvabit, quæ & hæc poſtrema valide probent, & in reliquis pleriſque omnibus Gnoſticorum Chriſtianorum cum Judæis Cabbaliſtis amicum conſenſum declarent. Is igitur Libri IV. caput XIV. hoc modo inſcribit: וביאור סוד ותפקחנה עיני שניהם ובו יבאר סוד קין וקטרוגם וסוד שת ויביא מאמר ואי זה זה מלך המשיח *Expoſitio myſterii* verborum. Et aperti ſunt oculis utriuſque. *Ubi ſimul declarabitur myſterium Kaini & Habelis*, *& contentionis illorum*, *& adducetur* (illud veterum) *dictum: Et quiſnam ille? Is eſt Rex Meſſias*. Ex hoc itaque capite ſequentia conſiderentur.

LVI. תרין אתו עלה ואתעברת ואולידת תרין דא נפק לזניה ודא נפק לזניה ורוחא דילהון אתפשטו דא לסטרא דדא ודא לסטרא דדא דא רמי לסטרוי ודא רמי לסטרוי.

לסטרוי. מסטרא דקין כל מדורין דזינין בישין ורוחין ושדין וחרשין אתיין ומסטרא דהבל סטרא דרחמין יתיר ולא בשלימו המר טב בחמר ביש לא אתתקן בהדיה עד דאתא שת אתיחסו מניה כל אינון דרין דזכאי עלמא וביה אשתיל עלמא. ומקין כל אינון חציפין ורשיעין וחייבי עלמא. *Duo cum illa* (Eva) *congressi sunt, ipsaque concepit & duos filios peperit, quorum ad suum quisque genus abiit, & ad suum cujusque generis latus pervasit, & suo quisque lateri similis fuit. A latere Caini omnia habitacula malarum noxarum, spirituum, dæmonum, & magorum veniunt. At a latere Habelis, latere gratiæ uberioris, sed non perfectæ,* (videtur hic aliquid deesse) *materiæ bonæ cum materia mala non conveniebat, donec venit Sethus, a quo omnes ætates justorum mundi genus & originem ducunt, per quem etiam mundus fundatus est: quemadmodum ex Caino omnes impudentes, improbi, & peccatores mundi.* Tum paucis interjectis : וקין והבל שני הפכים יצאו מאדם הראשון ונהיו בבטן אחד יזרו על הייחוד להעיר על כי מסבה אחת פשוטה יצאו ההפכים והטוב והרע לחם שורש אחד ואם המערכות נשתנו הוא לא נשתנה ולא ישתנה: *Cain autem & Habel, duo contrarii, ex Adamo primo sati in eodemque ventre nati, de unitate docent, ut declarent, ab una simplicissima causa provenire contraria, & bono maloque non esse nisi causam unam, quamvis effecta mutentur, ipsum tamen Deum prorsus immutabilem esse.*

LVII. Satis ex hisce, & ad oculum cuivis liquet, quemadmodum Cain & Habel ad diversas origines referuntur, ita suum quoque cuique *Latus* attribui, adeo ut *Latera* illa ab illis etiam denominentur. *A Latere Caini*, inquit, *a Latere Habelis*. Sunt autem illa *Latera* nihil aliud nisi מדות, sive *Proprietates*, quas vocant, *divinæ*, attributa, inquam, *justitiæ* & *clementiæ*, quemadmodum attendenti est manifestum. Inde autem porro factum, ut *Caini* & *Habelis* nomina a Cabbalistis adhibeantur ad illas diversas Dei virtutes designandas, etsi per se ipsæ minime diversæ sunt, sed tantum respectu effectorum.

LVIII. Cum itaque *Cain* & *Habel* duas illas Dei virtutes designent, Justitiam & clementiam; quis jam amplius dubitet, quin *Sethus* Cabbalistice tertiam notet, quam vulgo תפארת *Decus*, Gr. τὴν Ὡραίαν appellant? Audiamus sequentia. וכמו שבמעשה בראשית בא יום השלישי ונכנס ביניהם והבדיל המחלוקת ועשה שלום במרומיו ובו היה הקיום ונכלל בו הכל והשמרים יצאו לחוץ ונרחו ממקומם כן הבן השלישי שהוא שת נכנס בין שנים אלה והבדיל ביניהם ונכלל הכל ואז היה בו הקיום יהושתת העולם ממנו וקין וכל תולדותיו נרחו ונמחו במבול מים הזרונים מרה כנגר מרת והכל דונמא. *Quemadmodum in historia creationis Dies Tertius venit, mediusque stetit inter illos, litemque diremit, & pacem conciliavit in cœlis ejus, ita ut per illum mundus substiterit, eoque omnia comprehendantur, fæcesque foras exierint, & loco suo sint dejectæ: Ita tertius filius, Sethus, inter duos illos medius intravit, illosque diremit, & omnia eo continebantur, ita ut tunc mundus substiterit solideque sit fundatus, Cainusque & omnis ejus progenies sint depulsi & deleti diluvio aquarum contumacium, dum par pari referebatur, Itaque hæc omnia typica sunt.* Ergo *Sethus* tertiæ virtutis symbolum est, τῆς תפארת sive Ὡραίας, quæ priores duas *justitiam* & *clementiam*, quæ alias e diametro inter se sunt contrariæ, amice conciliat, atque efficit, si Christiane loquamur, ut Deus salva sua justitia hominibus gratiam præstare possit, atque ita vicissim justitiæ atque iræ suæ vim exserere, ut ne quid τὸ κράτος τῆς ἰσχύος τῆς χάριτος αὐτοῦ capiat detrimenti. Qua una re omne illud mysterium continetur, quod tot verborum involucris a Cabbalistis & obscurari solet & declarari.

LIX. Priusquam vero hunc locum deseramus, velimus Lector noster ἐν παρόδῳ observet, quæ §. 56. de origine justorum & sceleratorum ex Setho Cainoque dicta sunt. His enim gemina sunt, quæ idem *R. Meir* verbis proxime allatis subjicit. ולזה נתיחסו ובאו מקין כל דורות הרשעים ועזי פנים וםשת כל דורות הצדיקים שהם קיום העולם. *Et propterea a Caino genus atque originem ducunt omnes scelerati atque impudentes, quemadmodum a Setho omnes justi, qui sunt causa cur mundus subsistat.* Quæ verba si rite perpendantur, non eo tantum faciunt, ut causam nobis declarent, ob quam Cabbalistæ illi Christiani tantopere titulum illum בני שת affectarint atque usurparint; sed & validissimum nobis argumentum] suggerunt, quo lepidum illud commentum, de [hæresi *Cajanorum* vel *Cainistarum* profligemus prorsusque obteramus.

LX. Hi *Cajani*, teste Epiphanio, *a potentiori quadam virtute ac cœlesti authoritate derivatum esse Cainum prædicant, nec non & Esau, & Core cum suis, itemque & Sodomitas: Abelum vero ab imbecilliori virtute prodiisse. Quamobrem illos omnes opinione sua laudandos, ac secum necessitudine conjunctos asserunt,* de-

deque ejusmodi cum Caino & Sodomitis, Core & Esau cognatione gloriantur, ac perfectæ sublimiorique scientiæ illos adscribunt. Præter hos Judam quoque affinem esse suum jactitant, eidemque excellentem quandam vim cognitionis attribuunt.

LXI. Ejusmodi vero homines, quales Epiphanius nobis hic describit, unquam aliquo numero exstitisse, & cœtum sectamve aliquam constituisse, id adeo nullam veri speciem habet, ut fidem omnem superare videatur. Tametsi enim primis Christianismi temporibus sceleratissimi flagitiosissimique quidam homines, in Ecclesiam irrepserunt, Petro Judaque testibus; tamen nobis non est verosimile, tanta illos & tam immani impudentia fuisse, ut cum Christiani, si non esse, certe videri vellent, cum historiam item Caini reliquorumque istorum sceleratorum nossent, neque adeo ignorare possent horrenda illa justissimi Dei judicia in illos exercita; ut, inquam, se illorum socios publice profiteri, & gloriari voluerint, & a bipedum omnium nequissimis simul atque miserrimis, generis sui atque originis ducere commendationem.

LXII. Ut itaque hujus sic dictæ hæreseos originem & historiam expediamus, primo observandum est, quorum affinitate improbi illi gloriati esse dicuntur, eorum in iis maxime epistolis mentionem fieri, quas Apostoli ad Judæos miserunt: *Angelorum malorum*, (nam & hi in partes vocantur) 2. Pet. II. 4. Jud. vers. 6. *Caini*, Jud. vers. 11. *ætatis diluvii* (& hanc addere nihil vetat) 2. Pet. II. 5. *Sodomæorum & Gomorritarum*, Ibid. 6. *Esavi*, Heb. XII. 16. *Coræ* Jud. vers. 11. *Bileami*, Ibid. & 2. Pet. II. 15. *Judæ* denique, in oratione Petri ad reliquos fratres Judæos, Act. I. 16. seq. Deinde vero & illud notandum, Sethianos, de quibus hactenus egimus, fuisse credentes ex Judæis, quibus illa exempla cum ex lectione Legis notissima erant, tum a suis maxime Doctoribus Apostolis, inquam, circumcisionis, de novo serio & sollicite fuerant inculcata. Quo cum tertio accedat, quod Sethiani se identidem *Sethi filios* professi, eoque argumento & ad consolationem & ad adhortationem usi sint: fontem ipsum hæreseos *Cainistarum* jam apertum esse existimamus.

LXIII. Cum enim Sethianorum Antistites Sethum, quem teste Epiphanio *ab omni virtute & justitia maximopere laudabant*, auditoribus suis vitæ Christianæ, & pietatis virtutisque omnis exemplar assidue ob oculos ponerent: vix fieri potuisse videtur, quin per antithesin *Caini* aliorumque impietatem & horrendas, quas passi sint, pœnas quoque exposuerint, quemadmodum nostri vulgo practici solent.

LXIV. Quemadmodum vero iidem se suosque *Sethi filios* appellabant, quod vestigia fidei & pietatis Sethi premerent, exemplo Pauli qui Abrahamum eorum omnium Patrem appellat, qui sive ex Judæis sive ex Gentibus vestigiis fidei ejus insistunt: Ita quoque eos, quos Judas *viam Caini ingressos* ait, eodem jure *Filios Caini* dicere potuerunt, quod Cabbalistis usitatum fuisse jam abunde est probatum.

LXV. Faciamus itaque Sethianorum aliquem vel ipsius Judæ Johannisque verbis, vel non multum dissimilibus, ita dicentem: *Quod si itaque Messias noster Filios Sethi, eosque omnes & solos, ad se congregabit, fovebitque ac defendet; væ illis, qui ad hanc Sethi familiam non pertinent: Væ, inquam, Caini filiis, qui viam Caini ingressi sunt, & errore mercedis Balaami effusi, & rebellione Coræ pereunt.* Tum vero per singula iverit, & quinam *Cainitæ, Filii imitatoresve Caini* sint, quinam item *Bileamitæ* &c. fusius in hunc similemve modum declararit: *Nam si quis fratrem suum non amet, sed eum oderit, persequatur atque occidat, is se non Sethi, sed Caini, imo diaboli filium esse demonstrat, & re ipsa profitetur. Cain enim ex malo fuit, & occidit fratrem suum. Eccur vero occidit illum? quoniam facta ipsius mala erant, fratris autem bona.* (Ita & Veteres Cabbalistæ, apud R. Meir Gabbaidem, l. c. קין בלע את אחיו הטוב ממנו *Cain trucidavit fratrem suum meliorem ipso.*) *Quisquis itaque fratrem suum odit, persequitur, occidit, is Caini filius est, non Sethi: Quod si enim Sethi Filius esset, Sethi opera faceret. Jam vero Caini exemplum imitatur, & voluntatem ejus facit; imo & Diaboli, qui homicida est ab initio, &c.* Ita & in reliquis illis exemplis fecerit, atque identidem ingeminarit, qui his, illis moribus sunt, illos eopse declarare, & quasi publice profiteri, se non Sethi, sed *Sodomæorum, Esavi, Coræ, Bileami, Judæ* denique proditoris *filios, fratres, affines esse*. Unde quotusquisque non perspiciat atque intelligat, quam facile hæc illorum doctrina ab imperitis quibusdam auditoribus, maxime gentilibus, eo accipi potuerint, quo putarint, esse peculiarem quandam sectam ejusmodi insanorum atque profligatæ hominum impudentiæ, qui in conventiculis suis publice docuerint atque professi sint, se *Cainitas, Sodomitas, Esavitas* esse,

esse, & si quæ alia infamia & æternis tenebris damnata nomina in Sacris literis legantur.

LXVI. Hæc quidem nostra de hac quoque *Cajanorum* hæresi sententia est, vel, si malis, conjectura: qua si quis sit, quid aliud rectius, vel probabilius afferre possit, is vates esto. Nos sane animum inducere non possumus, ut aliter credamus; cum non ignoremus, quoties & quot modis clarissimæ Christianorum Judaizantium sententiæ a Christianis gentilibus obscuratæ sint, & in pessimum sensum detortæ: Id quod proxima dissertatione *Ophitarum* exemplo ostendemus, qui & ipsi Sethiani fuerunt, uti quidem Theodoretus narrat; vero cum non tantum vaticinia & historias Vet. T. docte atque eleganter exponerent, sed & typos, atque inter alios illum de *serpente æneo*, Num. XXI. ex mente Christi Joh. III. 14. 15. & Cabbalistarum (Vid. Rittangelium pag. 123. s.) dextre interpretarentur, *Ophitarum* nomen meruerunt. Sed de his, aliisque, Deo volente, alias pluribus.

JACOBI RHENFERDII
DISSERTATIO
DE
REDEMTIONE MARCOSIORUM
Et Heracleonitarum.

I. INter ea, quæ apud veteres rei Christianæ scriptores difficilia ac fere desperata occurrunt, nemo, credo, illa esse diffitebitur, quæ Irenæus de Hæresibus Lib. I. cap. 18. & Epiphanius de Hær. Marcosiorum Cap. 20. & Heracleonitarum cap. 2. scripta reliquerunt.

II. Nimirum duas ibi formulas exhibent, quibus illi hæretici sive in discipulis suis initiandis, sive alia quacunque occasione usi sint; sed adeo illas infeliciter versas, adeo librariorum inscitia depravatas, ut quod Patres illi aliique de re integra judicarunt, illas barbaris vocabulis ad horrorem animis audientium incutiendas confictas esse, id nunc merito de illis dicere possis, posteaquam & a Patribus ipsis, & a librariis, ita omnia sunt discerpta, luxata, mutilata, ut nihil admodum sani ex illis colligi posse videatur. Quamobrem operæ pretium & rem Viris Doctis atque antiquitatis studiosis non ingratam facturi visi sumus, si quæ in illa loca, dum in aliis antiquissimis Judaizantium hæresibus excutiendis versamur, meditati sumus, paucis hisce pagellis exponamus.

III. Prioris formulæ verba hæc sunt, pro eo atque in impressis Irenæi & Epiphanii codicibus leguntur:

Iren.	„ Messiau,	Far, mag-no, in-se-	en- chaldia,
Epiph.	Μεσσια,	Ουφαρετ, Ναμεμψαι	Μαν Χαλδαιαν,
Idem.	Μεσια,	Ουφαρ, Εγναμεμψα.	Μενχαλδια,
Iren.	„ Mosomeda, ea	acha, faronepseha,	Jesu Nazarene.
Epiph.	Μοσομη δαεα,	Αχφραναι, ψαυα,	Ιησυ Ναζαρια.
Idem.	Νοσσομη, Δα εχ.	Αχφαραν, Εψευα,	Ιησυ Ναζαρια.

IV. Hæc vero barbara verba, quid sibi velint, vetus Irenæi interpres & Epiphanius ita explicant: „ Christi non divido spiritum, cor & supercœlestem „ virtutem misericordem, fruar nomine „ tuo, Salvator veritatis. " (Χριστȣ) Οὐ διαιρῶ τὸ πνεῦμα, καὶ τὴν καρδίαν, καὶ τὴν ὑπερȣράνιον δύναμιν. τὴν οἰκτίρμονα ὀναίμην τȣ ὀνόματός, σου, Σωτὴρ ἀληθείας. Ubi procul dubio in Græco Epiphanii textu vox Χριστȣ in initio excidit, quemadmodum Petavius recte observat.

V. In

V. In hac vero verſione cum nulla Hebraicorum verborum, qualia quidem Irenæus illa eſſe exiſtimavit, id eſt Syriacorum, veſtigia cernantur, ſequens quoque formula apponenda erit, quæ utcunque ſenſum aliquem exhibet:

Iren. „ Confirmatus ſum & redemtus „ ſum, & redimo animam meam „ ab æone hoc & omnibus quæ „ ſunt ab eo in nomine IAO, „ qui redemit animam ejus in „ redemptione in Chriſto vivente.

Epiph. Ἐστήριγμαι καὶ λελύτρωμαι, καὶ λυτροῦμαι τὴν ψυχήν μου ἀπὸ τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ πάντων τῶν παρ' αὐτοῦ, ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ ΙΑΩ, ὃς ἐλυτρώσατο τὴν ψυχὴν αὐτοῦ εἰς ἀπολύτρωσιν ἐν τῷ Χριστῷ τῷ ζῶντι.

VI. Ut itaque hinc tandem ſanum aliquem ſenſum eruamus, ſupponemus tantiſper verbis hiſce, quæ Syriaca ſint, contineri confeſſionem aliquam fidei, certo tempore atque occaſione ab illis, qui hæretici dicti & habiti ſunt, ſolitam uſurpari; & quiſquis ille fuerit, qui illam formulam vertendam ſuſceperit, poſterioribus verbis illud conatum eſſe, nequaquam vero prioribus; Irenæum vero, memoria lapſum in re ſibi non ſatis nota, vel quacunque alia ratione in errorem abductum, aliud pro alio poſuiſſe. Deinde vero & illud nobis concedi poſtulabimus, quod nemo, qui quidem in Veterum ſcriptis mediocriter verſatus ſit, negaverit; ut quæ librariorum vitio male juncta ſunt, diſtinguere, diſtracta conjungere, tranſpoſita recto ordine locare, denique & omiſſa reſtituere liceat. Quo facto ſpondere auſim fore, ut genuinus horum verborum ſenſus, & præclara ac homine Chriſtiano atque orthodoxo digniſſima ſententia eluceat, neque coacta illa aut longe quæſita, ſed quæ ſponte ſua ex ipſis verborum veſtigiis rite & religioſe lectis fluat.

VII. Age itaque ſingulorum verborum genuinam lectionem & emphaſin indagemus. Initium igitur hujus formulæ apud Irenæum & Epiphanium ſic ſe habet: *Meſſiau far*, Μεσσια Μεσια) Hic cum apud Epiphanium primam vocem bis legamus abſque Ου, Μεσια vel Μεσια; & illud Ου identidem ad ſequentem referatur, dubium eſſe non poteſt, quin apud Irenæi interpretem litera U male juncta ſit, & legendum tantum ſit *Meſſia*. Quid vero id ſibi velit? Patres reddunt ἐστήριγμαι, *confirmatus ſum*. Ubi, ſive Irenæus, ſive quiſquis alius interpres ſit, reſpexit vocem aliquam ab עזז, vel forte, quod non minus veroſimile videatur, ab אמץ derivatum, quæ *robur*, *firmitatem* ſignificat. Sed quid ſi notiſſimum illud & decantatum ſit *Meſſias*, Chaldaice & Syriace משיחא, quod Græci vulgo Μεσσίας efferunt, ſed hic abſque terminatione Μεσσια, vel forte, uti Epiphanius ſemel legit, Μεσια? Sic ita tantiſper noſtræ critices periculo, donec in ſequentibus ſenſus ipſe hanc lectionem exiget.

VIII. *Far magno*, Ουφαρ Εγναμεμψα, Ουφαρεγ) Si & literarum veſtigia & verſionem ſequamur, videri poſſit legendum eſſe Ουφαρεγ, vel ſimile quidpiam; ut apud Irenæum, nec non altero Epiphanii loco, poſtrema vocis ſyllaba εγ ad ſequentem male ſit relata. Sic autem reſpondebit verſio, καὶ λελύτρωμαι, *&* *redemtus ſum*. Τῷ Ου copulam notante, & פרק, *redimendi* aliquam notionem habente, quemadmodum certe apud Hebræos, & Chaldæo-Syros habet, quorum hi illud fere conſtanter pro Hebr. גאל uſurpant. Enim vero cum in verſione eadem vox bis occurrat, λελύτρωμαι καὶ λυτροῦμαι, *redemtus ſum & redimo*, vel potius *redimor*; manifeſtum eſt, in originali vocem פרק etiam bis lectam eſſe, ſed librariorum vitio jam olim alteram eſſe omiſſam. Antiquiſſimam enim illam mendam eſſe inde liquere videtur, quod & in Epiphanii utroque loco vox altera deficiat. Imo vero ex Irenæi *Far magno*, & Epiphanii Ουφαρ Εγνα ... non tam vocem integram, quam duarum partes excidiſſe liceat ſuſpicari, ut ſic primo ſcribendum ſit Ουφαρ.... εγνα--- qui hiatus ita implendus ſit; Ουφαρογα δεφαρεγ, quod Chaldæo Syris eſſet ופרוקא דפרק, *& Redemtor qui redemit*. Quomodo commodum tandem ſenſum verba habebunt.

IX. *No in ſe en*, Ναμεμψαι, Εγναμεμψα) Hæc rurſum utrobique peſſime, paulo tamen melius in Epiphanii codicibus. Sed verſio viam monſtrabit; τὴν ψυχήν μου, quod eſt נפשי ναψι, adeo ut illud μεμ ex ſequentibus huc præmature ſit translatum, & magis etiam corruptum ex Chald. מן, μιν, Syriacove מן, μὲν, cujus Nun ante labialem π vel ψ, a librariis tandem in M ſit mutatum. Ut adeo hic נפשי legendum ſit, *animam meam*, ut verſio habet, vel forte נפשן, vel נפשנא, ναψανα, *animam noſtram*.

X. Illud vero Μεμ, vel Irenæi *En* pro *Men*, loco ſuo motum eſſe rurſum verſio docet, ἀπὸ τοῦ αἰῶνος τούτου, *ab æone hoc*, quod Chaldaice eſt מן עלמא הדין μιν αλεμα αδην, vel Syriace מן עלמא הנא

μεν

μεν αλεμα ανα; *ab* vel *ex hoc ſeculo*, vel *mundo*: quæ duæ poſtremæ voces plane exciderunt, particula מן, ut diximus, etiam loco mota.

XI. *En chaldia*, *μανχαλδιαν*, Μενχαλδια) Verſio, *Et omnibus quæ ſunt ab eo*. Unde legendum erit, Ουμιν χολ δι, vel Ουμεν χυλ δε. Sed librarii Χαλδαιων, vel *Chaldia* formare maluerunt, quam ſemper in ignoto orbe verſari. At quid illud *παρ' αὐτȣ*? mirum ſane ni interpres reddere debuerit *ἐν αὐτῷ*, ביה, *in eo*. Conſ. I. Joh. IV. 15.

XII. *Moſomeda*, *ea*, Μοσομηδα εα, Νοοσομη Δαεκ) Verſio, ut brevis ſim, habet, *ἐν τῷ ὀνόματι τȣ Ιαω*, quod Chald. eſſet משמיה דיהוה Syr. בשמה דיהוה, Βασμη δε ΙΑΩ, *in nomine τȣ* IAO. Errore forte nato ex ſimilitudine literarum μ & β apud Græcos, unde infiniti in veteri orientalium nominum ſcriptura errores nati ſunt. Τὸ *Ea* etiam alibi pro ſcriptum *Iao* reperitur.

XIII. *Acha*, *faro*... Αχφρανα, Αχφαραν) Hic primo quidem *ναι* & *ν* ad ſequentem vocem ſunt referendæ. Sed quid *Acha faro*, vel Αχφρα, aut *αχφαρα*? Id quidem omnium mihi hactenus viſum fuit difficilimum; unde aliquando literis transpoſitis *αφραχ*, vel ſimile quid legere malui. Verſio ſane non admodum repugnare videtur, *εἰς ἀπολύτρωσιν*, *qui redemit in redemtionem*; quod certe non difficulter ex פרק elici poſſe videtur. Quoniam vero conſtans tribus in locis lectio repugnat, quæ in *Achafaro*, & in Αχφρα, & in Αχφαρα, radicem קפר vel potius כפר oſtendit, aliud commodius quærendum eſt, quod forte hac via invenimus.

XIV. Judæi in formula illa quotidianarum precum, quam גאולה *Geulah*, *Redemtionem*, appellant, ad cujus imitationem hanc conceptam eſſe credimus, non tantum *Vindiciarum* mentionem faciunt, quæ voce גאל exprimitur, ſed etiam *Redemtionis*, quam τὸ פדה ſignificat; ex Jer. XXXI. כי פדה יהוה את יעקב וגאלו מיד חזק ממנו *Quoniam redemit Deus Jacobum*, & *aſſeruit eum ex manu potentioris ipſo*. Cum itaque hi homines emphaſin vocis פדה, quatenus a גאל diſtinguitur & lytri fit ſolutione (Vid. Pſal. XLIX. 8. 9.) exprimere vellent; vero ſimile eſt, verbum כפר adhibuiſſe, cum nomine inde deducto, vel ſimili quod *lytron* ſignificat. Nam hic aliquid in Syriacis excidiſſe, verſiones Græca & Latina arguunt, quarum illa habet, *ὃς ἐλυτρώσατο τὴν ψυχὴν αὐτȣ εἰς ἀπολύτρωσιν*, *qui redemit animam ejus in redemtionem*; ubi *redemtionis* mentio bis occurrit. Itaque hoc vel ſimili modo ſcribendum exiſtimamus, Ουκαφραν, quod eſt Syr. וכפרן & *expiavit nos*; tum *βακαφυρα* בכפורא vel Βεφυρκανα בפורקנא *ἐν λύτρῳ*; *δενεψη*, דנפשה, *animæ ſuæ*. Nam quod ſequitur.

XV. *Nepſeba*, *ψαυα*, Εψευα) id partim cum antecedenti jungendum, *ναψα*, vel *ναψε* aut *νεψη* נפשיה *animæ ſuæ*; partim vero etiam privandum ultimo *Ha* vel Ουα, vel Ου, quod prorſus ſeparatam dictionem conſtituit, הוא vel הו, *is*, *ille*. Quod & ipſum ſenſu cum ſequentibus cohæret, ut legendum ſit.

XVI. *Hu*, Ου, *vel* Ουα Ιησȣ Ναζαρια) Quod Aramaice eſt הו ישוע נצריא, *hic eſt Jeſus Nazarenus*.

XVII. Ex his itaque omnibus, ſi literarum hodie occurrentium veſtigia quam religioſiſſime ſequamur, hæc lectio orietur,

Μεσια *ȣφαρ* ...... *εγ ναψαν μεν* .... *μεν χυλ διβη βασμη δ* ΙΑΩ *ȣκαφραν* .... *ναψη ȣ* Ιησȣ Ναζαρια. Si vero & verſionem jungamus, ex eaque hiatus iſtos ſuppleamus, ita & Græce & Syriace vel Chaldaice legendum & vertendum arbitramur:

Græc.	Syr.	Verſio Latina.
Μεσια;	משיחא	Meſſias vel Chriſtus,
Ουφαρυγα,	ופרוקא	& redemtor,
Δεφαρεγ	דפרק	qui redemit
Ναψαν (-ψι)	נפשן (-שי)	animam noſtram (meam)
Μεν αλεμα ανα	מן עלמא הנא	ab hoc ſeculo,
Ου μεν χυλ	ומן כל	& ab omnibus
Δεβη,	דבה	quæ in eo ſunt,
Βασμη δ ΙΑΩ	בשמה דיהוה	in nomine JAO,
Ουκαφραν	וכפרן	& expiavit nos
Βηφυρκανα	בפורקנא	pretio, *vel* lytro
Δεναψη	דנפשה	animæ ſuæ,
Ου vel ȣα	הו	hic eſt
Ιησȣ Ναζαρια	ישוע נצריא	Jeſus Nazarenus,

XVIII.

XVIII. Ita fere Græce & Syriace scribendum, ita Latine reddendum existimamus; cui lectioni & versioni accessuros arbitramur, quotquot mediocriter Chaldaice vel Syriace docti sunt, ut verba illa Syriaca & cum Græca Epiphanii Latinaque Interpretis Irenaici lectione, & cum nostra illa versione conferre possint. Nostra sane lectio vestigia illa, quæ in Epiphanio & Irenæo supersunt, religiose sequitur, & manifestas lacunas ex versione, quam iidem auctores exhibent, supplet; ad eandemque versionem proxime accedit; & denique commodum per omnia sensum fundit.

XIX. Quod vero literam Γ in Ουγαρεγ, Syriace per ק exprimamus, id, scio, & quæ sunt id' genus alia minuta, neminem nisi artis orthographicæ & etymologicæ rudem atque imperitum movebit. Gravius esse videtur, quod ab ipsa versione, quæ ab Irenæo repræsentatur, paulo longius recedere videamur. Sed hic scire desiderem, quis nobis de versionis illius fide spondere possit, atque docere, eam serio & sedulo ab homine utriusque linguæ probe gnaro adornatam esse. Quod si quis Irenæi, addo & Epiphanii, auctoritate probare velit, næ is vehementer fallitur: cum ex hac ipsa versione pateat, Irenæum adeo linguæ Syriacæ ignarum fuisse, ut ne quidem verbum ejus intellexerit. Quod si enim intellexisset, tam lepide sibi imponi non fuisset passus, neve ipse tam enormiter aberrasset, ut hæc verba Syriaca sic reddi posse crederet, *Non divido Cor &c.* neve deinde eorundem versionem, qualiscunque ea sit, pro nova formula nobis obtrudere conatus esset. Quod ipsum & de Epiphanio valebit, qui si harum rerum fuisset peritior Irenæo, procul dubio verbulo saltem nos de illo errore monuisset.

XV. Quid vero his verbis sibi voluerint, operæ pretium erit declarare. Id quod difficile non erit, si cum narratione Irenæi & Epiphanii Judæorum quandam consuetudinem, & præcipuam Apostolorum doctrinam, quam inter Judæos inprimis inculcabant, jungamus & conferamus.

XXI. Judæi formulam quandam precationis habent, vel *confessionis* potius, quam precibus quotidianis interserunt, qua Deum O. M. Vindicem suum & Redemtorem celebrant; unde eam גאולה Geulah, id est, *Liberationem* vel *Redemtionem* appellant; cui tantam vim tribuunt, ut si quis ea rite utatur, illi spem certam faciant beatitudinis æternæ. Codice Berachoth, fol. 4. col. 2. m. אמר רבי יוחנן איזהו בן העולם הבא זה הסומך גאולה לתפלה של ערבית. *Dixit R. Johannes: Quis est filius seculi futuri? quicunque precibus vespertinis subjungit Redemtionem.* Ubi voce *Redemtionis* vel *liberationis* nihil aliud intelligitur, quam formula de illa *liberatione* agens. Est autem illa duplex, altera quæ matutinis precibus additur, altera quæ vespertinis. Quæ tempore matutino recitatur, inde ab אמת ויציב incipit, atque ab his initialibus vocibus appellatur. In qua cum sæpius mentio fit liberationis, Deique assertoris, & liberatio ex Ægypto satis prolixe narratur; tum tandem hac clausula finitur, quæ stricte גאולה appellatur: גואלנו יהוה צבאות שמו קדוש ישראל ברוך אתה יהוה גואל ישראל: *Redemtor noster Dominus Sabaoth est nomen ejus, Sanctus Israelis. Benedictus sis tu, Domine, Redemtor Israelis.* Vespertinæ formulæ hoc initium est, אמת ואמונה quæ tandem sic clauditur: ונאמר כי פדה יהוה את יעקב ונאלו מיד חזק ממנו ברוך אתה גואל ישראל. *Et dictum est*, (Jer. XXXI. 11.) *Quoniam redemit Deus Jacobum, & asseruit illum ex manu potentioris ipso. Benedictus sis tu, Domine, Vindex Israelis.*

XXII. Inter has formulas autem Judæi illud interesse volunt, quod matutina præteritam liberationem respiciat ex servitute Ægyptiaca, vespertina vero futuram liberationem Messiæ. R. Salomon Jarchi, Cod. Berachoth, fol. 4. 2. ad verba supra adducta, זה הסומך *is qui jungat* (Geullam precibus vespertinis:) וכל שכן דשחרית דעיקר גאולת מצרים בשחרית כדכתיב ממחרת הפסח יצאו בני ישראל *Multo magis itaque* qui jungit Geullam precibus *matutinis*, *quoniam redemtio Israelis præcipue in matutinum tempus incidit, quemadmodum scriptum est* (Num. XXXIII. 3.) *Et postridie paschatis mane exiverunt Israelitæ*. Et rursum fol. 12. 1. f. וברכת אמת ויציב כולה על חסד שעשה עם אבותינו היא שהוציאם ממצרים ובקרע להם הים והעבירם וברכת אמת ואמונה מדבר בה אף על העתידים שאנו מצפים שיקים לנו הבטחתנו ואמונתנו לגאלנו מיד מלכים ומיד עריצים ולשום נפשנו בחיים ולהדריכנו על במות אויבינו. *Formula* Emet Vejazzibh (matutina) *tota agit de beneficio Patribus nostris præstito, quos ex Ægypto eduxit, & fisso mari traduxit. Formula vero* Emet veemuna (vespertina) *etiam de futuris agitur, quoniam exspectamus, ut spem nostram atque fiduciam impleat, nosque e potestate Regum & tyrannorum eripiat, & vitæ restituat, atque calcare sinat excelsa inimicorum nostrorum.*

XXIII.

XXIII. Cum itaque Marcosii & Heracleonitæ vel Judæi origine essent, quod quidem ex doctrina & lingua facile conjeceris, vel certe Judæorum morem sequerentur: ipsos quoque verosimile est formulam aliquam concepisse atque in ore habuisse, qua Redemtorem suum profiterentur.

XXIV. Cum vero Judæi in genere *Deum* Redemtorem suum confiteantur, & corporalem solum vel præcipue liberationem ejus sive præteritam celebrent, sive futuram præstolentur: hi hæretici, ut hominum ingenium mireris, *Jesum Nazarenum* hunc *Redemtorem* esse celebrant, & mundanis beneficiis relictis, in sola spirituali & æterna ejus redemtione acquiescunt, hanc solam deprædicant. *Jesus Nazarenus*, arrigite aures Hæreticomastyges & confessionem hanc demiramini; *Jesus Nazarenus*, inquiunt, *est Messias & Liberator, qui vindicavit animam nostram ab hoc seculo*, vel *mundo*, *& ab omnibus quæ in eo sunt*, *in nomine IAO*, sive Jehovæ, *& expiavit nos lytro animæ suæ*.

XXV. Nempe quod cum Judæis incredulis controvertebatur, quod Apostoli virique Apostolici omni studio & contentione animi usque inculcabant; Petrus, Act. II. 36. IV. 10. 11. 12. Philippus, VIII. 35. 37. coll. Paulus, IX. 22. XIX. 4. 5. Apollos, XVIII. 28. id hi homines nulla circuitione usi confitentur, משיחא ופרוקא הוא ישו נצריא τὸν Χριστὸν εἶναι Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον, *Jesum Nazarenum esse* promissum illum Patribus *Messiam & Redemtorem suum*. Ac ne quis dubitet, quæ beneficia sibi de illo Redemtore suo promittant, duo nominant, *Vindicias*, quibus illos *asseruerit ex hoc præsenti mundo*, & liberaverit ab *omnibus quæ in eo sunt*; & *Expiationem*, qua illos cum Patre in gratiam redegerit, vi satisfactionis suæ, *lytro*, ut inquiunt, *animæ suæ*, quam pro ipsis in mortem dederit. Adeo ut locum illum Jeremiæ ob oculos habuerint, Cap. XXXI. 11. ubi Dominus Israelem & pretio *redimere* dicitur, & ex aliena potestate *asserere*. Quæ omnia si recte considerentur, constare poterit, illos idem dicere quod catechumenus Reformatus ad primam quæstionem respondet: *Quod animo pariter ac corpore non meus, sed fidelissimi mei Servatoris Jesu Chisti proprius sum, qui pretioso suo sanguine pro omnibus meis peccatis plenissime satisfecit, meque ex potestate Diaboli liberavit*. Ad quæ verba Prophetæ & Catecheseos quisquis Cl. Altingium legerit, Hept. IV. Diss. VI. is & operæ pretium fecerit, & de hac hominum istorum confessione solidius poterit judicare.

XXVI. Sed non abs re fuerit integrum Irenæi de hoc argumento textum exhibere; ut & illis, quæ hactenus a nobis dicta sunt, fidem faciamus, & alia quædam obscuriora in eodem illustremus. Cum vero Epiphanius locum illum integrum descripserit, & Petavius felicius Latine reddiderit, hujus interpretationem dabimus, ex Epiphanio de Hæresi *Marcosiorum*, Cap. XIX. & XX. Ubi de *Redemptione* illorum ex Irenæo sic scribit.

XXVII. 1. „ Quod autem ad *Redemptionem* pertinet, eam neque aspici, „ neque comprehendi animo posse, definiunt; utpote, quæ eorum Mater „ sit, quæ peræque contineri ac videri „ nequeant. 2. Quare cum inconstans „ atque instabilis sit, non una illam ac „ simplex oratio complecti potest; quoniam ab unoquoque illorum pro suo „ nutu ac voluntate traditur. 3. Quot „ enim sunt illius dogmatis ac Mysteriorum Antistites, totidem & *Redemptiones* esse dicunt. 4. Enimvero totam illam speciem atque pompam ejurandi Baptismatis iteratæque illius a „ Deo generationis gratia, & abjiciendæ fidei a Satana confictam esse, suo „ loco, cum illos refutabimus, ostendetur. 5. Sed illam necessariam omnino „ *Redemptionem* iis esse statuunt, qui „ perfectam scientiam adepti sunt, ut „ ad supremam omnium Virtutem denuo gignantur: Aliter enim omnem „ ad Pleroma aditum intercludi; cum „ hæc illa sit, quæ eos ad Bythi profunda perducat. 6. Nam Baptismum „ apparentis illius Jesu, condonationem „ duntaxat præ se ferre criminum; *Redemptionem* vero Christi, qui se in „ Jesum insinuaverat, perfectum ad statum absolutumque spectare. Illum animalem esse, hanc vero spiritalem. 7. „ Præterea Baptismum a Joanne capessendæ pœnitentiæ caussa denunciatum; „ *Redemptionem* a Jesu obtinendæ gratia „ perfectionis invectam. 8. Atque hoc „ esse, quod his verbis testatum reliquerit. *Baptismo alio habeo baptizari, & ad illum omnino festino*. 9. Imo etiam „ Zebedæi filiis, cum eorum mater a „ se postulasset, ut eos secum ad dextram sinistramque suam in regno considere juberet, eandem illam *Redemptionem* proposuisse Dominum putant, „ his verbis; *Potestis Baptismate baptizari, quo ego baptizandus sum?* 10. „ Paulum insuper *Redemptionem* in Christo Jesu persæpe commemorasse prædicant; quam eandem ipsam esse volunt,

" lunt, de qua varia fecumque minime
" cohærentia difputant.
XXVIII. Cap. xx. " 11. Nam alii
" Thalamum nefcio quem conftruunt,
" eofque quos fuas ad cæremonias ad-
" mittunt certis ritibus ac carminibus
" initiant; ac quod ipfi gerunt, fpiri-
" tales nuptias appellant, ad cœleftium
" conjugiorum imitationem expreffas.
" 12. Alii ad aquam perductos tingunt
" hac verborum formula. *In nomine*
" *ignoti Patris omnium, in veritate om-*
" *nium Matre, in eo qui in JESUM de-*
" *lapfus eft; in Unione, & Redemtione,*
" *Communione Virtutum.* 13. Sunt & qui
" Hebraicas voces proferant, quo majo-
" rem initiatis horrorem injiciant, hoc
" modo. *Bafema, Chamoffe, Baæanora,*
" *Miftadia, Rhuada, cufta, Babophor,*
" *Kalachthei* 14. Quorum hæc eft fen-
" tentia. *Supra omnem Virtutem Patris*
" *Lumen quod vocatur imploro: nec non*
" *& Spiritum bonum, & Vitam, quo-*
" *niam in corpore regnafti.* 15. Quidam
" ita *Redemptionem* concipiunt. *Arca-*
" *num & occultum ab omni Divinitate*
" *dominatuque ac veritate nomen, quod*
" *Jefus Nazarenus induit, in vitis Lu-*
" *minis Chrifti, Chrifti, onquam, viven-*
" *tis per Spiritum Sanctum, in Redem-*
" *ptionem Angelicam,* 16. nomen refti-
" tutionis. *Meffias, Uphareg, Namempfæ-*
" *man, Chaldæan, Mofomededaea, Ac-*
" *phranæ, Pfava, Jefu Nazaria.* 17. Quæ
" hoc modo interpretari poffumus. *Non*
" *divido Spiritum, Cor, Virtutemque cœ-*
" *lo fubliniorem, mifericordem: macte*
" *fim nomine tuo Salvator veritatis.* 18.
" Hæc dum ab Antiftitibus prolata funt:
" tum qui facris initiatur ita refpondet.
" *Confirmatus fum, ac redemptus: &,*
" *anima mea ab hoc fæculo omnibufque*
" *quæ ab eo funt, redemitur in nomine*
" *Jao, qui ipfius redemit animam in re-*
" *demptionem in Chrifto vivente.* 19. Ad
" hæc præfentes omnes fubjiciunt: *Pax*
" *omnibus in quibus nomen iftud requie-*
" *fcit.* 20. Deinde opobalfamo initiatam
" perungunt. quod uuguenti genus fra-
" grantiffimi illius odoris, qui fupra
" omnia eft, imaginem effe cenfent. 21.
" Non defunt inter illos, qui ad aquam
" perducere fupervacaneum arbitrantur;
" fed oleum aqua temperatum eam fo-
" lennibus ejufmodi carminibus, qualia
" nos paulo ante retulimus, initiatorum
" capitibus infpergant: idque demum
" *Redemptionem* nominent; quanquam
" Balfamo ipfi etiam inungunt. 22. Alii
" contra repudiatis iis omnibus negant
" ejus Virtutis, quæ nec oculis cerni,
" nec fermone declarari poffit, myfte-
" rium per afpectabiles corruptibilefque
" creaturas poffe perfici; eorum, inquam
quæ cogitationem omnem fugiunt, cor-
" porifque funt expertia, ad ea quæ
" fenfibus percipiuntur, corporeaque funt,
" oportere demitti. 23. Perfectam ita-
" que *Redemtionem* ipfam effe Magnitu-
" dinis inexplicabilis notitiam. 24. Cum
" enim defectus omnis & perturbatio ab
" ignorantia proficifcatur, quicquid ex
" ea conflatum eft, illa ratione deftrui:
" 25. adeo ut cognitio interioris fit ho-
" minis *redemptio*: ac neque corporea
" fit, corpus enim corruptionis capax
" eft: nec animalis, quod anima ex de-
" fectu prodierit, fitque velut Parentis
" domicilium. 26. Quare & Spiritalis
" *Redemptio* fit oportet. Etenim per
" Moyfen interior homo ac Spiritalis
" redimitur. 27. Proinde univerforum
" fe effe dicunt cognitione contentos;
" eamque germanam *Redemptionem* ap-
" pellant.

XXXIX. Hæc hactonus Irenæus de Marcofiorum *Redemtione*. In quibus fi nihil admodum fani deprehendi videatur, id Irenæl confufioni acceptum debemus, qui res fibi ignotas pofteris tradere, & fi pote refurare aggreffus, cœlum terra mifcet, atque omnia mifere atque imperite confundit. Quæ fi extricaverimus, & ad fuam quæque claffem retulerimus, næ vero multo minus abfurda videbuntur, & folidiora deprehendentur, quam prima fpecie apparent.

XXX. Obfervandum itaque primo, vocem *Redemtionis*, Ἀπολυτρώσεως, tres diftinctas & inter fe multum diverfas fignificationes habere Τεχνικὴν five Cabbaliſticam, Metonymicam, & denique Propriam. *Cabbaliſtica* vocis fignificatio num. 1. occurrit, quod quidem, qui Cabbalam Hebræorum faltem a limine falutarunt, illico agnofcent. Egerat Irenæus in proxime præcedentibus de *Ignoto Patre*, quem *Jefus* maxime manifeftarit. Hinc ad *Redemtionem* pergit, quam Marcofii *Matrem omnium* vocarint. Nimirum in Sephiroth Cabbaliſticis, quarum tres primæ doctrinam Trinitatis exhibent, tertia Sephira, five proprietas, nos *Perfonam* dicimus, vulgo & frequentiffime בינה *Intelligentia* vocatur, & *Spiritum Sanctum* notat, quod hic non eft probandi locus. Eadem vero ex methodo & fcopo Cabbaliftarum alias etiam אם *Mater*, & גאולה *Redemtio* appellatur, ut multis Hebræorum locis probare poffemus. Ut vero brevitati ftudeamus, & tamen certam verbis noftris fidem faciamus, Lector nofter *Cabbalam denudatam* adeat, ubi ad vo-

voces אם & גאולה verbis Latinis legere & discere poterit, voces *Matris* & *Redemtionis* cognomina esse proprietatis *Binah* sive *Intelligentiæ*. Sed en loca ipsa. „ גאולה *Redemptio*, *Liberatio*; est „ Binah, quippe quæ fundamentum est „ Liberationis juxta illud Lev. 25. 31. „ *Redemtio erit ei*, & *in Jobel egredietur*. Judicia enim accusantia non ulterius adscendunt, quam usque ad Binah. Ab hoc autem modo Redemtionem haurit *Jesod*, qui vocatur *Goel* „ redemtor ex parte *Binah*, derivatque „ redemtionem in *Malchuth*; & huc pertinet illud: Ruth. 3. 13. *Si redemerit* „ *te*, *bonum*, sicut dicitur: *Elevate Justum*, *quia bonus*. Jesch. 3. 10. *Si noluerit redimere te*, *si vires desunt*, & „ *redimam te Ego*, *Binah*, ut dictum „ suo loco: ita tradit R. Schimeon ben „ Jochai in Tikkunim. Et rursum alibi. „ אם אמא *Mater*. 1. Duæ sunt Matres, superior & inferior. Superior est „ *Binah*, quæ influxum accipit a Patre, „ qui est *Chocmah*; eumque derivat ad „ inferiora. Et ex ipsa emanarunt omnes „ Sephiræ inferiores; quæ in ea quoque „ existentiam acceperunt, sicut embryo „ formatur in utero matris suæ; prout „ explicuimus Tractat. 22. cap. 3. libri „ Pardes.

XXXI. Simul ac vero Irenæus de hac *Redemtione* Cabbalistica agere cœperat; e vestigio ad alias vocis significationes delabitur, & de *Metonymica* & *Propria Redemtione* agere incipit, §. 2. & seq. De *Redemtione proprie dicta* illa accipienda sunt, quæ §. 5. 6. 7. 8. 9. 10. narrantur, ubi de satisfactione Christi agitur, per quam vere redemti & Patri reconciliati sumus, quam Paulus ubique inculcat.

XXXII. *Metonymice* vero vox *Redemtionis*, accipienda est. §. 2. (quatenus ibi sub ὅταν & αὐτὴν intelligitur) 3. item, 15. 16. ubi nihil nisi solennem formulam notat, qua *Redemtionem* illam, quam Christus pepererit, confitentur. Quemadmodum enim Judæi formulam illam, qua Deum גואל ישראל *Redemtorem Israelis* profitentur atque celebrant, גאולה *Redemtionem* appellant, uti in superioribus ostendimus; ita hi homines similem formulam, qua Jesum Nazarenum *Redemtorem* suum profitentur, pariter *Redemtionem* vocarunt, per Metonymiam, quam dicimus, subjecti pro adjuncto. גאולה vel פורקנא *Redemtio*, id est, *confessio*, vel *formula confessionis* de *Jesu Christo Redemtore*.

XXXIII. Etsi autem hanc metonymicam significationem *Redemtionis* cuivis attendenti per se manifestam esse arbitramur, tamen, quoniam de illa maxime agere instituimus, paulo clarius probanda erit. Id quod hac ratione confici posse putamus, si observemus, num. 2. illam *inconstantem atque instabilem dici*, addita ratione, *quoniam ab unoquoque pro suo nutu ac voluntate tradatur*. Cum (Num. 3.) *quot sint illius dogmatis ac Mysteriorum Antistites*, *totidem* & *Redemtiones esse dicant*. Quod *Redemtioni Cabbalisticæ*, sive tertiæ illi Sephiræ, minime convenit, quæ procul dubio ab omnibus eadem agnita fuit; sed *formulæ confessionis* optimæ quadrat, quam alii aliis verbis conceperint atque pronunciarint, etsi rem eandem omnes dicebant. Nempe ita olim moris erat apud Judæos, ut qui Scholis vel Synagogis præerant, alii alias precum formulas auditoribus suis dictarent, quas quotidie certisve occasionibus recitarent. quemadmodum apud Cl. Lightfootum videri potest, ad Matt. VI. 9. Quorum consuetudinem cum hi Marcosii, quippe Judæi vel certe Judaizantes, usque retinerent, Doctores ipsorum suo jure usi sunt, & pro suo quisque captu formulam quandam adornarunt. Haud secus atque hodie Ecclesiæ Protestantes, quæ in summa rei per omnia conveniunt, tot & tam varias concinnarunt *fidei suæ Confessiones*, ut inde tandem integrum *Syntagma Confessionum* sit enatum.

XXXIV. Ecquid vero evidentius ad hunc significatum probandum desiderari possit eo, quod Irenæus, postquam Num. 12. 13. 14. formulas quasdam, partim vernaculo, partim barbaro sermone recitarat, tandem commate 15. subjicit: Ἄλλοι δὲ πάλιν τὴν λύτρωσιν ἐπιλέγουσιν οὕτως; *Quidam vero ita* REDEMTIONEM *concipiunt*; ac mox ipsam formulam subjicit? Qua finita sic rursum, ὄνομα, inquit, τὸ τῆς ἀποκαταστάσεως *Nomen restitutionis*. Adeo ut per *Redemptionem*, quam *hoc illove modo edisserunt*, nihil nisi formula intelligi possit, qua fidem suam de *Redemtione*, vel *Redemtore*, profiteantur.

XXXV. Sed quid hic illud ὄνομα τὸ τῆς ἀποκαταστάσεως, Μεσσία &c. *Nomen restitutionis*, *Messia* &c.? Procul dubio neque hic aliud significatur, quam *formula restitutionis*, id est *redemtionis*. Ut enim verba hæc sensum aliquem habeant, interpunctio primo mutanda est, deinde vero etiam scribendum, Ὀνόματα τὰ τῆς ἀποκ. Itaque hæc genuina lectio sit: . . . εἰς λύτρωσιν Ἀγγελικήν. Ὀνόματα τὰ τῆς ἀποκαταστάσεως: ut hæc postrema verba titulum nobis exhibeant se-

quentis formulæ, Μεσσια &c. Atque hæc nostra emendatio ex Num. 13. confirmatur, ubi de altera illa formula Hebraica sic ait: ἄλλοι δὲ Εβραϊκά τινα ὀνόματα ἐπιλέγουσι, *Alii Hebraica quædam nomina adjiciunt*, id est, vocabula, verba ita & hic: Ὀνόματα τὰ τῆς ἀποκαταστάσεως: *Verba*, formula, *restitutionis*, i. e. *Redemtionis*: cum גאולה, *liberatio* vel *redemtio*, nihil aliud sit, nisi restitutio in integrum, vel pristinum statum libertatis. Lev. xxv. *Et si cui non sit* גואל *Vindex*, *Redemtor*, *sed manus ejus lucretur*, *atque inveniat*, *quod sufficiat ad sui Redemtionem*, debitum reliquum persolvat, ושב לאחזתו & *redeat ad possessionem suam*. Quomodo in sequentibus sæpius legitur, inprimis de anno Jubilæo, vs. 28. & 40. & *redibit ad familiam suam*, & *ad possessionem avitam rursum perveniet*. Nam annus Jubilæus & homines obæratos & agros venditos redimebat.

XXXVI. Sed & alia *Redemtionis* significatio Num. 21. occurrere videatur, quando Irenæus *unctionem cum solennibus illis carminibus* conjunctam, *Redemtionem* vocari narrat. Quæ itidem metonymica esset, voce signi adhibita pro re signata. Nisi ita potius existimare debeamus, in illo ritu non tam rem ipsam, quam additas formulas, *Redemtionis* nomine venire. Sed quoquo modo sese id habeat, satis jam liquere arbitramur, varias ejusdem vocis significationes ab Irenæo in superioribus perperam conjungi atque confundi. Quibus indicatis atque distinctis, *occasionem* spectare licebit, qua Marcosii illa formula usi sint.

XXXVII. *Occasionem* itaque formulam hanc recitandi Irenæus initiationem facit, quando novi proselyti in societatem sectæ illius non sine certis ritibus recipiebantur; quemadmodum ex Num. 11. & sequentibus abunde liquet. Ubi vehementer vereor, ne Irenæus sibi rursus ab iis, a quibus hanc historiam accepit, suaviter imponi passus sit, vel ipse res toto genere diversas confuderit, quando ad initiationem peragendam *thalamum aliquem constructum*, illumque *spirituales nuptias vocatam*, narrat. Quemadmodum mox ostendemus.

XXXVIII. Rectius illud esse arbitramur, & ut certissimam veritatem recipimus, quod Num. 12. proselytos illorum *ad aquam perductos* & certis formulis *tinctos* scribit, quarum, quæ nobis præ manibus est, una fuerit, Num. 16. Ita nempe solebant primi Christianismi præcones novos proselytos initiare; *baptismo*, inquam, & *confessione* illa, *Jesum esse Christum*. Ita Petrus Judæis proselytisque aditum ad Ecclesiam aperiens: *Resipiscite*, inquit, ET BAPTIZETUR *quisque vestrum in nomine* JESU CHRISTI, *in remissionem peccatorum*. Act. 11. 13. Neque aliter Philippus, Eunuchum Reginæ Candaces in Christianam Ecclesiam recepturus. Cum enim illi *Jesum* prædicasset, & hic *baptizari* vellet, fidei confessionem ab illo exegit, quam is hoc modo breviter concepit atque elocutus est: *Credo Jesum Christum esse Filium Dei*. Quam rationem quin & cæteri Apostoli inter Judæos constanter servarint, doctrina illorum nos dubitare non finit, qui id usque inculcarunt, *Jesum Nazarenum esse Christum*; in quam rem supra §. 25. loca quædam produximus, quibus alia complura addi possent, si id operæ esse putaremus.

XXXIX. Atque sic usum horum verborum tandem constare arbitramur, qui sc. is fuerit, ut iis Competentes, qui Latinis dicebantur, ante baptismum fidem suam rite & solenniter profiterentur. Nam quod Irenæus ait, hæc barbara verba *ab Antistitibus prolata esse*, mirum ni in eo insignem suam confusionem rursus prodat; cum ea quæ *ab initiando proferri* ait, *Confirmatus sum & redemtus &c.* nihil nisi ipsissima illa verba nobis exhibeant, sed parum feliciter lecta & reddita. Etsi libenter fieri potuisse concedimus, ut eadem formula ab Antistibus conceptis verbis sit prælecta baptizandis, & ab his mox eodem modo repetenda. Si quis vero hanc formulam ab ipsis Apostolis, virisve Apostolicis, institutam credere velit, næ is haud longe a vero aberrasse censendus erit. Illiusmodi certe est, ut per omnia & doctrinæ & praxi Apostolorum conveniat, & minimum ex ipsis Apostolorum scriptis congesta, & totidem illorum verbis sit concepta.

XL. Neque enim de nihilo est, quod homines illi Num. 10. hanc suam *Redemtionem*, quam ipsi *per Christum* docebant, quamque illis verbis profitebantur, eandem esse contendunt, *quam Paulus toties commemorarit*.

XLI. Quod etsi nemo, nisi primorum elementorum fidei Christianæ omnino rudis, ignorare potest: non possumus tamen, quin unum locum adscribamus, qui cum cætera pleraque nobis exhibeat, tum illud explicet, quid sit *in nomine* JAO. Is ex Gal. 1. 3. 4. ubi Apostolus Galatis salutem precatur a Deo Patre, & *a Domino nostro Jesu Christo*, *qui dedit semet ipsum pro peccatis nostris*, *ut liberaret nos ex hoc præsenti seculo malo*, *se-*

secundum voluntatem Dei & Patris nostri. Hic *Jezum* Nazarenum dicit & & *Messiam* & *Dominum nostrum*, qui vindiciarum jure sibi hunc titulum acquisiverit, quando nos *liberavit ex hoc præsenti malo seculo*, idque lytro animæ suæ, cum *semet ipsum tradiderit pro peccatis nostris*, (Syriace דיהב נפשה *qui tradidit animam suam*) atque id omne *secundum voluntatem Dei* & *Patris nostri*, quod illi homines Syriace expresserunt בשמה דיהוה *in nomine* JAO, quemadmodum ipse Servator alibi se non *in proprio nomine*, propria auctoritate, sed in *nomine Patris venire*, *ejusdemque nomine se suos servare* ait, Joh. v. 43. & XVII. 12. quod procul dubio nihil aliud est, nisi jussu & voluntate Patris sui, qui *illum* ab æterno ἱλαστήριον *destinarat* Rom. III. 25. Sed desino, ne soli lampada accendere velle videar.

XLII. Sit itaque hoc tandem ratum & firmum, Marcosios aliosque, qui ab Irenæo, Epiphanio, cæterisque Patribus hæretici habebantur, in baptismo proselytorum suorum formulam, de qua agimus, adhibuisse, qua præclaram confessnem, de Jesu Christo & Redemtore suo, edebant. Sed quid ad illam confessionem cæteri, qui baptismo illi tanquam testes vel saltem spectatores aderant? *Pax*, inquiunt, *omnibus super quibus nomen istud requiescit*. Hac scilicet, vel simili formula, neophytis gratulabantur, & quod factum erat, Deum approbare jubebant. Sed iterum vereor, ut hæc formula integra sit, neque duæ voculæ exciderint, quemadmodum, si quis Judæorum mores conferat, liquebit. Quippe hi, quando sibi allisve bene precantur, simul mentionem faciunt totius Israelis. Ita qui ad ægrotum invisit: המקום ירחם עליך בתוך הולי ישראל. *Misereatur*, inquit, *Deus tui in medio ægrotantium Israelis*. Cujus vero cognatus aliquis mortuus est, ita Deum precatur: יהי רצון מלפניך יהוה אלהינו שתבדור את פרוצותינו ופרוצות כל עמך ישראל ברחמים *Placeat tibi, Domine Deus noster, gratiose instaurare rupturas nostras, & rupturas totius populi tui Israelis*. In formula publicarum precum pro eo, qui eleemosynas dedit pro defuncto: *Impleat precationes ejus & cordis nostri, in bonum, germinare faciat ipsi, & nobis, salutem brevi!* In ultima *Schmon'esre*, sive octodecim precum: שים שלום טובה וברכה חיים חן וחסר ורחמים עלינו ועל כל ישראל עמך. *Da pacem, bonum, & benedictionem, vitam, gratiam, & benignitatem atque misericordiam, nobis & toti Israeli populo tuo*. Mox rursum: וטוב יהיה בעיניך לברכנו ולברך את עמך ישראל ברב עז ושלום. *Placeat tibi benedicere nobis & populo tuo Israeli robore & pace multa*. Et denique עושה שלום במרומו הוא יעשה שלום עלינו ועל כל ישראל אמן *Qui facit pacem in excelsis suis, idem faciat pacem super nos & super omnem Israelem, Amen*. Post consecrationem lunæ סימן טוב לנו ולכל ישראל *Faustum omen sit nobis, & toti Israeli*. Quando porro alter ad alterum conversus ait: שלום עליכם *Pax vobis*: alii respondent עליכם שלום שלום על ישראל *Pax quoque vobis, & toti Israeli: Amen*. Judæi Germani pridie expiationis, de gallo gallinaceo: *Hic sit expiatio pro me, huic gallo mors afferatur; mihi vero & toti Israeli vita fortunata. Amen*. Videatur Synagoga Buxt. pag. 467. 509. &c.

XLIII. Neque hunc morem Paulus refugit. 2. Tim. IV. 8. *Cæterum reposita mihi est corona justitiæ, quam conferet mihi Dominus in illo die, justus ille judex, non sum vero* MIHI *sed &* OMNIBUS QUI APPARITIONEM EJUS DILIGUNT. Imprimis vero Gal. VI. 16. ubi diserte quoque *Israelis* mentionem facit: *Et quotquot secundum hunc canonem incedunt, pax illis & misericordia &* ISRAELI DEI. Commate antecedente dixerat, ad id ut aliquis Christi sit, neque circumcisionem quicquam conferre, neque præputium, sed tantum regenerationem, sive *novam creaturam*. Et quoniam quæstio erat, an Galatæ gentiles circumcidendi essent, ut Christi participes fierent; quod Apostolus per totam Epistolam serio & solide refutarat: his sufficere ait, si regeniti essent, & ex lege & regula regenerationis viverent; sic enim pacem illis fore apud Deum per Christum, & misericordiam, etsi circumcisi non essent. Ne quis vero inde sequius quiddam de Israelitis, animove Apostoli in illos suspicaretur, quoniam circumcisi essent, addit: *& super Israelem*, proprie dictum, circumcisum illum & a Gentibus præputiatis distinctum. Cum vero omnes non essent Israel, qui quidem ex Israele erant, neque quoniam semen Abrahæ erant, omnes etiam filii; imo jam tunc temporis Israel maximam partem incredulus esset, & Evangelium Christi repudiasset: ne quis Apostolum justo liberaliorem crederet, & Israelitis, quatenus Israelitis, pacem illam Dei & salutem æternam vel promittere vel precari, prudenter addit, & super *Israelem Dei*; qui non tantum extrinsecus in aperto Judæus est vel Israel, sed & intus atque in occulto.

XLIV. Hunc itaque Judæorum Apostolique morem cum hi homines quoque imi-

imitarentur, quod quidem ex formula illa, quemadmodum nunc quoque legitur, vero ſimile videatur; quotuſquiſque non videat atque intelligat, qui hoc modo novo proſelyto acclamabant, primum ipſi bene precatos fuiſſe, deinde reliquis omnibus, quotquot eundem Jeſum Nazarenum Meſſiam ſuum & Redemtorem profiterentur? Quare ſic ab Irenæo ſcriptum, vel certe ſcribendum fuiſſe, arbitramur: Εἰρήνη σοι, καὶ πᾶσιν, ἐφ' οὓς τὸ ὄνομα τοῦτο ἐπαναπαύεται. *Pax* TIBI, ET OMNIBUS, *in quibus nomen iſtud requieſcit*.

XLV. Quinam vero illi, *in quibus nomen iſtud requieſcit*? Procul dubio illos intelligunt, qui *nomen Jeſu Nazareni Meſſiæ & Redemtoris* confitentur. At phraſeos rationem indaganti, non occurrit, in quo animus acquieſcat. Nullus equidem ignoro, quid ſit *nomen alicujus in* vel *ſuper aliquo vocari*: quemadmodum in illo Patriarchæ Gen. XLVIII. 16. ויקרא בהם שמי *& vocabitur in illis nomen meum*; neque, Judæos de Proſelytis dicere הכנס תחת כנפי השכינה *ſubire alas Majeſtatis*, (vel *inhabitationis*) *divinæ*; neque illud eorundem, רוח דנבואה שורה עליו *Spiritus Prophetiæ requieſcit ſuper illo*. Sed in ſingulis eſt, quod a præſenti formula recedat. Quid ſi vero pro Ὄνομα legamus Πνεῦμα? mutatio ſane facilis eſt, & eſſe poſſit τὸ πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, *Spiritus ille, qui confitetur Jeſum Meſſiam jam veniſſe in carne*, I. Joh. IV. 2. 3. quæ eſt ipſiſſima confeſſio baptizatorum hic loci. Quid ſi vero pro ἐπαναπαύεται legatur ἐπονομάζεται? Sed lubens ἐπέχω, donec certiora edoctus ſim; cum res ipſa clara videatur.

XLVI. Cum vero hæ formulæ in baptiſmo adhiberi ſint ſolitæ, quorſum *thalamus* ille, quem Irenæus ad *initiationem* ſtructum memorat? Niſi nos omnis ratio fugit, nihil hic thalamo nuptiali, nihil ipſi nuptiis relictum eſt loci, ſed *lectum ægrotantium* ab Irenæo dictum oportebat, quem cum *thalamo* perperam confundit. Auctor nobis ipſe Epiphanius, qui in Hæreſi Heracleonitarum Cap. II. hanc ipſam *Lecti* & *Redemtionis* hiſtoriam multo aliter tradit. *Sed amplius quiddam, quam ſuperiores omnes, in opinione ſua poſuit. Etenim qui ex eorum grege morituri ſunt, occaſionem nactus a Marco, non eodem tamen quo iſte modo redimit: ſed aliam quandam ejuſmodi in ſalutem vendicandi rationem obſervat. Sunt enim ex ipſis aliqui, qui oleum aqua temperatum capiti morientis adſpergunt; Unguentum alii, quod opobalſamum vocant, & aquam: invocatione quidem eadem utuntur, quam & Marcum adhibuiſſe docuimus, pauciſſimis vocabulis adjunctis. Ea porro eſt hujuſmodi: Meſia, Uphar, Egnamempſæ, &c.*

XLVII. Ubi dubium eſſe non poteſt, quin Epiphanius eundem omnino ritum ediſſerat, de quo Irenæus agit: ſiquidem Heracleonem rationem illam a Marco mutuatum aſſerit, cujus hiſtoriam Irenæus narrat. Accedunt circumſtantiæ, *opobalſalmum*, *aqua*, *mixtio*, *inunctio*, *formula* denique ipſa, & *nomen* ritus *Redemtio*; omnia eadem. Neque vero diverſitatem arguit, quod Epiphanius *Heracleonem alio modo atque Marcum redimere* ait, id eſt certum ritum, in quo formula illa de *Jeſu Redemtore* locum habebat, adminiſtrare: cum eandem omnino hic atque in ſuperioribus formulam recenſeat, & forte hic loci alio auctore uſus ſit, qui rem paulo diſtinctius quam Irenæus tradiderit.

XLVIII. At quorſum, inquies, illa *in lecto Redemtio*? & quid Redemtioni cum opobalſamo, aqua, unctione? Id noſtram vicem Jacobus explicet, Epiſt. ad Hebræos Cap. V. 14. 15. *Si quis inter vos ægrotet, arceſſat Seniores Eccleſiæ; & orent pro illo, ungentes illum oleo in nomine Domini. Et preces cum fide conjunctæ ſervabunt ægrum, & Dominus illum ſuſcitabit. Et ſi peccata commiſerit, venia illi dabitur*. Viden hic ægrum? viden lectum? (neque enim, credo, Jacobus hic tribulibus ſuis auctor erit, ut illico in leviſſimo morbo, ob dentis capitiſve aliquem dolorem, Archiſynagogis moleſti ſint; ſed in gravi & periculoſo malo id illis conſilii ſuggerit, quando æger eſt מוטל במטה, uti Hebræi loquuntur, βεβλημένος, *in lectum dejectus*,) Viden, inquam, oleum ejuſque inunctionem, & quidem præſentibus Presbyteris Eccleſiæ, qui preces pro ægroto fundant, ſed *preces fidei*, id eſt cum fide conjunctas? At quem illa fides reſpexerit? quem niſi *Dominum*? *Deum*, inquam, *& Dominum* Jeſum *Chriſtum*, cujus ſe Jacobus ſervum profitetur Cap. I. I.

XLIX. Ovum itaque ovo ſimilius eſſe non poteſt, quam Heracleonitarum, & hinc etiam Marcoſiorum praxis, præcepto Jacobi. Si quis graviter inter ipſos decumbat, ad medicinæ uſum confugiunt, oleum vel opobalſamum aqua miſcent, (imo vero & aliis multis procul dubio, ſi uſus ſit) eoque ægri caput, ſi non & cætera membra, inungunt. Id tamen ita faciunt, ut oſtendant, ſe omnem hujus medicinæ virtutem atque efficaca-

ficaciam ſolum atque unice a Deo petere atque exſpectare. Adeſt Marcus, Heracleo, vel alius quivis illorum Senior vel Archiſynagogus, qui preces præeat, & ægrum ſpem omnem fiduciamque in Jeſu Chriſto collocare jubeat, in cujus nomine ſit ſanandus. Itaque illum & confiteri jubet, non illam Romanenſibus uſitatam confeſſionem auricularem, ſed Apoſtolicam planeque divinam, quam vel ipſe iterum Jobus ſtylo ferreo rupi vel marmori incidi velit: JESUS NAZARENUS EST MESSIAS ET REDEMTOR MEUS MEUS &c. A qua tandem inſigni confeſſione Chriſti *Redemtoris*, tota illa actio *Redemtio* appellatur.

L. Ergo occaſione morbi quoque, & adverſus illum adhibendæ medicinæ, hæc formula ab illis hominibus uſurpata fuerit. Cujus rei ratio melius conſtare poterit, ſi illius temporis hiſtoriam memoria repetamus. Viguerat haud ita multo ante in Eccleſia Judæo-Chriſtiana donum miraculoſæ ſanationis. Epiphanius ſane de Menſuris, pag. 171. temporibus Aquilæ Pontici, qui Æliæ condendæ ab Hadriano præfectus erat, inter Chriſtianos Hieroſolymitanos, qui Pella redierant, miracula viguiſſe narrat, quibus ipſe Aquila motus nomen dederit religioni Chriſtianæ. Quod ut Chriſtianiſmo inſigni ornamento erat, & ad incrementum ejus mirifice faciebat; ita incredulos Judæos vehementer urebat, qui vel mori ſatius ducebant, quam in nomine Jeſu Nazareni ſanari. Memorabile hujus rei exemplum occurrit Cod. Abhoda Zara, f. 27. 2. de R. Iſmaele, vetante aliquem ſanari in nomine Jeſu. מעשה כבן דמא בן אחותו של ר' ישמעאל שהכישו נחש ובא יעקב איש כפר שכניא לרפואתו ולא הניחו ר' ישמעאל ואמר לו רבי ישמעאל אחי הנח לו וארפא ממנו ואני אביא מקרא מן התורה שהוא מותר ולא הספיק לגמור את הרבר ער שיצאתה נשמתו ומת *Examplo eſt B. Dama, Fil. Sororis R. Iſmaelis. Hunc cum aliquando ſerpens momordiſſet, & Jacobus Sicanienſis* (R. Sal. מתלמידי ישו *ex Diſcipulis Jeſu*) *illum ſanatum iret, R. Iſmael illum impedivit. Cui ille: Avuncule mi R. Iſmael, ſine illum, & ſaner ab illo, quod licitum eſſe textu Sacræ Scripturæ probabo. Sed vix ita fatus erat, miſeri cum vita per auras Conceſſit mœſta ad manes, corpuſque reliquit.* R. Abraham Salmanticenſis pag. 41. 1. pr. Jacobum non tantum *Diſcipulum Jeſu* vocat, ſed *& in nomine Jeſu* narrat voluiſſe ſanare . . . ובא יעקב תלמיד לרפואתו בשם *Et venit Jacob Diſcipulus . . . ſanatum illum in nomine* .... Ubi cum ſuo Meſſiam noſtrum nomine appellare nollet, ſive auctor ſive Typographus, male vero dicere non auderet, lacunam reliquit, a quovis pro ſuo genio implendam. Inſignis ſane hiſtoria, & præclarum veritatis Evangelicæ teſtimonium ab ipſis Judæis dictum. Unde facile eſt conjicere, quo magis increduli Judæi nomen *Jeſu Nazareni* deteſtati ſint, eo frequentius Judæos Chriſtianos illud uſurpaſſe, & formula illa cum alias, tum in morbis eorumque curatione inſtituenda, veluti teſſera quadam Chriſtianiſmi ſui uſos eſſe.

LI. Enim vero Epiphanius, quicquid fuit illius ritus, longe alio ſpectaſſe tradit. *Atque hæc quidem*, inquit, *eo conſilio faciunt, ut qui ſub exitum vitæ talibus comprecationibus inſtructi fuerint cum aqua & oleo ſive unguento commiſtis, a ſuperioribus Principatibus & poteſtatibus coerceri viderique nequeant: atque ut interior eorum homo ſurſum poſſit a nemine conſpectus evadere.* Hæc, atque inprimis quæ ſequuntur, Cabbaliſtice dicta ſunt, quæ ſi ſimpliciter efferenda ſint, hoc volunt: Qui ita redemti ſint, ſive qui hanc confeſſionem firmiter retineant, ὅσοι ταύτην τὴν ὁμολογίαν, ἢ τὴν παρρησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατέχωσιν, illis portas inferni non prævalituras, illis mortem ſecundam non eſſe dominatnram; & quæ ſunt id genus aliæ phraſes Chriſto & Apoſtolis uſitatæ. Atque de eo quis dubitet? *Eſto fidelis, conſtans, uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ æternæ.* Apoc. II. 10. 2. Tim. IV. &c.

LII. Nimirum cum quotidianus rerum uſus docuiſſet quoſdam, qui Jeſu Nazareno ſacramentum dixerant, vel gravibus perſecutionibus victos, vel animi quadam levitate a fide tandem vel in ipſo mortis articulo defeciſſe: ſatis non habuerunt, recipiendos in ſocietatem ſuam doctrina de *Jeſu Meſſia & Redemtore* imbuere, ſed & in morbis, in ultimo inprimis agone, illam formulam uſque inculcarunt, & confeſſionem illam ab iis exegerunt, qua veluti extrema anchora niti debebant, adeo ut ex formula rurſus Catecheſeos Heidelbergenſis, *hæc unica illorum conſolatio fuerit in* VITA PARITER ET IN MORTE, *quod non ſui, ſed fidiſſimi ſui* SERVATORIS JESU CHRISTI *proprii eſſent, &c.*

LIII. Majorem vero lucem hæc formula accipiet, ſi illam addamus, quam increduli Judæi adhibere ſolent, vulgo זירוי לצכיב ודרע dictam, ſive *confeſſionem ægroti*, quæ ita habet: מורה אם לפניך

לפניך יהוה אל הי ואלהי אבותי נרקיאתי בידיך ומיתתי בידיך יהי רצון מלפניך שתרפאני ברפיאה שלמה ואם אמות תהא מיתתי כפרה על כל חטאים ועונות ופשעים שחטאתי ושעויתי ושפשעתי לפניך ותן חלקי בגן עדן וזכרי לעולם הבא הצפון לצדיקים ותודיעני אורח חיים שובע שמחות לפניך מימינך נצח ברוך אתה יהוה שומע תפלה . *Confiteor tibi Domine Deus mi, & Deus Patrum meorum, & sanationem & mortem meam in tua manu esse. Placeat tibi me integræ valetudini restituere. Sin vero mihi moriendum erit; sit mors mea expiatio omnium peccatorum, iniquitatum & prævaricationum, quibus peccavi, inique egi & prævaricatus sum coram te, & da portionem meam in Paradiso; & memento mei in seculo Futuro, quod absconditum est justis; & doce me viam vitæ satietatem gaudiorum coram facie tua ad dextram tuam in æternum. Benedictus sis tu, Domine, qui exaudis preces.* Hinc me tacente quivis facile intelligit, quam infida sit extrema illa miserorum Judæorum anchora, qui cum se Deo reos agnoscant & confiteantur, ab eo ipso, quod Deus reatus humani suæque justitiæ argumentum esse voluit, in extremo vitæ articulo solatium petunt. Quanto itaque melius hi homines, qui Jesum Nazarenum, quem Deus O. M. ipse ἱλαστήριον, *victimam piacularem* constituit, ἱλασμὸν pro peccatis suis agnoscebant & apprehendebant, & hac firmissima anchora vel in ipso extremo agone nitebantur, quod *J. N. illos animæ suæ lytro cum Deo reconciliasset*. Unde vero non absimile videatur, primos illos ex Judaismo, Christianos, hac formula in periculosis quoque morbis usos fuisse, in oppositione ad pravam illam & miseram reliquorum incredulorum Judæorum fidem.

LIV. Quod vero Epiphanius de *unctione* eundem in finem adhibita addit, pro more suo facit, ut distincta confundat; Unctio a Jacobo commendata ad valetudinem restituendam faciebat, preces vero illi jungendæ ad beneficium illud a Deo summo archiatro impetrandum: non tantum vero eo, sed & ad obtinendam remissionem peccatorum. Ita ergo hi homines unctionem illam ad corporis curationem adhibuerunt, preces vero & confessionem illam Redemtionis non eo tantum, sed & ad fidei constantiam testandam vitamque æternam per Christum redemtorem suum obtinendam.

LV. Atque hæc de formula isthac ejusque usu dicta sufficiant. Sequitur ut alteram quoque excutiamus; quam ut Irenæus & Epiphanius priori loco memorant, ita nos quoque illam libenter præmisissemus, nisi majorem in illa difficultatem offendissemus, quæ tanta nobis semper visa est, & etiamnum videtur, ut priusquam nova subsidia ex antiquioribus melioribusque codicibus suppetant, si unquam suppetere possint, rem plane confici posse desperemus. Tametsi enim variarum lectionum, quæ supersunt, collatione, & linguæ Syriacæ subsidio, singula forte verba restitui & explicari posse videantur: tamen cum in Syriacis verba quædam desiderentur, & versio subjecta longe ineptissima sit, non est, quod commodum atque integrum sensum ex illis elici posse speremus. Faciemus tamen quod possumus, si vel sic ex fragmentis illis, veluti stricturis quibusdam, aliquid saltem lucis affulgere possit.

LVI. Verba ipsa apud veterem Latinum Irenæi interpretem, Epiphanium, & Nicetam, quemadmodum quidem Petavius in notis ad Hæresin Marcosiorum illa ex hoc citat, sic sese habent:

Iren.	Basyma, Ea	Cabasa,	Eanaa, Irra-	urista,
Epiph.	Βαστημα,	Χαμοσση,	Βααιασορα	Μιστα-
Nic.	. . . . .	Camosi,	Bae, An oora,	Mysta-
Iren.	Diarbada,	Caeotaba,	Fobor,	Camelanthi.
Epiph.	δια, Ρυαδα,	Κυστα, Βα-	βο- φορ,	Καλαχθει.
Nic.	δα', Rhuda,	Custaba,	Phogor,	Calathi.

LVII. *Horum autem* (verba sant Interpretis Irenæi) *interpretatio est talis: Hoc quod est super omnem virtutem invoco, quod vocatur Lumen, & Spiritus, & Vita, quoniam in corpore renasci*. Quod Irenæus ipse Græce sic scripserat: Τούτων δὲ ἡ ἑρμηνεία ἐστι τοιαύτη: Ὑπὲρ πᾶσαν δύναμιν τοῦ πατρὸς ἐπικαλοῦμαι φῶς ὀνομαζόμενον, καὶ πνεῦμα ἀγαθὸν, καὶ ζωὴ, ὅτι ἐν σώματι ἐβασίλευσας. Ex his autem Græcis Irenæi verbis facile intelligitur, excidisse in versione Latina voces *Patris* & *bonus*, & pro *renasci* scribendum esse *regnasti*.

LVIII. Sed ecce tibi & alteram horum verborum versionem. *Alii autem rursum Redemtionem profantur sic: Nomen quod absconditum est ab universa* Dei-

Deitate & dominatione & veritate, quod *induit Jesus Nazarenus in Zonis luminis*, *Christus Dominus viventis per Spiritum Sanctum in Redemtionem Angelicam*. Græce hoc modo scripserat Irenæus: Ἄλλοι δὲ πάλιν τὴν λύτρωσιν ἐπιλέγουσιν οὕτως, Τὸ ὄνομα τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ πάσης θεότητος καὶ κυριότητος καὶ ἀληθείας, ὃ ἐνεδύσατο Ἰησοῦς, ὁ Ναζαρηνὸς ἐν ταῖς ζώναις τοῦ φωτὸς τοῦ Χριστοῦ ζῶντος διὰ πνεύματος ἁγίου εἰς λύτρωσιν ἀγγελικήν. Non enim esse hanc aliam formulam, sed aliam tantum, & aliquanto etiam meliorem versionem verborum illorum Syriacorum, collatio utrorumque ostendet.

Basyma, Βασεμα) Vox nota & facilis, *in nomine*, Syr. בשמא βασμα. Sed hic pro Schevate quiescente, in Græco ε, in Latino y insertum est, facilioris pronunciationis causa. Legi etiam posset absolute *Basym*, בשום, τῷ A ad sequentem aliquam vocem rejecto.

Ea Cabasa Χαμοσση, *Camosi*) Irenæi interpres hic voculam *Ea* habet, quam Epiph. & Nic. plane non agnoscunt. Illa si genuina esset, videri posset ex nomine JAO corrupta esse, quemadmodum in superioribus vidimus *Daea* scriptum pro ריהוה, sic legi posset בשים יהוה *Basim* JAO *in nomine Domini*. Sed cum neque Epiphanius illam habeat, neque Nicetas, & lectio apud Irenæum corruptissima sit; non est cur de illa admodum laboremus, etsi fieri possit, ut alicubi reliquis duabus sit præferenda. Quemadmodum in sequenti *Cabasa*, ubi dubium non est, quin ex similitudine literarum β & μ apud Græcos, in alterutra lectione vitium ortum sit. Si *Cabasa* melius sit, a כבס ortum videri possit quod *lotionem* significat, quæ notio inprimis locum habere possit in baptismo: Sin vero *Camosi*, vel χαμοσση magis placeat, a כמס derivari poterit, quod Deut. XXXII. 34. occurrit χαμυσ, *absconditum*: & sic in posteriori versione aliquo modo respondebit, *Nomen quod absconditum est*. Sed & sic legi possit, *Basimac abasa*, βασεμαχ αβασι; & si lectionem Irenæi & Nicetæ conjungas, αβασια, pro αβα vel αββα ασια; quod Syris est בשמך אבא חסיא *in nomine tuo*, *Pater clementissime*; vel אבא אסיא, *o Pater*, *medice*. Sed illud prætulerim.

Eanaa, *irraurista*, Βαιαινορα, *Bae Anoora*) Apud Irenæum pessima lectio, ubi *Ba* deest ex *Baea* vel *Baæa*, & *Nora* mutatum est in *naa irra*, idque conjunctum tandem cum sequenti *urista* pro *mista*. Apud Epiphanium integrior lectio est, si recte dividas & legas βααιη vel βααιαι νορα, quod est Syriace בחיי נוהרא, & in versione ἐν ζωῇς φωτὸς, quod interpres Latinus jam olim legit ἐν ζώναις, & reddidit *in Zonis luminis*, nullo sensu, pro *in vita luminis*.

Irraurista, Μισαδια, *Mystada*) Hic in Irenæi versione, ut diximus, *Irra* ad præcedentem vocem referendum est, & tum pro *urista* legendum *mista*, quemadmodum in Græco Μισα, quomodo & apud Nicetam legendum per I vocalem, non Y. *Dia* vero vel *Da* ad vocem sequentem pertinet. Est autem illud Chaldæo-Syrum משחתא vel משחא; ubi cum ח Græcis ἄφωνον sit, scriptum est ab Irenæo Μισα, *oleum* vel *unctio*.

Diarbada Caeotaba; δια Ρουαδα, Κουστα; *da*, *Rhuada*, *Custaba*.) Modo ultimum *ba* apud Iren. & Nic. rejicias, sponte sua nascetur, Δι, vel Δαρυα δακουστα, quod est illud Syris receptissimum, דרוחא דקודשא *Spiritus sanctitatis*, id est *sancti*. Apud Irenæi interpretem primo U vocale per V consonum lectum est, *diarva*, tum *diarba*; apud reliquos קודשא κουδσα vel κουττα in κουστα mutatum. Sine ullo igitur scrupulo legere licebit, משחתא דרוחא דקודשא *unctio Spiritus Sancti*: nisi quis forte retinere malit κουστα, קושתא, *veritatis*, ut sit *Spiritus veritatis*. Sed nostram emendationem versiones juvant, quarum posterior totidem syllabis legit διὰ πνεύματος ἁγίου, *per Spiritum Sanctum*, prior vero, πνεῦμα ἀγαθὸν *Sp. bonum*; ἀγαθὸν corrupte, pro ἅγιον *Sanctum*.

Ba Fobor, *Camelanthi*: βαβοφορ Καλαχθει: *Ba Phogor Calathi*) Hic primo apud Irenæum in postrema voce *ch* in *n* mutatum est; deinde in Epiphanii & Nicetæ Codicibus *Me* vel *Ma* desideratur: denique *Ca*, vel Κα, ad priorem vocem est referendum & legendum *Baboforka Melachti*. Id utraque versio exigit, ἐν σώματι ἐβασίλευσας, *in corpore renasci*, lege *regnasti*; εἰς λύτρωσιν ἀγγελικήν, *in Redemtionem Angelicam*. Ubi qui vel mediocriter Hebraice norunt, facile observabunt, quo pacto ex affinitate pronunciationis vocum מלך vel potius מלכת & מלאך, duæ adeo diversæ versiones natæ sint. Sed quid alteri voci fiet? qui reddidit, *in corpore regnasti*, legit vel audivit potius, *basagrach*, vel *baphagracha*, cujus vocis vestigia apud Nicetam supersunt in *Baphogor*, G pro *B* lecto. Qui vero alteram versionem cudit, εἰς λύτρωσιν, is procul dubio audivit, *baforag*, vel simile quippiam, ut *basurkan*, etsi hoc ultimum longius a receptæ lectionis vestigiis abit.

LIX. Quod si itaque, quæ hactenus singula consideravimus, universa jungamus,

mus, ad genuinam lectionem nos quam proxime accessuros arbitramur, si hoc modo legamus: Βατεμαχ αβα ασια .... βααιαι (vel βααιη) νωρα ... μιςα δαρυα δακυδσα ... βαφαγραχ μελαχϑ, vel βαφοργαν μαλαχη. Quod Syriace erit: בשמך אבא חסיא .... בחיי נוהרא .... משחתא דרוחא בפורקן מלאכא דקודשא vel .... בפנרך מלכרת. Latine: *In nomine tuo benignissime Pater .... in vita lucis ..... Unctio Spiritus Sancti .... in corpore tuo regnasti*, vel *in Redemtione angelorum*. Ubi vox postrema etiam legi possit מלאיכתא ex Apoc. XII. 7.

LX. Quis vero tandem horum verborum sensus sit? Id equidem lubens fateor me juxta cum ignarissimis ignorare, quin imo de illo unquam eruendo prorsus desperare, ob lacunas manifestas, quæ nulla unquam arte, nullo ingenio poterunt repleri; nisi forte, quod perquam velim & magni merier, apud alium patrem eadem formula integrior occurrat. Defectus per se ipse magnus, tot seculorum lapsu irreparabilis evasisse videtur. Vetustissimam enim illam corruptionem esse, Epiphanii cum Irenæo consensus arguit, ut jam Epiphanii temporibus nihilo plus in Irenæi codicibus fuerit, quam nunc quoque in alterutro vel utroque legitur. Imo vero inde ab ipsius Irenæi manu hodierna lectio esse possit, qui vel non integram illam formulam acceperit, vel si acceperit, non satis feliciter atque integre barbara verba chartis mandarit.

LXI. Si cui vero nostram qualemcunque de hac formula conjecturam audire lubeat; sic habeto. Verba illa, *In nomine tuo, benignissime Pater*, arguere videntur, formulam hanc adhibitam esse, quando aliquid seriæ rei moliebantur, quam sine divini Numinis invocatione aggredi religio erat, Deinde *in vita lucis*, &, *unctio Spiritus Sancti*, specialius usum ejus ostendunt, eon tam, credo, in proselytis per baptismum initiandis, quam sanandis ægrotis. Huc utraque phrasis collineare videtur. אור *lux*, ut Latinis, ita & Hebræis sæpius *vitam* notat. Job. III. 3. *ut infantes, qui non viderunt lucem*. Unde *lux* & *vita* ut synonyma junguntur, Ibid. 20. *Quære dat defessis lucem? & vitam tristibus?* Inprimis cap. XXXIII. 30. *Ut reducas animam ejus e fovea, ut illuminetur luce vitæ*. Et Psal. CVI. 14. *Quoniam eripuisti animam meam ex morte, annon pedes meos a ruina, ut ambulem coram Deo in vita lucis?* Quæ duo loca ejus argumenti & styli sunt, ut hæc ipsa verba ad dictam occasionem perquam commode atque eleganter potuerint transferri. Siquidem istic quoque de gravissimis mortis periculis & liberatione ex illis agitur. Sive autem dicas *lucem vitæ*, sive *vitam lucis*, idem, credo, sensus erit.

LXII. Atque illud porro firmari videtur ex sequenti phrasi, *Unctio Spiritus Sancti*, quam tum verosimile est solitam adhiberi, quando aliquis oleo vel opobalsamo ungebatur. Non quo illos unctione istac sacramenti vicem usos putemus, quod Fevardentius velit; sed quod idem facerent, quod nostri hodieque sacrorum Antistites solent, qui quando publice pro ægrotis orant, non tantum corporis valetudinem restitui petunt, sed ea occasione usi altius adscendunt, & animam quoque Deo commendant, & ut illius morbis medeatur, meritum Christi applicet, Spiritum renovationis largiatur, & id genus alia, phrasibus ex præsenti occasione & argumento desumtis, orant. Ita sane & hos homines fecisse proclive est existimare, convenienter illi Jacobi monito de *precibus fidei*, quarum fructum facit præter corporis sanationem, etiam animæ salutem, *remissionem peccatorum*; ut hujus quoque aliorumque spiritualium beneficiorum in precibus illis fecerint mentionem.


LXIII. Restat iteque ultima phrasis, *in corpore regnasti*, vel *in Redemtionem Angelicam*. De qua, ut ingenue fateamur, vix occurrit, quid dicamus. Nisi id unum sit, ut quæ in distinctis Irenæi formulis, quas tamen minime distinctas arbitramur, occurrunt, conjungere, & ex duplici versione unam facere liceat, hoc vel simili modo: *Redemtione corporis tui reges* vel *regnare fecisti*, quod Syr. esset בפורקנא דפגרך אמלכת βαφορκανα δαφαγραχ αμλαχϑ. Sic enim jam in superioribus vidimus, Irenæum eorundem verborum duplicem versionem exhibere, eademque modo Antistiti, modo initiandis, tanquam diversa tribuere; atque item in ipsa formula Syriaca vidimus, si quando duo vocabula sono & significatione finitima concurrebant, eorum alterum ab Irenæo, vel certe jam ab antiquissimis librariis omissum esse. Similiter & hujus formulæ duplicem versionem Irenæus exhibet, cum utrobique *Pater*, *Lumen*, *Spiritus* ἀγαθὸς id est ἅγιος, *Sanctus*, & *Vita* occurrant; extrema vero ita differant, ut tamen liqueat, ex eodem fonte fluxisse. Cum igitur & hic פורקנא φοργανα, uti illi scribebant, vel φορογανα, & פגרך φαγραχ vel φογοραχ, & literis & sono similia occurrerent, eorum alterutrum omissum est, quo restituto aliquis sensus erui posset

בפורקנא

בפורקנא דפגרך אמלכת *Redemtione corporis tui constituisti Reges*. Sic Apoc. 1. 6. *Et fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo*; cui nos *reconciliavit corpore carnis suæ*. Col. 1. 21. 22. Aliud certe melius hactenus non occurrit.

LXIV. Sic itaque, pro eo atque institueramus, duas antiquissimas formulas, alteram integram, alteram per partes tantum, quas temporis injuria vel Irenæi diligentia nobis non invidit, lectioni suæ restituimus, & prioris sensum quoque commodum illum & homine Christiano dignum ostendimus'. In quo indagando atque eruendo dum & literarum vestigia, quæ tribus in locis supersunt, religiose sequimur; & subjectam ab ipso Irenæo qualemcunque versionem, & linguam Syriacam in consilium adhibemus; omnia denique cum consuetudine Judæorum & constanti Apostolorum praxi componimus. Nihil videmus quod adversus hanc nostram lectionem atque explicationem opponi possit, præter hoc unum; verosimile non videri, homines, qui ab Irenæo aliisque hæreseos sint damnati, tam præclaram confessionem de Christo Redemtore edidisse. Id quod nos a nostra sententia minime depellere potest; si quidem nobis tamen certum est, & omnes qui Syriace intelligunt fatebuntur, vocabula ita scripta & cum subjecta versione Irenæi diligenter collata, alium commodum sensum non admittere; imo si praxin & Judæorum & Apostolorum addas, hunc solum flagitare. Si cui vero Irenæi auctoritatem & versionem nobis objicere lubeat, iterum respondemus; Irenæum, cum linguæ Syriacæ ignarus esset, ab alio quoquam formulas Syriacas vertendas curasse, qui vel sciens volens illi imposuerit, vel ipse alterutrius linguæ non satis gnarus tam ineptas versiones cuderit. Ex eadem vero linguæ ignorantia cum ejusdem Irenæi judicium fluxit; barbara illa verba ad horrorem incutiendum adhibita esse: tum aliorum, maxime Fevardentii in notis ad h. l. carmina magica esse, ad dæmones evocandos apta nata, qui se etiam præsentes stiterint ad illorum recitationem & mira quædam perpetrarint. Tantum sc. linguarum ignorantia potuit suadere malorum.

LXV. Quod si igitur hæ formulæ Marcosiorum & Heracleonitarum propriæ fuerint, quod quidem Irenæus velle videtur, magno sane argumento sunt, quam præclare atque orthodoxe de *Jesu Redemtore* senserint, & quo jure hæreseos accusentur: Sin vero easdem statuere lubeat ex primitivæ Ecclesiæ Judæo-Christianæ praxi derivatas & mutuatas esse, quod nobis quidem vero similius videtur, sequetur, ipsos illos qui Græcis Latinisque hæretici dicti sunt atque habiti, antiqui moris & priscarum formularum tenaciores fuisse ipsis judicibus suis, a quibus tam inclementer accusati sunt & damnati. Sed quicquid sit, nobis dubium non est, quin Marcus & Heracleon Ebionitæ fuerint, id est ex Judæis Christiani, argumento & linguæ, quæ Cœles Syriæ est; & nominis, quod formulæ alteri impositum est, *Redemtionis*, נאולם; & denique methodi docendi Gabbalisticæ: Quæ omnia Judaicam originem produnt. Cæterum, si quis aliunde etiam specimen doctrinæ Heracleonitarum desideret, is velim Clementem Alexandrinum adeat, Strom. Lib. IV. pag. 502. edit. Heins. ubi contra Heracleonem de *Martyrio* seu *confessione coram magistratibus* disputat. De qua re uter illorum rectius sentiat atque loquatur, penes cordatum lectorem arbitrium esto.



PAULI SLEVOGTI
DISSERTATIO
DE
PROSELYTIS JUDÆORUM

Ad illustrandum locum. Matth. cap. 23. v. 15.

I. Cribas & Pharisæos Salvator noster apud *Matthæum* cap. 23. *v.* 15. his alloquitur verbis: *Væ vobis*, inquiens, *hypocrytæ, quia circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, &, quum fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ duplo magis, quam vos estis.* Quibus tria complectitur, quæ quum *Matthæus* non explicet, nisi aliunde cognoscantur, intelligi vix possunt. *Primo* enim non exponit, quinam proselytorum nomine sint intelligendi, &, quum eorum duo sint genera, de quo genere *Christus* loquatur? *Deinde*, quum *Pharisæi* facere dicantur Proselytos, id quoque non exprimit, quos & quo modo faciant, quod tamen scire, ad rem omnino pertinere videtur. *Denique* quum in *Pharisæis* singulare procul dubio peccatum notetur, id cujusmodi sit, non satis aperte positum esse, diversitas sententiarum ostendit. Ut itaque hæc patescant omnia, ex *Hebræis* & potissimum ex *Maimonide*, quæ huc faciunt & quantum erit opus, ita arcessemus, ut insuper etiam Lector totam de Proselytismo historiolam velut ob oculos positam, queat intueri.

II. Ac primo quidem Proselytus dicitur quasi προσελθὼν & in genere is est, qui vel domicilii vel Religionis causa, Judæis accessit. Vocatur ab *Hebræis* גר advena, a *Chaldæis* גיורא eodem sensu. Unde *Græcorum* γειώρας, per quod interpretantur Hebraic. גר Exod. 12. 19. & Esai. 14. v. 1. Idem itaque sunt ac æque late patent, *Hebræorum* גר in significatione, proselyti, *Chaldæorum* גיורא & *Hellenistarum*, quos vocant, προσήλυτος vel γειώρας. Etsi autem omnes proselyti unum commune nomen habent, non tamen una omnium ratio est. Alii enim ita ad Judæos accedunt, ut eorum quoque Religionem amplectantur, gentilismo vel etiam Christianismo abjecto. Et hi ab *Hebræis* dicuntur גרי צדק *Proselyti justitiæ*, idque propterea, quia legem *Mose* recipiunt totam & inde non commoditatem terrenam, sed justitiam & con-

& consequenter salutem expectant. De his *Suidas* est intelligendus, cui προσήλυτοι, οἱ ἐκ ἐθνῶν προσεληλυθότες, καὶ κατὰ τὰς θείας πολιτευόμενοι νόμους, *proselyti sunt, qui ex gentibus populo Judaico aggregati secundum Leges divinas vivunt*: & *Eucherius*, cui super *libr. Reg. proselyti* vocantur græce, *qui ex aliis nationibus progeniti, accepta circumcisione, in fidem & consortium populi DEI transierunt*. Quos, si in genere locutos accipiamus, falsum dixisse, negari non potest. Præter hos enim, qui Judaismum suscipiunt, & transeunt non solum in consortium, sed etiam in fidem Judæorum, alii quoque dantur, qui accedunt quidem ad *Judæos*, jugum autem Mosaicæ Legis in se non recipiunt, sed relicta tantum idololatria uni Deo & communibus generis humani legibus, quas septem præcepta Filiorum *Noachi* vocare solent, sese obstringunt, & hoc plerumque faciunt intuitu secularis & privatæ alicujus commoditatis. Hos *Hebræi* vocant נרי תושב *proselytos inquilinos*. Rationem nominis dat *Maimonid.* in *Hilchoth*. אסורי ביאה *cap.* 14. *num.* 4. נקרא שמו תושב לפי שמותר לנושהו שובו בינינו בארץ ישראל *Vocatur proselytus inquilinus, quia licitum nobis est permittere, ut inter nos habitet in terra Israelis*. Vocant etiam נרי שער, *proselytos portæ*, appellatione ex *Deut. c.* 24. *v.* 21. desumpta. Ubi per peregrinum, qui est in portis Israelis, proselytum inquilinum innui confirmant *Interpretes Chaldæi*, *Onkelos* & *Jonathan*, quorum illi תותב ערל est נר בשערי ישראיל *inquilinus incircumcisus*, huic autem גיור ערל, *proselytus incircumcisus*.

III. Et quanquam hi proselyti ab incolendo sint *Hebræis* dicti, non tamen hoc de actu incolendi accipiendum est, sed de jure incolatus. Nam, ut habet *Massechet Sanhedrin. c.* 2. תנו רבנן נעמן נר תושב היה נבזור אדן נר צדק היה *tradunt Magistri, quod Naaman proselytus fuerit inquilinus, Nebusar Adan autem Proselytus justitiæ*, & tamen *neuter* illorum inter Judæos domicilium habuit, sed Naaman, quum Regis in Syria militaris Dux, in Syria, & Nebusar Adan, quum Regis Babyloniæ præfectus esset, in Babylonia ut verosimile est, habitavit. Non itaque cum *Matthia Flacio* faciemus, in *clave*, quam vocat, *Scripturæ*, sic statuente: *Proselytus idem est, quod adventitius. Significat eos gentiles, qui rejecto gentilismo, judaicam Religionem erant amplexi, sive habitarent in populo Judaico, sive adhuc suo loco inter Gentiles. Idem ferme significat Hebraice* נר *peregrinus: nisi quod peregrini ii dicebantur, qui jam habitabant inter Judæos, quique & Religionem & locum mutaverant*. Quibus uti patet, gemino sese errori involvit. Falsum enim est, quod נר & proselytus tantum is dicatur, qui Religionem Judaicam, rejecto gentilismo, sit amplexus. Sed נרים & proselyti sunt etiam illi, qui idolis solummodo renunciant & servant communes generis humani Leges, gentilismo cætera retento, ut inferius ostendemus. Deinde hoc quoque falsum est, quod גר dici nemo queat, nisi qui jam inter Judæos habitet, Religione & loco mutatis. *Naamanem* enim, quum nec Religionem nec locum mutasset, נר dici, jam patet. Unde nemo non videt, per actum incolendi proselytum inquilinum discriminari non posse a proselyto justitiæ, quum fieri queat, ut aliquando ambo inter Judæos habitent, aliquando neuter. In his igitur differentia potius est posita, quod proselytus inquilinus nil in se recipit, nisi præceptum de vitanda idololatria & reliqua præcepta filiorum Noachi, & propterea etiam aliud jus inter Judæos non obtinet, quam incolatus & ea, quæ a tali jure dependent, sive actu inhabitet Judææ, sive non: proselytus autem justitiæ totum Legis Mosaicæ jugum in se recipit, & sic perfectus fit Judæus, per quod eadem quoque jura consequitur in Judæa, quæ αὐτόχθονες habent, hoc forte excepto, quod ipsi non ad quamvis dignitatem pateat aditus: neque enim cooptari in Synedrium potest, nisi Matrem quoque habeat *Israelitidem*, sicuti *Maimon.* in Hilcoth סנהדר' *cap.* 2. *n.* 9. scribit: בית דין שהיה אחד מיהן נר הרי זה פסול עד שתהיה אמו מישראל *Domus judicii, in qua Senatorum aliquis est proselytus, illegitima est, nisi Mater quoque ejus fuerit ex Israele*. Sed de hoc inferius.

IV. Quæ proselytorum distinctio non primum a *Judæis* conficta est, sed divinitus constituta videtur. Neque enim obscura sunt vestigia utriusque generis proselytorum, quæ passim in *Mose* apparent. Quod *Rabbini* diligenter notarunt, cumprimis *R. D. Kimchi* qui in *Sepher Haschoreschin* sic scribit: הוא הנכרי הנר בארץ ישראל שקבל עליו שלא לעביר עבודה זרה : וכן ונמכר לנר תושב : וכן כל נר שהזכירה תורה שהוא נר בארץ ישראל הוא שקבל עליו שלא לעבור עבודה זרה ויש מהם שנתגייר מכל ושנתיהר והוא הנר שהזכירה תורה על ענין המצות כמו האזרח והנר : ולנר ולאזרח הארץ והגר הגר בתוככם : לא יאכל דם *Ille alienigena* est *proselytus (inquilinus) in terra Israelis, qui in se suscipit præceptum de vitanda idola-*

lolatria. Et de hoc loquitur Moses, Levit. c. 25. v. 48. Si, inquiens, attenuatus fuerit frater tuus, & se vendiderit Proselyto inquilino. Hujusmodi proselytus est omnis ille, de quo meminit Lex, quod, quum peregrinus sit in terra Israel, in se susceperit præceptum de non colendais idolis. Est autem præter ejusmodi proselytos, alius quoque, qui sic est proselytus factus, ut, sicuti alii Judæi, totam legem in se susceperit. Et de hoc intelligi debet Lex, quum in præceptis suis, ea quoque proselytis esse observanda, meminit. Ceu facit, Levit. c. 10. v. 29. indigena & proselytus, Numer. cap. 9. v. 14. tam proselyto, quam indigenæ terræ, Levit. cap. 17. vers. 12. Prosalytus, qui peregrinatur in medio vestri, non comedet sanguinem. Eodem quoque modo *Deut. c. 24. v. 14.* quum *Moses* negat fraudem faciendam pauperi, sive de fratribus, sive de peregrinis, qui sunt in terra intra portas *Israelis*, *R. Salomon Jarchi & R. Mosebar Nachman ibidem:* דרשו מגרך זה גר צדק בשעריך זה גר תושב האוכל נבלות. *Explicant, quod, quum dicitur, de peregrinis tuis, hoc accipiendum sit de proselyto justitiæ, sed quum dicitur, qui est intra portas tuas, hoc capi oporteat de proselyto inquilino, qui morticiniis vescitur.*

V. Quicquid sit, hoc satis, opinamur, constat omnes eos, qui vel domicilii tantum, vel etiam Religionis causa Judæis accessere, quanquam multum inter se distarent, uno tamen proselytorum nomine fuisse signatos: at non æque constat, *cur, qui in primitiva N. T. Ecclesia a falsa Religione ad veram, ab Ethnicismo vel Judaismo ad Christianismum transiere, νεόφυτοι potius sint dicti, quam προσήλυτοι?* Ratio certe nominis utrobique videtur esse eadem. Quid rei ergo est, quod non idem quoque nomen utrobique sit? Fortasse dici potest, inter proselytos & neophytos illud intercessisse discriminis, quod illi prius, quam vocarentur, sua sponte & motu proprio venerint, nondum enim erant vocandi: hi autem venerint, jam vocati, tempus enim quo vocandæ erant gentes, jam aderat; & inde factum, ut illi sua sponte venientes proselyti, h. e. adventitii, hi autem vocati venientes, neophyti h. e. Ecclesiæ recens implantati dicerentur. Aut si cui hæc ratio minus placet, Neophytos putamus N. T. dictos, ut distinguerentur a proselytis V. T. Quum enim multi Judæorum proselyti converterentur & a Judaismo transirent ad Christianismum, placuit, ut veteri statu mutato, vetus quoque eorum mutaretur nomen. Quod si ne hæc quidem ratio satis esse videtur, per nos cuivis licet, ut quærat meliorem.

IV. Nobis id potius negotii datur, ut, quoniam duplices fuisse proselytos, ex dictis constat, porro dispiciamus, *qua ratione fieri a Judæis soleant?* Et quantum ad proselytos justitiæ, magna heic integritas & circumspectio Judæorum est. Neque enim promiscue quemvis recipiunt, uti quandoque apud quosdam fieri videmus. Ubi si quem *Roma* expulit, nescio, quæ culpa, aut a *monasterio* extraxit blanda Venus, ut ita tutum inter suos latibulum nuspiam inveniat, etsi hoc non omnino occultum sit, modo Religionis nostræ amorem fingat & ore composito Romano-Catholicum, quos vocat, cultum detestetur, recipiunt. Non sic *Judæi*. Sed si quis sua se sponte sistat, ac ut in fœdus quod cum DEO Israelitis est, recipiatur, petat, rem haud præcipitanter aut perfunctorie agunt, sed prius inquirunt & quidem accurate, tam in vitam, quam mores ejus, nec recipiunt, nisi ea deprehendant probata. Cumprimis autem solicite scrutantur, quæ defectionis causa sit, an amor Religionis Judaicæ, an metus supplicii apud suos, an vero aliqua a Religione Judæorum sperata utilitas? Nequaquam enim divino fœdere dignum judicant, qui propter se illud non expetit, sed propter aliud. Uti *Maimonides part.* 2. *libri* יד & quidem *Hilchot* אסורי ביא *c.* 13. *num.* 14. his verbis scribit: כשיבוא הגר אי הגיורת להתגייר כורקין אחריו שמא בגלל מומן שיטול או בשביל שררה שיזכה לה או מפני הפחד בא להכנס לדת ואם איש היא בורקין אחריו שמא עאניו נתן בישראלית יהודית ואם אשה היא בורקין שמא עיניה נתנה בחבור מבחורי ישראל: *simul atque venerit quis, qui Judaismum amplecti velit, sive mas sit sive fœmina, inquisitione instituta pervestigant, qua de causa hoc faciat? num forte divitias inde speret, vel hanc putet esse viam perveniendi ad dignitates, vel an faciat ex metu? Et si vir est, inquirunt, an amore captus sit puellæ Israelitidis? si fœmina, idem faciunt & quærunt, emore flagret juvenis alicujus ex Israelitis.*

VII. Scrupulosa investigatione habita si de causa fiant certiores, &, quod ea non sit ipsa Religio, intelligunt, repellunt. Nam ut docet *Maimonid. l. c. num.* 15. כל החוזר מן הכותים בשביל דבר מהבלי העולם אינו מגרי הצדק: *quicunque se a Gentilismo convertit ad Judaismum, & hoc facit propter aliquam hujus mundi vanitatem, ille proselytus justitiæ esse nequit.* Sin animadvertant, rem esse αὐ-

πλον,

πυλον, & nullam tegi fraudem; adhuc tamen hærent, an forte Religionis ſuæ aſperitatem non noverint? exponunt igitur, quam grave ſubeant jugum. Si perſtant in incœpto, recipiunt, ceu *d. l. n.* 14. iterum habet *Maimonid.* אם לא נמצא להם עילה מו ריעין אותן כובד עול התורה וטורה שיש בעשייהת על עמי הארצות אם קבלו ולא פרשו וראו אותן שחזרי מאהבה מקבלין שנאמר ותרא כי מתאמצת היא ללכת אתה יתחדל לדבר אליה: *ſi nulla in ipſis deprehenditur, iniquitas, tunc ob oculos iis ponunt gravitatem jugi legalis & exaggerant laborem præcepta Legis ſervantibus perferendum, qui longe major ſit, quam ſuſtinent alii populi orbis terrarum, qui tam duris legibus non ſint devincti: ſi acceptant & non recedunt, tum demum vident, quood amore Religionis ſe convertant, recipiunt igitur. Quia dictum eſt Ruth. c. 1. v. 18. videns, quod obſirmato eſſet animo, ut pergeret ſecum, deſtitit loqui ad eam.*

VIII. Licet autem nullum habeant dubium, quin amor, quo Legem & Religionem Judaicam hujuſmodi proſelytos complecti vident, ſit ſincerus, mirantur tamen & ſtupent, qui fiat, quod, quum tanta judæorum infelicitas ſit in hoc Mundo, adhuc dentur, quibus ea conditio placeat? Quærunt igitur, uti legitur in *Maſſecheth Jevamoth c.* 4. & apud *Maimonan in Hilcoth Iſſure Biah c.* 14. *n.* 1. מה ראית שבאת להתגייר אי אתה יודע שישראל בזמן הזה דווים דחיפים כחיפים ומטורפים ויסירין באין עליהם אם אומר יודע אני ואני מקבלין אותו מיד: *Quid quæſo vidiſti, propter quod Judaiſmum vis amplecti? an ignoras, in quanto mœrore Iſrael hoc tempore ſit, quomodo impellatur, diſſipetur, diripiatur & quantas patiatur caſtigationes? Si, novi, dicit, confeſtim recipiunt.*

IX. Modus autem receptionis ſic habet. Docent primo omnium articulos fidei fundamentales, ſeu, ut loquitur *Maimon. d. l.* 2. מודיעין אותו עיקרי הדת שהוא ייחוד השם ואיסור עכום ומאריכין בדבר הזה: *tradunt ei doctrinam de unitate Dei & vitanda idololatria, & eam prolixe inculcant.* Deinde exponunt, quid Lex ab ipſo requirat, ſed hoc faciunt paucis. Quod iterum habet *Maimon.* eodem loco: ומודיעין אותו מקצת מצוות קלות ומקצת מצוות חמורות ואין מאריכין בדבר זה: *Faciunt, ut ſciat aliquam partem præceptorum levium, & aliquam gravium, in hac tamen materia non diu hærent.* Ac ne putet, legis mandata eſſe inſtar fulguris ex pelvi, & vel nihil vel parum referre, ſive ea violentur, ſive etiam ſerventur; mox annectunt, quæ pœna tranſgreſſionis ſit, quæ merces ac quæ prœmia obſequii? ומודיעין אותו עונשן של מצוות כיצד אומרים לו הוי יודע שעד שלא באת לדת זו אם אכלת חלב אי אתה ענוש כרת אם חללת שבת אי אתה ענוש סקילה ועכשיו אכלת חלב ענוש כרת חללת שבת ענוש סקילה ואין מרבי עליו וכשם שמודיעין אותו עונשן של מצוות כך מודיעין אותו שכרן של מצוות ומודיעין אותו שבעשית מצוות אלו יזכה לחיי העולם הבא ושאין שים צדיק גמור אלא בעל החכמה שעושה מצוות אלו ויודע: *erudiunt eum, quæ pœnæ maneant Legis tranſgreſſores. Nempe dicunt ipſi, hoc ſcito. Prius, quam accederes ad hanc religionem, ſi comediſti adipem, non exciſione, ſi prophanaſti ſabbathum, non lapidatione punitus es. Deinceps autem, ſi comedis adipem, pœna exciſio, ſi prophanas ſabbathum, pœna lapidatio eſt. Nec plura ipſi inculcant. Sicut autem docent, de prævaricationum pœnis, ita etiam docent de obedientiæ mercede, quod, qui fecerit mandata, promereatur vitam alterius ſeculi, neque enim aliquem eſſe perfecte juſtum, niſi ſapiens ſit, & ſciat ac faciat legis mandata,* ut habet partim *Maſſ. jevam.* partim *Maimon. d. l. n.* 2. & 3.

X. Tandem ne proſelytum offendat Judæorum calamitas, oſtendunt cauſam: cur, quum omnibus aliis populis bene ſit, ſoli ipſi in his terris tam miſeram vivant vitam. Cauſa autem illa *Maſſech. Jevamoth. cap.* 4. ſic effertur: הוי יודע שהעולם הבא אינו עשוי אלא לצדיקים והם ישראל בזמן הזה אינם יכולים לקבל לא רוב טובה ולא רוב פורענית: *Hoc ſcias, quod ſeculum venturum non ſit factum niſi pro juſtis, nempe Iſraelitis, qui in hac vita neque plenam remunerationem, neque plenam ultionem accipere poſſunt. Quod Maimon. d. l. num.* 4. & 5. explicat: ואוהלין לו והוי יודע שהעולם הבא אינו צפון אלא לצדקים והם ישראל וזה שתראה ישראל בצער בעולם הזה טובה היא צפונה להם שאינן יכולין לקבל רוב טובה בעולם הזה כאומות שמא ירום לבם ויתעו ויפסידו שכר העולם הבא כענין שנאמר וישמן ישורן ויבעט ואין הקדוש ברוך הוא מביא עליהן רוב פורענות כדי שלא יאבדו: *dicunt ipſi, hoc ſcias, quod ſeculum futurum non reconditur, niſi juſtis, qui ſunt Iſraelitæ, & hoc quod vides Iſraelitas in his terris afflictos, ut non multo bono in hac vita perfruantur, quemadmodum alii populi; felicitetis alicujus loco æſtimandum eſt. Fortaſſe extollerent cor ſuum & errarent & ita perderent mercedem ſeculi futuri. Sicut hoc a Moſe dictum eſt Deut.* 32. *v.* 15. *& impinguatus eſt Iſrael & recalcitravit. Non tamen ſanctus benedictus ille nimis multam ſuper ipſos pœnam mittit,*

tit, ne penitus intereant: Atque hæc doctrina est, qua proselytum suum omnium primo imbuunt. Quam simpliciter proponunt, nihil subtilisantes, in ea etiam proponenda, ejusmodi moderatione utuntur ac mansuetudine tali, qualis tam arduo negotio convenit. Neque enim, ut *Maimon.* loquitur, מדקדקי עליו שמא יגלום ולטרדו להטות מדרך טובה לדרך רעה שבתחלה אין טובה מושכין את האדם אלא בדברי רצון רכים וכן הדא אומר בחבלי אדם אמשכם בעבותות אהבה: *subtiliter disputant, quod forte occasio esse posset, qua ille impulsus a via bona deflecteret ad malam. Neque etiam aliter trahunt hominem, quam verbis placidis ac mollibus, sicut Dominus dicit apud Hoseam c. 11. v. 4. funibus hominum traham vos, funibus charitatis.*

XI. Hac doctrina diligenter instillata & conditionibus vivendi ob oculos positis; adhuc res integra est & potest Candidatus suo etiamnum arbittio uti. אם חזר בו ולא רצה לקבל הולך לדרכו אם קבל אין משהין אותו אלא מולין אותו מיד: Unde *si revertitur & non vult acceptare conditiones, licet ipsi, eat via sua: Sin acceptat, nil amplius cunctantur, sed extemplo circumcidunt eum.* Non solum autem circumcidunt, sed etiam baptizant. Quæ duo ita sunt necessaria ad faciendum proselytum, ut sine iis, aut sine alterutro eorum nec esse proselytus, nec dici queat. Quippe quæ proselytum formaliter constituunt. Quod *Maimon. in Hilc. Issur. c.* 13. *n.* 6. expresse testatur: גר שמל ולא טבל או טבל ולא מל אינו גר עד שימול ו ט ב ל: *Proselytus, qui quidem est circumcisus, sed non baptizatus, aut baptizatus non autem circumcisus, non est proselytus, usque dum circumcidatur & baptizetur.* Etsi enim proselyti iisdem mediis ad fœdus cum Deo admittuntur, quibus se illi jungunt Israelitæ: hi autem fœdus cum Deo ineunt, במילה בטבילה ובקרבן: *mediante circumcisione, baptismo & oblatione*; hæc tamen, ex quo non habent templum, absolute necessaria non est, sed fieri atque esse proselytus potest, licet nullum actu afferat Korban, sufficit, si, reædificato templo, se oblaturum spondeat. Korban autem est vel jumentum; vel par turturum vel duo pulli columbarum, horum unum si in eventum restaurati sanctuarii loco holocausti promittat; satis est. Fœminam quod attinet, si fiat proselyta, solo baptismo absolvitur, nec aliud quid requiritur amplius, quam idem Korban in eundem eventum, ceu docet *Maimon. dist. Hilc. c.* 13. *n.* 1. 4. & 5. בשלשה דברים נכנסו ישראל לברית במילה וטבילה וקרבן וכן לדורות כשירצה הלותי להכנס לברית ולהסתופף תחת כנפי השכינה ויקבל עליו עול תורה צריך מילה וטבילה והרצאת קרבן ואם נקבה היא טבילה וקרבן שנ' ככם כגר מה אתם במילה וטבילה והוצאת קרבן אף הגר לדורו' ורילה וטבילה והרמצאת קרבן ומהו קרבן הגר עולה בהמה או שתי תורים או שני בני יונה ושניהם עולה ובזמן הזה שאין שם קרבן צריך מילה וטבילה וכשיבנ' בית המקדש יביא קרבן: *Tribus rebus Israelitæ ingrediuntur fœdus, circumcisione, baptismo & Korban vel oblatione. Eodem quoque modo si Gentilis vel Christianus ad fœdus admitti voluerit & hospitari sub alis Majestatis divinæ, & propterea receperit in se jugum legis, necesse habet, ut circumcidatur, ut baptizetur, ut afferat Korban. Si fœmina est, baptismus & Korban sufficiunt, quia dicitur Num. c. 15. v. 15. sicut vos, ita peregrinus. Quod per circumcisionem, baptismum & Korban vos estis, id etiam secundum generationes per circumcisionem, baptismum & Korban est proselytus. Korban autem illud est holocaustum jumenti, vel duorum pullorum columbæ, & par alterutrius est unum holocaustum. Sed, quoniam hodierno tempore, templi defectu, Korban offeroi nequit, necessaria tantummodo sunt circumcisio & baptismus. Quamprimum tamen restaurata fuerit domus sanctuarii, Korban est offerendum.*

XII. Informatione igitur facta, in id porro incumbunt, ut ultimam huic actui manum imponant, & proselytum suum secundum legem circumcidant & baptizent. Quæ duo sacramenta esse diximus, quibus proprie proselytus fit. Circumcidunt autem adultos, eodem modo, quo infantes. Quod, quum constet, nihil addimus, nisi hoc tantum: Circumcisionis ritus non solis Judæis, sed aliis quoque populis olim fuit usitatus, ceu etiamnum Turcis est, sicuti de Colchis & Ægyptiis non modo *Sabellicus Enneadis* 1. *l.* 3. & 5. sed de iisdem etiam & aliis *Herodotus* testatur *in Euterpe*: *Soli*, inquiens, *omnium hominum Colchi & Ægyptii & Æthiopes ab initio statim pudenda circumcidunt. Nam & Phœnices & Syrii, qui sunt in Palæstina, didicisse id ab Ægyptiis & ipsi confitentur. Syrii vero, qui fluvium Thermodontem & Parthenium accolunt, & horum contermini Macrones, a Colchis se nuper didicisse, ajunt. Hi enim ex hominibus soli sunt, qui circumciduntur, & in hoc faciendo, agnoscuntur: Ægyptii esse Ægyptii vero atque Æthiopes non queo dicere, utri ab utris didicerint.* Nam videtur esse perantiquum. Ubi non disputamus, quam vere

vere *Herodotus* affirmet, ſolos & primos qui pudenda circumciderentur, fuiſſe *Colchos* & *Ægyptios* & eorum exemplum Hebræos, quos *Phœnices* & *Syrios* vocat, eſſe ſecutos. Quantopere enim ille deceptus ſit, nemo Chriſtianorum eſt, qui ignoret. Sufficit inpræſens oſtendiſſe circumcidendi ritum aliis quoque populis olim fuiſſe uſitatum. Si quis igitur ex proſelytis jam ante circumciſus eſt, denuo circumcidi non poteſt. Ut tamen aſpergatur ſanguine fœderis, quum a *Moſe* nil hac de re videant conſtitutum, Veterum decreto, pelliculam ſaltim ſauciant, ut aliquot ſanguinis guttæ deſtillent. Aut ſi circumciſus quidem non ſit, utrumque tamen ſexum referat, ut dijudicari facile non queat, maſne potius ſit quam fœmina, aut ſi certo quidem mas ſit, ſed gemino tamen præputio, ut non ſatis conſtet, utrum duorum naturale, utrum præternaturale ſit; omni ea parte circumcidunt, qua marem refert, quemadmodum docet *R. Moſ. Maimonid part.* 1. *libr.* יר *in Hilcoth Milab. cap.* 1. *num.* 7. גר שנכנס לקהל ישראל חייב מילה תחלה ואם מל כשהיה כותי צריך להטיף ממנו דם ברית ביום שנתגייר אנדרוגינוס והוא הילור שיש לו זכרות כזכר ונקבות כנקבה צריך למול אותו בשמיני ומי שיש לו שתי ערלות מלין את שתיהן בשמיני: *Proſelytus, qui ad judaiſmum accedit, ante omnia circumcidendus eſt. Quod ſi circumciſus fuit, quum adhuc gentilis eſſet, elici ſaltem debet ex eo ſanguis fœderis eo die, quo ad Judaiſmum cooptatur. Si eſt androgynos natus & habet virilitatem ut mas, ac fœminitatem, ut fœmella; ea parte, qua vir eſt, circumidendus eſt octavo die. Sic quoque ſi cui duo ſint præputia, ambo illa octavo die circumcidunt.*

XIII. Circumciſione peracta non ſtatim tranſeunt ad Baptiſmum, ſed eum differunt eo uſque, dum vulnuſculum circumciſione factum coeat. Ceu teſtatur *Maimon. p.* 2. *lib. in Hilc. Iſſ. Biah. c.* 14. *n:* 15. משהים אותו עד שיתרפא רפואה שלימה ואחר כך מטבילין אותו: *detinent eum & cunctantur, uſque dum ſanetur ſanatione perfecta, poſtea demum baptizant.* Et quum baptizant, ad minimum in trium præſentia faciunt. Nec faciunt die inconſueto, utut caſus neceſſitatis adſit, quemadmodum apud Chriſtianos fieri videmus. Extat ibidem *c.* 13. *n.* 6. צריך לטבול בפני שלושה והואיל הודבר צריך בית דין אין מטבלין אותו בשבת ולא ב״ט ולא בלילה ואם הטבילוהו הינו זה גר: *Neceſſe eſt, ut Baptiſmus in trium præſentia fiat, & quoniam res eſt neceſſitatis, non baptizant in ſabbatho, neque in die feſto, neque noctu. Si tamen baptizant, ecce ille eſt proſelytus.* Et quod neque ſabbato, neque die feſto, neque noctu baptizent, *Keſeph. Miſchna* ideo fieri dicit: דאין דינין בשבת *quod illis temporibus non ſoleant haberi actus judiciales.* Trium vero præſentia requiritur, non ſolum, ut, ſi caſus fuerat, de proſelytiſmo teſtari queant, ſed etiam, ut interea, dum proſelytus in aqua ſtat, ipſum ſui deinceps officii moneant, ceu legimus *Maſſech. Jevamoth. c.* 4. & *dict. Hilc. c.* 14. *numer.* 6. ושלשה עומדים על גביו ומודיעין אותו מקצת מצות קלות ומקצת מצות חמורות פעם שנייה והוא עמד במים ואם היתה אשה נשים מושיבות אותה במים עד צוארה והם עומדים מבחוץ ומודיעין אותה מקצת מצות קלות וחמורות והיא יושבת במים ואחר כך טובלת מפניהם מחזירין פניהם מוצאין כדי שלא יראו אותה כשתעלה מן המים: *Tres illi ſtant a tergo ejus, eumque monent altera vice ex parte præceptorum levium, &, ex parte præceptorum gravium, idque dum adhuc in aqua ſtat. Si vero fœmina fuerit: eam quoque fœminæ in aqua collocant uſque ad collum ſuum, & de foris conſiſtentes, dum ipſa adhuc in aqua ſedet, docent ipſam nonnulla de præceptis levibus & gravibus. Si baptizata eſt in earum conſpectu, convertunt facies ſuas & egrediuntur ita, ut non videant eam ex aqua aſcendentem.*

XIV. Atque hic eſt modus initiationis, quo Judaiſmo adjungi ſolent proſelyti, & quo ſancti fœderis ſocii fiunt omnes illi, qui ex ſententia & decreto ſupremi ſenatus, *ſanhedrin* dicti, recipiuntur. Et qui hoc modo initiatus eſt, הרי הוא כישראל לכל דבריו *ecce is in omnibus rebus eſt ſicut Iſraelita.* Unde etiam, ſi liberos procreat, illi non opus habent, ut ad proſelytiſmum luſtrentur. Nec enim in ullis ejuſmodi proſelytorum poſteris baptiſmus ſolet iterari, ſed ſicut parentes inſtar Iſraelitarum ſunt, ita quoque qui ex illis naſcuntur. Quod indicat *Maimon. d. l. c.* 13. *n.* 7. מעוברת שנתגיירה וטבלה אין בנה צריך טבילה: *prægnans, quæ proſelyta fit & baptizatur, ſi filium parit, is non opus habet, ut baptizetur.* Sufficit igitur illos, ſi mares ſint, circumcidi, ut ſignum fœderis, quemadmodum alii Iſraelitæ, in carne ſua gerant.

XV. Cum ſolis puſillis & fœminis, quæ occaſione captivitatis vel nuptiarum tantum cauſa ad proſelytiſmum veniunt, alia paulo ratione videtur procedi. Hunc igitur modum, conſequens eſt, ut etiam explicemus. Et quidem ſi quis adhuc parvulus eſt non ea ætate, ut vel exami-

minari vel doceri legem queat, ſi bello captus in poteſtatem Judæorum venerit, omiſſis procœmialibus, ſolet baptizari. *Num.* 7. גר קטן מב טבילין אותו על דעת בית דין תזבות היא לו: *Proſelytum adhuc parvulum baptizant ex decreto Senatus, quia hæc ejus eſt juſtitia.* Ratio: Quum enim baptizandus conſentire debeat, puer autem ratione ætatis conſentire non poſſit, כי לא בר דיעה הוא *quia filius aſſenſus non eſt*, ideo defectum aſſenſus decretum & ſententia Senatus ſupplet. Quod fœminam attinet, ea ſi capitur, eſt capientis, & captori licet, ſi vult & ſanguis ebullit, ut ea abutatur ad libidinem. Et hoc licere, tam certum putant, ut in mundo non ſit, qui ſaltem dubitet. Intelligunt autem de primo concubitu. Nam de ſecundo diſputant *Talmudici* in *Maſſech Kidduſchin*, *c.* 1. *baiſchſchab. niknith. dicto*: בביאה ראשונה כולי עלמא לא פלני דשרי דלא דברה תורה אלא כנגד יצר הרע כי פליגי בביאה שנייה רב אמר מותר ושמואל אמר אסור: *de concubitu primo, nemo in hoc Mundo diſſentit, eum ſi quis velit, eſſe licitum, idque propter pravam concupiſentiam, quam Lex reſpicit. Tantum diſputant de concubitu cubitu ſecundo Raf. ait, licitus eſt: Schamuel, eſt probibitus.* Probant de primo, quia lex *Deut.* 20. 14. omnem prædam concedit, mulieres, pueros & animalia.

XVI. Ne tamen libidinem gratis expleverit, tenetur, actu perfecto, ut compreſſam legitimo ſibi matrimonio prius copulet, quam ad alterum concubitum pergat. Extat *part.* 4. *lib.* יר *Hilc. Melachim. c.* 8. *n.* 2. בועל אשה בכותיותה אם תקפו יצרו אבל לא יבעלנה וילך לו אבל מכניסה לתוך ביתו שנאמר וראית בשמיה אשת יפת תואר ואטור לאעול אותה ביאה שנייה עד שישאנה. *ſi quis Judæorum, cupidine abreptus, rem habet cum fœmiua dum adhuc gentilis exiſtit, non eſt, ut cum ea cubet, & deinde abeat via ſua, ſed hoc ipſi incumbit, ut a ſe compreſſam non ſolum domum ſuam ducat, ſecundum id, quod Deut. c.* 20. *v.* 11. *legitur: ſi videris in captivitate mulierem pulcram forma: ſed etiam a ſecundo concubitu tantiſper abſtineat, dum eam legitime uxorem duxerit.* Uxorem autem ducere nequit, niſi ea prius, ejurata gentili idololatria, judaicam religionem ſponte fuerit amplexa. Quia *l. d. num.* 7. אסור לישא אשה שלא נתגיירה *nefas Judæo eſt, uxorem ducere, quæ Judaiſmum nondum ſit amplexa.* Qua in re Judæi longe ſunt rigidiores noſtratibus. Etſi enim *Synodus Conſtantinopolitana VI. Canon.* 72. conjugia inter perſonas diverſæ Religionis inita etiam ſolvit & illicita eſſe pronunciat, quam hodie Romano-Catholici ſequuntur, quum inter cauſas divortii etiam hæreſin numerant; Noſtrates tamen ex eo non improbant, quod diverſitas religionis per ſe cum conjugio non pugnet & propterea illud, nec contrahendum impedire, nec contractum diſſolvere queat, uti ex 1. *Cor. cap.* 7. *v.* 12. probant *Hunnius*, *Selneccerus*, *Mylius*, & inſuper *Gerhard. Tom.* 7. *th.* 395. & *ſeq. Gieſenius Papiſ. Diſp.* 39. *th.* 23. & *ſeq. Chriſtian. Matthia ſyſtem. politici l.* 1. *ſect.* 4. *q. ult.* Verum non ſic Judæi, ſed legi hac in parte tam obſtinate adhærent, ut ne proſelytam quidem domicilii ad conjugium admittant. Quamvis enim idololatriæ renunciet & in ſe ſecipiat ſeptem præcepta filiorum *Noachi*, per quod inter eos jus conſequitur incolatus & ad fœdus politicum admittitur; nondum tamen acquieſcunt, ſed oportet, ut, ſi Iſraelitæ nubere velit, totius legis jugum ſubeat & ſolenni initiatione proſelyta juſtitiæ fiat. Si itaque oſtendit fœmina, quod jugum legis non refugiat, &, pohabita ſuperſtitione patria, Judaiſmum amplecti velit, ei ſine mora initiatur, &, præmiſſa informatione, per ſolennem luſtrationem, fit proſelyta, habetur *n.* 5. דין ישראל ביפת תואר אחרי שיבעלנה ביאה ראשונה והיא בכותיותה אם קבלה עליה להכנס תחת כנפי השכינה מטבילה לשם גרות מיד: *Judicium Iſraelis de fœmina elegantis formæ eſt, quod, poſteaquam eam quis cognovit, congreſſu primo, dum adhuc fuit gentilis, ſi in ſe recipit, quod ingredi velit ſub alas divinæ Majeſtatis, ſtatim eam ad proſelytiſmum baptizet.* Quod ille ſi facit, tum demum conſequitur, ut eam habere uxoris loco poſſit. Nec refert, ſi forte maritata ſit, & maritus adhuc vivat. Quia אין אשות לגרים *Gentiles verum conjugium non habent.* Ei ergo connubio junctus, quæ nullius uxor eſt vel fuit, quomodo teneatur crimine adulterii?

XVII. At vero, ſi captiva, utut primo congreſſu vitiata ſit, adduci tamen nequeat, ut Judaiſmum amplectatur, ſed potius Marito carere, quam proſelyta fieri velit? hoc opus, hic labor eſt. Vim adhibere non licet, Nam, ut *eod. cap. n.* 10. *Maim.* ſcribit, מושה רבינו לא הנחיל התורה ומצות אלא לישראל שנאמר מורשה קהלת יעקוב ולכל הרוצה להתגייר משאר האומות שנ מכם כגר אבל מי שלא רצה אין כופין אותו לקבל תורה ומצות: רצהו *Moſe, Magiſter noſter legem & præcepta non aliis tradidit poſſiden-*

denda, quam Israeli, quia dicitur. Deut. 33. *v.* 4. *hæreditas Ecclesiæ Jacob, & illi, qui ad Judaismum transire ultro ex reliquis populis vult, quia dicitur Num.* 15. 15. *sicut vos, ita peregrinus. Qui vero legem & præcepta suscipere non vult, eum non cogunt.* Id igitur faciunt. Quod recta via obtinere nequeunt, illud tentant obliqua. Eam ipsa lex monstrat *Deut. c.* 2. *v.* 12. 13. 13. qua alterutrum se sperant consecuturos, vel ut fœmina sic deturpata modestiam discat, & tanto proniori animo legis jugum suscipiat, vel, ut vir ejus ita deturpatæ tædio capiatur; & tanto æquiori animo illam dimittat. Processus *num.* 5. 16. 17. hic est: אם לא קבלה תשב בביתו שלשים יום שנאמר ובכתה את אביה ואת אמה ירח ימים וכן בוכה על דתה ואינו מונעה ומגדלת את צפרנוה ומגלחת את כדי ראשה תתגנה בעיניו ותהוה עמו בבית נכנס ורואה אותה יוצא ורואה אותה כדי שיקוץ בה ומגלגל עמה כדי שתקבל אם קבלה ורצה בה הוי זו מתניירת וטבלת ככל הגרים וצריכה להמתין גר חדשים חדש שלבכייה · ושני חדשים אחריו ונושאה בכתובה וקדושין ואם לא חפץ בה משלחה לנפשו לא רצת להתגיר מגלגין עמה י״ב חדש לא רצת מקבלת שבע מצות שנצטוו בני נח ומשלחה לנפשה והרי היא ככל הגרים התושבים אבל אינו נישאה שאסור לישא אשה שלא נתגיירה: *Si captiva non recipit in se jugum legis & propterea capientis uxor fieri nondum potest, manet in domo ejus, menstruo spatio, sicut dicitur Deut.* 21. 13. *defleat patrem suum & matrem suam per mensem dierum. Et sic nemine probibente, deflet religionem suam, crescere sinit ungues suas, abradit crines capitis, eo usque ut plane deturpetur in oculis ejus, qui eam capit, & hoc facit, dum adbuc in eadem, cum ipso, domo est. Ille aspicit eam, egreditur & iterum aspicit, ut tædio ejus capiatur. Ita expectat, & volutat tempus, dum legem suscipiat. Si suscipit, & ille adhuc acquiescit in ea, ecce Judaismo initiatur & baptizatur, sicut omnes proselyti. Sed ita oportet, ut præstoletur tres menses, unum fletus sui, & postea adhuc (parandis nuptiis) alios duos. Iis exactis, scripta dote & data arrha sponsalitia, ducit eam uxorem. Si vero ejus desiderio amplius non teneatur, eam dimittit ad placitum suum. Sin ipsa adhuc detrectet proselytismum, volutant cum ea* 12. *menses. Si ne tum quidem vult susceptis in se septem præceptis, quæ filiis Noachi sunt imposita, dimittitur ad placitum suum & fit proselyta domicilii. Sed deinceps nemo est, qui eam ducat. Neque enim licet uxorem ducere, quæ proselyta justitiæ non sit.* Et hoc modo non tantum se nuptiis privat, sed insuper quoque ingenti onerat incommodo. Proles enim primo impetu concepta, jure Hebræorum, ipsius est, non generantis. Unde etiam ipsi soli propter recusatum proselytismum, dimissæ, cura incumbit, non modo educationis, sed etiam alimentationis. Ceu *num.* 8. constat: נתעברה מביאה ראשונה הרי הולד גר ואינו בנו לדבר מן התברים מפני שהוא הכותית אלא בית דין מטבילין אותו על דעתם: *proselytus e primo concubitu natus, non est generantis, quia est ex Gentili, ad proselytismum tamen ex sententia & decreto domus judicii baptizatur.* Si vero accidat, ot ejusmodi captiva non solum fastidiat nuptias Judæi & ejus religionem, sed nolit quoque communibus generis humani legibus adstringi, & repudiata idololatria, servare septem *Noachidarum* præcepta, eam capitis supplicio afficiunt. *num.* 9. יפת תיאר שלא רצת להניח עכום אחר השנים עשר חרש הורגין אותה: *feminam elegantis formæ, quæ non vult abstinere ab Idololatria, occidunt.* Quod supplicium, in simili casu, etiam virum manet, *Num. eodem*: כל כותי שלא קבל מצוות שנצטוו בני נח הורגין אותו: *Occidunt omnem Gentilem, qui præcepta filiorum Noachi non suscipit.*

XVIII. Cæterum si nefas est, a Judæo Gentilem in matrimonium duci, prius, quam Judaismum sua sponte susceperit, & proselyta justitiæ solenni lustratione fuerit facta, sicuti nefas esse docet *Esras*, qui *c.* 9. *v.* 2. indignissime fert, semen sanctum fuisse mistum cum populis terræ, & propterea ejusmodi conjugia, contra legem *Deut. cap.* 7. *vers.* 3. facta, dissuit omnia, quid dicendum de *Mose*, qui *Midianitidem*, *Simsone*, qui mulierem de filiabus *Philistæorum*, *Salomone*, qui filiam *Pharaonis* uxorem duxit? num illas a gentilitate prius ad Judaismum traductas & solenni baptismo proselytas justitiæ factas dicamus, quam sint in Matrimonium ductæ? Negant quidem, sed diversimode. Quod *Salomonem* attinet, eum *R. Levi* dupliciter peccasse putat, nempe quod *Pharaonis* filiam duxerit, quæ proselyta non esset, &, si vel maxime fuisset, ex alio tamen capite non esset Salomoni licita. Sic enim habet in פיהו *ad* 1. *Reg. c.* 11. *v.* 2. בת פרעה היתה אסורה לבא בקהל יהוה גם אחר שנתניירה כי דור שלישי לבד מותר להם לבא בקהל יי׳: *Filia Pharaonis non poterat venire in cętum domini & nubere Salomoni, etiamsi esset facta proselyta. Tertia enim generatio demum Israelitis erat in matrimonium concessa.* Uti qui-

quidem illud, *Deut.* 23. *v.* 8. *tertia demum generatio veniet in cetum Domini*, Hebræi explicant. Nam *R. Salomoni* ibid. *v.* 2. 3. לא יבא לקהל יהוה *non ingredietur in cetum domini*, est nihil aliud, quam לא ישא ישראלית *non ducet uxorem Israelitidem*. Alii negant ex eo, quod ex Hebræorum sententia, tempore *Salomonis* nulli plane proselyti sunt facti. לא קבלו גרים לא בימי דוד ולא בימי שלמה: *non receperunt proselytos neque tempore Davidis neque tempore Salomonis*. Alii patere putant ex generali interdicto, nulla conditione limitato, *Deut. c.* 7. *v.* 3. *c.* 23. *v.* 3. *Esræ c.* 9. *v.* 1. & 2.

XIX. Verum enim vero *R. Levi* in errore esse videtur. Sive enim generationes computet, ab egressu ex Ægypto, sive a negato ab *Ammonitis* & *Moabitis* transitu, sive a morte *Mosis*, sive a divisione terræ *Canaan*; jam dudum tertia generatio præterierat, uti ex Chronologia patet. Ergo conjugium *Salomoni* cum *Pharaonis* filia, cæteris partibus, erat licitum. Neque obstat hac in parte, si quis supputationem generationum a proselytismo inchoandam putet, quemadmodum *R. Moses Gerundensis*, eam *Magistrorum* traditionem esse, scribit in פלאו ad *Deut. cap.* 23. *v.* 8. מצרי ואדומי אינם אסורים אלא עד שלשה דורות אחד זכרים ואחד נקבות: *Ægyptiis & Idumæis jus connubii concessum non est, nisi ad tertiam usque generatiorem, sive mares sint, sive fœminæ*. Verum statim subjungunt: רבי שמעון מתיר נקבות מיד *R. Simeon solvit dubium & feminis illico concessum fuisse affirmat*. Quem deinde reliqui sequuntur. Quo stante adhuc non apparet, quid vitii habuerint nuptiæ cum filia *Pharaonis*, quum licita fuerit, uti ostensum est, etiam in prima generatione, & ad proselytismum perducta, uti mox patebit. Si tamen Fœminæ Ægyptiæ perinde ac mares in tertia demum generatione fuerint licitæ, ceu *R. Levi* contendit & *R. David Kimchi* non improbat, dum 1. *Reg. c.* 3. *v.* 1. scribit: ושלמה גייר את בת פרעה ועבר לא התחתן בם: *Salomo proselytam fecit filiam Pharaonis, & transgressus est præceptum de non contrahenda cum Ægyptiis affinitate*, nihilominus relinquitur nobis, quod volumus. Nempe Filiam *Pharaonis Salomo* proselytam fecit, in quo non peccavit, peccavit saltem, quod eam duxit, quum nondum esset licita.

XX. Dictum veterum *Hebræorum* non est absolute accipiendum. Probamus ex *Massecheth Jevamoth. cap.* 8. 18. ubi *R. Joseph* ait ויתחתן שלמה את בת פרעה מלך מצרים גיורי גיירה והא לא קבלו גרים לא בימי דוד ולא בימי שלמה מירהוא טעמא אלא לשלחן מלכים: *affinitatem iniit Salomon cum Pharaone Ægypti rege dicta ejus filia, quam proselytam etiam fecit*. Et hoc, quod dicitur, non receperunt proselytos tempore *Davidis* & tempore *Salomonis*, eo accipiendum sensu est, quod non receperint, nisi ad mensam regum. Quod *Raschi*, illius loci glossator, his verbis exponit: היא טעמא האי דלא קבלו גרים אלא משום דלא היו מגיירו אלא לשלחן מלכים הא בת פרעה לאו צריכה להכי שהרי בת מלך היתה: *quibus vult, quod non recepisse proselytos, hoc sensu & propterea dicantur, quia non fecerint proselytos nisi ad mensam Regum. Quo modo proselytam fieri Pharaonis filiam necesse non fuerit, quum ipsa esset Regis filia*. Quibus, si recte assequimur, non negat, *Pharaonis* filiam esse factam proselytam, sed ea conditione factam negat, qua cæteri, ut nempe serviret mensæ regis. Hoc ne cui non satis constet, & ut τὸ ἐναντιοφανὲς, quod primo fronte non nemini videri queat, extricetur, *Bar Maimon in Hilc. Issur. Biab. c.* 13. *n.* 15. paulo deducit latius: לא קבלו בית דין גרים כל ימי דוד ושלמה בימי דוד שמא מן הפחד חזרו ובימי שלמה שמא בשביל המלכות והטובה והגדולה שהיו בה ישראל חזרו שכל החוזר מן הכותים בשביל דבר מן יהעילם אינו מורי הצדק ואף על פי כן היו גרים הרבה מתגיירים בימי דוד ושלמה בפני דין הדיוטת: *Domus*, inquit, *judicii vel Synedrium, non recepit proselytos toto tempore Davidis & Salomonis, Davidis tempore quidem, ne forte præ metu, Salomonis autem, ne forte intuitu regni, felicitatis & magnificentiæ, in quibus Israelitæ vivebant, eorum fieret conversio. Quicunque enim se convertit a Gentilismo ad Judaismum propter rem aliquam vanam & mundanam, eum Senatus summus in numero proselytorum justitiæ habere nequit: licet autem ita sit, ac domus judicii nullos tum temporis proselytos fecerit; nihilominus proselyti perquam multi sunt facti ætate Davidis & Salomonis, idque a Senatu inferiori*. Ad quem loco *Maggid Mischna* hoc notat: בפרק הערל לא קבלו גרים בזמן דוד ושלמה ושם אמרו ממקום אחד שבימי דוד נתוספו עליהם מאה וחמשים אלף גרים ומתוך כך באר רבינו שבית דין הדיוטו היו מגיירים אותם: *In cap. haarel* (8. *M. Juv.*) *legimus, nullos proselytos tempore Davidis & Salomonis fuisse receptos, & ibidem tamen quodam loco dicunt, quod in diebus Davidis additi Israeli sint centies & quinquagies mille proselyti*. Explicat idcir-

idcirco Rabbi noster, quod eos fecerit Senatus communis & inferior.

XXI. Utrumque igitur verum est, temporibus Davidis & Salomonis Judicium summum, Sanhedrin postea dictum, nullos recepit proselytos, & nihilominus plurimos, tum etiam, fecit Judicium inferius. Inter quos quum omnes essent proselyti, id discriminis fuit, quod illi a Senatu summo & publica authoritate recepti, jura, quæ proselyti inter Judæos habent, usurpare possent: hi non æque. Propterea autem hos non receperunt Judices Sanhedrin, quod eos viderent non amore legis duci, sed allici vanitate quadam mundana. Ut vero non receperunt, ita etiam non rejecerunt, sed tolerarunt, experimentum facturi de eorum conversione. Uti eodem loco sequitur: היו בית דין הגדול חוששין להם לא דוחין אותן אחר שטבלו מכל מקום ולא מקריבין אותן עד שתראה אחריתם: *supremus senatus fuit solicitus de iis, non quidem eos ejecit, posteaquam baptizati fuerunt, interea tamen etiam non plane admisit, usque dum constaret, quem res sit habitura exitum.* In quo quidem maxima eorum enituit prudentia. Præviderunt enim, eos, qui Religionem Judaicam non propter se amplecterentur, sed propter aliquid aliud, facile, hoc mutato, ab illa quoque recessuros. Nec ea in re decepti sunt, cumprimis si *Salomonis* uxores spectemus. Licet autem has quoque non receperint, observantiores hac in parte suæ integritatis, quam favoris aulici; eæ nihilominus proselytæ reipsa fuerunt, factæ a domo judicii inferioris vel plebeii. Quod ad rationem proselytismi perinde est. Nam, ut dicitur *num.* 7. גר שלא בדקו אחריו או שלא הודיעוהו המצות ועונשן ומל וטבל מפני שלשה הדיוטות הרי זה גר: *proselytus utut eum neque explorarint neque docuerint de legibus, & pœna transgressionis, dummodo circumcisus sit, & baptizatus coram tribus plebeiis, est proselytus.* Ut ita fides *Maimonides* in dubium vocanda non sit, scribentis *num.* 14. לא יעלה לדעתך ששמשון המושיע את ישראל או שלמה מלך ישראל שנקרא ידיד יהוה נשאו נשים נכריות בגיותן: *ne persuasum habeas, quod Simson liberator Israelis, aut Salomo, Rex Israelis, qui dilectus Domini vocatur, uxores duxerint alienigenas, quum adhuc in Gentilismo essent.* Et num. 16. גייר שלמה נשים ונשאן וכן שמשון גייר ונשא *proselytas fecit Salomo & eas duxit uxores, proselytam fecit Simson & duxit uxorem.*

XXII. Unde credimus non tam peccasse *Salomonem* quod Gentiles uxores duxit, prius Judaizatas, quam quod tam multas duxit, & iis ad idololatriam relabentibus, ipse quoque defecit & idololatra factus, posthabita Lege *Mosis*, in plerisque se gessit, ut Gentiles. *Kimchium* in his consentientem habemus, 1. *Reg. c.* 3. *v.* 13. ubi sic ait: ויאהב שלמה את ה' עבדו מאהבה כלומר אף על פי שלקח בת פרעה לא סר בעבודה מה עד לעת זקנתו שהרבה נשים נכריות ובת פרעה והאחרית הטי את לבבו מאהבת ה' ובאמת נראה שהשיב אותה לדת ישראל אף על פי כן היתה אסורה לו לפי שהיתה מצרית ראשונה ומרז"ל שאמרו כי מותרת היתה לו כי מה מאמר בנים אשר יולדו להם דור שלישי בנים ולא בנות ואע"פ שלא נקבעה ההלכה כך כדי והחכם אע"פ שאמר כי קבלה היתה בידו נראין דבריו כי לא ראינו בכתוב שחטא שלמה על שלקח בת פרעה אלא על שהרבה נשים ודבק בהם באהבה עד שהסירו את לבבו והניח נשיו הנכריות לעבוד אלהים אחרים ואז בהרבות הנשים לא היה שומר להשיבם לדת ישראל אלא היה לוקחן בגיותן לתאות לבו ומניחן לעשות כמשפטי הגוים: *Dilexit Salomo Dominum, hic servivit ipsi præ amore. Ac si dicat: quantumvis duxerit filiam Pharaonis, non tamen propterea recessit a Domino, usque dum consenuit. Tum demum multitudo Uxorum extranearum, filia Pharaonis & aliæ deflexerunt cor ejus ab amore Domini. Et revera videtur, quod filiam Pharaonis ad religionem Israeliticam converterit. Quamvis enim ex eo, quod Ægyptica ante fuerit, ipsi non esset licita; sunt tamen ex Magistris, qui eo non obstante, dicunt, quod concessa ipsi omnino fuerit. Idque ideo, quia lex dicit, Deut.* 23. *v.* 8. *filii, qui nascentur eis generatione tertia, ingredientur cœtum Domini, filii, non filiæ. Licet autem hac de re nihil decisum sit & determinatum, utut vir sapiens dicat, se traditionem habere in manu sua; videtur tamen ita esse, ut dicit. Neque enim in Scriptura vidimus, propterea peccasse Salomonem, quod Pharaonis filiam duxerit: sed potius, quod duxit tam multas, & tanto iis amore adhæsit, ut averteretur cor ejus, & permisit uxoribus alienis, ut diis quoque alienis servirent. Tum enim in tanta multitudine Uxorum non operam dedit amplius, ut eas ad religionem Israeliticam converteret, sed duxit pro desiderio cordis sui, adhuc in gentilismo hærentes, iisdemque permisit, facere, sicut aliæ gentes faciunt.*

XXIII. De *Mose* nihil videmus, cur quisquam dubitet. Quomodo enim impune uxorem habuerit, gentilem adhuc & idololatriæ deditam, qui vix effugit

mor-

mortem, saltem quod filium Eliefer nondum circumciderat? Quæsivit enim Dominus occidere eum, לפי שלא מל את בנו אליעזר ועל שנתרשל נענש מיתה: *propterea, quod filium suum, Eliefer, non circumciderat. Et quia remisse ea in re egerat, morte multandus erat*, ut docent *Jarchi*, *Aben Esra*, *Michlal Jophi Exod. c. 4. v. 14.* Quomodo licitam sibi putaverit gentilem in gentilismo manentem, qui princeps totius populi erat, quum gentilem ad Judaismum conversam neget ei licitam esse, qui princeps erat tantummodo sacerdotum? Quum enim de Pontifice *Levit. c. 21. v. 14.* scribit: *Virginem e populis suis ducet uxorem*; *Aben Esra* rationem ejus dat: כי הבתולה השבויה והמתייהרת אסורה לו: *quia virgo captiva, licet ad Judaismum perducta sit, ipsi est prohibita*. Nec nihil ad adstruendum *Zipporæ* proselytismum facit, quod etiam pater ejus *Jithro* cum tota familia Judaismum est amplexus. Sicut id pro certo *Hebræi* habent, & inter illos *R. Mose Gerundensis*; ita enim scribit in *Parasch.* וילתכן שהלך שם לגייר את משפחתו חזר יתרו למשה ועינדנו בהר סני: *certum est, quod Jithro isthuc iverit, ut familiam suam perduceret ad Judaismum & rediit ad Mosen, quum adbuc in monte Sinai esset*. Unde *Talmudici* de eo honorifice dicunt *Massech. Sanhedrin c. 11.* גיורא עד עשרה דור לא תבזה ארמאי קמיה: *ne spernas Syrum, in decimam usque generationem, præ peregrino*. Ubi *Syrum* vocant, qui *Medus* fuit, propter vicinitatem regionum.

XXIV. Quod denique interdicta attinet, cumprimis autem illud *Deut. cap. 7. v. 3. non junges te affinitate cum eis*, & alterum *Deut. c. 23. v. 3. non ingredietur Ammonita & Moabita in cœtum Domini*: Ea *Hebræi* non absolute, sed sub hac conditione accipienda putant, nisi Gentiles ad Judaismum toto corde prius convertantur. Unde sicut conjugia inter Israelitam & Gentilem non Judaizatam inita, cum interdicto *Deut. cap. 7. v. 3. & cap. 23. v. 3.* pugnant, & propterea ad exemplum *Esræ c. 9. & 10.* dissolvenda sunt: Ita ex adverso ea, quæ inter Israelitam & Gentilem contracta sunt, prius ad Israeliticam religionem conversam, apud *Judæos*, cæteris paribus, nihil habent vitii, nec juri divino adversantur. Sicuti hoc diserte fatetur *R. Dav. Kimch.* in פירן ad 1. *Reg. cap. 11. v. 2.* ita scribens: כתוב ולא תתחתן בם בתר לא תתן לבנו ובתו לא תקח לבנך ואף על פי שאמר זה בשבע גוים היא הדין לכל שאר אומות אלא לפי שהיו באים בארצם הזהירא עליהם אבל את היה משיב אותם לדת ישראל לא היה אסור אם היו מתניי ות בלב שלם רא חמת יראה ואהבה ודבר זה מחלוקת בין די ר״ל: *scriptum est, non contrahes affinitatem cum eis, non dabis filiam tuam filio ejus, nec accipies filiam ejus filio tuo. Quod etiamsi de septem gentibus dicitur, de reliquis tamen populis idem est judicium. Specialiter vero de illis Israelitæ admonentur, quod in eorum terram frequentius venire solerent. Si tamen sit, qui eos convertat ad religionem Israeliticam, prohibitum amplius non est; dummodo ad Judaismum convertantur corde integro, non propter metum vel propter amorem. Quanquam Magistri nostri hac de re inter sese non consentiunt*. Sit autem ita, & inter *Rabbinos* hac in parte non conveniat; nihil tamen hoc ad rem facit. Nam dissensus ille in hoc solum est positus, quod alii mares *Ægyptiorum* tertia demum generatione *Israelitidibus* in matrimonium esse concessos, putant, alii Masculorum & fœmellarum eandem volunt fuisse rationem, & utrosque non nisi tertia generatione connubio jungi Israelitis potuisse. Sicut quoque inter eos non convenit, qui in interdicto Mosaico mares tantum intelligendos contendunt, non fœmellas, quod ibi בנים dicitur, non בנות alii enim fœmellas Ægyptiorum semper concessas docent Israelitis: alii contra quatuordecim annos excipiunt, septem quibus subacta, & septem, quibus divisa est Cananæa.

XXV. Sed quid hoc ad nos? qui in eo versamur, ut ostendamus, *Mosen*, *Simsonem*, & *Salomonem* gentiles quidem duxisse, sed prius proselytas factas. Quod hactenus prubatum esse, ex dictis liquere putamus. Disputent nunc inter se Judæi, quo tempore Gentilium fœmellæ Israelitis in matrimonium fuerint concessæ? In hoc certe conveniunt, si non obstet circumstantia temporis, & fœmina gentilis abjecto Gentilismo Judaismum amplectatur, inter ipsam & Israelitam conjugium jure divino sit concessum. Et cur sic statuunt, quod sciamus, fundamento nituntur eodem. Gentiles enim, si proselyti fiunt & mediante circumcisione ac baptismo, si mares sunt, vel baptismo tantum, si fœmellæ, Judaismo initiantur, fiunt revera Israelitæ & Israelitides, & tales etiam apud ipsos censentur. Quod *Arrianum* cognovisse, vero admodum simile est *l. 2. in Epist. cap. 9.* scribentem: ἐὰν ἀναλάβῃ τὸ πάθος, τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ (πεὶ) ἡρημένου, τότε καὶ ἐστι τῷ ὄντι καὶ καλεῖται ἰουδαῖος. *Si affectum baptizati & circumcisi assumserit, tunc & est revera & dicitur*

citur

citur Judæus. Hoc ſolum intereſt, quod ad differentiam eorum, qui ſanguine Judæi ſunt, ipſi proſelytorum nomen tantiſper retinent, dum ſanguini illorum, frequentatis connubiis, miſceantur. Ut igitur juri divino conſentaneum eſt, ſi Iſraelitidem ducat, ita quoque, ſi proſelytam. Proſelyta enim Iſraelitis eſt, licet non generatione, tamen regeneratione, quod in præſens ſufficit. Nam regeneratio & novatio natalium, quæ במילה & בטבילה *circumciſione & baptiſmo* fit, veterem hominem, ex ſententia Judæorum, totum exuit & velut ex aliis parentibus naſceretur ita reſtituit novum, ut nulla jam cognatio gentilis ſuperſit ipſi neque cum parentibus, neque etiam cum liberis ſuis, & ſe perinde habeat, ac ſi nec ab illis natus ſit, nec hos genuerit. Cujus quidem rationem *Talmudici* in *Maſſ. Jevamoth. c.* 2. hanc aſſignant: גר שנתגייר כקטן שנולד דמי: *proſelytus, qui ex gentiliſmo tranſit ad* Judaiſmum, *eſt ſicut infans, qui ex novis parentibus naſcitur*.

XXVI. Quod, quum inter Judæos non poſſit non eſſe notiſſimum, aut ſaltem Doctores eorum ignorare non debeant; merito ſalvator noſter, *Chriſtus*, *Joh. c.* 3. *v.* 10. miratur, quod, ipſo de regeneratione ex aqua & ſpiritu concionante, *Nicodemus* tam abſurde philoſophetur, ac ſi fieri nequeat, ut aliquis renaſcatur, niſi in uterum matris ſuæ redeat. Quum ipſe, tanquam *Doctor Iſraelis*, niſi propria vineta incidere velit, diffiteri non poſſit, proſelytos, quum Judaiſmo initiantur, renaſci, nec tamen in uterum matris ſuæ redire. Quam Chriſti mentem eſſe, quum manifeſte pateat, cernere ſimul etiam licet, quam pauci *Interpretum* eam ſint aſſecuti. *Chryſoſtomus* ait: *Duo erant quæ Nicodemus admirabatur. Scilicet nativitas talis & regnum. Neque enim audita erant apud Judæos*. *Auguſtinus*: *Non noverat iſte, niſi unam nativitatem, ſcilicet ex Adam & Eva*. Eadem chorda Recentiorum plerique oberrant. Omnes ignoratione rerum Judaicarum. Quas tamen noviſſe, utinam multi non in vitio ponerent. Quicquid ſit, eam renaſcentiam, quæ in proſelytis, mediante circumciſione & baptiſmo fit, *Apoſtolum* noviſſe, dubitare vix ſinit locus *Eph. c.* 4. *v.* 22. 23. 24. ubi *Epheſios* jubet, ut *deponant veterem hominem*, qui corrumpitur ſecundum deſiderium erroris: renoventur autem ſpiritu mentis: & *induant novum hominem*, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis. Et de regeneratione vel potius renovatione Chriſtianorum eodem fere modo loquitur, quo Judæi de Judaizatione proſelytorum.

XXVII. Regeneratio autem Judaica, qua proſelyti fiunt, plurimum differt a regeneratione ſpirituali, quam *Theologi*, & civili, quam ICti docent. Neutra enim harum cognationem naturalem tollit: Illa ita abolet, ut, qui ex gentili Judæus fit, nec parentes habeat amplius, nec liberos, nec fratres, nec ſorores. Quod auditum, quum *Corn. Tacitus* non intellexiſſet, *l.* 5. *Hiſtor.* ubi de origine Judæorum, moribus, & religione agit, inter alia ſic ſcribit: *Circumcidere*, inquiens, *genitalia, conſtituere, ut diverſitate noſcantur. Tranſgreſſi in morem eorum* (proſelyti) *idem uſurpant. Nec quicquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos*, (fugere idololatriam) *exuere patriam; parentes, liberos, fratres, vilia habere*. Unde abolita cognatione naturali ſimul etiam ceſſant jura, quæ naturali cognatione nituntur. Nempe ſi proſelytus moritur prius, quam liberos in proſelytiſmo gignat, obit abſque hærede. Quum enim parentes, ex quibus natus fuerat, & filii vel filiæ, quos ante proſelytiſmum genuerat, nullo amplius cognationis titulo ipſum attingant, jus etiam ſucceſſionis in ipſius bona habere non poſſunt. Nec eſt, quod legi fraudem facere velint, ſi gentiliſmo abjecto & ſuſcepto Judaiſmo fiant etiam proſelyti. Ut enim hujuſmodi natalium novatione cognationem jam tum amiſſam, ita quoque jus ſucceſſionis ab ea dependens recuperare non poſſunt. Ut habet *Maimon. p.* 4. *in Hilc.* יד *Nachaloth cap.* 6. *n.* 10. אין הגוי יורש את אביו הגר ולא גר יורש את גר לא מדברי תורה ולא מדברי סופרים: *Gentilis filius non poteſt adire hæreditatem patris proſelyti, nec proſelytus adire hæreditatem proſelyti, ſive conſideremus verba legis ſive verba ſcribarum*. Et ibid. in *Hil.* זכייה ומתנה *c.* 9. *num.* 7. ſcribit: הגר אעפ שיש לו בן שלידתו בקדושה ואין הורתו בקדושה אינו יורשו: *Proſelytus, etſi filium habet, qui ipſi natus ſit in ſanctitate, poſtquam proſelytus eſt factus, quia tamen in ſanctitate non eſt conceptus, ſed ante proſelytiſmum, non poteſt ejus eſſe hæres*.

XXVIII. Hoc igitur in caſu illud uſu venit, quod de bonis derelictis *ICti* pronunciant: nempe *quod nullius eſt, eſt occupantis*. Quæ Juris conſtitutio in *Talmud.* extat *Maſſechech Bava Bathra cap.* 3. האומנין והשותפין והמוליסין והאפטרופין אין להן חזקה אבל בנותן מתנה והאחין שחלקו והמחזיק בנכסי הגר זו חזקה: *Artificibus, participantibus, hortulanis, curatoribus, non competit jus occupandi: at* ve-

vero illi, qui dono aliquid dat, & fratribus, qui diviserunt, & isti, qui occupat bona proselyti, omnibus iis competit jus occupandi. Quod, quia *Raschi* prolixius ibi explicat, id tantum excerpimus, quod argumento nostro inservit. Sic autem in margine scribit: בנכסי הגר שאין לו יורשין וכל הקידם להחזיק בנכסיו זכה: *quod bona proselyti attinet, qui nullos relinquit hæredes, illius ea sunt, qui primus est & ea occupat*. Idem innuens, quod *Maimonid. in Hilcoth.* זכיה ומתנה *cap.* 1. *num.* 6. גר שמת ולא הוליד ישראל אחר שיתגייר אין לו יורשין אלא כל הקידם והחזיק בנכסיו זכה: *si moritur proselytus, & nullum genuit Israelitam, ab eo inde tempore, quo proselytus est factus; nullos post se relinquit hæredes, sed quicunque possessionem bonorum ejus primus adierit, is hæres est*. Si vere liberos in proselytismo gignat, illi succedunt in bona, & quem primum suscepit, is primogenituræ jus habet & secundum legem accipit duplum. *Hilcoth* נחלות *cap.* 1. *num.* 12. היו לו בנים בכותיתו ונתגייר אין לו בכור לנחלה אבל ישראל שהיה לו בן מן השפחה ומן הכותית הואיל ואינו בנו הבא לו אחריו מן הישראלית בכור לנחלה ונוטל פי שנים: *Si cui sunt liberi, ex uxore Ethnica, dum ipse quoque gentilis adhuc fuit, & deinde fiet proselytus, primogenitus inter eos non habet jus successionis in bona. Imo, si Israelita sit, qui filium habeat ex ancilla & gentili susceptum; quoniam ille nequit vocari filius ejus, ideo is, qui ipsum postea sequitur, ex Israelitide natus, jus primogenituræ habet, & duplum ex hæreditate accipit*.

XXIX. Sed si accidat, quod, sæpissime factum esse, dubitari non potest, ut uxor & liberi, mariti & patris exemplum secuti, a Gentilitate etiam ad Judaismum transeant; pro damno, quod eos, exuta consanguinitate, pati, necesse est, dum mutua successione se privant, ab duplici vinculo, velut in compensationem, liberantur. Quum enim, ut jam dictum est se nullo amplius cognationis titulo contingant & sublatis relationibus, quæ inter parentes & liberos, inter fratres ac sorores, inter affines, antea fuerant, nunc se invicem non alio respectu intueantur, quam ut extraneum; nemo non videt, eos etiam, מצות יבום h. e. *præcepto Levirationis Deut. c.* 25. *v.* 5. non amplius teneri. Quomodo enim qui pro præsenti statu fratris uxorem ducet; & fratri semen excitabit, quo fratrem amplius non habuit? Expresse tradunt *Thalmudici*, *Massech. Javamoth. cap.* 11. הגיורת שנתגיירו בניה עמה לא חולצין מייבמין אפילו הורתו של ראשון שלא בקדושה ולידתו בקדושה והשני הורתו ולידתו בקדושה: *si cum proselyta filii quoque ejus fiant proselyti, tum neque calceum exuunt neque Leviri officium præstant, licet primus, non quidem in sanctitate conceptus, in sanctitate tamen natus, secundus autem in sanctitate & conceptus & natus sit*. Ratio in margine hæc est: דאחוה מן האב בעינן לגר אין שאר דאב *quia fraternitas est a patre, sed proselyto reliquus pater non est*.

XXX. Quum etiam sublata consanguinitate naturali, nulli consanguinitatis gradus sint, qui eos stringere queant, & Mater filium, soror fratrem, non alia ratione respiciant, quam ut extraneæ extraneos; quid erit, cur connubio jungi non possint? religio enim eadem est & cognatio sanguinis nulla. Ceu part. 2. lib. יד in *Hilcoth* יבום והליצה *cap.* 1. *num.* 8. patet: גרים שנתגיירו אין להן אחוה כלל וררי הן כזרים זה לזה ואפילו אחת מהם הורתו שלא בקרושה ולירתו בקרושה והשני הורתו ולירתו בקרושה הרי הן כזרים ואפילו תאומים ונילרו בקרושה אין ביניהן אחוה ער שתהא הורתן בקרושה: *proselyti, qui ex gentilismo ad Judaismum transeunt, nullam penitus fraternitatem inter se retinent, sed se habent, alter ad alterum ut alieni. Quantum vis enim unius ex ipsis conceptio quidem non in sanctitate, nativitas autem in sanctitate, alterius & conceptio & nativitas in sanctitate sit facta, non tamen se invicem aliter habent, atque alieni, imo licet gemini sint, & ambo in sanctitate nati, tamen inter ipsos nulla est fraternitas, nisi utrumque acciderit, & in sanctitate tam conceptio, quam nativitas eorum sit facta*. Gemini igitur, si Mas & fœmella sunt, non obstante, quod ex iisdem parentibus nati, & ex eodem utero simul editi, si eos ante proselytismum parentum conceptos constet, utut, in proselytismo eorum, lucem demum aspexerint, jure tamen Hebræorum nullam inter se sanguinis cognationem habent, quæ nuptias illorum impedire possit. Non enim se invicem magis respiciunt, quam alienus alienum. Ut enim ad eos, a quibus geniti sunt, pro hoc statu, non referuntur, ut liberi ad parentes, ita ad se invicem referri nequeunt, ut frater, & soror. Unde si filius Matrem, frater sororem, post susceptum proselytismum, ducat, incestus non est, nec cum lege, *Levit. c.* 18. *v.* 7. 8. 9. pugnat. Ne tamen, quod hac in parte licet, etiam libeat, edicto cautum a sapientibus est, ceu scribit *Maimon. in Hilc. Iss. biah. c.* 14. *n.* 12. דין תורה שמותר לכותי שישא אמו או אחותו מאמו שנתגיירו אבל חכמים אסרו

רבר

:דבר זה *Sententia legis eſt, quod Proſelyto ſit permiſſum matrem ſuam aut ſororem ex matre, uxorem ducere, ſi ad proſelytiſmum prius tranſierint. Sed Sapientes, ne id fieret probibuerunt*. Cauſam prohibitionis, in *Maſſech. Jevamoth c.* 2. *&* *c.* 11. & *Maſſech. Sanhedrin cap.* 7. in 'פירו hanc fuiſſe volunt: כדי שלא יאמרו באנו מקדושה חמורה לקדושה קלה: *ne dicere poſſent proſelyti, devenimus ex ſanctitate Noachidarum, quæ gravior fuit, in ſanctitatem Iſraelitarum, quæ levior nobis eſt*. Utrumque etiam habet *Schulchan Aruch. part.* 2. ia Hilc. נרים & iiſdem verbis, niſi quod pro דכותי dicit דגר quod perinde eſt.

XXXI. Quicquid ſit, juribus hoc, quæ proſelyti inter Hebræos habent, non accenſemus, quippe quæ in aliis rebus poſita ſunt, potiſſimum autem in hoc, quod proſelyti per proſelytiſmum conſequuntur, ut inter Iſraelitas ſint, ipſi Iſraelitæ, ceu dixit *Moſes Num. c.* 15. *v.* 15. quod Jure Divino & coram Domino eadem Iſraelitæ & proſelyti ratio ſit. ככם כגר *ſicut vos, ita proſelytus erit coram Domino*. Quod *Talmudici* concedunt *Maſſech. Jevamoth c.* 4. & alibi. Unde *Maimon. H. Iſſ. baib. c.* 12. *num.* 17. כל הכותים כולם כשיתגיירו ויקבלו עליהן כל המצוות שבתורה הן כישראל :דכל דבר *Gentiles, quicunque etiam fuerint, ſimul atque proſelyti ſunt facti & in ſe receperunt omnia præcepta legis, in omnibus rebus ſunt ſicut Iſraelitæ*. Quod *Philo* etiam in *l. de Monarchia* affirmat, quum Moſen ſcribit, ἰσοτιμίαν ἅπασιν ἐπηλύτοις μεταδοῦναι καὶ χαρίσασθαι ὅσα καὶ τοῖς αὐτίχθοσιν, *æqualia jura dediſſe omnibus proſelytis, & quæcunque indigenæ habent, eadem etiam illis conceſſiſſe*. Quod non de ſingulis generum accipiendum eſt, ſed de generibus ſingulorum. Neque enim cuivis quamvis dignitatem adire licet, neque conjugium cujuslibet cum qualibet eſt permiſſum. In genere tamen via proſelytis patet non ſolum ad dignitates, ſed ad conjugia quoque cum Iſraelitidibus, prout quiſque capax eſt & habilis.

XXX. Ex juribus autem illis primo numeramus loco jus civitatis. Quod ſicut Iſraelitæ *nativitate*, ita proſelyti *cooptatione* conſequuntur, quando ex decreto ſenatus circumciſi & baptizati, poteſtatem ſimul accipiunt utendi fruendi omnibus commodis, privilegiis ac libertatibus, quæ civibus Politiæ Judaicæ, ratione civilis ſocietatis, competunt. Inde ſenatus etiam eos οὐχ ἧττον τῶν ἰδίων πολιτῶν *perinde ut ſuos cives* æſtimat, ut iterum habet *Philo*. Et fruſtra plane eſt *Seldenus, l. de jure naturæ & gentium c.* 4. quum proſelytos politiæ judaicæ cives eſſe dicendos, ex eo negat, quia judicii & Magiſtratus non ſint participes. Et deducit ex *Ariſtotele*, cui *l.* 3. *Polit. c.* 1. πολὶς ἁπλῶς ὐκ ἐνὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον, ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς, *civis nulla re alia magis definitur, quam judicii & Magiſtratus communione. At proſelyti inter Judæos communionem judicii & Magiſtratus non habent*. Nam *Ariſtoteles* non definit civem in ſe & ſua ratione formali, ſed, ut eſt talis & in tali Rep. Patet: Quia datur civis, etiam ex ſententia *Ariſtotelis*, qui judicii & Magiſtratus particeps non eſt. Ergo communio judicii & Magiſtratus non eſt de ratione formali civis, & aliquis poteſt civis eſſe, qui neque ſuffragii neque Magiſtratus capeſſendi jus habet. Antecedens probatur: quia, ut ipſe *Ariſtotelos* fatetur *d. libr.* 3. *c.* 1. *&* 8. non omnium civium in omnibus Rebuſp. idem jus eſt. Nam in civitate libera, in qua ſumma poteſtas penes populum eſt, civis jus habet ſuffragii & Magiſtratus: in Ariſtocratia & Monarchia non habet, ſed in certas perſonas jus illud eſt depoſitum. Ita plebs in Rep. Romana habuit jus civitatis, & tamen jus ſuffragii vel adeundi Magiſtratus, ante *legem Valeriam* non habuit, ut conſtat ex *Halycarnaſ. l.* 3. *Cicerone l.* 3. *de legibus*. Et *Cærites* habuerunt, ut ſcribit *Gellius l.* 16. *Noct. Attic. c.* 13. *primos*, inquiens, *municipes ſine ſuffragii jure Cœrites eſſe factos accepimus, conceſſum illis, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent, ſed negotiis tamen atque oneribus vacarent*. Relinquitur ergo, quod communio ſuffragii & Magiſtratus non ſit de ratione civis, ut ſic, & quod *Ariſtoteles*, quum eum eſſe civem dicit, ὃς κοινωνοῖ τῆς ἀρχῆς, non civem ſimpliciter definiat, ſed civem talem, nempe qualis eſt in Rep. populari. Nec mirum eſt, in diverſis Rebuſp. diverſos quoque cives eſſe: Propter diverſam enim earum adminiſtrandarnm rationem aliter fieri nequit. Præterea illud quoque falſum eſt, quod *Seldenus* negat, proſelytos cum Judæis habuiſſe judicii & Magiſtratus communionem, ut paulo poſt oſtendemus. Argumentamur igitur: Quicunque in aliqua Rep. poteſtatem habent non ſolum utendi & fruendi omnibus commodis, privilegiis & libertatibus, quæ civibus in ea competunt, ſed etiam adeundi dignitatem ſenatoriam, illi ſunt cives iſtius Reip. Sed proſelyti in Rep. Judaica poteſtatem habent non ſolum utendi fruendi omnibus commodis, privilegiis & libertatibus, quæ Ju-

Judæis in ea competunt, ſed etiam adeundi dignitatem ſenatoriam. Ergo proſelyti ſunt cives Reip. Judaicæ.

XXXIII. Nec modo jus civitatis habent verum etiam jus ſacrorum. Non loquimur autem de illis ſacris, quorum uſu proſelytis domicilii, nec etiam aliis gentilibus plane fuit interdictum, cujuſmodi ſunt preces, adoratio numinis, ſpontaneæ oblationes, & holocauſta. Ad quæ Gentiles a Judæis admiſſos fuiſſe, *Heliodori* exemplo conſtat, qui recuperata, preciſius *Oniæ*, ſanctitate, Hieroſolymis ſacrificium obtulit & vota magna nuncupavit Deo, qui vitam ipſi reſtituerat, 2. *Macchab. c.* 3. *v.* 35. *& Vitellii apud Joſeph. l.* 18. *Antiq. Jud. c.* 7. qui Comite *Herode Tetrarcha*, Hieroſolymam aſcendit, ſacrificaturus Deo, in die feſto Judæorum, qui tunc inſtabat. Ita Gentilem fuiſſe Eunuchum *Candaces Reginæ* Dynaſtam, *Act. c.* 8. 27. negari nequit, & nemine tamen obſiſtente venit Hieroſolymas ut adoraret. Nec ἕλληνας, qui *Joh. c.* 12. *v.* 20. aſcenderant, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ, dubitamus, Gentiles fuiſſe, moti partim eo, quod qui aliter ſentiunt, & vel natione Gentiles ſed Judaicam Religionem amplexos, vel natione Judæos, ſed in Græcia habitantes intelligunt, nullo fundamenta nituntur: partim etiam, quod *Syrus* Interpres eos non Græcos vocat, ſed מן עממא אנשא *Quoſdam ex Gentibus*. Quem *Vulgatus* etiam ſequitur, *quidam*, inquiens, *gentiles*. Qui quanquam tales eſſent, quo minus tamen Hieroſolymis adorarent, a Judæis repulſi non ſunt. Adorabant autem non velut Judæi, in templo, ſed in ſubdiali, quod vocabatur, Gentium. Idque ex inſtituto *Salomonis* 1. *Reg. c.* 8. *v.* 41. Interius enim Templi penetrare Gentiles, Judæi non ferebant. Unde parum aberat, quin diſcerpſiſſent *Paulum*, a quo *Trophimum Epheſinum* in templum putabant introductum, *Act. c.* 21. *v.* 28. *Viri Iſralitæ, clamabant, adjuvate, hic eſt homo, qui gentiles induxit in Templum & violavit ſanctum locum.* Nec ſacrificabant, ut Judæi, omnis generis ſacrificia, ſed tantum holocauſta, uti liquet *p.* 3. *l.* יר *Hilc. Maaſe Hakkarvanoth. c.* 3. *n.* 2. *&* 3. ואחד אנשים ואחד נשים או עבדים מביאין כל הקרבנות אבל הכותים אין מקבלין מהם אלא עולות בלבד : וכן אין מקבלין מהם שלמים ולא מנחות ולא חטאות ואשמות ושהביא שלמים מקריבין אותן עולות שהכותי לבו לשמים : *Et viris, & fœminis, & ſervis licet, ut oblationes, quas velint, afferant. Sed a Gentibus non accipiunt, niſi holocauſta tantum, ſacrificia enim pacifica vel frumentacea ſacra, vel ſacrificia pro peccatis, ſive ex ignorantia ſive ex proæreſi, commiſſis, plane ab iis non accipiunt. Quod ſi pacifica accipiant, accipiunt quidem, non tamen ut pacifica offerunt, ſed ut holocauſta, idque propterea, quod cor ejus ad Deum directum vident.*

XXXIV. Dum autem licuiſſe dicimus piis gentilibus, ut Hieroſolymis ſacrificarent, nolumus id accipi de ſumtu tantum. Nam in arbitrio illorum fuit poſitum, ut vel ſumtum pro ſacrificio darent, ſicut *Cyrus*, *Alexander Magnus*, *Auguſtus*, & alii fecerunt: vel victimam ipſi ſuam adducerent, modo ſecundum legis præſcriptum eſſet munda. Ceu docet *Raſchi Levit. o.* 22. 25. גוי שהביא קרבן ביד כהן לשמים לתקריבו לא תקריבו לו בעל מום: *Gentilis, qui adducit victimam, ut eam, ſacerdotis miniſterio, offerat Deo, offerenda non eſt, ſi ſit vitioſa.* Sed uti dictum de his ſacris non loquimur, verum de illis, quæ Judæorum propria ſunt, & ad quæ, nefas eſt, vel Gentiles, vel etiam proſelytos inquilinos admitti, nempe de eſu agni paſchalis, de ſacrificiis pacificis & expiatoriis, de penſitatione ſicli. Horum jus proſelytis juſtitiæ perinde competit atque ipſis Judæis. Nam jus habent comedendi agnum paſchalem, ut docet *Moſe Exod. c.* 12. *v.* 48. *&* 49. jus habent offerendi ſacrificia pacifica & expiatoria, iiſdem ritibus, quibus Judæi offerunt, uti iterum docet. *Num. cap.* 15. *v.* 14. jus habent ſolvendi ſemiſiclum *part.* 1. *l.* יר *Hilc. Schekalim c.* 1. *n.* 7. הכל חייבים ליתן מחצית השקל כהנים לויים וישראלים וגרים ועבדים משוחררים אבל הכותים שנתנו מחצית השקל אין מקבלין מהם: *dimidum ſicli omnes tenentur ſolvere, ſacerdotes, Levitæ, Iſraelitæ, proſelyti, & ſervi manumiſſi. At dimidium ſicli, ſi gentiles offerant, ab iis accipiendum non eſt.* Dum itaque proſelyti eodem modo edunt agnum paſchalem, quo Judæi, eadem ſacrificia & iiſdem ritibus offerunt, quæ & quibus Judæi, ſemiſiclum ſolvunt, ut Judæi; ſequitur omnino, quod idem quoque jus habeant in ſacris, quod Judæi habent. Quantum ad jus connubii, quum nemo neſciat ab Iſraelitis proſelytas, a proſelitis Iſraelitidas, magno numero, fuiſſe ductas; illud, non videmus, quomodo, non competere proſelytis, queat. Quanquam reſtrictum aliquo modo fuiſſe; non diffitemur. Etſi enim Sacerdotibus licet eſſe laſcivis, & puellis bello captis, ſi gentiles ſint, & forma pulchræ, armata oſcula figere; eas tamen uxores ducere, utut proſelytæ fiant,

fiant, nequaquam licet, ut diserte legimus *in Hilc. Melachim c.* 8. *num.* 4. הכהן מותר ביפת תואר בביאה ראשונה שלא דברה תורה אלא כנגד היצר אבל אינו יכול לישאנה אחר כך מפני שהיא גיורת: *Sacerdoti cum fœmina pulsa congressus primus, in eo casu, si affectus rationem vincat, est concessus. Sed concessum non est, ut eam ducat uxorem, quoniam ex gentili proselyta est*. Quod interdictum cum omnes sacerdotes, tum vel maxime summum sacerdotem ligat, ceu *R. Aben Esra ad Lev. c.* 21. *v.* 14. ubi de sacerdote summo dicitur: *Viduam & repudiatam & profanam & meretricem non accipiet, sed virginem e populis suis accipiet uxorem*; etiam testatur, sic scribens: טעם להוסיף כי אם בתורה להזכיר על עממיו כי הבתולה השבויה והמתייהדת אסורה לו: *Quum addit Moses, sed virginem e populis suis: vult in memoriam revocare, quod virgine captiva, etiam Judaismum fuerit amplexa, summo sacerdoti sit interdictum*. Non igitur licet, ut sacerdos proselytam vel proselyti filiam ducat, ut tamen proselytus sacerdotis filiam ducat: nihil est, quod vetet. Superest ejus Magistratus, & dignitatis consularis, a quo proselytos simpliciter omnes excludunt. Sed falso. Nam in judicio inferiori sedere possunt, uti patet *Massech. Sanhedrin c.* 4. הכל כשרון ריני ממונות: *quilibet potest esse judex in judicio inferiori & judicare de pecuniis*. Quod *Coccejus* ita exponit: *quilibet, etiam Mamser & allophylus seu proselytus, dommodo sit matre satus Israelitide*. Et recte, nam *Maimon. in Hilc.* סנהדרין *c.* 2. *n.* 9. uti supra quoque monuimus, aperte fatetur, proselytum posse senatorem esse, אם תהיה אמו מישראל *si Matrem habuerit Israelitidem*. Tantum esse nequit מלך *Rex* vel שר צבא *dux exercitus*, vel נשיא *præses Synedrii* ut *Maimon.* habet *in Hilc. Melachim c.* 1. Sed quid tum postea? sufficit, quod non ab omni dignitate sit exclusus.

XXXV. Atque sic se habent proselyti, quos vocant, justi, inter Judæos, sic recipiuntur, sic fiunt, his gaudent sive privilegiis sive juribus inter ipsos. Quos etsi libentissime recipiunt, modo se ita gerant, ut recipi possint; tamen semper de illis conqueruntur, & velut proverbiali locutione eos comparant apostemati, quod, quantumvis molestum sit, ægre tamen queat tolli. Ita enim legitur *Massecheth Jevamoth. c.* 4. קשים גרים לישראל כספחת דכתיב ונלוה הגר עליהם ונספחו על בית יעקב: *Duri sunt Israelitis proselyti, sicut apostema. Quia scriptum est, Esai. c.* 14. *v.* 1. *copulabit se proselytus eis, & apostematibus afficietur domus Jacob*. Quod *Maimon. in Hilc.* אסורי ביאה *c.* 13. *n.* 18. sic proponit: אמרו חכמים קשים להם גרים לישראל כנגע צרעת: *dicunt sapientes: duri Israeli sunt proselyti, sicut plaga lepræ*. Quo sensu autem dicant, quum ipsis Hebræis inter se non conveniat, haud immerito quis dubitet. Alii enim dici putant: לגנאי ישראל *in opprobrium Israelitarum*, quod proselyti, quum neque ad montem *Sinai* steterint, neque tonitrua neque buccinæ sonum audierint, tamen, relicta patria, relicta cognatione & familia sua, alis divinæ Majestatis se submittant, Judæis interim, quicquid etiam Prophetæ clament, legem susque deque habentibus. Qua in re olfaciunt id, quod res est. Revera enim facilis proselytorum conversio in gravius judicium vertetur obstinatis ex Israele. Sicuti hoc in faciem illis a *Christo* dictum, *Matth. c.* 12. *v.* 41. & *Luc. c.* 11. *v.* 32.

XXXVI. Alii tamen dictum volunt לגנאי הגרים *in vituperium proselytorum*. Sed quo sensu, varie explicant. Quidam proselytos in eo graves esse, putant Israelitis, לפי שאינם בקואין ברקדיקי מצוות וישראל למדין ממעשיהם: *quod subtilitates legis non expendant, & opera eorum Israelitis offendiculo sint*. Alii, לפי שמתער בין בהם ואין שכינה שורה אלא על משפחות המיוחסות שבישראל: *quod se immisceant Israelitis, quum tamen divina Majestas non habitet, nisi super familias antiquas & patricias, quæ in Israel sint*. Alii, לפי שביותר היזהרו ישראל על הגרים ואין יכולין להזהר מאונאתן: *quod Israelitæ si vel maxime moneantur de proselytis, sibi tamen ab ipsorum fraudibus satis cavere nequeant*. Alii, שקשה הדבר לפרוש מהן אחר שנתגיירו: *quod difficile sit, ut Israel se ab iis separet, posteaquam semel per proselytismum fuerint recepti*. Alii, לפי שהיו בהן תחלה במדבר במעשה העגל ובקברות התאוה וכן רוב הנסיונת האספסוף: *quod primi autores fuerint confecti vituli, Exod.* 22. & *ejus, quod accidit in Kisrot haththaavah, Numer.* 11. & *multiplicium tentationum aliarum*. Nam, האספסוף *colluviem illam Num. c.* 11. *v.* 4. nil fuisse aliud quam: ערארא שנאספו עליהם בצאתם ממצרים: *promiscuam turbam, quæ aggregata Israelitis, una cum iis exierit Ægypto*. Alii, לפי ישראל ארח ומתעין (קל) דבר בשביל חוזרים שרובן: *quod multi eorum, propter leviculam sæpe causam deficiant rursum & seducant Israelem*. Videatur *glossa marginal. ad d. Mass. Jevam. c.* 4. & *Hilc Issur. Biah. c.* 13. *n.* 18. *Raschi & Aben Esra ab c.* 11. *v.* 4. *Numer.*

XXXVII. Quod nos putamus præcipuum,

puum, cur, proselytos sibi tantopere molestos esse, queritentur. Non solum ipsis cura incumbit, si quem Judaismo initiarunt, inspiciendi, quomodo se gerat, &, si animadvertant, quod non tam religionem, quam religionis prætextu, rem aliam amet, laborandi, ut justitiæ ejus consulatur, & ne scabies ea ad plures serpat: sed cumprimis, si ejusmodi proselytus, ut facile fieri potest, resiliat, lege tenentur, sollicitudine & studio summo eniti, ut eum, tanquam rem amissam, suam tamen, recuperent. qua in re non igni utuntur, non ense, non rota, sed funibus, nempe חבלי אהבה funibus charitatis, nec resilientem prosequuntur odio, aut lacerant conviтiis, aut diris devovent, quas vel ipse orcus horreat, sed revocant ברברי רצון רכים hoc est, *verbis placidissimis. Maim. proxime c. l. n. 17.* אפילו נודע שבשביל דבר הוא מתגייר הואיל ומל וטבל יצא מכלל הכותים וחוששין לו עד שיתבאר צדקותו ואפילו חזר ועבד עכום הרי הוא כישראל מומר שקדושין קדושין ומצוה להחזיר אבדתו מאחר שטבל נעשה בישראל לפיכך קיי שמשון ושלמה נשותיהן ואף עלפי שנגלה סודן: *Quantumvis perspectum habeant, quod quis non amore religionis, sed propter aliam causam a Gentilismo transierit ad Judaismum; nihilominus tamen, quoniam per circumcisionem & baptismum e cœtu gentilium egressus est, curam ejus gerunt usque dum justitia ejus declaretur. Et licet ad idololatriam relabatur & diis alienis serviat, adhuc tamen est, ut Israelita apostata. Nam sanctificationes sunt sanctificationes*, vel, ut habet *Schulchan Aruch in Hilc.* קדושיו קדושין גרים *Sanctificationes ejus sunt sanctificationes. Unde de ipso etiam, quia baptizatus est, tanquam de re amissa, lex in Israel facta est, ut reducatur vel restituatur. Quæ causa fuit, quod Simson & Salomo in vita conservarunt uxores suas, etiamsi notoria esset illarum defectio.*

XXXVIII. Hæc de proselytis hactenus dicta, intelligi debent de proselytis justitiæ. Qui sicuti descripto modo olim facti sunt, & jura ea, quæ recensuimus, inter Judæos usurparunt: ita etiamnum hodie fiunt, ut ex *Schulcham Aruch* patet *part. 2. in Hilc.* גרים & eadem usurpant jura, quæ Judæi usurpant. Quod maxime in *Asia* fieri credendum est, ubi Judæos non solum urbes sed integras etiam regiones possidere & suum principem habere, qui cum vicinis populis bella gerat, affirmat *R. Beniamin in Itinerario*. Illic enim sciscitantibus *Persis* Judæi respondent: יהדוים אנחנו אין עלינו לא מלך ילא שר מן הגוים אלא שר אחד יהודי: *Judæi sumus, & neque regem nec principem ex gentibus habemus, cui sumus subjecti, sed unum habemus principem, qui est Judæus.* Id tamen ut credamus, *Don Isaac Abarbanel*, vel si quis malit, *Abravanel*, non permittit. Qui quum credatur ex *tribu Judæ* & ex posteritate *Davidis* fuisse, diserte tamen in פיר' *ad cap. 52. v. 8. Es.* fatetur: לא היה בישראל מלכות ולא ממשלה ולא שבט משפט: *Israel neque regnum habet, neque dominium, neque sceptrum judiciale.* Quem locum plene adduximus *in Disp. de morbis & doloribus Messiæ th. 2.* cui consonat *R. David Kimchi Hoseæ c. 3. v. 4.* אין לנו לא מלך ולא שר מישראל כי ברשות הגוים אנחנו: *neque Rex nobis est, neque princeps ex Israele, sed sub potestate Gentilium sumus.* Quod ut libenter credimus, ita fieri posse non diffitemur, ut, licet sub potestate Regum sint, ipsorum tamen indultu, aliqualem inter se dignitatem & jurisdictionem obtineant; maxime in *Asia* & *Africa*, ubi magno numero habitant & oppidula a se extructa possident. Quæcunque autem ibi jura inter se Judæi habeant, ad ea viam illis quoque patere, qui vel e Gentilibus, mediante proselytismo, se Judæis associant, ex his, quæ paulo superius dicta sunt, opinamur, constat. Multos autem etiamnum esse, qui vel abjecto Christianismo in Europa vel abjecto Gentilismo, in Africa & Asia, ubi longe maximo numero habitant, Judaismum amplectantur, vix negari posse videtur, pro certo tamen affirmare nolumus. In Polonia enim & Bohemia atque aliis quoque Europæ locis certum est, nihil tale fieri. Idque Judæorum judicio cognovimus.

XXXIX. Quod attinet *Proselytos domicilii*, jam dudum Judæi nullos receperunt. Unde in *Schulchan Aruch.* ubi horum temporum consuetudines videmus annotatas, ne verbo quidem illorum mentio fit. Causam cur nullos recipiant, difficile non est, conjectura assequi. Quum enim ipsi extorres sint & patria sua tam longo tempore careant, quomodo aliis permittant, quod ipsi non habent? Ex quo igitur nullos celebrarunt Jubilæos, proselytos etiam domicilii receperunt nullos, uti *Maim. p. 1. lib.* יד *in Hilc. Milah. c. 1. n. 6.* habet: אין מקבלין גר תושב אלא בזמן שהיובל נוהג: *non recipiunt ullum proselytum domicilii, nisi eo tempore, quo jubilæi apud ipsos sunt usitati.* Et in *Hilc.* עכום *cap. 10. n. 6.* אין מקבלין גר תושב אלא בזמן שהיובל נהוג אבל שלא בזמן היובל אין מקבלין אלא גר צדק בלבד: *non recipiunt pro-*

proſelytum domicilii, *niſi eo tempore*, *quo jubilæus ſolet haberi* : *ſed quum jubilæus non eſt uſitatus*, *proſelytum etiam non recipiunt*, *niſi eum tantum*, *qui juſtitiæ eſt*. Jubilæos autem a Judæis inde a captivitate Babylonica fuiſſe intermiſſos, in *Diſp. de anno Jubilæo & ejus juribus apud Hebr. t.* 27. oſſendimus, adducto loco ex *Hilc.* שמטה ויובל *cap.* 10. *n.* 8. משגלה שבט ראובן ושבט גד וחצי שבט מנשה בטלו היובלות: *Ex quo in exilium eſt abducta tribus Ruben*, *& tribus Gad & dimidia tribus Manaſſe*, *ceſſarunt Jubilæi*. Ergo conſequitur, quod inde etiam a captivitate Babylonica nullos receperint proſelytos domicilii.

XL. Quos autem, florentibus adhuc rebus ſuis, receperunt, non alia conditione receperunt, quam ſi ſeptem uti vocant filiorum *Noachi* præcepta ſervarent. Quæ in *Hilc.* מלכים *c.* 9. *n.* 1. hoc ordine recenſentur: על ששה דברים נצטוו האדם הראשון על עכום ועל ברכת השם ועל שפיכות דמים ועל גילוי עריות ועל הגזל דהוניז הוסיף לנח אבר מן החי ינמצאו ז׳ מצוות: *ſex res ſunt primo homini mandatæ*, *de idololatria*, *de benedictione nominis divini*, *de effuſione ſanguinis*, *de revelatione turpitudinum*, *de rapina*, *de judiciis*. *Septima eſt Noacho addita*, *nempe de membro vivi*, *& ita facta ſunt præcepta in univerſum ſeptem*. Hos adſtringi ex Gentilibus oportuit, qui vel negotiorum tantum cauſa inter judæos commorabantur, vel domicilium & fixam ſedem apud eos habebant, vel bello ſubjugati in eorum poteſtatem venerant. Quod, ſi quis detrectavit, contumaciam ſuam luit capite, ceu in *Hilc.* מלכ׳ *c.* 8. *n.* 9. videre eſt כל כותי שלא קבל מצוות שנצטוו כנח הורגין אותו אם ישנו תחת ידינו: *omnem gentilem*, *ſi in manus noſtras venerit*, *& noluerit ſuſcipere præcepta*, *quæ filii Noachi præceperunt*, *occidunt & in Hilc.* מילה *c.* 1. *n.* 6. כותי אה לא קבל עלי שבע מציות יהרג מיד: *Gentilis*, *qui in ſe non ſuſcipit ſeptem præcepta*, *ſtatim occidatur*. Ad quod putarunt, ſe teneri lege, ſic enim ajunt: צווה משה מפי הגבורה לכוף את כל באי העולם לקבל מצוות שנצטוו בני נח וכל מי שלע קבל יהרג: *præcepit nobis Moſes ex ore Dei*, *cogere omnes*, *qui in Mundum veniunt*, *ut ſuſcipiant præcepta filiorum Noachi*, *aut*, *ſi nolint*, *necare*. Cujus adeo fuere tenaces, ut ne gentilibus quidem, quos vicinos habebant, tranſitum per ſuas regiones, aut operariis & artificibus gentilium laborem in ſua terra concederent, niſi prius communibus illis generis humani legibus ſemet obſtrinxiſſent. Quod *in Hilc.* עבום hoc eſt, *de Idololatria cap.* 10. *numer.* 6. legibus ſic conſtitutum dicunt: אסור לנו להניח עובד כום בינינו אפילו יושב ישיבת עראי אי עבר ממרום למקום בסחורה לא יעבור בארצנו אלה עד שיקבל עליו שבע מצוות שנצטוו בני נח: *non licet nobis*, *ut aliquem toleremus inter nos*, *qui idololatra eſt*, *etiamſi commoretur apud nos manſione tantum accidentali*, *& tranſeat de loco in locum negotiandi cauſa*. *Non enim tranſibit per terram noſtram*, *niſi prius in ſe ſuſceperit ſeptem præcepta*, *quæ præceperunt filii Noachi*.

XLI. Hoc tamen de felicioribus illis temporibus accipiendum eſt, quibus, florente Judæorum Republ. nullus erat populus, qui vel non ſentiret, vel ſaltem non metueret. Nam aliis ſeculis, quum res judaicæ vel nondum ſatis confirmatæ eſſent, vel a ſumma illa eminentia ſenſim ad perniciem illaberentur & nunc Judæi inciperent, in patria ſua velut peregrinari; nemo non videt, conſtitutionis illius nullam amplius vim ſuperfuiſſe. Si itaque ex Gentilibus eo tempore nonnulli id ſibi ſumſerunt, ut vel ſedem ſibi in Judæa figerent, vel negotiorum ſaltem cauſa ibi commorarentur, idque impune, juris illud non fuit, ſed facti. Judæorum enim conditio non permiſit, ut impedirent. Si quis vero renunciavit Idololatriæ & legibus ſe illis devinxit, quæ a filiis Noachi nomen habent, proſelytus domicilii factus eſt & ſic ejus obtinuit, Judæam incolendi. Licet enim non plane Judæus eſſet; ſuſceptione tamen legum iſtarum, ab aliis ſeſe gentibus ſegregavit, ut in gentilium etiam numero haberi amplius non poſſet, ſed intermedio, velut ordine eſſet: חסיד העולם *ſanctus hujus Mundi*, ut ſcribitur in *Hilc. Iſſ. Biab. c.* 14. *n.* 7. גר תושב זה כותי שקבל עליו שלא יעבור עכום עם שאר המצות שנצטוו בני נח ולא מל ולא טבל הרי זה מקבלין אותו והוא מחסידי אמות העולם: *Gentilis*, *qui in ſe ſuſcepit præceptum de vitanda idololatria*, *cum aliis*, *quæ filii Noachi præceperunt*, *eſt proſelytus domicilii*, *&*, *licet nec circumciſus ſit nec baptizatus*, *eum recipiunt*, *habentque*, *ut unum ex ſanctis mundi*. Oportuit autem, ut hoc faceret in trium præſentia, qui ſicubi opus eſſet, de proſelytiſmo ejus teſtari poſſent *Hilc.* מלכים *c.* 8. *n.* 10. צריך לקבל עליו מפני שלשה חברים *neceſſe eſt ut in ſe ſuſcipiat*, *præſentibus tribus ſui ordinis*. Eadem enim proſelyti domicilii ratio fuit hac in parte, quæ juſti. Si in quæſtionem veniret proſelytiſmus, adductis teſtibus fuit probandus. *Dict. Hilc. c.* 13. *n.* 7. בא ואמר נתגיירי בבית דינו של

פלוני

פלוני והטבילוני אינו נאמן לבא בקהל עד שיביא עדים: *veniat quis & dicat, se proselytum esse factum, in domo judicii, hoc vel illo loco, ibidemque baptizatum; non est credendum, nec permittendum, ut in cœtum veniat, donec adducat, qui id testentur.*

XLII. Quo facto, consequutus quidem est jus fœderis politici, ad sacrum autem fœdus, quod Israelitis cum Deo fuit, admitti non potuit. Quod licet ex nostratibus nonnulli affirment, in manifesto tamen errore sunt. Omnium autem maxime hallucinatur *magnus quidam Vir*, quum in *Exercitationibus Biblicis* scribit, quod tria hominum genera continuerit Ecclesia Israelitica. Primo *Judæos* ex posteritate Jacobi oriundos; deinde *proselytos*, qui non solum doctrinam Israeliticæ Ecclesiæ receperint, sed & iisdem cum ea ceremoniis ac legibus usi sint: denique εὐλαβεῖς seu *Religiosos*, qui, solius doctrinæ professione, non autem ceremoniarum observatione, Judæis fuerint conjuncti. Quales fuerint inter populos, 1. *Cananæi*, 2. *Ægyptii*, 3. *Æthiopes* & *Chusæi*, 4. *Assyrii* & *Babylonii*, *Chaldæi*, *Persæ*. 5. *Græci eruditissimi*. Testes hujus assertionis producit *Sibyllas*, quæ non pauca vaticinatæ sint de Deo & Messia: *Democritum*, quem credidisse resurrectionem mortuorum, referat & salse rideat *Plinius l.7. c.55. Platonem*, qui consuetudinem habuerit cum *Judæis* & in *Ægypto* multa hauserit de divinis: *Aristotelem*, qui colloquium habuerit cum *Judæo*, testante *Joseph. l. 1. contra Appion. Strabonem*, qui descripserit *Mosen*, ortum *Judæorum*, exitum ex *Ægypto* &c.

XLIII. An quisquam esse potest, qui dubitet adhuc, nos, si sic disputemus, omni exutos ratione esse? Si enim *Sybyllæ*, *Democritus*, *Plato*, *Aristoteles*, *Strabo*, testes assertionis sunt, an & ubi testantur, quod *Cananæi*, *Ægyptii*, *Æthiopes* & *Chusæi*, *Assyrii & Babylonii*, *Chaldæi & Persæ* fuerint membra Ecclesiæ Israeliticæ? Sin hoc velit, eos suo exemplo testari, quæ consequentia? *Sibyllæ*, *Democritus*, *Plato*, *Aristoteles*, *Strabo*, fuerunt membra Ecclesiæ Israeliticæ. Ergo etiam *Cananæi*, *Ægyptii*, *Æthiopes* &c. fuerunt membra Ecclesiæ Israeliticæ. Aut si demus consequentiam, unde probat antecedens? Certe miser est, qui sic argumentatur: *Sibyllæ* vaticinatæ sunt de DEO & Messia, quarum tamen authoritatem non admodum probamus, *Democritus* credidit resurrectionem mortuorum, quod tamen incertum est & *Plinius* ridet, *Plato* multa didicit ex *Mose*, *Aristoteles* colloquium habuit cui *Judæo*, *Strabo* scripsit de *Mose*, ortu Judæorum & exitu ex *Ægypto*. Ergo *Sibillæ*, *Democritus*, *Plato*, *Aristoteles*, *Strabo*, fuerunt membra Ecclesiæ Israeliticæ. Quum igitur hoc modo res non procedat, superest, ut credamus, eum hoc consequentiæ monstro duci: *Sibyllæ* multa sunt vaticinatæ de Deo & Messia, quarum tamen authoritatem non admodum probamus, *Democritus* credidit resurrectionem mortuorum, ut refert & salse ridet *Plinius*, *Plato* consuetudinem habuit cum Judæis & in Ægypto multa hausit de divinis, *Aristoteles* disputavit cum Judæo, *Strabo* scripsit de Mose & ortu Judæorum &c. Ergo *Cananæi*, *Ægyptii*, *Æthiopes*, *Chusæi*, *Assyrii*, *Babylonici*, *Chaldæi*, *Persæ* fuerunt membra Ecclesiæ Israeliticæ.

XLIV. Atque talis est sententiæ probatio. Quod sententiam ipsam attinet, ea, ut quisque videt, ignorantiam resipit omnium rerum judaicarum. Quomodo enim membrum Ecclesiæ Israeliticæ esse potuit, qui in fœdere sacro non fuit? & quomodo in fœdere sacro esse potuit, qui circumcisus non fuit? Certe populi illi omnes adhuc habuere præputium. Etsi enim *Ægyptii* & *Æthiopes*, ut supra ex *Herodoto* constitit *th.* 12. circumciderunt pudenda, & ita physice præputium non habuerunt; habuerunt tamen præputium in genere morum, & propterea, ac ut tales, in fœdere cum Deo esse non potuerunt, nisi Judaismo solennibus sacramentis initiarentur, &, suscepto in se totius legis jugo, mox sauciato præputio, sanguine fœderis conspergerentur. Quod omnes illos populos fecisse, unde probabit Exercitator? Si tamen aliqui ex illis fuerint, uti multos fuisse non dubitamus, qui istud fecerint; referendi illi sunt ad secundam classem membrorum Ecclesiæ judaicæ. Oportuit enim ut non solum doctrinam Judaicam profiterentur, sed in se susciperent totam legem cum omnibus ceremoniis, & ita per proselytismum judaismo initiarentur mediante circumcisione & baptismo. Nam ut *Maimon.* habet *Hilc. J.B. c.* 14. *n.* 8. אפילו קבל עליו כל התורה כולה חוץ מדקדוק אחד אין מקבלין אותו: *etiamsi qui in universum totam legem in se recipiat, sed in una tantum re scrupulosus esse, & ut ita dicamus, subtilisare velit, illum nequaquam recipiunt.* Si ergo eum Judæi ad Ecclesiæ judaicæ gremium non admiserunt, qui totam legem cum omnibus ceremoniis in se recepit, una tantum re excepta; quanto minus eos putemus admissos, qui se nec toti legi, & nullis legis ceremoniis devinxerunt. Quod

Quod de proselytis domicilii constat: Nil enim in se receperunt, nisi septem duntaxat Noachidarum præcepta.

XLV. Quod idem etiam fecisse εὐλαβεῖς & Religiosos illos ex gentibus, quorum Scriptores N. T. non semel meminere, statuit *Saldenus* & alii. Estque vero simile. Et sic proselytus domicilii ac ejusmodi religiosus, fuerunt ejusdem confessionis & ejusdem fidei. Id saltem intercessit discriminis, quod ille publica autoritate receptus, hic non tam receptus, quam admissus solum aut potius toleratus esset. Ex quo enim mos ille, in præsentia trium testium, recipiendi proselytos domicilii, apud Judæos obsolevit; non propterea statim religiosiores Gentilium se Judæis non associarunt amplius, sed si se iis associarent & vitam viverent *Noachidæis* præceptis convenientem, recepti quidem veteri ritu non sunt, tolerati tamen & eo loco habiti, quo olim illi, qui solenniter recipiebantur. Id enim Religiosis illis usu venit, quod nonnunquam proselytis justis. Qui, si vitam agerent legibus Mosaicis convenientem, præsumebantur esse proselyti justitiæ, nec opus erat id, adductis testibus, probari, ut patet *d. Hilc. c.* 13. *n.* 9. גיורת שראינוה נוהגת בדרכי ישראל תמיד שתטביל לנדתה ותפרוש תרומה בעיסתה וכיוצה בזה וכן גר שנוהג בדרכי ישראל שטובל לקריו ועושה כל המצוות הרי אלו בחזקה גרי צדק: *proselyta, quam videmus assuevisse viis Israelis, dum in iis incedit, se lavat in separatione sua ac separat oblationem suam, & cætera: proselytus, qui assuevit viis domini, se lavat, si quid ipsi accidit in somno, & facit omnia, quæ lex jubet, ecce illi præsumuntur esse proselyti justitiæ*. Sic quoque εὐλαβεῖς & *religiosi* illi, quum viverent convenienter præceptis *Noachidarum*, quæ proselytis inquilinis imponi solebant, proselytorum quoque inquilinorum loco habiti sunt. Unde consequitur, quod etiam plus juris inter Judæos non habuerint, quam proselytos domicilii habuisse constat.

XLVI. Putaverimus tamen, per εὐλαβεῖς, *Actor.* 2. *v.* 5. quem locum autor citat; notari proselytos justitiæ. Sic enim habet: ἦσαν δὲ ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες Ἰουδαῖοι, ἄνδρες εὐλαβεῖς, ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν. Ex quo duo argumenta petimus pro sententia nostra. Unum est, quia religiosi illi viri vocantur Judæi. Quum enim omnes Judæorum ditiones proselytis domicilii paterent, & permissum esset, ut, ubi vellent, sedem figerent; sola *Hierosolyma* ipsis fuit occlusa, idque propter loci sanctitatem. Quod *Maim. part.* 3. יד *Hilc.* בית בחירה *cap.* 7. *num.* 14. testatur אין נותנים בתוכה מקום לגר תושב *Proselyto domicilii non concedunt habitandi locum in urbe Hierosolyma*. Hac ratione concedimus quidem, religiosos illos viros Ecclesiæ Judaicæ membra fuisse: Sed tunc ad secundum hominum genus referendi sunt, non ad tertium, uti Exercitator falso sibi persuasit.

XLVII. Sed, ut revertamur, unde digressi sumus, quum proselyti domicilii susceptione septem præceptorum, quæ *Noachidarum* fuisse creduntur, id apud Judæos sint consequuti, ut liceret non solum inter ipsos habitare, sed etiam negotiari, & sic protectione eorum fruerentur, quid oneris pro tanto beneficio sustinuerunt in Rep. Judaica? Non dubitamus quidem, aliquam onerum partem iis fuisse ferendam; at vero, qualis & quanta ea fuerit, fatemur, nobis nondum satis liquet. Id quidem novimus, quod genti a Judæis subjugatæ, post susceptum proselytismum, imperata fuerit servitus & tributum, ut scribit *Maim. in Hilc.* מלכים *cap.* 6. *n.* 1. אם קבלו שבע מצוות שנצטוו בני נח עליה אין הורגין מהם נשמה והרי הן למס שנא' יהיו לך למס ועבדוך קבלו עליהן המס ולא קבלו העבדות או שקבלו העבדות ולא קבלו המס שומעין להם עד שיקבלו שניהם: *si suscipiunt gentiles a Judæis subacti septem præcepta, a Noachi filiis tradita, Judæi neminem ex illis occidunt, faciunt tamen tributarios, juxta id, quod dictum est Deut. c.* 20. *v.* 11. *erunt tibi tributarii & servient tibi. Qud si in se suscipiant quidem tributum, nolint autem in servitutem redigi, aut ferant, sibi servitutem imponi, tributarii autem fieri recusent, non audiuntur, usque dum utrique se submittant*. Sed, uti quilibet videt, hoc pertinuit ad leges, quas victor victis dictare solet. Et hæc onera iis sunt imperata, non quatenus proselyti fuerunt, sed quatenus victi, & ideo jure belli. Quum itaque in præsens non occurrat, quid oneris ferendum iis fuerit, qui non bello adacti, sed liberrima voluntate & ultro, repudiata idololatria & vita secundum *Noachidarum* leges instituta, inter Judæos vixerunt; id tantum subnectimus, quid omnibus illis, præmii spoponderint Judæi, qui idololatriæ renunciarunt, & proselyti facti sunt domicilii?

XLVIII. Ubi spectanda est Judæorum benignitas erga eos etiam, qui a Judaismo sunt alieni. Multo enim minus livoris habent, quam multi ex Christianis. Qui sæpe nimis ad damnandum proclives sunt, & vel ex una voce, ut putant,

tant, incongrua, plures hæreses cudunt, quam olim *Hercules* Hydræ Lernææ decussit capita. Non sic Judæi, sed iis etiam locum in *Paradiso* assignant, qui nihil in vita servant, quam septem illa Noachidarum præcepta, utut cætera a fide Judaica alieni sint, patet ex *Hilcoth. Melcah. cap. 6. num.* 11. כל המקבל שבע מצוות ונזהר לעשותן הרי זה מחסידי אמטות העולם ויש לו הלק לעולם הבא והוא שיקבל אותן ויפשה אותן מפני שצווה בהן הקדוש ברוך הוא בתורה והודיענו על ידי משה רבנו שבני נח מקודם נצטוו בהן אבל אם עשאן מפני הכרע הדעת אין זה גר תושב ואינו מחסירי אמטות העולם: *Quicunque suscipit septem præcepta & ea etiam facit, ecce is est unus de sanctis gentilium, & habet partem in seculo futuro. Dummodo ea propterea servet, quod Deus benedictus illa primum Noacho, per Mosen præceperit. Nam si ideo servat, quod ea naturalis ratio dictet, non est proselytus domicilii, nec unus ex sanctis Gentilium hujus Mundi*. Et sic ad hunc locum, *Keseph Mischnah* ex *cap.* חלק annotat: פלוגתא דרבי אליעזר ורבי יהושע דלר׳ אליעזר אומות העולם אין להן חלק לע״ה ולרבי יהושע אית להו ופסק כרבי יהושע: *controversia inter R. Eliefer est & inter R. Jehoschuam, R. Eliefer ait: populi hujus Mundi non habent partem in futuro seculo: R. Jehoschua ait, habent; & decisio est secundum R. Jehoschuam.*

XLIX. Ex illis ita deductis in promtu est, quid ad scrupulos *thes.* 1. positos, sit respondendum. Nempe liquet primo, quod proselytorum nomine apud *Matth. c.* 23. *v.* 15. intelligendi sint proselyti justitiæ. Deinde, quomodo proselytos justitiæ faciant, expositum est *thes.* 6. *& seqq.* Denique qua in re peccarint pharisæi, inter alia patet *th.* 17. ubi cogere prohibitum, persuadere prohibitum non est. Ex quo facile judicari de diversis sententiis potest. *Chrisostomus homil. super h. l.* perversitatem vitæ in illis notari vult, qua fiat, ut, si vel unum saltem convertere velint, mare & arida iis sit circumeunda. Quem Euthymius, epitomator ejus, sequitur. Sed quum hæc interpretatio a verborum simplicitate nimis longe recedat, nemo, quod sciamus, ex recentioribus eam probat. Alii itaque Christi verba sic accipiunt, ut duo conjunctim in pharisæis ac scribis reprehendi putent, primo quidem, quod tantopere desudent in convertendis ad Judaismum gentilibus, deinde, quod eos duplo magis reos Gehennæ faciant, quam ipsi sint. Inter quos tamen ipsos non omnino convenit. Quidam enim studium illud & sollicitudinem simpliciter & per se culpari volunt, cum quibus *Wilhelm. Schickardus* facit in *Mischp. Hammelech. c.* 5. Quidam reprehendi quidem concedunt, quod tanto studio Gentiles ad Judaismum pertrahant, sed reprehendi non per se & simpliciter, sed ex accidenti, quod fiat partim ex ambitione, partim ex avaritia. Ex ambitione, ut populum DEI augere videantur, ex avaritia, ut, aucto Judæorum & consequenter sacrificiorum numero, lucrum quoque ipsorum crescat. Sic statuunt *Maldonatus & Piscator h. l.* Alii denique pharisæorum in conciliandis proselytis, diligentiam non improbari dicunt, improbari duntaxat, quod magna diligentia conciliatos pervertant & duplo pejores reddant, quam sint ipsi. Unde hunc faciunt sensum: Væ vobis, qui, quum mare & terras obitis, ut aliquem faciatis proselytum, mox corrumpitis factum, & depravatis, ut pejor fiat vobis. Ut adeo Christus ea sermonis figura usus sit, qua usum videmus *Paulum Rom. 6. v. 1. Gratia DEO*, inquientem, *quod eratis servi peccati, obedistis vero ex corde*. Ubi non gratias pro eo agit DEO, quod peccatores fuerint, sed quod, quum peccatores essent, obediverint tamen Evangelio. Hoc modo interpretantur *Hugo Grotius in annotat. ad libros Evangel. & Johann. Cramero in prælect. ad Matth. cap. 19. vers.* 3.

JO. GEORGII MULLER
DISSERTATIO
DE
PROSELYTIS.

I. PRoselyti vocem Græciæ natales suos debere, ei, qui primis duntaxat labris hanc degustavit linguam, innotescere potest. Trahit quippe originem suam a præpositione πρὸς, & ἐλεύθω, quod quia non amplius in usu, in ejus locum substitutum thema ἔρχομαι. Ad verbum sonat *advenam*, *adventitium*. Hesychius exponit, πάροικος, ἀλλοεθνής. Nempe qui ex sua gente ac patria in aliam migravit. Specialiter autem, quatenus hæc vox est biblica, significantur illi, qui e gentibus non coacti se Judaicæ addicebant religioni, οἱ ἐξ ἐθνῶν προσεληλυθότες, καὶ κατὰ τοὺς θείους πολιτευόμενοι νόμους, ut exponit Suidas. Ideo Philo scribit, Proselytos nomen accepisse ἀπὸ τοῦ προσεληλυθέναι καινῇ καὶ φιλοθέῳ πολιτείᾳ, quod ad novam & Deo charam Rempublicam ecceſſiſſent, sicut id annotavit Casaubonus Exerc. Anti-Baron. I. p. 26. 2. Conf. Matth. XXIII. 15. Act. II. 11. VI. 5. XIII. 43. Alias in universum 71. vicibus legitur in Pentateucho, & quater in N. T. citatis locis. Vid. Kirch. Concord. ad V. T. & Schmidii ad N. T. Hodienum autem adhuc latius usurpari potest hoc vocabulum de omnibus illis, qui e gentibus fidem Christianam recipiunt, sicuti fit in Indiis, alibique; item de Turcis & Judæis, quum ad Christianismum transeunt, & vicissim, qui a nobis ad Turcam vel Judæos deficiunt, ab ipsis sic etiamnum appellari possunt: imo de quibuscunque falsis Religionibus, quando earum sectatores ad veram & orthodoxam Ecclesiam nostram accedunt.

II. Variis in diversis linguis insignitur Proselytus nominibus. Hebræis dicitur נר a נור peregrinari. Chaldæo-Syri eum vocant גיורא, גיר enim Targumice est proselytum facere, assumere ad συνοικίαν regionis, quod imitatus Paraphrastes Syrus est in N. T. locis supra adductis: Arabes ab ingrediendo proselytum denominant, qui alias, quum a barbaris transit ad Arabes, surculus dicitur recens implantatus Ecclesiæ, ab Heb. זחל, qua significatione *rependi* venit, non *timendi*, quippe quod in communionem aliorum quasi irrepat. Vid. Golii Lex. f. 106. Martin Lex. Etym. f. 2921. In Actis c. II. dicuntur εὐλαβεῖς, item σεβόμενοι cum absolute c. XVII. 4. tum addita voce προσήλυτος c. XVII. 43. Qui ad Christianam primum fidem adducebantur ex Judæis & gentibus, vocabantur νεόφυτοι, (quo verbo utitur Apostolus I. Tim. III. 6. eoque (ut obiter hæc tangam) non ad teneriorem ordinandi ætatem respicit, quod olim ita explicuisse quosdam Theodoreti Comment. h. l. docet, Timotheus enim ad quem epistolam hanc exoravit Paulus, ipse erat νεώτερος; sed ad ipsam doctrinam, quod tales, qui in doctrina nondum satis confirmati, & uti Suidas loquitur, οἱ νεωστὶ φυτευθέντες, recens sati, vel nati, die in der Lehre neu gewachsen/ neque quoque in vita sufficienter probati sint, ad Episcopatum vel ministerium non sint assumendi. Plura circa hunc locum vide apud Pl. Rever. Dn. D. Heinr. Mullerum Dissert. Histor. Theolog. de non ordinandis bigamis & neophytis p. 74. seqq.) nec vero hi simpliciter eo veniebant nomine, sed qui nuper admodum recepti erant in Ecclesiam, nondum informati satis circa sublimia fidei mysteria, Hinc illi, qui e gentibus & Judæis egressi dudum erant, nominaque Ecclesiæ Christianæ dederant, non poterant dici νεόφυτι. De cætero vocantur ἐγγὺς γεγεννημένοι Eph. II. 13. συγκλερονομοι, σύσσωμοι &c.

III. Descripsimus hactenus Proselytum a suis nominibus, describendus porro est, & quidem Judaicus, a realibus Proprietatibus; Erant autem hi in duplici differentia. Alii enim abdicato gentilismo religionem Judaicam amplectebantur, dicti Hebræis גרי צדק proselyti justitiæ. Hi gente tantum, non religione distincti erant a Judæis, גרי גרורים αὐτόματοι, sponte solius religionis caussa, disciplinæ Dei studio, nulla præmii ac promotionis spe, ad Judaismum adducti, uti exponit Hottingerus Thes. Phil. p. 17. Vel

Vel uti Pl. Rever. Dn. D. Pfeifferus Prodromo Antiq. S. l. III. c. 6. declarat, qui sine intuitu secularis felicitetis sponte sua Judaismum susceperunt. Alias quoque בני ברית filii fœderis, confœderati & κατ' ἐξοχὴν גרים dicebantur. Possunt autem eorum quidam nuncupari voluntarii, quales Idumæi, quos victor Johannes (teste Josepho l. XIII. cap. 14. alio nomine Johannes, alio Hircanus appellabatur) dux & Pontifex Judæorum violentis mediis ad circumcisionem admittendam coegit, qua de Josephus l. XIII. Antiq. Jud. 17. Universam legem Mosaicam Judaicamque religionem recipere tenebantur, certisque sui proselytismi opus habebant symbolis, de quibus deinceps. Et de his Suidas est intelligendus, quando describit προσηλύτους, quod sint οἱ ἐξ ἐθνῶν προσεληλυθότες, καὶ κατὰ τοὺς θείους πολιτευόμενοι νόμους, qui ex gentibus venientes (ad populum Judaicum) & secundum divinas leges viventes; & Eucherius, cui Proselyti sunt, qui ex aliis nationibus progeniti accepta circumcisione in fidem & consortium populi Dei transierunt. Dabantur dein & alii, qui quidem ad Judæos accedebant, Judaicæ vero religionis non omnes recipiebant ritus; sed vel a sola abstinebant idololatria, vel communia humani generis præcepta, quæ filiorum Noæ vulgo audiunt (quomodo hæc a Judæis e Gen. II. 16. probentur, dispiciant ipsi) accipiebant. Hos appellabant גרי תושב proselytos inquilinos seu domicilii. Sedes atque habitatio illis in Israelitica permittebatur ditione, & quidem juxta R. Bechai in Cad Hakkamach f. 18. c. 4. in portis urbium, unde & גרי שער, nuncupabantur, appellatione e Deut. XIV. 19. desumta, ubi summus legislator: ne comeditote, inquit, ullum cadaver, לגר, qui erit intra portas tuas, dabis illud, aut vendes alieno. Quod & observarunt Interpretes Chaldæi, Onkelos, qui *incircumcisus*, & Jonathan, qui *proselytus incircumcisus*, reddidit. Id quod autem non necessario de actu incolendi, sed de jure incolatus intelligendum esse Paulus Slevogt Disp. Acad. p. II. disp. 14. de proselytis Judaicis th. 3. probat adversus Flacium, qui in sua Scripturæ clave putat *proselytum eum tantum dici qui Judaicam religionem abjecto gentilismo amplectitur, quum & inquilini sint veri nominis tales; & deinde proselytum neminem dici qui inter Judæos habitet, religione & loco mutatis*. Probat ex Messech. Sanhedrim c. 2. ubi hæc habentur: תנו רבנן ועמן גר תושב היה נבוזר אדן גר צדק היה: id est tradunt Magistri, quod Naaman proselytus fuerit inquilinus; Nebusar Adan proselytus justitiæ. Neuter autem illorum inter Judæos domicilium habuit, sed Naaman, quum Regis in Syria militaris dux, in Syria, & Nebusar Adan quippe Regis Babyloniæ præfectus in Babylonia, ut vero simile, habitaverunt. Dixi autem supra, in ditione Israelitica concessam iis esse habitationem, quod tamen cum grano salis accipiendum est. Hierosolymis enim non licuit illis habitare observante id Maimonide l. c. בית בחירה c. 7. n. 14. Alias gentilibus ne transitus per Israeliticas ditiones olim, quando nimirum florebat Resp. fuit permissus nisi qui septem illa Noachitarum præcepta in se reciperet.

IV. Præter hæc duo Proselytorum genera tertium faciunt Hottingerus l. c. p. 19. & Leusden in Jona illustr. p. 169. nec non in Philolog. Hebr. mixto Dissert. XXI. p. 148. videl. שכירים mercenarios, quos medios censent inter proselytos inquilinos & justitiæ. Fundamentum quærunt in Exodo c. XII. 45. ubi distincte ponuntur תושב, & שכיר adeoque intelligunt per שכירים mechanicos peregrinos, die frembden Handwercks Gesellen / quibus certæ quædam leges positæ sunt, & conditiones, quibus observatis artem suam in Palæstina exercere liceat. Sed Pl. Rev. Dn. Pfeifferus l. c. ratione religiosi status, conditionum tolerantiæ & privilegiorum ad inquilinos refert, utut ob vitæ genus peculiare nomen sortiantur. Conferri potest & venerandus Academiæ nostræ Senior Andr. Sennertus Scrutin. Relig. §. 10.

V. In initiandis nunc Proselytis maxime circumspecti erant Judæi impr. quoad proselytos justitiæ. Non enim promiscue quenquam recipiebant, utpote, qui vel metu supplicii, vel sperata a judaica religione utilitate, vel alia non sufficienti caussa accedebant. Quod si vero curatius investigassent, & rem ἀνύπουλον esse perspexissent, adhuc hærebant, tandem tamen recipiebant, docentes eum articulos fidei præcipuos, & quid lex ab ipso requirat cum annexione præmii vel pœnæ si observet eam vel secus: ostendentes porro cur tam miseram in his terris agerent vitam. Quam doctrinam simpliciter & diligenter quum proposuissent, adhuc relinquebatur res candidato integra, poteratque suo arbitrio uti: Si non volebat acceptare conditiones, licebat ipsi; sin acceptabat, non amplius cunctabantur, sed initiabant eum, tribus symbolis sive ritibus observatis, circumcisione, baptismo & oblatione. Sine prioribus

ribus duobus nec dici nec esse poterat proselytus justitiæ, Vid. Maim. in Hilc. c. 12. n. 1. 4. 5. Seld. de Success. & Lightfoot Hor. Hebr. p. 42. Oblatio autem poterat abesse, & in Proselytorum numerum aliquis recipi, licet actu nullum קרבן offerat.

VI. Circumcisio a quovis Patrefamilias, imo a quolibet homine qui vel jubeat, ut per certum ministrum dictum מוהל, quod Judæi volunt, aut per tonsorem, quæ aliorum sententia, illa fiat, vel ipse exequebatur; quid? quod & fœminis in casu necessitatis licitum hoc fuerit pater exemplis Zipporæ Exod. IV. 25. mulierum Maccabaicarum 1. Macc. 1. 63. nemo autem seipsum circumcidere debebat, licet pro affirmativa sententia facere videatur historia Abrahami Gen. XVII. 24. Ad quod exemplum respondit Dn. D. Schmidius Tract. de Circumcis. p. 354. seq. quod hic de ordinaria via sermo esse debeat, non casu necessitatis: Abrahamus autem si seipsum circumcidisset, fecisset hoc extra statum necessitatis. Quo instrumento autem fiat, non convenit inter Auctores. Institutio enim Circumcisionis de instrumento nihil habet expresse. Quærunt quie sit חרבות צרים quæ voces leguntur Jos. v. 2. Ipsi Judæi hic discrepant. Duplici enim modo explicant in versione Germanica 1. Schwerdter mit 2. Schärffen / gladii ancipites δίστομοι, duplicis oris, 3. Schiefferstein / qua voce & Exod. IV. 25. Hebr. צור reddunt, lapides fissiles. Ibi vocem Schwerdter reddere potuissent per Messer. Ubi culter enim sufficit, quid gladio opus? licet non nesciamus חרב gladium bellicum proprie significare, quod derivatio & frequentissimus Scripturæ usus probat. Ast licet vocem חרב transferamus cultrum, nec hoc pacto dubium solutum. Cur enim culter anceps? Differt hic ab acuto. Acutus dicitur חרב חדה Ps. LVII. 5. Prov. v. 4. Anceps autem nominatur חרב פיפיות Ps. CXLIX. 6. vel חרב שלה שני פיות Jud. III. 16. vel etiam simpliciter חרב פיות Prov. v. 1. Conf. Sir XXI. 4. Heb. IV. 1. Apoc. l. 16. Prima ergo Judæorum versio est nulla. Sed & alteram complures exagitant, quæ tamen non displicet Hackspanio p. 1. Not. Philol. Theol. p. 620. Voces enim Hebrææ ad verbum sonant: cultros *petrarum*, quod observarunt Piscator, *vertens: cultros petrarum* s. *rupium* id est acutus instar rupis Luth. transferens: steinerne Messer / qui simul in margine exponit, scharff als ein Stein gewetzt. Item Genevenses: Les cute aux trenchans, saxeos cultros, & connotatur simul materia, ex qua cultri ilii confecti. Et ne quis objiciat, lapides ad præputii abscissionem non posse adhiberi, notandum est quod ejusmodi lapides, huic negotio apprime convenientes, dentur maxime in Oriente. Ex ipso enim Talmud patet, quod mactationi inservire & sufficere potuerit צור sive lapis, quidni circumcisioni? Ita quippe Talmud Tract. שבת seu de Sabbatho: in mactandis pecudibus adhibent vel petram, vel vitrum, vel calamum. Et quid ad Talmud abimus? habemus exemplum in Sacris, ubi Zippora uxor Mosis, dicitur tulisse צור lapidem ad circumcidendum filium suum. Particula, quæ circumcidi debeat, erat in ipso præputio, quod Cypriano seminarium dicitur. Ubi nolumus anxie in id inquirere, cur Deus in hac parte hominis circumcisionem instituere voluit, licet multi laborarint id explicare. Nobis sufficit scire rationem summam & ultimam, quæ est sapientissima Dei voluntas. Rationes equidem Auctorum non rejicimus, dicimus tamen illas non esse apodicticas, sed tantum probabiles, & tandem sese resolvere in sapientissimum Dei beneplacitum. Actus ipse consistebat in disruptione membranulæ sub cute cum מציצה exuctione sanguinis & denudatione, פריעה vocata, glandulæ resectæ in scintillam arena plenam pronunciatis inter operandum conceptis verbis quibusdam tum eucharisticis, tum votivis. Quorum omnium prolixiorem considerationem instituere possemus, si prolixitas nimia nobis non vitanda foret. Adeat, qui velit. Dn. D. Schmid. Tract. laud. de Circumcis. c. V. ex professo hæc persequentem. Quod si jamdum in gentilismo aliqui circumcisi (circumcisionis n. ritum & aliis usitatum fuisse populis, utpote Colchis & Ægyptiis Sabellicus Ennead. 1. l. 3. & 5. aliisque Herodotus in Euterpe testantur) ut Arabes, vetus modo vulnusculum resauciabatur in testimonium Judaismi die octavo post adoptionem, ut inquit Maim. l. c. מילה c. 1. §. 7. Postremo observa, quod hic ritus ad solos spectabat masculos, non fœmellas: Illorum fit mentio expressa, non quidem Gen. XVII. in Institutione Circumcisionis, at Exod. XII. 48. perspicua lex habetur, quod peregrinus quidem præputiatus in terra Canaan atque in medio populi Israelitici habitare potuerit: at ad sacra Israelitici populi & communionem Ecclesiasticam admitti nequiverit, nisi circumcideretur. Quod si androgynus dabatur, ea parte, qua vir erat, circumcidebatur: sin cuidam duo præputia, ambo circumcidebantur.

VII. Alter ritus initiandi Proſelytos erat Baptiſmus. Ubi enim tamdiu diſtulerunt, donec vulnuſculum circumciſione factum coiiſſet, publice & coram tribus teſtibus in aquam immergebantur. Hic a Johanne & Apoſtolis quidem adhibitus, non tamen ut actus omnino novus, ſed ut Hebræis ſatis etiam, quatenus videlicet initiationis erat ritus, ex majorum S. Patrum uſu ac diſciplina cognitus, ad eum circumciſione conjunctus, ut annotavit Seldenus a Walæo citatus ad Joh. III. 10. Et obſervat Grotius ad Matth. III. 6. de baptiſmo, quod cerimonia non nova plane fuerit: *Tradunt*, inquit, *Hebræi, qui vellent jus civitatis Judaicæ adipiſci, non neceſſe habuiſſe circumcidi, ſed ablutos duntaxat fuiſſe, ut hoc modo ab idolorum cultu recedere ſe oſtenderent. Atque ita narrant multa hominum millia Davidis & Salomonis temporibus abluta. Sed & nunc, qui ex gentibus circumciſis, ut Iſmaelitis, Perſis, Turcis, ad Judaiſmum veniunt; ab ipſis baptiſantur. Addunt etiam, qui circumcidi vellent, ſi ab idololatria venirent, inſuper ablutos, etiam fœminas extraneas Judæis nubentes ajunt ablutas, idque ipſum factum olim, Saræ ac Rebeccæ. Sunt*, quod idem ſubjungit Grotius, *qui ſcribant, tantam temporibus Meſſiæ futuram eſſe converſorum turbam, ut per lavacrum, non per circumciſionem admittendi ſint*. Ipſe Grotius putat fuiſſe ablutionem hanc inter vetera inſtituta ortam poſt magnum diluvium in memoriam purgati mundi. Alias non convenit inter Auctores de tempore inſtitutionis Baptiſmi. De filia Pharaonis referunt Talmudici, eam propterea ad rivum deſcendiſſe, ut lavando proſelyta fieret Exod. II. 5. referente id Sotha & Megilla Gerſone. Simile refertur in Zennorenna de Jethrone Moſis ſocero. D. Joh. Lihgtfootus Hor. Hebr. p. 40. ad Jacob uſque aſcendere audet propter verbum הטהרו Gen. XXXV. 2. quod Eſra id exponat שירחצו גוף qui lavabunt corpus. Uſum in deſerto, quum Deus O. M. legem erat traditurus, eliciunt ex illo ad Moſen: *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras, laventque veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium, quoniam in die tertio deſcendet Dominus in oculis totius populi ſuper montem Sinai*. Exod. XIX. 10. 11. 12. 14. 15. Quæ omnia ipſis defendenda relinquimus. Hoc tantum addimus, quod Judæis non adeo fides ſit habenda in ejuſmodi citandis teſtimoniis. Solennis autem hic ritus, qua proſelytus juſtitiæ efficiebatur, unicus tantum erat rite peractus, ceu monet Seldenus de J. N. & G. non reiterabatur, ne in poſteris quidem, adeo ut plane de uno lavacro etiam apud Judæos (initiationis intelligo) fuit definitum.

VIII. Tertius ritus eſt oblatio vel ſacrificium ſeu jumenti ſ. duorum turturum ſ. duorum pullorum columbæ in holocauſtum. Dicebatur קרבן, a קרב appropinquavit, in Hiphil appropinquare fecit, vel juſſit, obtulit. Eſt ergo oblatio donum, quod offertur, munus, quod Deo datur & conſecratur. Hodierno tempore, quoniam Korban offerri non poteſt, defectu templi, non neceſſaria amplius creditur, ut idem Maimonides ait loc. cit.

IX. Explicatis ritibus ad privilegia promovemus pedem, quæ Proſelyti juſtitiæ cum ipſis Iſraelitis habebant communia. Quod enim hi erant nativitate, illi fiebant cooptatione: quod hi generatione, illi regeneratione. Fatentur hoc Talmudiſtæ in Jevam c. 4. & Maim. l. c. 12. n. 17. aliique. Primum privilegium erat jus civitatis Judaicæ. Hinc Arrianus l. II. in Epictet. c. 9. ἐὰν ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι, καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος. Si affectum induit baptiſati & inter Sectatores aſciti, tunc & eſt revera, & dicitur Judæus. Nihil hic curamus Seldeni conjecturam, proſelytos non eſſe cives dicendos Reip. Judaicæ, quia ei non competat definitio civis ab Ariſtotele adornata, quum illa definitio tantummodo reſpiciat civem ſimpliciter talem & originarium, non ſecundum quid, imperfecte talem & inſititium. Et, quod magis Seldenum ferire poteſt, non ſolum in Republ. Jud. habuerunt poteſtatem utendi fruendi commodis, privilegiis & libertatibus, quæ Judæis competunt, ſed etiam adeundi dignitatem Senatoriam, quod probamus ex Tract. Sanhedrim, ubi hæc verba habentur: הכל כשרין דינן ממונות: quilibet aptus eſt ad judicandum de cauſis pecuniariis, quod Coccejus in ad dictam Maſſichtam Commentario ita exponit: quilibet, etiam ממכר & ἀλλόφυλος ſeu proſelytus, dummodo ſit matre ſatus Iſrael. Tantum in reſervatis manent ſummæ ὁρατικοῦ iſtius ἱερατεύματος ἀξιώματι, quod proſelytus nec Rex, nec dux exercitus, nec præſes ſynedrii eſſe poſſit, quia nobiliſſimos e Sacerdotibus, Levitis & reliquo populo, in lege exercitatiſſimos, & qui γνήσιοι ἀρχῆθεν Ἰουδαῖοι puritani & pleno jure tales in Synedrium ſumebant. De Herode inſititio Judæo videri poteſt Caſaubonus Exerc. I. Anti-Baron. p. 24. ſeqq.

X. Al-

X. Alterum privilegium concernebat ſacra, & illa quidem, quæ Judæis propria, ut ad ea nefas fuerit gentiles ait proſelytos portæ admitti. Talia erant comeſtio agni paſchalis Exod. xv. 48. συσσιτία & ſodalitas ſacrificiorum של מים pacificorum & אשמים expiatoriorum num. xv. 14. penſio annalis ſicli, de qua Maim. in Hilc. שקלים l. יד p. 1. הכל חייבים ליתן מחצית השקל כהנים לוים וישראלים ונרים ועבדים משוחררים אבל הנים שנתנו מחצית השקל אין מקבלים מהם: Omnes obnoxii ſunt dare dimidium ſicli, Sacerdotes, Levitæ, Iſraelitæ, proſelyti, & ſervi manumiſſi. Aſt dimidium, ſi gentiles offerant, non recipunt ab iis. Illa autem ſacra, utpote ad orationem vivi Dei Iſraelitarum, preces in propylæo ſeu atrio ſubdiali gentium inde dicto, fuſas oblationes ſpontaneas cum proſelytis domicilii communes habebant, quod eyempla Heliodori 2. Macc. III. 35. Eunuchi Act. VIII. 27. ἑλλήνων προσκυνησόντων ἐν τῇ ἑορτῇ Joh. XII. 20. clariſſime probant.

XI. Tertio habebant privilegii loco jus connubii, quod ab Iſraelitis proſelytæ & a proſelytis Iſraelitidæ ductæ ſint, quod cuivis conſtare exiſtimo. Patitur tamen reſtrictionem. Sacerdotibus enim non licebat proſelytum vel proſelyti filiam ducere; ut tamen proſelytus ſacerdotis duceret filiam, nihil erat quod vetabat. De aliis nulla difficultas. Ita Jud. xv. Simſon Timnathæam duxit ex Philiſtæis filiam quandam. Oportebat autem intercedere proſelytiſmum, quo mediante contrahebantur rite nuptiæ. Ita R. Levi de Samſone: Prius eam proſelytam fecit, abſit enim ab eo, qui eſt Judæus in Iſrael, ut ſe polluat filiabus circumciſorum, & tranſgrediatur id, quod lex prohibuit, affinitatem ſcilicet cum iis contrahere, præſertim is, qui eſt Naſaræus DEI. Huc trahunt Judæi verba illa Samſonis: קחו אותה לי לאישה accipite eam mihi in uxorem, i. e. ניירוה facite eam proſelytam, & præparate eam hoc pacto mihi ad contrahendas nuptias. Quod autem duæ filii Elimelech non duxerint prius uxores Moabiticas, Rutham & Arpam, quam proſelytæ factæ ſint, aliis dijudicandum relinquimus.

XII. Hæc de proſelytis juſtitiæ dicta ſunto, ſi prius tetigerimus adhuc, quod tales intelligendi Matth. XXIII. 15. quando Salvator noſter Phariſæis objicit, quod pererrent mare & arida, ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον, ubi Æthiops: ut baptiſetis unum peregrinum, & quum baptiſatus fuerit, adaptatis eum magis, quam vos, gehennæ. Alludit quippe ad baptiſmum proſelytorum, ut annotarunt Lud. de Dieu Append. Not. ad Matth. XXIII. p. 538. Dillh. Elect. L. l. c. 8. p. 45. Conf. præterea quoad hujus loci explicationem Gerhardum Hiſt. Evang. c. 158. p. 119. Janſen. Concil. Evang. c. 102. p. 15. Conzen. Com. in Matth. p. 430. Magnif. Dn. D. Meiſnerum Exerc. Theol. ad Matth. l. c. D. Slevogt. diſp. cit. th. ult. aliique.

XIII. Nunc ad proſelytos domicilii accedimus, paucis obſervantes, quidnam illis incubuerit, ut tales fierent. Supra jam dictum eſt, quod hi non omnes Judaicæ religionis ritus, ſed Noachica tantum præcepta, utpote quæ legis erant compendium, receperint. Dicebantur autem hæc præcepta Noachica, non quod omnia tempore Noachi expoſita primum fuerint, ſed quod Deo placuerit eorundem nunc complere numerum diluvio finito. Primum præceptum erat de cultu extraneo: *non committes idololatriam;* 2. de maledictione nominis ſanctiſſimi; *noa maledices nomini divino*. 3. de homicidio; *non occides*. 4. de turpitudine in concubitu: *non adulterabis*. 5. de furto & rapina: *non latrocinaberis*. 6. de judiciis ſeu regimine forenſi ac obedientia civili: *conſtitues judices, qui curent, ut ſex illa præcepta probe ac diligenter obſerventur*. 7. de membro animalis vivi non comedendo: *non comedes membrum animalis vivi ſeu carnem, ubi vitalis ſanguis ſupereſt*. Et hiſce 7. præceptis ſummam omnino auctoritatem Judæi tribuebant. Ita enim in Talmude Hilc. Melech. c. 6. n. 11. quic. ſuſcepit 7. præcepta, & ea etiam facit, is unus de ſanctis gentilium, & habet partem in ſeculo futuro, dummodo ea propterea ſervet, quod Deus benedictus illa primum Noacho, poſtea per Moſen præcepit. Nam ſi ideo ſervat, quod naturalis ratio ea indicet, non eſt proſelytus domicilii, nec unus e ſanctis gentilium hujus mundi. Ex adverſo R. Maim. tradit legem ſequentem Judæos inter olim obtinuiſſe: Gentilis, qui non recipit in ſe 7. præcepta, occidatur, uti hæc obſervavit Pl. Rever. & Excell. Dn. D. Strauch Prælect. Publ. in Hiſt. Eccl. V. T. L. III. c. 6. qu. 1. & 4. Hæc ſeptem præcepta tanta a Judæis tuentur confidentia, ut non ſolum domicilii proſelytos ad ea aſtringant, ſed & ob tranſgreſſionem talium in Eſavum graviter invehantur. Targum enim Uziel ad Gen. xxv. 29. tradit eodem die quo defunctus eſt Abraham, coxiſſe Jacobum pulmenta lentium atque abiiſſe ad lugendum,

dum, Esauum vero quinque vitiis ea ipsa luce infamem contemta primogenitura, vitaque futuri seculi negata alia quoque adversus Noachi præcepta in se admisisse peccata. Nam sic habent verba Paraphrastæ illius: operam dedit idololatræ, fudit sanguinem innocentem, & vim fecit puellæ desponsatæ. Plura de VII. Noachi præceptis suppeditant R. Bechai in Legem f. 12. col. 2. Menasse ben Israel in concil. ad Deut. qu. 2. & de resurrectione L. II. c. 9. Schindl. Lex. Pentaglott. f. 1530. Martinius Lex. Philol. voce proselytus, Schickard. de J. R. p. 126. & in Bech. Happ. p. 84. Cunæus de Rep. Hebr. L. I. c. I. p. 3. & L. II. c. 19. p. 200. Coccejus ad Sanhedr. p. 268. Buxt. Lex. Talm. f. 410. Hacksp. ad Lipm. p. 340. Excell. Frischmuth. Diss. gem. de VII. Noachi præceptis, & vel impr. Seldenus de J. N. & G. loco sæpius citato. Calov. Anlys. ad Exod. XV. 26.

XIV. Privilegia, quibus gaudebant hic Proselyti, erant hæc: licebat iis negotiari, contractus civiles exercere, & securitate publica protecti a quibusdam frui, aliaque, quæ Rambam suppeditat. Admissio eorum fiebat tempore Jubilæi, ut tradit idem Hilc. מילה c. I. n. 6. & Hilc. עכום c. 10. n. 6. Ex quo vero tempore nullos Judæi jubilæos celebrarunt (a captivitate enim Babylonica, quam accidisse tempore Zedekiæ ex 2. Reg. XXV. & 2. Par. XXVI. liquet, intermissos fuisse tradit Maimon. Vide Slevogt. Disp. de anno Jubilæo Th. 27. & Hotting. Analect. dissert. de Jubil. p. 161. Cunæus de Rep. Hebr. L. I. c. 6.) nullos amplius receptos esse proselytos inquilinos docet iterum Maimon; non tamen dubium videtur Seldeno de J. N. & G. fuisse aliquot domicilii receptos postmodum quoque, etsi solennis recipiendi ritus desierit. Et inter hos refert Cornelium Centurionem Act. XI. qui gentilis erat & Italus, item Eunuchum Reginæ Candaces c. IIX. Ast patria sua plane extorres domicilii proselytos recipere minime valuere. Patriam enim quum ipsi non haberent, qui aliis aditum ad eam concedere poterant. Quæ omnia prolixe a nobis ut tractentur, vetat pagellarum angustia. Colophonem ergo Disputationi huic nostræ imponimus. In qua si non singulis singula ad palatum dicta erunt, a benivolo Lectore, si cordatus est, veniam scimus, aut certe petimus. Tibi autem, o Jesu, solvimus laudes immortales nunc & in æternum sine termino.

JO-

JOHANNIS REISKII
DISSERTATIO
DE
BAPTISMO JUDÆORUM.

INſcriptionem de baptiſmo Judæorum feci, non ut res Judaicas & Chriſtianas chao quodam temere facto commiſturus, monſtri quid progenerarem alias incognitum, aut hoc ipſo ſcriptionis genere falcem meſſi immitterem alienæ; ſed ut ex antiquis Scriptoribus ea proferrem, quæ Grotius, Buxtorffius, Seldenus, Druſius, Pocockius, Capellus Lightfootus, & Hottingerus, ſummi rerum Philologicarum Cenſores, partim antea eruerunt. Etenim commovit me ſingularis, quæ in hoc argumento ineſt, utilitas; excitavit ipſum tempus, quod Baptiſmo Jeſu Chriſti ſacrum Eccleſia Græca & Æthiopica nuper cum ſexto Januarii peregit, & anniverſarium agitare ſolet. Ex novo igitur veroque Chriſti & Chriſtianorum Baptiſmo ad Judaicum deducebar, & melius ita cognoſcebam

—— quid diſtent æra lupinis. *Siquidem ſemel lavacrum inimus Chriſtiani*, ait Tertullianus, *ſemel delicta diluuntur, quia iterari non oportet. Ceterum Iſrael Judæus quotidie lavat, quia quotidie inquinatur.* Judæi enim frequentiſſimas amarunt & adhuc amant ablutiones, unam vero tenent immerſionem, qua quis ad Judaiſmum primo initiari debet. Hanc igitur paucis, quoad vires patiuntur, ita explicabo, ut caput primum hiſtoricæ illius demonſtrationi, ſecundum ejus definitioni & uberiori expoſitioni per tria, ut vocant, cauſarum genera impendam. Quicquid vero tractabitur, tuis o Deus ter optume ter maxume, auſpiciis tractabo?

CAPUT PRIMUM.

1. *Adducuntur nomina baptiſmi e Greco, Hebræo, Syro & Arabico Idiomate* 2. *Ethnicorum, Sabæorum, Turcarum, Perſarum & Tartarorum immerſiones ſive baptiſmi* 3. *Judæorum variæ intinctiones, lationes, earumque prima, quæ Proſelytis debebatur.* 4. *Hic baptiſmus Judaicus e Talmude probatur,* 5. *Duplex Proſelytorum ordo* 6. *Baptiſmi origo* 7. *Summa neceſſitas* 8. *Ex Ethnicis pariter & Chriſtianis Scriptoribus idem oſtenditur.*

I. TAnta olim baptiſmorum, immerſionum ſcilicet atque lationum religio gentes diverſiſſimas invaſit, ut ſuas Ethnici, Sabæi, Mahumædani & Judæi partim habuerint, partim adhuc ſervent, iiſque nomina per linguas ſuas, Græcam maxime, Arabicam & Hebræam peculiaria imponant. Mittemus alias Græcorum denominationes, & uſitatiſſimam βαπτισμȢ καὶ βαπτίσματος appellationem videbimus, quam adhuc paſſim uſurpant, & ἀπὸ τȢ βαπτίζεσθαι omnes deducunt. Βαπτίζεσθαι vero primariam immergendi, ſecundariam abluendi ſignificationem inter Græcas, in lingua præſertim Helleniſtica tenet, uti cum Hebræo huic æquipollente vocabulo comparatum eſſe mox demonſtrabimus. Hinc ναῦς ἀβάπτιστος, navis undæ non immerſa occurrit, & βαβαπτισμένος apud Gregorium Thaumaturgum is vocatur, qui errori immerſus, quique tales eripit, ille dicitur τȢς βαπτιζομένȢς ἀνιμᾶσθαι; Alibi vero etiam in Sacris τῶν ποτηρίων καὶ ἐσθήτων βαπτισμοί poculorum, vaſorum, veſtiumque ablutiones adhuc inveniuntur. Nomen Hebræum טבילה טבילות טבול הטבלא non una formatione ac diverſo merſionis, lationis, lavacri, baptiſmique ſignificatu, apud Edmundum Caſtellum occurrit, radici טבל ſubjectum. Edvardus enim Pocockius præclare in Miſcellaneis ſuis capite quodam integro & perſpicuo Rabbinorum conſenſu demon-

monſtravit, nomine Hebræo טבילה aut gradum quendam ablutionis graviorem aut leviorem denotari; graviorem, quando de tota corporis immerſione adhibetur, leviorem, quando de manus intinctione juxta Judaicam diſciplinam facta, aut de aquæ ad corpus affuſione uſurpatur. Apud Syros duplex habetur nomen, aut ܥܡܕܐ quo baptiſmum fere exprimunt, aut ܡܥܡܘܕܝܬܐ quo baptiſma plerumque inſigniunt: Idem ex radice illa apud Arabes tenetur قعمل aut لعمال nec non inde ad Judæos denominatio religionis Chriſtiana תורה מעמודית tranſiit. Plures ex Alcorano aliæ Arabum, Sabæorum & Mahumedanorum voces, pluraque in hanc rem vocabula ex Arabicis Scriptoribus adferri eruique poſſent, ſi illud noſtro nunc inſtituto conveniens foret. Quæ cauſa eſt, cur prætereamus diverſas Æthiopum, Cophtorum, Abyſſinorum, Armenorum & Syrorum denominationes, quas Kircherus, Riverius, nobiliſſimus Ludolfus, Caſtellus & Hottingerus ita excerpſerunt, uti ab iis nationibus baptiſmo attribuuntur.

II. Ethnicas quidem luſtrationes, purgationes, diverſaſque lotiones ex fine diverſiſſimo factitatas ſi penitus recenſere meditaremur, neque charta hac ipſa capi omnes poſſint. Quicunque enim ſe diſciplina Phytagorica aut Platonica imbuendos tradiderunt, aut ſi qui myſteriis Eleuſiniis ſeſe addixerunt, ii paulatim ab hujus vitæ ſordibus purgati, per certos gradus & definita temporum intervalla ad perceptionem arcanorum perducebantur. Unde Libanius in Corinthiorum actione auctor eſt, Myſtagogas ante omnia initiandos monuiſſe, ut manus puras animumque ſibi ſervarent purum, nec ab aliis obſervationibus latum unguem diſcederent; Aliter ſacra Olympiodoro teſte ſibi non conſtabant: ἐν ταῖς ἱεροῖς ἡγεῖτο μὲν αἱ πάνδημοι καθάρσεις, ἔπειτα ἐπὶ ταύταις ἀπορρητότεραι μετὰ ταύτας συστάσεις, καὶ ἐπὶ ταύταις μυήσεις, ἐν τέλει δ' ἐποπτεῖαι. *In ſacris præcedebant publicæ purgationes; deinde has excipiebant aliæ reconditiores: poſt has aggregationes, tum ſequebantur initiationes, ad extremum epoptiæ.* Epoptia autem fuit plena ſacrorum omnium participatio quam ſi quis obtinuit, ad perfectionem ſeu perfectiſſimum gradum adſpiraſſe putabatur. Idem Plato in Phædone, Diogenes Laertius in Antiſthene, & Arianus in Diſſertationibus ad Epictetum conſcriptis tradunt; confirmant etiam Patres, Tertullianus maxime & Clemens Alexandrinus, qui exſerte ait: τῶν μυστηρίων τῶν παρ' ἕλλησιν ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ παρὰ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν *Myſteria apud Græces exordiuntur purgationes, ſicut apud barbaros lavacrum.* Antiqua enim Sabæorum colluvies, quam ex ipſius Abrahami ætate Eutychius ibn Batrik arceſſit, Elmacinus autem pro communi Nabathæorum, Chaldæorum & Aſſyriorum matre habet, ſuas quoque lotiones, ſuas luſtrationes tenebat, maxime poſt nocturnam, ſi quam quis paſſus fuerat, illuſionem, aut poſt profluvium, ſi quo fœmina laborarat, menſtruum; ea ipſa quoque præmium ſub ultimo judicio conſequendum omnibus bene lotis propoſuiſſe legitur. Hinc ab iis Arabes, deinde reliqui Saraceni, Turci, Tartari, Perſæ, ac Mahumedani omnes adeo crebram baptiſmi & lotionis uſurpationem deſumſerunt, ut in Alcorani Suratis Mahumedes de corpore, capite, manibus pedibuſque abluendis & tingendis, leges figat refigatque. Conferri poſſunt Hottingerus, Eduardus Pocockius & Johannes Cotovicus, qui poſtremus triplicem facit Turcarum luſtrationem; unam in manibus pedibuſque ad preces fundendas, templaque adeunda neceſſariam; alteram in toto corpore poſt cædes, furta, ſtupra, adulteria & facinora ejusgeneris ſceleſta; tertiam in veſicæ aut alvi exoneratione adhibendam deſcribit.

III. Tam curata vero immerſionum, lotionum & baptiſmorum obſervatio Judæos veteres occupavit, & hodiernos adhuc capit, ut illi ab exceſſu & ſuperſtitione non abſuerint, neque etiamnum abſint. Summa enim eſt eorum cura non tantum in manibus, pedibus, digitis, immo extremis articulis, ſed etiam in veſtimentis, quibuſcunque vaſis, poculis, & inſtrumentis utenſilibus lavandis, adſpergendis, tingendis: Neque heri aut nudius tertius hanc Judæi gerunt, ſed ex antiquiſſimis temporibus, ipſum Jeſum noſtrum quæ anteceſſerunt; hinc & ille materiam invectivæ ex lotionibus deſumſit. Tanta inſuper eſt præceptorum legumque congeries circa manus lavanda., ut Pocockius ſingulare caput in ſuis Miſcellaneis, Buxtorfius vero peculiarem de ea diſſertationem מדברי סופרים וממצות חכמים *ex verbis Scribarum & præceptis ſapientum* conſcripſerit. Quippe hic non legem divinam, ſed ore traditam ſive Patrum traditionibus conſtantem urgent, ſi quando Senatus Rabbinici conſultum pronunciant תנו רבנן נטילת ידים לחולין עד הפרק קידוש ידים ורגלים במקדש עד הפרק: *Tradiderunt Rabbini noſtri; lotio manuum ad cibos eſt uſque ad juncturam; ſanctificatio manuum & pedum uſque ad jun-*

juncturam. Et hoc lubrico partim fundamento, partim ipſa lege nituntur Moſaica, quandocunque ſuam baptiſmi ſui Iſagogici vim confirmant, & proſelytos immerſione ad Judaiſmum initiandos tradunt. Nam inter tot intinctionum ſive baptiſmorum genera primum & præſtantiſſimum illud eſt, quod a ſimplici ablutione טבילת נדה טבילת נרות diſtinctum dixerunt, & deſtinarunt advenis mergendis, quicunque ad partes ſuas aliunde tranſeunt. Hinc baptiſmale iſtud myſterium textus aliquot Talmudici exponunt, Rabinorum commentaria prolixa explicant, & libri novi pariter ac vetuſti vehementer commendant, neque Ethnici & Chriſtiani Scriptores penitus prætereunt. Immo R. Jom Tob bar Abraham, cujus ætas in annum Chriſti MCCCLXX. a ſummo Viro Seldeno refertur in quodam ad Maimonidem conſcripto Commentario מסכת גרים ſive Librum de Proſelytis e Talmude Hieroſolymitano citat, cujus hodieque nullum veſtigium tam in Veneta quam in Cracovienſi editione, nullum in recenſione Operis Talmudici, quam Buxtorfius accuratam confecit, ullibi apparet.

IV. Licet ergo mutilatio in Corpus Talmudicum quo ad hanc partem ſive hunc librum peculiarem irrepſerit, doctrina tamen baptiſmi Judaici ſparſim in aliis Tractatibus ſic ſatis explicatur, & paſſim apud Rabbinos, maxime apud R. Moſen ben Maimon, totius Scholæ principem tam clare proponitur, ut vel ex uno, ſi quid deeſt, ſuppleri penitus queat. Sed noſtræ tractationi vix quicquam decedet, ſi Gemaram in duabus Babylonici Talmudis partibus, in tertia nimirum ex Libro יבמות ſive de fratriis, in quinta ex Libro כריתות de exciſionibus inſcripto conſulamus. Ibi enim occurrunt, & prolixa ventilantur diſputatione, quæ præſenti rei plurimum inſerviunt, ac ita ſonant: מה ישראל לא באו לברית אלא בשלשה דברים במיל וטבילה והרצייר הקרבן אף הגרים כיוצא בהם: *Sicut Iſraelitæ non introierunt in fœdus, niſi adhibitis tribus rebus, circumciſione, baptiſmo, & acceptatione oblationis; ita & Proſelyti eadem ratione*. Hæc vero non crude dictitantur, ſed longa diſquiſitione, ac ipſius ſacri Codicis (qui hominum illorum prætextus eſt) auctoritate adſtruuntur, cum R. Eliezer & R. Jehoſchuah inter ſeſe altercati, modo unicum baptiſmum, modo ſolam circumciſionem, modo conjunctim utrumque Proſelyti alicujus initiamentum efflagitaſſent: Tandem conſpiratur, & Senatus Rabbinici conſultum de tribus, quas adduximus, initiationis partibus ita tenetur, ut concludant אין גר יכנס לקהל ישראל ויסתופף תחת כנפי השכינה עד שימול ויטבול ויקרב קורבן: *Nullus Proſelytus intrabit in congregationem Iſraelis, neque conquieſcet ſub alis divinæ Majeſtatis, niſi circumcidatur baptizetur, & ſacrificium offerat*. Et tria hæc quidem ſacra locum habent in maſculo quodam juſtitiæ (ut vocant) Proſelyto, qui primam circumciſionem expertus, nec ulla pecuniæ, lucri, amoris, aut voluptatis ſpe inductus, baptiſmum ſuſtinere, & huic oblationem ſuam adjungere debebat. Aliter autem cum quodam domicilii (ſic vocant) Proſelyto, cum ſervo & cum fœmina, ſi quæ ad Judaiſmum ſeſe applicuit, agebatur: Servus enim ſive domi natus, ſive acquiſitus, modo conſenſerit, baptiſmo & ſimul Circumciſione, σύνοικος Proſelytus nec baptiſmo nec circumciſione, fœmina & baptiſmo & oblatione initiabatur.

V. Magni vero hic momenti eſt, cognoviſſe duo Proſelytorum genera, quæ diverſis apud Judæos juribus gaudebant. & ritu diverſiſſimo admittebantur. Commune quidem eſt cunctis advenis apud Hebræos גרים apud Chaldæos גיורא ונייריא nomen, quod poſterius ferme cum LXX. Inpp. Juſtinus Martyr & Euſebius ad Græcam quadantenus inflexum retinent: Heſychius vero γειώρας exponit γείτονας ἐξ ἀλλογενεῖς, καλουμένους τῷ ἰσραὴλ προσηλύτους ἢ τοὺς περὶ τὴν γῆν διαπονουμένους. *Vicinos ex alio genere, dictos Iſraeli Proſelytos, aut in terra laborantes*: Attamen diſtincta iis obtigit fortuna, diſtinctaque & peculiaris denominatio, cum alii גרי צדק וגרי בני ברית וגרים גרורים *Proſelyti juſtitiæ, item Proſelyti fœderis, aut Proſelyti ſpontanei* vocarentur; alii גרי תושב וחסידי אמות העולם וצדיקי אמות העולם *Proſelyti domicilii ſive habitationis, item pii gentiles ſeculi aut juſti gentiles ſeculi nominarentur*. Priores juſtitiæ Proſelyti cum perfecto ſeſe Judaiſmo, ac plenæ minutiſſimorum etiam in lege Moſaica præceptorum obſervationi addixiſſent, ab obtentu vano alieni, ad primam circumciſionem obligabantur, deinde ad baptiſmum ac totius corporis immerſionem, ubi vulnere conſeneſcente dolor ſedabatur, denique ad ſacrificium Deo præſtandum; quod poſtremum templo adhuc ſtante requirebatur, exciſo illo ad ejus reſtaurationem uſque poſt habetur. Sed prima duo, baptiſmum maxime in Iſmaelitis Ægyptiis & Colchis, quibus ſublatum præputium, plane poſtponi, hoc capitalis eſt culpæ, ac novo Judaiſmo penitus repugnat. Poſterio-

riores illi habitationis Proselyti nullam e tribus initiationem subibant, nec Civitate Judaica donabantur, sed unum domicilium inter ceteros obtinebant. Rabbini equidem in horum descriptione non omnino conveniunt, sed in ea R. D. Kimchi vitandam idololatriam R. Meir præcepta Noachidarum servanda, R. Bechai morticiniorum comestionem collocat; R. Moses Maimonides tamen hunc nodum facile dissolvit, atque definit hunc Proselytum, qui cultum Idololatricum aversaturus, leges Noachidarum communes recipit, & nulla circumcisione, nulloque baptismo facto inquilinum sese gerit. Illa Noachidarum & juris apud Hebræos naturalis communia præcepta septem numerantur דינין *sive de judiciis* ברכה השם *de benedictione Dei* עבודה זרה *de Idololatria fugienda* גלוי עריות *de scortatione* שפיכות דמים *de effusione sanguinis* גזל *de rapina* אבר מן החי *de membro animalis vivi*: Perinde servus emptitius aut bello acquisitus, si nomen judaismo dare vellet, circumcisionem cum baptismo, sin recusaret, unum baptismum, domi vero ex ethnica fœmella natus, utramqne initiationem percipiebat. Si placet, ipse Talmud R. Maimonides, R. Bechai, Buxtorfius, Seldenus, Drusius, Genzius & Slævogtius aliique plures conferri possunt.

VI. Ceterum tria isthæc, quæ Codex Talmudicus suppeditabat, initiamenta, non tantum R. Maimonides docet, sed ex ipso Mose, & Israelitarum rebus gestis deducit, uti apud Gemaristas jam dudum deducta fuerant. Agite ipsum loquentem e Porta Mosis & Pocockiana quidem editione audiamus: אלגר לא יעמל דכולה פי אלדין ויציר כסאיר ישראל אלא בתלתא אשיא מילה וטבילה והרצאת קרבן מהל ישראל איצא ענד דכוהלם דין אללא הדא פאנהם כתנהם אלרסול פי מצר ענד מא שרעהם בשריעה קרבן פסח ונהי אין יאכלה ערל וטבלוא פי אלמדבר קבל נזול אל תורה וקרבוא עולות ושלמים והו קולה וישלח את נער בני יש' וכו' וחיניד נזלת אלשריעה להם ואלקרבן אלדי יקרב אלגר הושני תורים הו שני בני יונה והמה גמיעא עולות: *Proselytus non plene admittitur in religionem Judaicam, ut sit instar reliquorum Israelitarum, cum in hanc religionem reciperentur. Circumcidit enim eos Legatus (Dei) in Ægypto cum legem de Sacrificio Paschatis ipsis traderet, ne quis incircumcisus illud comederet, vetans. Baptizati autem sunt in deserto antequam ad ipsas lex demitteretur, ubi & holocausta & pacifica obtulerunt. Hoc est quod dicit: Misit juniores filiorum Israelis, & obtulerunt holocausta, & dum demissa est ad eos Lex. Sacrificium enim a Proselyto offerendum est par turturum, aut duo pulli columbarum, utrumque holocaustum.* Deus enim circumcisione Israelitas ac peregrinos initiandos Abrahamo primum præceperat; idem vestes Israelitarum lavandas jusserat, vestibusque lotis ac sacrificiis juniorum oblatis legem suam ipse tradiderat; Idem a peregrino, si quis inter Israelitas commoretur, holocaustum offerendum efflagitaverat. Quapropter ex locis allegatis circumcisionem, baptismum, & oblationem Gemaristæ ac Rabbinorum primi, R. Maimonides R. Joseph Karo & R. Moses Mikoza adstruxerunt. Summus autem Grotius baptismum illum inter vetera instituta refert, & ortum ejus ex magno illo diluvio purgatique mundi memoria deducit. Lightfootus rerum Talmudicarum peritissimus hanc immersionem ex ætate ipsius Jacobi derivat, suamque derivationem confirmat verbis, quibus Sichemitidas fœmellas, ceterasque apud se commorantes Patriarcha compellasse legitur. *Abjicite Deos alienos, mundamini & immutate vestimenta vestra.* Utut vero quem Lightfootus laudat R. Aben Esra mundationem וטהרו cum lotione corporis שירחצו הגוף conjunctam commentetur; ipse tamen de baptismo Judaico nec verbum addit.

VII. Quicquid sit de origine hujus baptismi Judaici, satis est, ejus necessitatem inter Judæos aperto omnium consensu doceri, sive huic circumcisio præmissa, sive in certis hominibus per sexum aut amputationem prius factam omissa fuerit. Etenim fœmellæ, aut si cui mentula erat abscissa, unus baptismus sufficiebat, modo in capita legis jurasset universa, nullo penitus excepto, velut R. Mikoza in Schulcan Aruch testatur, inquiens: גוי שבא לקהל דברי תורה חוץ מדבר אחד אין הקבלין אותו אם נכרת הגיד אין מילתי מכבת מלהנייר וסני ליה בטילה: *Si gentilis adveniret, ac in se susciperet capita legis, excepto uno aliquo, eum non admittebant. Si abscissum ei forte esset membrum virile, id non obstabat, quominus Proselytus fieret; sufficiebat ei in specie solus baptismus.* Sin vero verpus ea Ismaelitis, Æthiopibus, Colchis, Tartaris ceterisque populis, apud quos circumcisio invalescit, sese ad Judæos adjungat, illi baptismum adhibent, ac plerumque cicatricem refricant, sanguinis ejus eliciendi ergo, quem דם ברית *sanguinem fœderis* appellant, & a summa necessitate inter preces solennes ipsumque circumcisionis actum ita commendant: שלא מלא דם הברית לא נתקיימו

נתקיימו שמים וארץ שנאמר לא בריח יומם ולילה חוקות וארץ לא שמתי: *Quia nisi sanguis fœderis fuisset, neutiquam formata fuissent Cœlum & terra, secundum quod dicitur: Absque pacto meo sive fœdere fuisset, Diem & Noctem, leges cœli & terræ non posuerim.* Ita vero gens illa occoecata sibi in suis ceremoniis placet, ita sibi in sua misera conditione abblanditur neque cogitat, sese in extremum exilium damnatam, & juribus suis penitus dejectam. Sed placeat sibi Judæus, & Proselytos olim circumcisione baptismoque factos clamitet (uti longo illos catalogo enarrant) iis mediantibus fieri adhuc velit, suumque R. Maimonidem obtendat, dum inquit: גר שמל ולא טבל או טבל ולא מל אינו גר עד שימול ויטבול: *Proselytus, qui circumciditur, nec tamen baptizatur, aut qui baptizatur, nec circumciditur, Proselytus neutiquam habendus, antequam baptizetur & circumcidatur.* Nunquam felicior inde rerum status aut magnus Proselytorum numerus illis accrescet, neque gratia divina reconciliabitur, nisi mentem mutent, ac veram Christianorum fidem sectentur.

VIII. Illum ipsum interea baptismum, quem e gemino Babylonici Talmudis libro & communi Rabbinorum præclarissimorum ore produximus, neque Scriptores Ethnici neque Christiani penitus nesciverunt. Equidem Judæi sua Mysteria sacro quodam texerunt silentio, nec inter vulgus ita disseminarunt, ut ubique apud alios vere describi potuerint, sed Ethnici vel audita pro certis venditarunt, vel suppressa veritate per odium Judæis affinxerunt, quæ tamen his de cultu cœli, astrorum, Solis, Bacchi, asinique prophano nec in mentem venerant. Attamen quandoque vera de rebus Judaicis Græci & Latini tradunt, quandoque mentionem non fictam faciunt, uti de baptismo hoc Judaico apud Arrianum in Dissertationibus Epicteti & apud Scholiasten Juvenalis inter annotationes quicquam reperiri non absurde Grotius doctissimus observavit. Hinc apud quosdam Libertinorum denominatio ex juribus Romanis occurrit, & simul confertur Seldeno judice, ad illos Judæos qui baptismo & circumcisione initiati, jusque Israeliticum adepti, Hebræa lingua גרים ומשוחררים או גרים שנתגיירים ועבדים שנשתחררו *Proselyti & Libertini, item Proselyti προσηλυτιζόμενοι & servi liberi*, vocabantur. Christiani Scriptores, ipsi maximi Patres de hoc baptismo aut fluctuant, aut non satis explorata tradunt, si quæ historicis suis adsuant. Epiphanius sane in Samaritanis, quos Judæi admiserant, sanguinis ex verpa missionem & immersionem usurpatam tradit; cum R. Eliezer Cuthæos (hoc Samaritanorum est nomen) ex aliquo Esræo præcepto nunquam olim justitiæ Proselytis annumeratos scribat, propter odium, quo diffidebant, Vatinianum, & injecta restaurationi urbis impedimenta. Idem in Hemerobaptistarum hæresi enarrat, quæ Judaicas lotiones & superstitiosos baptismos tam sapiunt, ut Pocockius hæreticos illos dubitanter cum iis conferat, quos טבולי יום Judæi vocant, & mersatione quadam eluendos, nec nisi post solis occasum puros pronunciant. Basilius vero Magnus, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus & Augustinus inter purificationes legales baptismum quendam Mosis sive Judaicum ponunt: Augustinus præsertim exserte V. T. baptismum attribuit, nec determinat, hunccine Isagogicum aliumne velit, dum inquit: *Habuit V. T. baptismum in Mosen, habuit etiam circumcisionem. Vid. loc. cit.*

C A P U T II.

1. Definitio Baptismi hujus difficillima proponitur 2. explicatur tum quoad Genus 3. tum quoad differentiam specificam, quæ desumitur a causa efficiente principali & minus principali 4. Materia duplici tum materia circa quam 5. tum materia ex qua 6. Forma sive ratione formali 7. Fine remoto & proximo 8. Baptismus ille non omni tempore nec iterata vice collatus 9. Exempla Proselytorum recensentur 10. Baptismus ipse refellitur.

I. QUoniam ergo historicæ demonstrationi factum satis, atque Talmudico non solum textu, sed & insignium Rabbinorum consensu evictum est, apud Judæos baptismum quendam olim valuisse, neque adhuc penitus exolevisse, ad ipsam de qua promissum dedimus, definitionem, dummodo illa suppetet, ac uberiorem explicationem progressuri, eo maximopere conabimur, ut more inter Philosophos inveterato clarius proferantur, quæ apud auctores suos obscuriora jacent. Difficillimam enim de lotionibus atque pollutionibus doctrinam ipsi Judæi ultro fatentur, neque negant, in Talmudicis suis, atque Academicis Doctoribus posse deprehendi, quibus aqua eam ob causam hæreat, quod vulgata undecim pollutionum, & quibus eluuntur, lotionum gene-

genera non plane pateant, nec in scripta nec in orali lege בתורה שבכתב ובתורה שבעל פה plenam tractationem subierint. Hic noster inprimis baptismus difficultatem creat, postquam liber Talmudicus מסכת גרים de proselytis inscriptus per temporis injurias omnino pessum ivit. Attamen textus Talmudicus, utcunque pauci sint, & Rabbinorum maxime Mosis Maimonidis vestigia persequemur, & omnia ex ipsorum mente fideliter proferemus, prolata sub finem brevissimo quodam examine perlustrabimus. Nec enim hic baptismus per desuetudinem quandam evanuit, sed etiam adhuc inter Judæos, per Asiam præprimis Africamque multum valet; immo percrebescet, si quando Messias ille vanus, quem anxie tot gemitibus tot annos exspectarunt, aderit, tantoque hominum confluxu Judaismum locupletabit, ut non circumcisioni sed baptismo tantum propter copiam stupendam locus futurus credatur. Itaque nisi alia causa subsit, vel hæ nugæ siculis gerris vaniores nos facilius ad meliorem expositionem induxerunt. Ita vero definiemus; *Baptismus Judaicus est ritus solennis, a Deo institutus, quo Proselyti cujuscunque sexus, ætatis & conditionis præsentibus Triumviris in aquam immergebantur, ut legaliter mundati ac regenerati ad novam religionem accederent.*

II. Baptismum hic Judaicum definimus, ut vel ipsa, cognominatione hic procul esse jubeamus verum & Christianis proprium, quem R. Lipmannus improbissime טבילת השמרות *baptismum* ἀποστασίας appellat *Genus, uti ajunt, constituimus ritum eundemque solennem*. Etenim religio Judaica docente Maimonide partes suas aut internas יראה ואהבה *timorem amoremque*, aut externas comprehendit, easque vel primarias, זבוח קיטור ונסך: *sacrificium, suffitum & libamen*, vel secundarias מצות plures vel fere innumeros ritus, nunquam aspernandos. Et ritus quidem includuntur illi duabus classibus, nec omnes originem & autoritatem eandem habent; sed alii ex Lege Mosis scripta sive κατὰ τὸ ῥητὸν sive κατὰ τὴν διάνοιαν & juxta Rabbinorum expositionem מצות דאוריית *præcepta legis* dicta deducuntur; alii ex lege non descripta depromuntur & perpetuo sapientum priscorum consensu, quas מצות דרבנן *præcepta Rabbinorum* dicunt; Hic noster proinde ritus ad primam classem pertinet, utut non expressa litera inter leges Mosaicas occurrat, sed ex iis secundum exegesin Rabbinicam arcessatur. Idem solennis fit, suamque solennitatem ex loco publico, tempore diurno, Triumviris præsentibus, facta Præceptorum divinorum expositione consequitur. Etenim Triumvirale Senatus collegium sive ex officio sive compromisso sive petitu, dum sub diu, luce diurna & publice quisquam initiandus fuit, ad capita legis severissime inculcanda adhibebatur. Ita enim Talmud testatur אין מטבלין לילה וגר צריך שלושה *Non baptizant noctu, sed Proselytus egebat Triumviratu*; absque quo si fuisset baptismus nec ordinarie momenti alicujus fuit. Hinc actus etiam inter forenses ab Maimonide refertur, eo quod Senatus & Curia Triumviralis partem negotii moderabatur, partem aliis viris aut mulieribus, quibuscunque interesse lubuit, merito relinquebat. Tacemus ceteras, quæ ritum hunc sæpius exornarunt, solennitates, prout eas fortuna sive conditio Proselyti efflagitavit.

III. Vocavimus: *ritum a Deo institutum & Trium viris præsentibus administrari solitum, ut differentia, quam vocant, a causa efficiente principali desumatur. Causa efficiens principalis*: Deus ipse ter opt. ter max. apud Judæos creditur, aliorum inter Israelitas institutorum auctor, cui ut hoc citra falsitatem videantur attribuisse, provocant ad verba divina Mosi, cum in monte Sinai versaretur, facta, quæ sic habent: *Vade ad populum & sanctifica illos hodie & cras, laventque vestimenta sua, ut sint parati in diem tertium, quoniam die tertio descendet Dominus in oculis totius populi super montem Sinai*. Verba enim וכבסו שמלתם ad hunc ipsum baptismum detorquent, quia versu proximo statim executio mandati subjicitur, & facta vestimentorum lotio; quæ iis primum fundamentum præbet, cum certius quoddam substerni debuerit. Unde Grotius ex ipso diluvio, Lightfootus ex historia Jacobi citra solidas rationes ortum baptismum repetit, nec alteruter Rabbinos suffragrantes habet, licet Hottingerus aliquos neque nominatos ad diluvium hoc descendisse velit. *Causa efficiens minus principalis* sunt partim Triumviri, sive ex foro sive ex Sapientum Schola causam hanc agitarint, partim illi Judæi, quorum intererat, quendam novitium ex Ehtnicis in albo suo inscribi. Nam Triumviri arbitrorum personam in hoc negotio gesserunt, percontati, quo animo, initiari, & quo fervore præcepta tum recitata per vitam tenere vellet: Quibus alios testes aut proxenetas adstitisse, omnes in rem præsentem maxima cum cura intentos, R. Mose ben Maimon obser-

ſervat, tandemque addit: צריך לטבול בפני שלשה וכל החוזר מן הגוים בשביל דבר מהבלי העולם אינו מגרי צדק: *Neceſſe fuit coram Triumviris baptizetur Proſelytus, & quiſquis e gentiliſmo tranſit ob vanitatem ſeculi, inter proſelytos juſtitiæ non eſt habendus*. Hinc etiam in Talmude מטבלין אותו והוא טובל: *alii dicuntur proſelytum baptizantes, & proſelytus ſeipſum baptizans* deſcribitur.

IV. Diximus: *hoc ritu proſelytos cujuſcunque conditionis, ſexus, ætatis in aquas immerſos, ut partim cauſa materialis eademque gemina, partim cauſa formalis exprimatur. Materiæ circa quam proſelyti fuerunt utriuſque ſexus, adulti non ſolum, ſed etiam natu minores imo infantes*. Si quis enim proſelytus ex uno veritatis divinique honoris ſtudio nullo ſimulationis colore nulloque rerum inanium obtentu religionem ſectaturus, circumciſioni ſeſe dabat, hunc baptiſmo poſt vulnuſculi ſanationem præparabant: ſin quis honore, metu, opibus aliave hujuſmodi cauſa pertractus foret, hunc procul ab ſacris removiſſe, aut ſi quidem non penitus excluſerint, ſuſpecti nec pleni proſelyti cujuſdam loco habuiſſe leguntur. Canditatus vero aquæ immerſus Triumviris auſcultabat, dum *præcepta graviora & leviora* מצות חמורות וקלות juxtim cum pœnis durioribus affirmativa æque ac negativa deſuper acclinati recitabant. Iidem Triumviri obſervatores atque in præceptis interpretes agebant, ac ſpectatores baptiſmi, ſed averſa facie, quandocunque fœmina a fœminis collo tenus mergebatur: ſin ex aquis iterum prodibat, ipſi abitionem illico parabant. Fœminæ vero tantis privilegiis gaudebant, ut vel ſimplici poſt pollutionem immerſione facta, baptiſmum percepiſſe, ac liberi gravidarum, ſi quæ baptiſmum ſuſtinuerant, pro baptizatis gigni putarentur. Ita enim Talmud teſtatur in Gemara Babylonica: נכרית טבלה לשם לאנתתא טבילת נדה ומעוברה שנתגיירה וטבלה אין בנה צריך טבילה: *Fœmina Ethnica etiam baptizari poteſt in nomine fœminæ h. e. ablutione pollutæ. Si gravida fiat proſelyta, & baptizetur, proli ejus baptiſmo non eſt opus*. Huc pertinet quæ Guil. Pariſienſis habet, *intrant*, *inquiens*, *Mulieres in pactum Abrahæ per quædam baptiſmata & traditiones, quæ in corpore legis non inveniuntur*. Infantes alias natura minores, quicunque in manum Judæi pervenerant, auctoritate ſenatus ad baptiſmum adjudicabantur, ſive ſervitutem ſimul depoſuerint, ſive Domino ſuo nolente retinuerit. Unde Maimonides: ישראל שתקף בגוי קטן או מצא תינוק גוי והטבילו לשם גר הרי זה גר לשם עבד הוי זה עבד לשם בן חורין הרי בן חורין: *Si Iſraelita ceperit gentilem minorem, aut Infantem e gentilibus repererit, eumque baptizari curarit in nomine proſelyti, erit proſelytus, ſi in nomine ſervi, ſervus, ſi in nomine libertini, libertinus*. Servi quoque emptitii aut acquiſiti modo conſenſum præbuerint, illis, quæ domi natos decebant, initiamentis fruebantur, ſive demum לשם בן חורין או לשם גרות או לשם עבדות: *in nomine liberi cujuſdam ſive in nomine proſelyti ſive in nomine ſervitutis contigerit baptiſmus*. Minores autem natu על דעת בית דין שזכות הו לו *ex decreto fori, quippe hoc ipſi profuit*, admittebantur.

V. *Materia, ex qua ritus conſtabat, aqua fuit, eademque diverſo reſpectu materia ſimul in qua forma ſive immerſio dependenter inerat, ſicut alias aquæ calefactionem ineſſe dicunt*. Hic vero nimias ſubtilitates rixaſque tam joculares Rabbini pariunt, ut de lana caprina frequentius acerrime diſputari videatur, dum quantitatem, qualitatem, menſuram, locum & neſcio quid demum circa has aquas definiunt. Unus Maimonides paucis hic loquatur: במקום מים הכשר לטבילת דה שם מטבלין את הגרים ואכבעה דברים פוסלין את המים מראה גלוי ועשית מלאכה בהן והפסד שמונע את הבהמה מלשתות בהן: *In tali aquarum congregatione, quæ ſufficiebat menſtruoſæ abluendæ, baptizant proſelytos. Quatur vero res aquam reddunt inidoneam, mutatio coloris, retectio, alicujus aperis confectio, & corruptio talis, quæ arcet beſtiam, ne ex illa bibat*. Cum enim totum corpus mergendum eſſet, aquas idoneas menſurarunt cubitu quadrato profunditatis tricubitalis (ita Maimonides inquit) quadgraginta nempe ſeis, nec tamen expediverunt, ſeaſne ſylveſtres ſive Moſaicas, an Hieroſolymitanas aut Tzipponenſes velint. Urgent perpetua & per naturam facta hydrophylacia, ſive loca aquarum perennia, fluvios nempe ſtagna & fontes; fluvialem vero aquam præferunt, quæ ſi negetur, aliam uſurpant, nec tamen hauſtam, aut conceptaculis artificioſis concluſam. Nefas quoque & piaculum ducunt, aquam odoratam, diſtillatam aut calefactam adhiberi; Sin forſitan frigus climatis, in quo degunt, nimium premat, ſive tepidam ſive caleſcentem non penitus proſcribunt. Tanta igitur Judæos religio vexat, quandocunque de aquis purgatoriis tractationem ſuſcipiunt: Non minor Turcas ſive Mahumedanos circa hanc ipſam rem exercet ſuperſtitio, quum in Alcoranicis Pandectis lotiones, merſiones,

nes, purgationes diversissimas, & ludicras proponunt. Sane Arabici Scriptores, nec horum ultimus Ahmed Asphaniensis septem aquarum genera lotioni apta constituunt, cœlestem scilicet marinam, fluviatilem, putealem, fontanam, & postremam e grandine delapso factam, universas alias, si quæ plures aliunde nascantur, aut ullibi reperiantur, penitus excludunt, & mira somnia de aquarum differentiis conscribunt, quas quicunque volet, apud Pacockium Virum inter doctos celeberrimum ipse legat.

VI. *Forma sive ratio formalis fuit una totius corporis in aquam immersio*, quam legibus arctissimis Judaici Doctores circumscribunt, nec vel articulum vel capillum siccum relinqui patiuntur. Unus hic R. Maimonides nobis sit instar omnium, & breviter edicat, quod in Halkoth Mikvaoth habet: טבילת כל הגוף לא חוץ מראש אצבע הקטנה ודברים שהמים באין בהם שלא מבדילין בין הגוף ובין המים אין חוצצין: *Lotio totius corporis non est, excepta extremitate minimi digiti: sed res per quas aqua transit, quæque hanc a corpore non separant, ablutionem non impediunt*. Cavebant ergo maximopere, ut ne vel corpori tantillum, quod ablutionem impediat, adherescerét, sive oculorum mucus, cicatricum crustulæ, sanguis induratus, sive quicquid sordium cutem deturpat. Amictus quidem rarior & molliter intextus proselyto non deponebatur; sed vestitus densa textura stupeus nisi exueretur, aut removerentur, quæ obstabant, ne pars tingatur aquis, aut ipsum nisi conceptaculum corpori madefaciendo æquaret, baptismus novitio in usum non cessit. Si capillatus aut cæsarie insignis esset proselytus, coma etiam aquæ submergenda fuit, ne partem baptismo adhuc impuram efferret. Quia ergo tantæ acerbitatis opus erat, humidam istam initiationem sustinere, hinc legimus in Talmude, aliquando inter Judæos deliberatum de abroganda illa, cum R. Josua ben Levi superesset vivus, ob fœminas præsertim Galilæas, quibus ex frigore ac horrore sterilitas persæpe accidit: Sed prævaluit auctoritas laudati Josuæ, nec immersio tum exolevit, sed illa potius Israelem adversus apostasiam adhuc munivit. Attamen tenellos infantes puerosque, si Pater sese Judæis adjunxisset, mersioni duriori non exposuerunt, sed inter proselytos numerarunt ex imputato, quem parens susceperat, baptismo. Testantur hoc Babylonici Talmudis verba, quæ sic habent: גר שנתגיירו בניו ובנתיו עמד דניחא להו במאי בעביד אבוהו: *Si cum proselyto proselyti facti sunt filii filiaque, iis cedit in bonum, quod a patre factum*. Similiter quæ uterum gestabat, in aquas immersa fœmina, si prolem suscepit, ea itidem a baptismo immunis fuit, materno scilicet lavacro simul ad Judaismum initiata.

VII. Adjecimus: *hoc ritu legaliter mundatos & regeneratos ad novam religionem accessisse; ut finis non intermedius tantum & proximus, sed remotus quoque ac ultimus exprimatur. Finis proximus & intermedius fuit legalis quædam externaque partim mundatio, partim regeneratio*. Frequentes enim lotiones ac mersiones inter Judæos tum ex lege tum e traditionibus vetustis invaluerant, omnes ad externam carnis puritatem compositæ, omnes eo relatæ, ut ritus servetur externus, ac legali mundationi satisfiat. Ex iis non postrema hæc totius corporis extabat immersio, eademque non ad unam purificationem sed aliquam regenerationem adeo pertinebat, ut loco regulæ geminatæ in Talmudicis Pandectis habeant. גר שנתגייר ושטבול כקטן שנולד דמה וכל שאר בשר שהיו לו כשהוא וגוי אינן שער בשר: *Proselytus simul ac proselytus & baptizatus est, velut infans, qui recens nascitur, erit. Et quisquis ejus consanguineus erat, dum fuit gentilis, jam non est consanguineus*. Hæc igitur externa & priscæ consanguinitatis juribus opposita regeneratio effecit, ut soluto, quod per nativitatem intercessit, vinculo, nec pater materque nec soror fraterque inter necessarios haberentur; sed veluti novus homo novæque stirpi per circumcisionem insitus a prima omnino Proselytus avelleretur. Ita in jure Attico regeneratio quondam vigebat, quam doctissimus Heraldus præclare exposuit; & in Romano Jure adhuc ea occurrit, qua servus in plenam libertatem adscitus, pro ingenuo civiliter habebatur. Sed Romana hæc e servo non servum, Judaica vero regeneratio ex nato aliquem velut non natum, sive nuper ex utero egressum reddebat; ut vel eapropter mirari subeat, Nicodemum doctissimum inter Rabbinos virum, Judaicam regenerationem penitus ex animo dimisisse, nec vel eam cogitasse, cum de alia veriori, nempe interna & spirituali Servator noster optimus sermonem fecisset. *Finis denique remotus & ultimus fuit ad novam religionem accessus*. Cum enim proselytus a paganis ad sacra Judaica transiliisset, novo simul sese fœderi obstrinxisse, ac nova jura non civilia tantum sed & sacra, uti est apud Maimonidem, suscepisse dicebatur:

גר

נר שמל וטבל יצא מכלל הגיים לקהל ישראל והיה בן ברית: *Proselytus circumcisus & baptizatus exiit ex universitate gentium in cœtum Israelis, & factus est filius fœderis*. Hinc jure Judaico & prærogativa Israelitica juxta legem divinam atque Talmudicam donatus, cum ceteris Israelitis idem censendus; nisi quod decreta Rabbinica hanc ἰσοτιμίαν sive parem conditionem ad certas in sacris & civilibus partes restringant, suosque αὐτόχθονας domi natos Israelitas maxime magistratibus gerendis præponi velint.

VIII. Neque vero die omni aut omni tempore hoc exercitium baptismale instituendum, nec facile per vitam facto forsan apostatæ iterandum fuit. Talmudica enim verba, quibus noctu neminem baptizari ajunt, vim legis alicujus obtinent, atque ab Maimonide quadantenus extenduntur, dum inquit והדבר צריך בית דין אין מטבלין אותו בשבת ולא ביום טוב ולא בלילה ואם טבילוהו הרי זה גר: *Et quia ille actus erat forensis sive domus judicii, ideo nec Sabbatho rite baptizabatur, nec die festo, neque noctu: Si tamen tunc baptizatum esset, proselytus erat, eo tempore immersus*. Testes enim Triumviri e foro aut aliunde adsciti, qui totum istud negotium moderabantur, non permittebant, ut nocturno tempore quid gereretur, aut in observandis circumstantiis per noctem forsitan peccaretur: Sabbathum vero omne tam superstitiosis rigidisque cerimoniis agitandum erat, ut opera summe per vitam necessaria interdum negligerentur. Necesse igitur est, eruditissimo Hottingero quid humani aut ἁμαρτήματος μνημονικοῦ acciderit, quando baptismum Judaicum noctu, in flumine aut ordinario purificationis receptaculo peractum scripsit, ac thesin Talmudi & Maimonidi adversam una cum aliquo memoriæ lapsu admisit. Utcunque sit de hac ipsa temporis circumstantia, illud ex Maimonide insuper ubertim patet, baptismum huncce, quo semel quis initiatus fuerat, nec in posteris iterari, nec in proselyto ad plenam ætatem progresso, si annis minoribus eum suscepisset, post forsitan dissensurus, nunquam repeti debuisse, quam diu juxta legem ordinariam, senatusque Rabbinici de unico hoc lavacro decretum agebatur. Nam fide semel perdita, si quis pejeraverat, ei credi postea, etsi per plures Deos juret, non oportere statuebant, nec novum aliquem inter Israelitas locum concedi: Sin tamen serio defectionis pœniteat, homoque frugi sese futurum sancte stipuletur, tum extraordinaria quadam ratione admissus, baptismum difficulter iteratum obtinuit. Quoniam vero plura hic exempla desunt, & unicum a celeberrimo Hottingero productum rem non plane conficit, vix satis causæ habemus, cur decretum Rabbinicum sepposituri, cum hoc Doctore Philologico statuamus, rejudaizantes indifferenter etiam rebaptizatos. Hinc neque Talmudici suis proselytis multum favent, sed dicam potius scribunt gravissimam dicterio tali propter metum defectionis reperto: קשים להם גרים לישראל כנגע צרעת: *Difficiles sunt Israelitis proselyti, sicut plaga lepræ*.

IX. Quapropter nec florentissima Davidis & Salomonis ætate, cum optimo rerum statu uterentur, regnoque Theocratico suus adhuc vigor constaret, proselytos auctoritate publica admissos R. Moses Maimonides enarrat, dum inquit: לא קיבלו בית דין גרים כל ימי דוד ושלמה אלא היו גרים הרבה מתגיירים בימי דוד ושלמה בפני הדיוטות: *Non recipiebat Domus judicii proselytos toto tempore Davidis & Salomonis sed plures fuerunt facti eo tempore a privatis*. Quia enim humanus animus in mutanda religione perlevis est, atque contra apostasiam non semper obfirmatus; Senatores suis tum auspiciis initiationes fieri solennes noluerunt, sed curandas imposuerunt Triumviris privatis, sive ii ex compromisso sive mundato constituerentur. Interim Senatus acuratissimam eorum rationem ideo haberi jussit, ut posthac publice inter proselytos locarentur, si constantia servata, in nullum aliud profanum religionis genus propenderent. Adeo tamen census proselytorum tunc adauctus fuit, ut per nuptias cum Salomone junctas, filia Regis Ægyptiaci, Pharaonis cujusdam, magna pellicum regiarum pars, & major Ethnicorum multitudo ad Judaismum transiisse, apud historicos atque commentatores dicatur. Rutha quoque inter vetustissimas proselytas apud Eusebium e tabulis Judæorum genealogicis diligentissime olim servatis recensetur; Item Jethro, Mosis socer, uxor Samsonis, Delila, Rahaba meretrix, quædam Helena, Nabuzaradanes, Munbazus Rex Medorum, Cosri quidam Rex Persicus, ipse Aristoteles ab Judæis huc referri solent. Ingens vero hominum frequentia, ingens Ethnicorum caterva ad partes Judaicas veluti confluxit, cum Mardochæus Hamano suppresso, atque in aerem evecto magis & magis effloresceret. Similiter universa Idumæorum gens, ab Hyrcano ad obsequium redacta, leges quas ille imposuit, atque cum

iis

iis Judaiſmum receperat, poſtquam circumciſionem poſteris (inter quos & ipſi) Abrahamæis inſtitutam, dudum exuerant οἱ δὲ Ἰδȣμαῖοι (ſic Joſephus) πόθῳ τῆς πατρίῳς γῆς κὶ τὴν περιτομὴν, κὶ τὴν ἄλλην διαίτην ὑπέμειναν, τὴν αὐτὴν Ἰȣδαίοις ποιήσασθαι, κακείνοις αὐτοῖς χρόνοις ὑπῆρχεν, ὥςε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰȣδαίοις. *Illi vero Idumæi Patriæ amore commoti circumciſionem & reliquam juxta Judaicos ritus vivendi formam admiſerunt. Atque tum iis contigit, ut poſtea Judæi eſſent*: Quales a Strabone, Stephano & Ammonio nominantur. Affirmant etiam inter Talmudicos nonnulli, a Nerone atque Antonino Pio Impp. claſſem proſelytorum adauctam; Dio Caſſius vero illam acceſſu multarum gentium, quas lucri fames occuparat, ſed Hadrianus Aug. aliquandiu repreſſerat, multo locupletiorem factam deſcribit.

X. Eccur tandem hunc de proſelytis partim fictitiis partim veris catalogum Judæis contexunt, qui ipſi eos, non ſecus quam Athenis ac Romæ nati cives, ἐγγράπτȣς ſive adſcititios contemtui habere, & contra leges acerbo hoc dicterio laceſſere nondum deſiſtunt: אמש הייתה עובד ע״א ובשיו נכנסת תחת כנפי השכינה: *Idololatra fuiſti, nunc vero ſubiiſti alas præſentiæ Dei*. Eccur ſuum illi baptiſmum ritu apertiſſimo commendant, qui hactenus extorres & incertis ſedibus vagabundi, nullam per terras Rempublicam, neque aras tuto conſtitutas ullibi tenent? Quaſcunque nugas de regno ultra Sambationem fluvium jacente, ac decem Iſraelitarum tribubus ſubjecto R. Beniamin Tudelenſis, R. Aſarias de regnis duobus per Indiam & Tartariam extremam ſparſis ſuæque genti ſubditis vendant, exponant? Eccur fundamentum baptiſmo ſuo non ſolidius ſubſternunt, & locum quendam, in quo ne γρῦ ineſt, ad probationem urgent. Lotio enim veſtitus, quæ a Deo Iſraelitis per Moſen præcepta legitur, ad finem alium nempe quandam animi expurgationem pertinebat, neque ad talem, qualem Judæi fingunt initiationem, referebatur. Siquidem ſanctificatio populi, ac hujus ad legem divinam recipiendam legalis præparatio poſcebatur: Nec corporis totius immerſio, quam Judaicus baptiſmus requirit, ſed una veſtimentorum lotio juſſu divino injungebatur. Tantum ergo abeſt, ut ex loco citato probationem lucrentur, ut potius contraria, quibus adverſum Judæos pugnari poteſt, argumenta inde ſuppetant. Eccur nexu legum duriſſimo ſuos proſelytos non olim tantummodo conſtrinxerunt, ſed adhuc conſtringunt? Itane rigidiſſima diſciplina imbui primum debebant, quibus per mare, per terras, per vias, per ſaxa captandis operam navarunt? Miram præſertim ſuis regenerationem ſuperbiſſime pollicebantur, & in novo jurium Iſraelitarum uſu ferme ita conſtituebant, ut vera παλιγγενεσίας ratio prorſus abeſſet. Proſelytus enim anxia Phariſæorum ope factus, *filius gehennæ* multo certior multoque pejor ſuis, qui opem contulerant, auctoribus evaſit. O ter igitur quaterque beatos, quos tanta Judæorum fortuna totos complectitur! אשריכם ישלאל כי בכם בחר אל׳ והנחלכם התורה מסיני מתנהו כו׳: *O vos beatos de domo Iſrael, quia vos Dominus elegit, & legem pro hæreditate vobis dedit de Monte Sinai!* Clamitent ita quam diu lubet, & verbis ſeſquipedalibus ſuam conditionem ubertim exaggerent! Nos de regeneratione vera per Chriſtum Jeſum edocti, illam unice ſectabimur, illam ſummo conatu, quantum per vires divinitus conceſſas licet unice captabimus; ſed facti compotes, vita & fide infucata ad perennem vitam non tantum præparabimur, ſed etiam aliquando, uti ſpes eſt, certiſſime perducemur.

JO. ANDREÆ DANZII
BAPTISMUS PROSELYTORUM
JUDAICUS.

Dn. Jacobo Veltem, Joh. Andr. Danz. s. p. d.

SI verum, quod trita Arabum circumfertur sententia, *Sapientissimum hominum fore, qui fines respicit*; Tute hac in parte Sapientiæ laudem *Tibi* non immerito vindicas. Ex quo tempore enim eam *Tibi* præfixeras metam, ut *venerandi Patris* inter sanctos nunc agentis, vestigia premens, populum ex Verbo Dei erudires, sermonem facturus e suggestu: in id incubuisti sedulo, ut Scripturam Tibi redderes quam familiarissimam. Hoc fine, non contentus in vernacula eam legisse, in ipsos *Te* immittebas fontes; mentem non Translatoris, non Interpretis inde cogniturus, sed Dei ipsius. Scilicet turpe *Tibi* videbatur, Dei sustinere Legatum, non intellecto idiomate ejus, a quo missum *Te* gloriaturus eras. Quod o utinam omnes *Tecum* considerent! excusso diligentius extremo isto vitæ periculo, in quod se præcipitaret Legatus, Principis a quo mittitur, mentem non decenter expositurus. Certe non tot nugæ, ac inania sæpe Interpretum somnia, cum summa Auditorum, minimum rectius instructorum, indignatione, e consecratis subinde sonarent locis. Mirum, qua fronte. Hi ausint, id exponere aliis, quod ipsi omnium ignorant maxime! Quasi parum sit, Deo affingere aliena, & in Eum mentiri strenue, qui non modo præsens, multis sanctorum Angelorum stipatus myriadibus, omnia audit: sed & vindex est honoris sui severissimus. Non video, qui se erigat, conscientia agitatus, toties a se crimen falsi commissum, quoties, formulæ Prophetis frequentissimæ, *sic dicit Dominus*, ea subjecerit, quæ Divinæ intentioni parum congruunt. Qualia in Versionibus non possunt non occurrere plurima. Hominum Verba proponit, qui saltem ex Versionibus sapit, ac commentariis; non Dei. Quæ licet cum mente Divina conspirent optime: dicentem tamen tamdiu tenent suspensum, quamdiu ipse de Idiomate Divino non est satis instructus. Eruditæ Interpretum lucubrationes neminem juvant, nisi qui accuratiori linguæ notitia præditus, prudenter noverit secernere, quænam eligenda sit Sententia, quæque, & ob quas causas, sit repudianda. Linguas ignorantem plus confundunt, quam erudiunt. His omnibus *Ornatissime Juvenis!* pia meditatione diligenter tecum perpensis, ea acquisivisti subsidia; quibus fretus, animum tuto poteris erigere, ad populum Supremi nomine verba facturus. Memor sapientis illius, quod *Simeoni filio Rabban Gamalielis* adscribitur, moniti: לא המדרש הוא העיקר אלא המעשה: *doctrinam neutiquam partem esse principaliorem, sed operam*; uti doctrinam *Tuam* per hoc specimen *Academicum* opere exhibuisti, mascule sententiam a *Te* positam, defendendo: ita quæ hausisti hactenus, & quicquid porro. Numine propitio, aliis oratione traditurus es, illa applicatione, hoc vita & factis exprime. נאים הדברים היוצאים מפי עושיהם: *Elegantissime* quippe *sonant verba, quæ prodeunt ex ore facientium eadem*. Vale, ac rem age feliciter. Dabam in museo, v. Calend. Maji, An. 1689.

SUMMA RERUM

CAPITA.

1. BAptiſmi *etymon origine græcum*. 2. *Non quaſi* βάπτισμα; *ſed a* βαπτίζειν immergere. 3. Salmaſii *ſententia*, *quaſi noſtra* aſperſio *non ſit* baptiſmus. 4. Refutatur, *non ex ſignificatione* tingendi, *quæ græco competit: quod* merſioni *æquipolleat* tinctio. 5. *Nec quod de* vaſorum *uſurpetur* ablutione; *cum* aſperſio *eam non conficiat*. *Sed* 6. *quod de* manuum *lotione dicatur Luc.* 11. 38. *Hic enim non de* merſione totius corporis *ſermo*, *nec* 7. *de* manuum *in aquam* immerſione *magni alioquin facienda*. 8. *Ob multas rationes: ſed* 9. lotione, *quæ vel* affuſione *ſic penes Judæos*, *vel* aſperſione: *probatur hoc*, & §. 10. *multis rationibus*. 11. Baptiſmi *diviſio*. 12. Expiationibus *baptiſmum* Initiationis *includit*. 13. *hujus* deſcriptio. 14. Subjectum varium. 15. Proſelytorum dignitas *ſolennem requirit* inaugurationem: *quæ* 16. tribus *perficitur*: circumciſione, baptiſmo, & ſacrificio: *e quibus ſolus* Baptiſmus *univerſalis ac perpetuus*. 17. *Ejus* autoritas *tanta*, *ut* ſine eo *nemo Judæus*. 17. *fruſtra quis in* circumciſione *acquievit*. 19. *refutatus ab aliis*, *multi pro* ſolo Baptiſmo *pronunciant*, *qui valet*. 20. in infantibus *poſt exitum ex Ægypto ac legis promulgationem natis*. 21. *ob* gentes alias *præter Judæos* circumciſas. 22. *in* fœminis, exſectis, *ac ſecundum quoſdam* ſine præputio genitis. 23. *fama* baptiſmi *Judæorum penes gentes*. 24. Subjectum baptiſmi *Proſelytorum etiam* Infantes *extra ſanctitatem geniti: non qui a parentibus* generantur *jam converſis*. 25. Origo baptiſmi *non derivanda* a Johanne. 26. *exempla recenſentur* antiquiora. 27. *quæ de* filiæ Pharaonis baptiſmo *ex Ex.* 2. 5. *afferunt*, *probabilitate carent*. 28. *nec* odium in Samaritas *procuravit* baptiſmum. 29. *nec* Jacobus Patriarcha, *Gen.* 35. 2. mundationem *domeſticis injungens*. *Sed* 30. Dei verba, lotionem imperantis *ante promulgationem legis Ex.* 19. 10. *itemque* conſecrationem. 31. *unde tot in deſerto aquæ*. 32. *nunc* aqua baptiſmi *vulgaris eſt*, fontana *vel* fluvialis, in alveis decurrens. 33. *in hujus defectu* pluvialis *in conceptaculo* ſtagnans. *Hoc bene* hominum *conficitur* induſtria, *ſecus ac* Seldenus *ſtatuit*. 34. in fundo *neceſſario* excavatur: *ejus aquæ*, *earumque* menſura. 35. Hydriæ *Johannis c.* 2. 8. *non conſtituunt* baptiſterium, *ut vult* Altingius. 35. Baptizandi modus, nudi *baptizabant*, tinctione unica, *totum corpus undiquaque circumfluente*. 37. Prærequiſita baptiſmi, *in maſculis* circumciſio ſanata, *in utroque ſexu ſufficiens* informatio, & edita *fidei* confeſſio. 38. Teſtes baptiſmi tres eruditi, *ut Chriſtianorum* Patrini. 39. *in caſu neceſſitatis* tres plebeji, & *apud mulierem* mulieres. 40. Tempus *baptiſmo ineptum eſt* nocturnum, Sabbathi *aut* diei feriati, & *quare?* 41. Muliebri pudicitiæ *conſulitur per* mulieres deducentes. 42. *quas* malitia *extorſit* ævi ſequioris, *ut indumentum penes Chriſtianos*. 43. Effectus *baptiſmi* Regeneratio, *priſtina conſanguinitate exuta* 44. *dignitas* Regia & Pontificatus, *uxore ducta Iſraelitide*.

I. DE *Baptiſmo Initiationis*. (*) DEO leviter propitio, pauca commentaturus, tango, illius Originem e Græcia repetendam. Ubi βαπτισμὸς, βάπτισμα vel βάπτισις *merſionem* denotat, vel *intinctionem*; item *lotionem* vel *lavacrum*. Joſepho (*a*) Johannes dicitur, cum pietatis & juſtitiæ ſtudio, commendaſſe Judæis βαπτισμῷ συνιέναι· οὕτω γὰρ ϗ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ φανεῖσθαι. Can. L. Apoſt. dicuntur τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως (*b*). Ad quem Zonaras (*c*): Τρία βαπτίσματα ἐνταῦθα τὰς τρεῖς καταδύσεις φησὶν ὁ κανων ἐν μιᾷ μυήσει ἤτοι ἐν ἑνὶ βαπτίσματι.

II. Mera eſt alluſio, eaque haud parum dura, quam Anaſtaſius Sinaita monachus affert, βάπτισμα dictum aſſerens,

quaſi

(*) Alteram ejus diſſertationem, quæ inſcribitur. *Antiquitas Baptiſmi initiationis Iſraelitarum vindicata*. Cum parata non eſſet licet diu conquiſita, in ſupplementis edendam curabimus.

(a) Antiq. l. 18. c. 7. f. 626. G. *baptiſmo attendere; ita enim acceptam demum fore merſionem* &c.

(b) Unius myſterii *merſiones* tres.

(c) p. 50. *Tria* BAPTISMATA *Canon h. l. vocat tres* IMMERSIONES *in una initiatione*, *id eſt in uno Baptiſmo*. Eadem habet Balſamon ad l. c. p. 259. & Ariſtonus in Synopſ. Can. Ap. Can. 46. p. 676. Bibl. Jur. Can.

quasi βάπτισμα, ἐν ᾧ βάλλεται ἤγουν πίπτει πᾶν πτῶσμα (a); utut in hoc Phavorinum habeat sibi assentientem. Planum est ejus Etymon, quod ἀπὸ τῦ βαπτίζειν derivat. Id quod cum Tertulliano (b), & Hieronymo (c) non incommode *mergito* vertas: cum tota ista pars, quæ dicitur βαπτίζεσθαι undiquaque aqua vel liquore alio immergitur, in quem sensum apud Veterem istum (d): βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν *teipsum mari immergita*. Et passim alibi (e).

III. Nequaquam tamen cum *Salmasio* (f) facimus, Bellarmino, aliisque, contendentibus, *Baptismum* in suo ambitu non æque *aspersionem* includere, quam *immersionem*. Verba quibus iste suam declarat mentem, hæc sunt: *Non id* βαπτισμὸς *est, quod hodie infantes initiant, non mersio, non tinctio, non lavacrum, nec* λῦτρον, *ut etiam Græci vocant, & vox baptismi græca significat: sed* ῥαντισμὸς *aspersio, vel infusio*.

IV. Cum modernam *Aspersionem* non minus *tinctionem* recte dici posse neget, quam *baptismum*; quasi utrinque id quod *tingi* dicitur, vel *baptizari* totum liquore circumfundatur: dubium, an satis valide contra hunc concludant, qui βαπτίζειν non minus bene *tingendi* notionem sustinere contendunt, quam *mergendi*. Id enim non negabit Salmasius, imprimis de primitivo βάπτειν; tot convictus locis e sacra pariter Scriptura, atque profanis. Luc. 16. 24. ἵνα βάψῃ τὸ ἄκρον τῦ δακτύλυ αὐτῦ ὕδατος. Homerus (g): ἐν ὕδατι ψυχρῷ βάπτῃ. Hinc Glossæ antiquæ: βάπτω, *tinguo*. βαπτὸς, *tinctus*. Aliæ: *tinguit*, βάπτει. Vetus Onomasticon: *tingo* βάπτω (h). Et Tertullianus eodem sensu, quo supra *mergito* usurparat, alibi *tingere* adhibet, (i) nonnunquam & ejus compositum *intingere*. Cyprianus quoque Præceptorem secutus, verba Matthæi citaturus, *Tingentes eos* inquit, *in nomine Patris* (k) &c. Quæ omnia lubens admittet. Id vero negabit, quod *tinctio* proprie dicatur, quæ sola fit *aspersione*. Certe βάπτειν ὑδρίαν dicitur, qui aquam haurit e puteo vel flumine: quod fieri non potest, nisi tota sub aquam mergatur situla. *Vestis quoque* quæ Ciceroni *sanguine tincta dicitur*, ea parte qua tincta vocatur, liquore tota circumfunditur.

V. Nec ad vasorum provocarem ablutionem, quæ exprimitur nomine *Baptismi*. Hanc quippe sola aspersio non conficiebat. Tota, necesse erat, mergerentur aquæ (l). Ea propter aquis haustis non poterat peragi (m), nec ex vase alio (n). Idem locus aquarumque mensura illis legitime abluendis requirebatur, qui mergendo corpori (o). Si Scaturigo (p) non adfuerit, vel fluvius

(a) *Abjectionem lapsus, in quo abjiciatur seu cadat omne peccatum.* Vid. Etymolog. M. B. Gerhard. de S. Baptism. §. 2. Suicer. Thes. p. 623.

(b) Lib. de Coron. Militis c. 3. p. 289.

(c) Adversus Luciferian.

(d) Plutarchus de Superstit. Tom. II. Op. p. 166. A.

(e) Verb. gr. 2. Reg. 5. 14. καὶ κατέβη Νααμὰν καὶ ἐβαπτίσατο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ἑπτάκις κατὰ τὸ ῥῆμα Ἐλισαιέ. Elisa enim v. 10. lotionem jubebat prout in populo erat recepta. Hic vero totum mergitabat corpus nulla prorsus parte relicta. *Maimonides* hilc. מקואות cap. 1. §. 7. ex Cod. *Erubhin* f. 4. b. l. 7. seqq. *Succa* f. 6. a. l. 13. seqq. כל הטובל צריך שיטבול כל גופו כשהוא ערום בבת אחת ואם היה בעל שער וטביל כל שער ראשו והרי הוא כגופו דין תורה: i. e. *Omnis baptizandus necesse habet, totum immergat corpus, cum denudatum est, vice una: & si pilosus fuerit, omnem capitis comam immergat simul, quæ stilo Scripturæ perinde se habet ac corpus ipsum.*

(f) In Apparatu ad lib. de Primatu Papæ p.m. 192.

(g) Od. 1. v. 392.

(h) Vid. *Vossius* de Baptis. Disp. 1. Th. 1. p. 25.

(i) Contra Praxeam: non semel sed ter, ad singula nomina, in personas singulas, *tingimur*.

(k) Epistola ad Coecilium.

(l) *Maim.* hilc. *Mikvaoth.* c. 1. §. 1. כל הטמאים בין אדם בין כלים בין שנטמאו טומאה של תורה בין שנטמאו בטומאה של דבריהם אין להם טהרה אלא בטבילה במים הנקוין בקרקע: i. e. *Polluta omnia, sive homo fuerit sive vasa, perinde est, sive polluta facta sint pollutione graviori lege expressa, sive pollutionem contraxerint e statutis Majorum; non purificantur, nisi facta in aquam immersione collectam in fundo.* De homine Vid. supra ad lit. (f) De Utensilibus simul *Jore Dea* n. 201. 202.

(m) *Jore Dea* seu Part. II. *Arba Turim* n. 201. p. m. 35. c. 1. init. ואילו מ' סאין צריכים שיהיו נקוים ועומדים במקום אחד וגם לא יהו שאובים אלא שיתקבצו מי גשמים כגומא אחת אבל אם נשאבו או אפילו לא נשאבו ואינו עומדין במקום אחר אלא זוחלין על הארץ פסול: i. e. *quadraginta illa Sata, necesse est, confluxerint, constituta in loco uno. Neque sint hausta, sed congregentur aquæ pluviales in foveam unam. Verum si hausta fuerint, aut non hausta quidem, nec tamen stent loco uno, sed super terram adhuc decurrant, inepta sunt.* Vid. ibid. seqq. pluribus. *Maim.* hilc. *Mikv.* c. 4. §. 2.

(n) *Arba Turim* in *Jore Dea* nr. 201. p. m. 35. col. 1. l. 18. אין טובלין בכלים *non mergunt in vasibus aliis* &c. Plura Vid. l. c. in seqq. it. *Maim.* hilc. *Mikv.* c. 6. §. 1. seqq.

(o) *Maim.* loc. cit. c. 9. §. 5. מקוה שיש בו ארבעים סאה מים שאינם שאובים שבו טובל כל אדם טמא חוץ מן הזב הזכר ובו מטבילין את כל הכלים הטמאים ואת הידים שמטבילין לקדש: i. e. *In conceptaculo, quadraginta Sata aquæ comprehendente non haustæ, quo omnis homo pollutus baptizare se potest, excepto mare seminifluo, mergunt omnia vasa polluta, manusque quas ad sanctum comedendum mergunt.* R. *Moses* Comment. ad Cod. *Mikvaoth* c. 1. thes. 7. hunc ex mente *Tosiphtæ* adducit Canonem universalem: כל מקום שאדם טובל ידים וכלים טובלים אין טובל אין ידים וכלים טובלין: i. e. *Quocunque loco homo immergitur, mergat etiam manus ac utensilia. Sed ubi homo corpus non mergere solet, ibi nec manus lavat, nec utensilia.*

(p) Ordinem aquarum enarratum Vid. Cod. *Mikvaoth* c. 1. tot. item *Maim.* hilc. *Mikv.* c. 9. toto. Ibi. §. 7. 8. hic §. 6. seqq. fontium dignitas tanta deprædicatur, ut non modo ad universas pollutiones abstergendas conducat, cujusmodi etiam seminiflui, ac leprosi: sed & nullam certam requirat mensuram,

vius (*a*), conceptaculum exigebatur aquarum in fundo confluentium, comprehendens Sata ad minimum quadraginta (*b*). Utensilia nonnulla eam structuram habent, ut aqua nullo modo parti pollutæ aspergi possit: sed totis sub aquam mersis demum purgentur (*c*). Constantissime quoque Hebræi de illis usurpant טבל טבילה &c. quæ cum *aspergere* vel *aspersione* neutiquam reciprocantur. Subindeque dicunt, aquis eadem ingerere, inducere (*d*) &c. Ipsa Scriptura quoque (*e*) vult *vas inferri aquis*, non *aquam ad illud aspergi*.

VI. Verum quis Lucæ (*f*) verba ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου paulo attentius consideraverit, vix poterit, quo minus a nostris stet partibus, aversus Salmasio. Non agitur h. l. de immersione corporis totius, cum nulla præcesserit immunditia, quæ istam requisivisset (*g*). Pharisæorum sectæ non erat addictus Salvator, ut a turba confertim confluente (v. 29.) forte fortuna tactus, pollutionem contraxisse crediderit (*h*). Nec probabile, Eum a Pharisæo invitatum fuisse, si hic ipsum credidisset pollutum, metus, ne ab illo & ipse contaminaretur, haud dubie eum ab hoc avocasset proposito (*i*). Præterea nec locus ubi constituti erant, mersionem patiebatur, nec aliorum præsentia. Non ad fontem erant, nec ad fluvium; imo ne ad conceptaculum quidem in fundo congregatum, ubi corporis immersio recte potuerit peragi (*k*): sed in triclinio, ubi nulla aqua vel apta vel sufficiens ne quidam potest concipi. Turpe quoque fuisset, aliis præsentibus, vestes exuere, nudatumque corpus aquæ immergere. Imo crinibus simul, pro more gentis, tinctis (*l*), id ipsum neutiquam tam facile fuisset exsiccatum; ut cibo jam præparato, &, ut præcedentia suadent, mensa dudum structa, brevi frui potuisset.

VII. Relinquitur ergo de sola ma-
nuum

ram, effectum producens quantumcunque ejus adfuerit. Quod *Rabbenu Jacob* in *Arba Turim* l. c. limitat: אף על גב דמעיין מטהר בכל שהוא היינו דוקא לכלים וכו': i. e. *quamvis scaturigo purificet, quantulumcunque ejus fuerit; id tamen præcise intelligendum est de utensilibus* &c.

(a) *R. Moses* Comment. ad Cod. *Mikvaoth* cap. 5. th. 5. verba הזוחלין כמעיין *fluenta sunt instar fontium* hæc annotat: אמר שהמימות הנוזלים מן המעיין בנהרות הגדולים והנחלים משפטן ומשפט המעיין אחד: i. e. *innuit hoc ipso, aquas fluentes e fontibus in flumina magna ac torrentes eundem habere valorem cum fontibus ipsis*. Vid. infra §. 32. 33. & Conf. Cod. *Schaab.* fol. 65. a. b. *Nidda* f. 67. a. l. 2. *Nedarim* fol. 40. a. *Biccuroth* fol. 55. b. coll. ubique Glossa marg. Quæ *R. Jacob* observat in hanc rem, habentur *Arba Turim* Part. II. nr. 201. p. m. 34. c. 4. fin. *Maim.* hilc. *Mikvaoth* c. 9. §. 13.

(b) *Maim.* loc. cit. c. 4. §. 1. שיעור זה הוא מחזיק ארבעים סאה מים: *mensura hæc quadraginta Sata aquarum comprehendit*. Vid. *Jore Dea* l. c. Cod. *Mikvaoth* c. 1. th. 7. *Avoda Sara* f. 75. b. l. 15. seqq. *Chagiga* f. 11. a. l. 27. seqq. *Erubin* f. 4. b. l. 7. seqq.

(c) *Maim.* hilc. *Mikv.* c. 3. §. 12. seqq. כלי שהפך פיו למטה הטבילו כאילו לא טבל מפני שאין המים נכנסין בכולו. היה בו מקום שאין המים נכנסין בו עד שיטנו על צדו לא עלתה לו טבילה עד שיטנו על צדו. כלי שהוא צר מכאן ומכאן ורחב באמצע אינו טהור עד שיטנו על צדו צלוחית שפיה שוקע אינה טהורה עד שיטנה על צדה וכו': i. e. *Si quod vas, cujus orificium deorsum inclinarant, merserint, perinde est, ac si non lotum fuerit; eo quod aqua totum illud non pertransiere. Si quis locus in eo fuerit, quem aqua non pertranseat, donec in alterum inclinetur latus, nil efficit immersio, donec in latus illud inclinaverit. Si quod vas utrinque angustum fuerit, ac in medio spatiosum; non habetur pro puro, nisi inclinatum fuerit in latera. Ampulla depressi orificii non habetur pro pura, nisi in latus inclinata*. Eadem fere R. *Jacob* in *Arbb Turim* Part. II. nr. 202. ubi circa finem: וכל כלי שפיו צר צריך להשהותו במים עד שיתמלא: i. e. *quodcunque vas orificium habet angustius, necesse est, aquis tamdiu illud detinere, donec impleatur* &c.

(d) *Jore Dea* l. c. כלי שהטבילו דרך פיו פי' שכפה פיו למטה והכניסו כך למים וכו': *Si quis vas per orificium suum merserit*, i. e. *orificium deorsum inverterit, atque ita illud aqua ingesserit*, seu *in aquam introire fecerit* &c.

(e) Lev. 11. 32.

(f) Cap. 11. vers. 38.

(g) Vid. Cod. *Kelim* cap. 1. th. 1. 2. 3. *Raschi* citatum ad §. 12. (d).

(h) Cod. *Chagiga* c. 2. th. 7. בגדי עם הארץ מדרס לפרושין: i. e. *Vestes plebejorum Pharisæis sunt calcatio*. *i. e.* ut Raschi explicat: אב הטומאה לטמא אדם וכלים כמדרס הזב שמטמא אדם וכלים כדכתיב וכל אשר יגע במשכבו יכבס בגדיו: *pollutio principalis, ad polluendum hominem ac vasa, haud secus ac calcatio seminiflui, qui hominem pariter ac vasa polluit: prout scriptum est* Lev. 15. 5. *quicunque tetigerit sedile ejus, lavet vestes suas*. *Maim.* ad l. c. inquit: פרושים הם אוכלי חולין בטהרה ונזהרין מן הטומאות כולן תמיד וכמו כן שומרין מאכליהן כדי שיהיו טהורין. וענין מדרס לפרושים כי הם כשהיו נגעים בבגדיהם נטמאו כאילו נגעו במדרס הזב וצריכין טבילה: i. e. *Pharisæi comedunt etiam cibum communem cum cura mundiciei, ac cavent sibi continuo ab omnibus immunditiæ speciebus. Atque ita curiose observant cibum ac potum suum, ut sit purus. Et sensus* CALCATIO PHARISÆIS *est, quod istorum vestes forte fortuna tangentes, pollutos se existiment, haud secus ac si tetigissent calcationem seminiflui; & necesse habent, ut lavent se immergendo*. Vid. eund. *Maim.* hilc. *Metammee Mischcab Umoschab* c. 10. §. 1.

(i) Cod. Schabb. f. 13. a. l. 5. seqq. רבי שמעון בן אלעזר אומר בוא וראה עד היכן פרצה טהרה בישראל שלא שנינו לא יאכל הטהור עם הטמאה אלא לא יאכל הזב עם הזבה מפני הרגל עבירה כיוצא בו לא יאכל זב פרוש עם זב עם הארץ וכו': i. e. *R. Simeon filius Eleasar inquit, veni ac vide, quousque excreverit puritas Israelitæ: quod non doceamus, mundum non capere debere cibum cum polluta*: quod nemo hac doctrina, ut Raschi explicat, indigeret; unoquoque ipsorum cibum etiam communem in puritate comedente, cum nemo ipsorum comederet cum uxoribus impuris. *Sed ne seminifluus quidem comedat cum muliere fluxum patiente, ob consuetudinem transgressionis, quemadmodum nec Pharisæus seminifluus cibum sumit cum seminifluo plebejo*. Vid. Lightfoot ad Matth. 5. 8.

(k) Vid. supra ad lit. [g] & [h].

(l) Cod. *Erubhin.* f. 4. b. l. 14. 15. תניא ורחץ את כל בשרו את הטפל לבשרו לרבות את שערו: *communis circumfertur doctrina, ut lavet omnem car-*
nem

nuum lotione ibi sermonem fore. Et erat hæc quidem inter Judæos gemina. Alia quæ immersione fiebat, aspersione vel affusione altera (*a*). Varietatem hanc exigebat varius, quem sumturi erant, cibus. Ad communem, quin & Decimas lavabant, aqua manibus vel affusa vel aspersa; sed ad sanctum, manibus ad juncturam usque brachialem aquæ immersis (*b*). Et licet hæc priori multis modis antecellere credatur (*c*), ut, qui sanctiores reliquis videri volebant, eam adhibuerint, ubi sola affusione res potuit confici: cujusmodi quid de Johanne quodam Gudgediade Talmudistarum afferunt Pandectæ (*d*); passim inculcantes, eum; qui sola manuum lotione indigebat, si aquæ eas immerserit, ad cibum legitime sumendum, nil opus habuisse amplius (*e*). Ea tamen hic neutiquam potest concipi.

VIII. Siquidem in triclinio constitutus erat Salvator, uti dictum, ubi nullus conceptaculo locus, in quod manus immergendæ fuissent (*f*). Prandium ad quod vocatus comparuit, cibum continebat communem, qui solam lotionem requirebat (*g*). Plures alii erant præsentes, eodem procul dubio ritu cibum sumturi; quibus aqua ad immergendas decenter manus non suppetisset, per antecessorem quemque jam inquinata (*h*). Nec dubium, quin eadem observanda expectarit h. l. Hospes, quæ alibi in Judæorum conviviis, & in hoc ipso probabiliter etiam a reliquis, observari consueverant. Ut nimirum vocati, triclinium ingressi, non illico mensæ assideant, quemadmodum hic a Salvatore factum, conjecturam præbent verba v. 37. εἰσελθὼν δὲ ἀνέπεσεν: sed in subselliis reliquos expectent, alteram interea manum loti, qua calicem vini appetentiam creaturi apprehendunt. Donec singulis jam congregatis, antequam mensæ accumbant, aqua porrigatur (*i*) a ministro, unicuique effundente manum utramque purgaturo. Quæ omnia ne conjecturam quidem faciunt immersionis, quam penitus respuit solicita illa Judæorum cura, utrum aquæ de manu decidentes vase aliquo sint excipiendæ; an v. permittendum, ut in fundum profluant (*k*). Neque ea Talmudis lo-

ca

nem suam, h. e. simul id quod carni adhæret, ut una ejus includat capillum. Vid. supra §. 2.

(a) Illa Hebraice טבילה vocatur, hæc נטילה. *Maim.* Præf. ad Cod. *Jadaim* נטילת ידים אינה טבילה: i. e. *lotio manuum non ita sese habet ac mersio.*

(b) Cod. *Chagiga* cap. 2. th. 5. fol. 18. b. l. 1. seqq. נוטלין לידים לחולין ולמעשר ולתרומה ולקודש מטבילין ולחטאת אם נטמאו ידיו נטמא גופו: i. e. *lavant manus aqua illis affusa ad cibum communem, ad decimas, & ad Trumam; sed ad Sanctum immergunt. Ad aquas lustrales vero manibus pollutis, totum corpus censetur pollutum. Maim.* Præfat. Comment. ad Cod. *Jadaim* וההפרש בין הטבילה והנטילה כי נטילת ידים תהיה במים שאובים אבן מתנאיה הוא שישפכו מכלי על כל פנים על הידים אבל אם היו מים שאובים שנתקבצו במקוה לא יותר נטילת ידים בהם וצריך שלא יהיה מראה המים משונה ותהית רביעית או יותר לכל אחד ואמנם טבילת ידים אינה ראויה כמים שאובים אלא במי מקוי משאר המקוה והוא שיהיה בהם ארבעים סאה וטבילת ידים ונטילת ידים בין לחולין בין לתרומה עד הפרק: i. e. *Intercedit aliqua inter mersionem ac lotionem differentia. Lotio quippe manuum peragitur aquis haustis, at ex necessariis ejus requisitis est, ut ex vase aliquo omnino affundatur super manus. Sed aquis e confluento, ubi congregatæ fuerant, haustis, non permittitur illis manuum lotio. Et opus omnino est, ut aspectus aquarum sit adhuc integer seu limpidus, quartaque existat aut amplius unicuique. Verum mersio manuum legitime non peragitur aquis haustis, sed aquis in aliquo conceptaculo confluentibus, quod quadraginta contineat sata. Utraque tamen & lotio manuum & earum mersio, sive ad cibum communem sive Trumam, fit ad juncturam usque brachialem.* Vid. idem *Maim.* hilc. *Mikvaoth* c. 11. §. 1. & Conf. Cod. *Chullin* f. 106. a. l. pen. seqq. *Maim.* hilc. *Cerach.* c. 6. §. 4. *Orach Chajim.* nr. 155. seqq.

(c) Glossa interior Cod. *Chullin* fol. 106. a. l. 13. טבילה עולה לידים יותר מן הנטילה כדאמרינן בחגיגה נוטלין לידים לחולין ולמעשר ולקדש מטבילין אלמא טבילת ידים עדיפא: i. e. *mersio manibus magis conducit, quam lotio, sicut in Chagiga* (c. 2. §. 5.) *dicimus, lavant manus, aquas illis affundentes, ad cibum communem, & decimas: sed ad sanctum immergunt. Ergo mersio manuum præstantior.* Vid. *Lebusch* Part. 1. num. 159. §. 14.

(d) Cod. *Chagiga* cap. 2. §. 7. fol. 18. b. l. 11.

(e) *Maim.* hilc. *Berach.* c. 6. §. 5. כל הצריך נ"י והטביל ידיו במי מקוה אינו צריך דבר אחר: i. e. *Si quis ad lotionem manuum obligatus, eas immerserit aquis conceptaculi, non indiget re ulla alia.* Vid. Cod. *Chullin* f. 106. a. *Jadaim* cap. 1. *Chagiga* loc. cit.

(f) *Maim.* hilc. *Berach.* c. 6. §. 5. אם הטבילן במים שאין בהם שיעור מקוה או במים שאובין שבקרקע לא עשה כלום שאין המים שאובין מטהרין את הידים אלא בנטילה: i. e. *Si quis manus immerserit aquis, mensuram conceptaculi legitimam non comprehendentibus, aut aquis haustis in fundo extantibus, nil fecit quicquam; quia aquæ haustæ non purificant manus, nisi in lotione.*

(g) Vid. §. 7. lit. g. Cod. *Chagiga* cap. 2. §. 5.

(h) Cod. *Chagiga* f. 19. a. l. 29. seqq. *Mikvaoth* c. 7. §. 6. f. 132. a. *Gittin* fol. 16. a. l. 4. seqq. מקוה שנמדד ויש בו ארבעים סאה מכוונות וירדו שנים וטבלו זה אחר זה הראשון טהור והשני טמא: i. e. *Si in conceptaculum mensuram quadraginta Satorum circumscriptam continens, duo descenderint successive, & se immerserint, primus purificatur, posterior manet pollutus.* Confer Cod. *Mikvaoth* c. 1. coll. *R. Mose* ad ipsum. *Maim.* hilc. *Berach.* c. 6. §. 7. ex Cod. *Jadaim* c. 1. §. 3. *aquæ quibus aliquid jam factum est, habentur pro effusis, & ad lotionem manuum sunt ineptæ.*

(i) Cod. *Berach.* fol. 43. a. l. 9. seqq. כיצד סדר הסבה אורחין נכנסין יושבין ע"ג ספסלין ועל גבי קתדראות עד שיכנסו כולם הביאו להם מים כל אחד ואחד נוטל ידו אחת בא להם יין כל אחד ואחד מברך לעצמו עלו והסבו ובא להם מים אף על פי שכל אחד ואחד נטל ידו אחת חוזר ונוטל שתי ידיו וכו': i. e. *Quis accumbendi ordo? convivæ ingressi sedent in subselliis aut cathedris, donec intromissi sint omnes, allata ipsis aqua, quilibet istorum alteram lavat manum, vino oblato, singuli seorsim benedictionem recitant. Surgentibus illis, ut accumberent, affertur aqua; & quamvis singuli ipsorum alteram manum laverint, quilibet tamen denuo lavat utramque &c.* Vide fol. 46. b. l. 22. seqq.

(k) Cod. *Chullin* f. 105. a. l. 36. ראשונים נוטלין בין בכלי בין על גבי קרקע אחרונים אין

נוטלין

ca tolerant, quæ ſuſpicionem faciunt, aquam convivis non fuiſſe traditam, niſi jam in ſede ſua accumbentibus (*a*).

IX. In hac vero manuum lotione non modo aqua, ſecundum expreſſa Talmudiſtarum verba, affundebatur (*b*), paulatim e vaſe unde præbebatur, accreſcente lavantium numero, deficiens (*c*): Sed ſæpe etiam aſpergebatur guttatim. Cognoſcitur id non modo ex eo, quod ſubinde non niſi extimos manuum articulos humectarint (*d*): ac exigua aquæ portio quamplurimis hominum lavantibus ſuffecerit (*e*). Verum ipſum etiam vas טיטרוס (*f*) ſive אפרבס (*g*) in hunc uſum quandoque adhibitum, idem evincit apertiſſime. Ex iſto enim aqua non egreditur niſi minutim, vel ut alii loquuntur guttatim (*h*). Proinde & Maimonidi non inepte *Aſperſorium* dicitur (*i*).

X. Quod ſi hoc in conviviis uſurpatum ambigas, perinde uti illud, cui fiſtula ὑδρόχυτος addita erat, a qua, remoto epiſtomio, in modum ſcatebræ ſalientis aqua erumpebat (*k*): his talibus commodius forte uſui privato adjudicatis. Nihilominus quodcunque tandem concipias, ita comparatum eſſe debet, ut ex illo aqua ſenſim lavantium manibus affundatur (*l*); non autem hi manus illi immergant (*m*). Propterea Talmudiſtæ in hoc argumento ordinarie dicunt

נוטלין אלא בכלי: i. e. *Aquis prioribus manus lavant vel in vas aliquod, vel in fundum; poſterioribus non niſi in vas ſubſtrat m.*

(a) Cod. *Berach.* l. c. l. 12. עלו והסבו ובא להם מים: *aſſurgunt in lectos ac accumbunt, tunc venit illis aqua.* fol. 46. b. l. 22. ſeqq. מים ראשונים מהיכן מתחילין אמר ליה מן הגדול ישב גדול וישמור ידיו עד שנוטלין כולן אמר ליה לאלתר מייתו תכא קמיה מים אחרונים מהיכן מתחילין אמר ליה מן הקטן וגדול יהב וידיו מזוהמות עד שנוטלין כולן אמר ליה לא מסלקי תכא מקמיה עד דמטי' מיא לגביה: i. e. *Aquas priores unde nam inchoant* affundere? *reſpondit ipſi, ab honoratiori. Siccine honoratior ſedeat, ſervans manus ſuas, donec omnes laverint? reſpondit ipſi, illico afferunt ipſi menſam. Aquas poſteriores undenam incipiunt? reſpondit ipſi, ab infimo. Numquid honoratior ſedeat manibus commaculatis, uſque dum laverint omnes? reſpondit, non auferunt* a facie ejus *menſam, donec aquæ ad ipſum pervenerint.*

(b) Vid. ſupra §. 7. lit. g. ubi *Maimon* inter neceſſarias, ad legitimam manuum lotionem, conditiones ponit, ut *affundatur aqua manibus.*

(c) Vid. infra §. 10.

(d) *Chullin* f. 105. a. l. penult. תנו רבנן נטילת ידים לחולין עד הפרק לתרומה עד הפרק וכו': i. e. *tradunt Doctores noſtri, lotionem manuum ad cibum communem ad hunc uſque articulum* pertingere, manu monſtrando, ut Gloſſa habet exterior, pag. b. ad juncturam ſecundam, quæ eſt in digitorum medio; *ob Truma, ad hunc uſque articulum*, monſtrando juncturam tertiam, quæ in ſuprema manus eminentia &c. Vid. *Maim.* hilc. *Berach.* c. 6. c. 4. ejuſque Comment. *Ceſeph Miſchne*. R. *Moſe de Kozi* Præc. Affirm. nr. 27. fol. 112. cap. 3. l. 1. ſeqq.

(e) Cod. *Jadaim* c. 1. §. 1. מי רביעית נותנין לידים לאחד אף לשנים מחצי לוג לשלשה או לארבעה מלוג לחמשה ולעשרה ולמאה: i. e. *de quarta aquarum indunt manibus unius vel duorum. De Logo dimidiato, tribus aut quatuor. De Logo, quinis vel denis aut centenis.*

(f) Ita vocatur Cod. *Kelim.* cap. 2. §. 6. טיטרוס רב יוסי מטמא מפני שהוא כמוצא פרוטות *Rab Joſe exiſtimat, TITROS contrahere immunditiem: quia, emittendo aquam, eſt inſtar expendentis nummos minutiſſimos.* ad quæ *R. Moſes* וטיטרוס הוא כלי חרס מושבו רחבה ולו צואר צר ארוך דק מאד ובתחתית הכלי נקבים נקבים וכאשר המלא הכלי במים והושם האצבע על ראש הצואר הדק ומנע האויר מליכנס בכלי ולא יצאו המים אשר בו מאלו הנקבים וכאשר הוסר האצבע מראש הכלי יצאו המים מקרקעית הכלי ויקרא אצלנו זה הכלי מזה המים ואמרו מפני שהוא כמותיא פרוטה ר"ל כי המים כאשר יצאו מאלו הנקבים לא יצאו במהרה אבל יצאו מעט מעט באיחור גדול הנה כבר שבכלי קבול: i. e. *TITROS eſt vas teſtaceum* (metallinum facit Autor Aruch, & ר"ש ad l. c.) *ampli fundi, ſed collum habet anguſtum, longum, gracile admodum; in fundo vas plenum eſt rimarum ac foraminum. Impleto eo aquis, ſi digitus imponatur ſummitati colli iſtius gracilis, cohibetur aer, quo minus in id introeat, nec prodeunt aquæ, quæ intus ſunt, per iſta foramina. Remoto autem ab orificio vaſis digito, exeunt aquæ ex ejus fundo. Nobis vocatur hoc vas Aſperſorium. Et dicunt, quod, quia inſtar minutos nummos proferentis, h. e. quia aquæ, quum ex foraminibus iſtis egrediuntur, non proruunt ſubito, ſed ſenſim admodum exeunt, cum mora magna, ideo vas omnino aptum habeatur receptionis &c.* Rabbenu Aſcher ad Cod. *Chullin* f. 172. c. 1. l. 36. ſeqq. vaſe eodem fere modo deſcripto, l. 36. ſubjicit: נראה לי שטוהר ליטול ממנו לידים *quantum mihi videtur, aptum eſt, quod adhibeatur ad lotionem manuum.*

(g) Ita in *Bereſchith Rabba* ſect. 4. fol. 4. col. 1. l. fin. Edit. Ven. *Rab. Aſcher* l. c. l. 38. vult alio nomine dici מיארג in *Erubhin* c. ult.

(h) Rab. *Aſcher* l. c. l. 43. verba Miſchnæ, quibus *proferenti nummos minutos* comparatur, reſpicere ait id quod מוציא טיפין טיפין כשמסיר אצבעו *emittat aquas, remoto digito, guttatim.* Rabbenu Nathan in *Aruch* f. 78. c. 4. טיפה אחר טיפה *guttam poſt guttam* aſſerit prodire ex iſto.

(i) Supra verbis ad [f] citatis.

(k) *Rabbenu Aſcher* ad Cod. Chullin. f. 172. c. 1. l. 27. ſeqq. ומים שבחבית ויש בו ברזא יסיר הברזא ויחזירנו בכל שפיכה ושפיכה וקרי ביה שפיר כח גברא כיון דעל שפיכה ושפיכה וקרי ביה שפיר כח גברא שמוטה על צדה אבל לא החזיר הברזא בין שפיכה לשפיכה דמי לחבית שמוטה על צדה וכו': i. e. *Aquis in vaſe quodad exiſtentibus, cui epiſtomium; ſi epiſtomium remotum, ad* quamcunque affuſionem *reſtituat, bene de eo dicitur, quod concurrente homine effundat aquas, quia per remotionem epiſtomii aquæ proveniunt: nec comparari poteſt cum vaſe in latus inclinato. Sed ſi inter* ſingulas affuſiones *epiſtomium non reſtituat, ſpeciem habet vaſis in latus inclinati &c.*

(l) Cod. *Jadaim* c. 1. §. 2. בכל הכלים נותנין לידים אפילו בכלי גללים בכלי אבנים בכלי אדמה אין נותנין לידים לא בדפנות הכלים ולא בשולי המחץ ולא במגופה החבית וכו': i. e. *omni vaſe aquas* indunt *manibus, etiam marmoreis, lapideis, teſtaceis. Sed non* indunt *manibus e partibus vaſorum fractis, nec e vaſorum operculo &c. Maim.* hilc. *Berach.* c. 6. §. 10. יש לנוטל ליתן על ידיו מעט מעט עד שיתן בשיעור ואם נתן הרביעית כולה בשטיפה אחת כשר: i. e. *lavans paulatim aquas* affundere *debet manibus, donec legitimam menſuram* indiderit. *Quod ſi totam quartam una* indiderit *affuſione*, re confecta, *ne ſit irritum.*

(m) *Maim.* hilc. *Berach.* cap. 6. §. 14. השוקה שדולה אדם בידו או בגלגל ונותן לתוכה והמים נמשכים ממנה באמה והולכין ומשקין הירקות או הבהמה והניח ידיו בשוקת ועברו המים ושטפו על ידיו לא עלתה לו נטילה שהרי אין כאן נותן על ידיו ואם היו ידיו קרובות לשפיכת הדלי עד שנמצאו המים שטפו על ידיו מכח נתינת האדם עלתה לו נטילה: i. e. *Si quis aquæ-*

cunt *aquam manibus indere* (*a*), vel *affundere* (*b*), aut eadem manum *inundare* (*c*). Curiose quoque præcaverunt, ut, pluribus simul ordine lavantibus, etiam ultimo, aquis paulatim e vase deficientibus, *quarta* ad minimum *logi* suppetat (*d*). Requirunt λετροχόον diversum a lavante, qui aquas hic affundat (*e*). In istius vero defectu hujusmodi præscribunt remedia, quæ nullatenus necessaria, si mersione res deberet confici (*f*). Manifesto argumento, lotionem manuum aspersione factam, vel aquarum affusione. Quum igitur hæc Lucæ *Baptismus* dicatur, & βαπτίζεσθαι qui manus lavat: quis dubitare jure potest, *Baptismum* rite perfici, nuda aquarum affusione vel aspersione, vereque dici βαπτίζεσθαι, cui aquæ tantum affunduntur, vel pro loci consuetudine asperguntur? Exempla hujus occurrent infra.

XI. Cæterum *Baptismus* varie potest dividi. Qui ductum Scripturæ sequuntur, *Baptismum* alium *Fluminis* statuunt (*g*), alium *Flaminis*, ac *Sanguinis* alium seu Martyrii (*h*). Duæ posteriores species, quemadmodum τὸ τῶν δακρύων βάπτισμα (*i*), aliæque translatæ, ad nos nil attinent, de proprio dicturos. Neque tamen *Fluminis Baptismus* universim sumtus, & prout etiam baptismum *Expiationis* sub se comprehendit, nostræ jam est considerationis. Proinde differentiæ ergo vocem *Initiationis* adjecimus, in ea acceptam latitudine, quam vi suæ originis ab *initiando* deducendæ, jure merito sibi vindicat. Utut enim sæpe Synecdochice pro *sacrorum* usurpetur *initiis* (*k*), &, quemadmodum *facere* subinde notat veteribus idem ac *sacra facere*; ita *initiare* passim extet pro *sacris initiare* (*l*), vel *sacris primum adhibere*. Unde quibus id contingit, *Initiati* vocantur, & *Initiorum dies*, quibus hæc sacra celebrabantur, teste Livio (*m*). Nobis tamen generalem suam notationem retineat, tracta ad omnes eos, qui *novum* aliquem statum, vel conditionem, aut professionem subituri erant; sive sacer fuerit ac honorificus, sive civilis ac sæpe etiam miserabilis.

XII. Equidem haud asseruero, in hoc *expiationem* negligi. Certe hæc intendebatur ubivis: modo a sordibus externis ac corporis, nunc ab internis seu animæ. Verum in quamplurimis lustrationibus nil spectabatur extra purificationem amplius. Judæus seminifluus, ob tactum cadaveris aliorumque pollutus, lustratione utitur; menstruata, puerpera,

aquæductui, in quem homo haurit manu sua, vel rota eidem infundens, aquis exinde in foveam derivatis, quæ decurrunt irrigaturæ olera aut jumenta potaturæ, manus inferat, quam inundent aquæ transeuntes; non imputatur ei hæc lotio cum nemo sit, aquas indat manibus. Quod si manus prope fuerint effusioni situlæ, adeo, ut deprehendantur aquæ manus inundantes vi affusionis ab homine factæ, imputatur ipsi lotio.

(a) Exempla in modo dictis passim obvia. Confer inprimis Codic. *Jadaim* c. 1. §. 1. 2.

(b) Vid. supra lit. (e) *R. Moses* ad *Jadaim* c. 1. §. 1. verba ultima: ובלבד שלא יפחות לאחרון שבהם מרביעית: *modo ultimo istorum non relinquatur minus quarta*, hæc adjicit: ר"ל שיהיה בכלי בעת שישפוך ממנו האחרות רביעית: *innuunt, quartam adhuc contineri debere in vase, quo tempore affundit ex isto ultimum*. Paulo post: זבמים שניים כשרחץ קצת ידו ותמו המים או נפסקים השפיכה חוזר ומשלים רחיצת ידו שישפך מים על החלק אשר לא נהרחץ: i. e. *aquis posterioribus, postquam partem manus laverat, deficientibus aut interruptis, affusionem repetit, perfecturus ablutionem manus suæ, dum affundit aquas ad eam partem, quæ nondum lota est &c.*

(c) Cod. *Jadaim* cap. 2. §. 1. נטל לידו אחת משטיפה אחת ידו טהורה לשתי ידיו משטיפה אחת וכו': i. e. *laverit manum unam* inundatione *una, manus ejus pura est: si utramque manum suam ex* inundatione *unica &c.* Ubi *Maim.* pro *mundatione* substituit שפיכה *affusione*. Alibi vero Hilc. *Berach.* c. 6. §. 10. שטיפה *inundationem* retinuit. Sunt Synonnma, nisi quod hæc affusionem denotet paulo liberiorem, & sæpe præter intentionem affundentis erumpentem.

(d) Cod. *Jadaim* c. 1. §. 1. 1. verbis supra §. 9. lit. (l) citatis, subnectitur: רבי יוסי אומר ובלבד שלא יפחות לאחרון שבהם מרביעית: *R. Jose inquit, modo ultimo istorum non relinquatur infra quartam.*

(e) *Arba Turim* Part. I. *Orach Chajim*, num. 162. p. m. 23. c. 4. l. 11. ex *Rabbenu Ascher* ad Cod. *Chullin* fol. 172. col. 2. l. 47. הנוטל צריך שישפוך אחר על ידיו: i. e. *Si quis manus lavare velit, necesse est, alium manibus hujus affundere*. Hinc enim est, ut Cod. *Jadaim* c. 1. §. 2. dicatur ולא יתן לחבירו בחפניו: *nemo* aquam *indat proximo suo pugnis*. it. ib. §. 5. הכל כשרים ליתן לידים אפילו חש"ו: i. e. *Omnes apti sunt, qui aquam* alterius *indant manibus, etiam surdus, stultus ac minorennis*.

(f) *Maim.* hilc. *Berach.* c. 6. §. 13. Recitata Mischna nunc memorata, ulterius pergit: אם אין שם אחר מניח הכלי בין ברכיו וצק על ידיו או יטה החבית על ידיו ויטול או מטל ידו אחת וצק בזו על זו וחוזר וצק בראשונה על השנייה: i. e. *Si non adsit alius*, qui aquas suppeditet, *vas intra genua sua collocet, suisque affundat manibus: aut vase in manus inclinato, lavet. Vel altera manu lota, affundat super alteram, ac rursus priori effundat super secundam*. Vid. ead. ap. *Rabbenu Ascher* ad *Chullin* c 8. f. 172. col. 1. l. 21. seqq. coll. l. 10. seqq. l. c. col. 2. l. 47. seqq. Ex eo filius *Rabbenu Jacob* in *Orach Chajim*. num. 162. p. m. 23. col. 4. l. 12. seqq. inquit: ואם אין לו אחר יאחז הכלי בבאשי אצבעותיו וישפוך על שתי ידיו כאחת או ישפוך על זו רביעית ועל זו רביעית ואחר כך ישפשפם זו בזו: i. e. *Quod si alium non habeat, ipse vas apprehendat extremis digitis, & effundat super utramque simul manum: aut seorsim nunc huic quartam affundat, nunc alteri totidem, illis mutuo deinceps sibi affricatis*. Vid. *Maim.* l. c. §. 13. 14.

(g) *Nazianzeno* Orat. 39. in sancta lumina, tom. 1. p. 634. *βάπτισμα ἐν ὕδατι* dictum.

(h) *Nazianz.* l. c. *βάπτισμα μαρτυρίου καὶ αἵματος*. Vid. Matth. 20. 22. Marc. 10. 32.

(i) Eidem *Nazianz.* l. c. Vid. quoque *Damasc.* lib. 4. Orthodoxæ fidei, c. 10. cit. a *Vossio* Disp. 1. de Baptis. th. 1. p. 26.

(k) Vid. Cicer. de leg. l. 2. c. 444. D. Varro de re rust. l. 3. c. 1.

(l) Unde *Cic.* l. c. *initiari Cereri*.

(m) Vid. *Saubert.* de Sacrific. p. 400.

ra, concubitu viri inquinata (a) &c. immergit se aquæ; non alium in finem, quam ut purificentur. Cum apud Gentiles templa ingressuri, oraturi, sacrificaturi, ludos seculares spectaturi, peracto homicidio, propter funera & alia hujus generis multa, lustrarent sese: non alio id fiebat fine, quam ut a sordibus sive corporis sive animæ purificati, magis forent accepti (b). Unde & effectus hujus lustrationis non durabat diutius, quam novam denuo contraxissent labem, nova rursus lustratione expiandam. Apud Judæos (c) pariter ac gentiles (d) toties lavabant, quoties sacra erant facturi: metu perculsi, an forte vel inscii se contaminarint (e). At hæc, de qua jam dicturi sumus lustratio, in sola purificatione non acquiescit; sed ea jam impetrata, transcendit intentione sua altius, viam apertura novo statui, functioni, aut professioni, unde baptizatus olim erat remotus. Quo occupato, deinceps ad eundem finem non repeti solet amplius.

XIII. Proinde *Initiationis Baptismus* nil aliud est, quam lustratio quædam solennis, qua decenter præparatus, tribus ordinarie adhibitis testibus, post clare editam confessionem, aquis decenter abluitur; ut hoc modo ab immunditie & sordibus suis purgatus, membrum fiat novæ, ad quam adspirat, societatis.

XIV. Hujus *Subjectum* est inprimis *Gentilis Judaicam amplexurus fidem*. Quo quadantenus referri potest *servitutem subiturus* inter Hebræos; cujus inaugurationem Maimonides aliquam Proselytismi partem vocat. Præter hos lustratione inaugurabantur *vindicandus in libertatem*, item *Sacerdotio functurus*, *e cœlibatu transiens ad conjugium*, *Nomine donandus*, ac *consecrandus literis*; quin & *in Deorum e vehendus numerum*. De singulis ordine ita dispiciemus, ut primas concedamus Proselytis; reliquis deinceps tactis.

XV. *Proselytorum* solicitam curam egisse Deum, hinc inde Scriptura inculcat serio. Paria illis subinde attribuit cum Judæis originariis (f). Se vere passim illorum prohibet persecutionem. Ne

(a) Vid. de *Bathseba* 2. Sam. 11. 4.

(b) *Tertull.* de Baptis. c. 5. idque se in regenerationem & *impunitatem perjuriorum suorum*, agere præsumunt. *Pausanias* l. 10. p. 620. *Carmanor*, e Creta, καθῆραι Ἀπόλλωνα *Apollinem de cæde purgasse dicitur*. *Diodor.* Sic. l. 4. p. 155. c. *Ceres* πρὸς τὸν καθαρμὸν τοῦ Κενταύρων φόνου *ad expiandam Centaurorum cædem*, *Parva mysteria instituit*, *in honorem Herculis*. *Plutarch.* Theseo p. 5. c. de hoc refert, *certos ex Phytalidarum stirpe*, *occurrentes*, *rogavit* καθαρθῆναι, *ut expiarent se; qui* τοῖς νενομισμένοις ἁγνίσαντες, καὶ μειλίχια θύσαντες ἐδέξαντο οἴκοι *more solenni lustrantes eum*, & *immolantes hostias ad placandos Deos*, *invitarunt domum*. Apollodor. l. 2. p. 87. *Bellephoron Glauci f. Sysiphi n. Corintho pulsus*, *ob cædem imprudenter factam confugit ad Prætum Argivorum regem*, *ut ab eo expiaretur*. Hæc Joh. Marsham. Can. Ægypt. sec. XI. p. m. 264. seqq.

(c) *Maim.* hilc. *Biath Hammikdasch.* c. 5. §. 4. 5. e Cod. *Joma* cap. 3. זה הכלל היה במקדש אין אדם נכנס לעזרה לעבודה אף על פי שהוא טהור עד שהוא טובל · וכל המסיך את רגליו טעון טבילה וכל המטיל מים טעון קידוש ידים ורגלים. יצא חוץ לחומת העזרה אם לשהות בחוץ יצא כשחוזר טעון טבילה ואם לחזור מיד יצא כשחוזר טעון קדוש ידים ורגלים בלבד: i. e. *Hæc generalis in Sanctuario obtinet regula: Nemo atrium ingreditur sacro functurus officio, etiamsi mundus sit, quin prius aquæ se immerserit. Et quicunque pedes texerit, immersione indiget. Vesicam vero solvens, obligatur ad consecrationem manuum pedumque. Exeunte aliquo extra murum atrii, si, ut commoraretur aliquamdiu, egressus fuerat, reversus debet se immergere; sed si animo statim redeundi fuerat egressus, reversus non obligatur nisi ad solam manuum pedumque consecrationem*. Ibid. §. 8. קדש ידיו צריך לחזור ולקדש למחר אף על פי שלא ישן כל הלילה שהידים נפסלות בלינה. קידש בלילה והקטיר החלבים כל הלילה צריך לחזור ולקדש ביום לעבודת היום: i. e. *Si quis hodie manus suas consecraverat, crastina luce necesse habet, ut consecret denuo, quanquam tota non dormiverit nocte; pernoctatione enim creduntur manus pollutæ. Consecraverit nocte, totaque nocte ista adoleverit adipes, necesse habet, die facto, consecret denuo ad ministerium dici*. Vide prolixius *Maimonidem* toto cap. cicato, it. Cod. *Joma* c. 3. §. 4. 7. §. 3. 4. 5. 6. *Gemara* fol. 29. a. b. fol. 30. seqq. coll. etiam fol. ult.

(d) *Ægyptiorum Sacerdotes*, ut ait *Herodotus* l. 2. 37. λοῦνται δὲ τῆς ἡμέρας ἑκάστης ὕδατι ψυχρῷ, καὶ δὶς ἑκάστης νυκτὸς *quotidie lavantur frigida*, *bis interdiu*, *ac bis noctu*. *Chæremon* a Porphyrio citatus de abstin. l. 4. τρὶς δὲ τῆς ἡμέρας ἀπελούοντο ψυχρῷ, ἀπό τε κοίτης, καὶ πρὸ ἀρίστου, καὶ πρὸς ὕπνον, *ter* inquit, *unoquoque die se frigida abluunt*, *a lecto*, *ante prandium*, & *cum eunt dormitum*. Ex eodem emanavit ritu, quod *Plautus in Aulul.* Act. III. Sc. 6. v. 43. *Ego*, inquit, *si quid me vis*, *eo lavatum*, *ut sacrificem*. Ibid. Act. IV. Sc. 2. v. 5. *nunc lavabo*, *ut rem divinam faciam*. Haud dubie enim sacra violari putabant, *nisi*, ut *Alex. ab Alex.* Genial. dier. l. 4. c. 17. asserit, *in omnibus sacris sacerdos*, *quum diis immolaret*, & *rem divinam faceret*, *prius corporis ablutione purgaretur*. Atque ea propter minus grata fore putabant, neque exaudiri, ut *Hesiod.* adstruit, Opera & dies l. 2. circ, fin. p. m. 54.

Μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον,
Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν,
Οὐ γάρ τοί γε κλύουσιν. ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς.

i. e. ex Versione Nic. Vallæ:

Acre Jovi vinum, seu diis, de mane cavendum est,
Illauta libare manu, tum vota precando
In cassum fundes, nulli exaudita Deorum.

(e) Cod. *Joma*, f. 30. ad l. 28. Glossa interior id fieri, ait, כדי לעלות על לב שאין טבילה אלא לטמאין ולשת ללבו אם יש טומאה עליו ויזכור טומאה ישנה שיש עליה ושכחה ויפריש מלבוא לעזרה היום עד שיעריב שמשו אחר הטבילה ולא יעבור היום: *ut in mentem veniat, nullam fieri mersionem nisi a pollutis, & ut ad animum revocet, utrum forte inhæreat sibi pollutio. Revocata enim in animum pollutione veteri sibi imminente, quæ exciderat, abstrahat se quo minus isto die ingrediatur in atrium, donec occubuerit ipsi sol a mersione facta, nec die isto aliquam subeat functionem*.

(f) Ἰσοτιμίαν inquit Philo lib. 1. de Monarch. p. m. 631. F. ἅπασιν ἐπηλύταις μεταδοὺς καὶ χαρισάμενος ὅσα καὶ τοῖς αὐτόχθοσι, παραινεῖ τοῖς εὐπατρίδαις μὴ μόνον αὐτοὺς τιμαῖς γεραίρειν, ἀλλὰ καὶ ἐξαιρέτῳ φιλίᾳ καὶ εὐνοίᾳ περιέπειν· καὶ μήποτ' εἰκότως ἀπολελοιπότες, φησὶ, πατρίδα καὶ φίλους καὶ συγγενεῖς δι' ἀρε-
τὴν

Ne quis itaque falso ipsorum nomen mentiatur, sub hoc prætextu varias in se derivaturus immunitates, sæpe cum maximo indigenarum damno: neve vicissim Judæorum aliquis, ignarus quam alienigena religionem colat, divinam de illo fovendo legem transgrediatur, quidvis sibi in gentilem licere præsumens: & ut rei ipsi externa pompa major concilietur autoritas, reverentia sanctior: Sapiens Judæorum Antiquitas prudenti consilio instituit, ne quis clanculum in viscera Ecclesiæ suæ irreperent; sed solenni ritu, cujus Deum ipsum faciunt autorem, reciperentur publice.

XVI. Quanquam hic tria, si fieri possit, usurpet media, Circumcisionem, Baptismum & Sacrificium. Horum tamen Circumcisio in sexu sequiori nunquam invenit locum: Sacrificium, tem-

plo desolato, a nemine offerri potest. Solus *Baptismus* universalis est ac perpetuus, cuilibet sexui ac tempori conveniens (*a*). Hinc eum usque eo putant necessarium, ut sine eo, omnibus noto vel idoneis comprobato testibus (*b*), nemini jura Proselyti concedant; si vel maxime & corpore, & testimonio sufficienti probatum dederit, se esse circumcisum.

XVII. Hinc factum est, ut nondum legitime Baptizatus nec admissus fuerit, qui de sanctis comederet (*c*), aut uxorem duceret Israelitidem (*d*). Quod si quis interea temporis, eo insuper habito, aliquam domum duxerit, eaque ex ipso conceperit, fœtus habetur pro spurio, haud secus ac si ex gentili fuisset genitus (*e*). Ex eodem quoque emanavit principio, quod clanculum baptiza-

tus,

τῶν καὶ ὁσιότητα, μὴ ἀμοιρείτωσαν ἑτέρων πόλεων καὶ οἰκιῶν καὶ, φίλων, ἀλλ' ἔστωσαν καταφυγαὶ τοῖς πρὸς εὐσέβειαν αὐτομολοῦσι. Φίλτρον γὰρ ἀνυσιμώτατον καὶ δεσμὸς ἄλυτος εὐνοίας ἐρωτικῆς. ἡ τοῦ ἑνὸς Θεοῦ τιμή. h. e. *Omnes æquo jure uti voluit tam advenas quam indigenas, veteres cives admonens, ut hos novos non solum honorent, verum etiam eximia prosequantur benevolentia. Et merito cum reliquerint patriam, cognatos amicosque pietatis ergo sanctitatisque, non excludantur ab aliis civitatibus, familiis, amicitiis; sed pateant receptacula hominibus ad religionem veram transfugientibus. Nam unius Dei cultus est amoris mutuæque benevolentiæ vinculum insolubile.* Vid. Plutarch. Conjug. Præcep. p. m. 140.

(a) *Maim.* hilc. Issure Bia c. 15. §. 4. 5. 6. (Quæ iisd. fere verbis habentur in *Smag.* P. N. 116. fol. 40. c. 2. l. 46. seqq.) suorum mentem exprimit verbis sequentibus: לדורות כשירצה הכותי להכנס לברית ולהסתופף תחת כנפי השכינה ויקבל עליו עול תורה צריך מילה וטבילה והרצאת קרבן ואם נקבה היא טבילה וקרבן -- ובזמן הזה שאין שם קרבן צריך מילה וטבילה -- גר שמל ולא טבל או טבל ולא מל אינו גר עד שימול ויטבול: i. e. *Quandocunque Gentilis in fœdus cum Deo vult recipi, ac vel sub extimis alarum divinæ Majestatis partibus delitescere, jugo legis in se recepto, opus* ad hoc *habet circumcisione, Baptismo, ac placatione sacrificio facta: & si fœmella sit, solo Baptismo, ac sacrificio. Nostro hoc tempore, quo non vigent sacrificia, circumcisione opus habet* mas, *ac Baptismo. Proselytus qui circumcisus baptizatus non fuerit, aut baptizatus, sed non circumcisus, non est Proselytus, donec circumcisus etiam baptizetur.* Celebris in hanc sententiam circumfertur decisio R. Johannis Cod. *Jevam.* f. 46. a. l. 26. Vid. p. b. l. 10. לעולם אין גר עד שימול ויטבול וכיון דלא טביל נכרי הוא: i. e. *Nunquam in æternum reputatur quis Proselytus, donec circumcisus etiam baptizetur: nam antequam baptizatus fuerit, æstimatur pro alienigena.* Secundum R. Judæ opinionem l. c p. b. l. 18. l. 12. seqq. טבילה עיקר *Baptismus* in hoc negotio est *pars primaria*, ac *fundamentum* totius inaugurationis.

(b) *Maim.* hilc. *Issure bia* c. 13. §. 7. טבל בינו לבין עצמו ונתגייר בינו לבין עצמו ואפילו בפני שנים אינו גר -- בא ואמר נתגיירתי בבית דינו של פלוני והטבילוני אינו נאמן לבוא בקהל עד שיביא עדים: i. e. *Si baptizet se quispiam seorsim, & Proselytismum recipiat seorsim, aut duobus tantummodo præsentibus, non est Proselytus. Se quis adveniens dixerit, proselytus factus sum per judicium hujus vel istius, qui curarunt me baptizari; non habetur ipsi fides, ut veniret in Ecclesiam, donec testes attulerit.* Rabbenu *Ascher* ad Cod. *Jevam.* f. 135. c. 1. l. 16. seqq. והיכא דאתא נכרי ואמר כבר נתגיירתי וטבלתי בבית דין של פלוני לא מהימנינן ליה עד דמייתי סהדי דאמר רבי חייא בר אבא אמר רבי יוחנן הלכה בין בארץ בין בחוצה לארץ צריך להביא ראיה: i. e. *Sicubi peregrinus venerit, dicens: jamdudum in proselytorum numerum adscriptus sum, ac baptizatus coram judicio istius N.; non habemus ipsi fidem, donec afferat testes. Nam R. Chija f. Abbæ inquit, R. Johannem dixisse, id observari decisum, ut, sive quis in eadem sit terra, sive extra eandem, opus habeat planam afferre rationem.* Conf. omnino Gemara Babyl. *Jevam.* fol. 46. b. fin. fol. 47. a. imprimis l. 14. 15. *Rab. Alphes* Part. 11. fol. 15. b. Edit. Amstel.

(c) Refertur enim inter eos, qui nondum plene sunt reconciliati. Cod. *Cerith.* c. §. 1. ר"א בן יעקב אומר גר מחוסר כפרה עד שיזרק עליו הדם: i. e. *R. Elieser f. Jacobi inquit: Proselytus integra destituitur expiatione, usque dum sanguis in eum fuerit sparsus.* Sed vero, ut *Gemara* habet l. c. fol. 9. a. l. 18. it. *Jevam.* f. 46. b. l. 8. אין הזאה בלא טבילה: *Aspersio sine baptismo non invenit locum.*

(d) Id ad lit. (b) *Maimonides* expresserat, per *venire in Ecclesiam.* Alibi l. c. §. 9. clarius loquitur, dicens: גיורת שראינוה נוהגת בדרכי ישראל תמיד כגון שתטבול לנדתה והפרוש תרומה בעיסתה וכיוצא בזה וכן גר שנוהג בדרכי ישראל שטובל לקריו ועושה כל המצות הרי אלו בחזקת גירי צדק ואף על פי שאין שם עדים שמעידין לפני מי שנתגיירו ואף על פי כן אם באו להתערב בישראל אין משיאין אותם עד שיביא עדים או עד שיטבילו בפנינו הואיל והוחזקו כותים: i. e. *Si quam videmus Ethnicam viæ Israelitarum continuo insistentem, cujusmodi quæ lavat se post menstrua, & Truma separat de massa sua, & si quod huic simile: Item si qui Peregrinus Israelitarum legat vestigia, lavans sese ad pollutionem nocturnam, omniaque Præcepta perficiens. Hujusmodi præsumuntur Proselyti justitiæ, utut nulli adsint testes, qui testatum faciant, coram quibus in numerum Proselytorum sint recepti. Hoc non obstante, si venerint permixturi se cum Israelitis, in ipsorum connubia non consentiunt, donec testes afferant, aut baptizentur nobis præsentibus, quia præsumi possunt Samaritæ.* Vid. etiam §. 10. & Conf. Cod. *Jevam.* fol. 45. b. l. 30. seqq.

(e) Cod. *Jevam.* 46. a. l. 22. seqq. רב חייא בר אבא איקלע לגבלא חזה בנות ישראל דמיעברן מגרים שמלו ולא טבלו -- אתא לקמיה דר' יוחנן א"ל צא והכרז על בניהם שהם ממזרים -- דלעולם אין גר עד שימול ויטבול וכיון דלא טבל נכרי הוא ואמר רבה בר בר חנה א"ר יוחנן נכרי ועבד הבא על בת ישראל הוולד ממזר: i. e. *Rab Chija f. Abbæ cum apud Gablam divertisset, vidit filias Israelitarum impregnat[as] a Proselytis circumcisis quidem, sed non baptizatis; Reversus ad R. Johannem, hic ei dixit: egredere ac pro-*

tus, ne cui de suo Baptismo relinquat dubium, solenni modo eundem debuerit repetere, testibus convocatis omni exceptione majoribus (*a*).

XVIII. Equidem non defuit, qui ex Talmudistis pro sufficientia solius Circumcisionis militarit, in Patriarcharum inauguratione suam fulciens sententiam (*b*). Sed aliorum non assecutus est assensum (*c*); quin ex communi Doctorum consilio, suffragantibus sapientibus omnibus damnatus fuit (*d*), coactusque tandem fateri, in istis Patribus Baptismum non minus fuisse adhibitum, quam Circumcisionem (*e*).

XIX. E contrario plures omnino fuere, qui in solo *Baptismo* omne posuerunt momentum. R. Josua præcedenti Doctori e diametro se opposuit, Proselytumque pronunciavit legitimum, qui nude baptizatus fuerit, utut non circumcisus (*f*). Adductus ad hoc fuit fœminarum exemplo, quæ extabant tempore Patriarcharum (*g*). Erant hæ in fœdere cum Deo, ac simul sanguine conspersæ præsumuntur, cum totus populus isto conspergeretur ad montem Sinai. At nec aspersio ex eorum hypothesi, datur sine præcedaneo Baptismo, nec circumcidendi in mulieribus locus (*h*).

R. Ju-

proclama filios ipsorum, quod sint spurii. Nunquam enim in æternum reputatur quis Proselytus, donec circumcisus baptizetur: cum vero nondum baptizatus est, æstimatur pro alienigena. Et Rabba inquit, nepos Hannæ, R. Johannem statuisse: alienigena & servo cum Israelitide concumbente, infans inde genitus est spurius. Paulo mitior est *Rab Alphes* l. c. f. 15. b. l. 8. seqq. citatus a *R. Ascher* ad l. c. f. 134. c. 4. l. 37. 38. Conciliaturus enim hanc R. Johannis duriorem sententiam, cum facto R. Asse, qui, secundum effata Cod. *Jevam.* f. 45. b. l. 28. & gentilem ob menstrua se immergentem absolvit, & ejus prolem; itemque cum R. Josua f. Levi afferente, *ethnico ac servo cum Israelitide concumbente, infantem inde genitum fore legitimum*, inquit: הא דרב אסי ודרי״בר ריעבד הוא ולא פסלינן לבריה הואול וטבל לשם קריו ראי לאו גיורא הוא לא טבל לשם קריו והא דר׳ יוחנן לכתהלה ולא נהגינן ביה מנהג גר ולא מנסבינן ליה בת ישראל עד דטבל בפני ג׳ אבל בריעבד לא פסלינן לבריה וכו׳: *eam R. Asse & R. Josuæ f. Levi sententiam loqui de re jam confecta: quod* impraegnatione facta, *prolem non pronunciamus illegitimam, ex quo merserit se parens ob accidens nocturnum sibi superveniens. Quod si enim proselytus non foret, non immergeret se ob nocturnam sibi factam pollutionem. R. Johannem vero loqui de re adhuc integra ac salva. In tali quippe non adhibemus jura proselyti, nec nuptum tradimus ipsi Israelitidem, donec baptizatus fuerit tribus præsentibus. At re jam confecta* (quæ verba sunt R. Ascher l. c.) *prolem non dicimus ineptam*. Scilicet soli Israelitæ; nequaquam vero Sacerdoti: (ut idem *Alphes* l. e. p. a. l. 13.) cui hujusmodi prolem & ipse *R. Jos. f. Levi* ineptam judicat Cod. *Jevam.* f. 45. a. l. 20. seqq. Conf. *Raschi* Glossa ad *Jevam.* f. 44. b. l. 11. seqq.

(a) *Maim.* hilc. *Issure bia* cap. 13. §. 8. היה נשוי לישראלית או לגיורת ויש לו בנים ואמר נתגיירתי בינֵי לבין עצמי נאמן לפסול את עצמו ואינו נאמן לפסול את הבנים והוזר וטובל בבית דין: i. e. *Si cui matrimonio juncto Israelitidi, aut proselytissæ filii fuerint, qui dixerit, privatim factus sum proselytus; fidelis habetur, qui se ipsum ineptum reddat, sed non filios. Baptizaturque denuo præsente Senatu.* Priora apud *Rab Alphes* l. c. f. 16. a. l. 3. seqq. *R. Ascher* l. c. f. 135. c. 1. l. 29. seqq. Desumta sunt e Cod. Jevam. f. 47. a. l. 20. seqq.

(b) Cod. *Jevam.* fol. 46. a. l. 33. גר שמול ולא טבל ר״א אומר הרי זה גר שכן מצינו באבותינו שמלו ולא טבלו: i. e. *Si quis circumcisus, non fuerit baptizatus, R. Eliefer inquit, en talis est Proselytus: ita enim deprehendimus in Patribus nostris, quod circumcisi fuerint, & non baptizati.* Conf. ad §. 20. lit. (h).

(c) Vid. §. seqq.

(d) *Jevam.* l. c. l. 35. וחכ״א טבל ולא מל מל ולא טבל אין גר עד שימול ויטבול ור׳ יהושע נמי נילף מאבות ור״א נמי נילף מאימהות וכי תימא אין דנין אפשר משאי אפשר והתניא ר״א אומר מניין לפסח דורות שאין בא אלא מן החולין נאמר פסח במצרים ונאמר פסח בדורות מה פסח האמור במצרים אין בא אלא מן החולין אף פסח לדורות אין בא אלא מן החולין א״ל רבי עקיבא וכי דנין אפשר משאי אפשר א״ל אע״פ שאי אפשר ראיה גדולה היא ונלמוד הימנה: i. e. *Sed Sapientes dicunt: baptizatus qui non circumciditur, circumcisus qui non baptizatur, neuter est Proseytus, donec & circumcidatur & baptizetur. R. Josua autem etiam a Patribus discere debebat, & R. Eliefer a Matribus. Quod si dixeris non desumunt rationem possibilis ab impossibili,* & consequenter non opus ut R. Eliefer Matrum rationem habeat, utpote in quibus circumcisio erat ἐκ τῶν ἀδυνάτων. *Nonne nota est doctrina hæc: R. Eliefer inquit, undenam de Paschate perpetuo* probari potest, *quod non conquiratur, nisi de profanis? Resp. Pascha dicitur tam in Ægypto* celebrandum, *quam in quacunque quæ generatione alio. Quæ ratio fuit Paschatis in Ægypto celebrati? non sumebatur nisi de profanis: ita etiam Pascha aliis celebrandum generationibus non sumatur nisi de profanis*; nec de decimis secundis, quæ in Ægypto nondum existebant, ut exinde Pascha potuerint acquiri. *Etiam dicente ipsi R. Akiva, numquid possibile dijudicant ex impossibili? respondit utut impossibile magnum pondus habeat, discamus tamen exinde. Rab Alphes* l. c. fol. 15. l. 26. seqq. & *R. Ascher* l. c. fol. 134. c. 4. l. penult. controversia hac recitata, subjiciunt: א״ר חייא בר אבא א״ר יוחנן הלכא לעולם אינו גר עד שימול ויטבול: i. e. *R. Chija dixit filius Abbæ, dixisse R. Johannem, Decisum esse, numquam fore Proselytum, donec circumcidatur & baptizetur.* Idem quoque inferunt Cod. *Jevam.* f. 46. b. l. 26. ex facto R. Osajæ, qui circumcisum detinuit, ut crastino etiam *baptizetur*. Subjicitque *Rab Alphes* l. c. l. antep. וכו הלכתא: *ita fore decisum*, juxta quod pronunciare debeant omnes. Vid. *Rambam* hilc. *Issure bia* c. 13. §. 6. *Smæg* Negat. 116. fol. 40. cap. 2. l. 4. fin.

(e) Cod. *Jevam.* f. 46. b. l. 2. seqq.

(f) Glossa exterior ad Cod. *Jevam.* f. 46. b. aliquoties de *R. Josua* inculcat, דסברא ליה רטבילה בלא מילה מהניא אבל מולה בלא טבילה לא מהני: *quod eam foveat sententiam, ac si Baptismus solus sine circumcisione conducat, circumcisio autem sine Baptismo nil valeat quicquam.*

(g) Cod. Jevam. fol. 46. a. l. 34. טבל ולא מל רבי יהושע אומר הרי זה גר שכן מצינו באימהות שטבלו ולא מלו: i. e. *Si quis baptizatus fuerit, utut non circumcisus, R. Josua inquit, en talis est Proselytus: ita enim de Matribus nostris statuere fas est, solum baptizatas eas fuisse, non circumcisas.* ראם לא טבלי במה נכנסו תחת כנפי השכינה: *nam,* quæ Glossæ inter. verba sunt, *si baptizatæ non fuissent, quo quæso medio fuissent ingressæ sub alas Majestatis divinæ?* cum circumcisio in illis non invenerit locum, quæ ex Gemara sunt desumta l. c. p. b. l. 8. 9.

(h) *Jevam.* f. 46. b. l. 7. מהכא ויקח משה את הדם ויזרוק על העם וגמירי ראין הזאה בלא טבילה ור׳ יהושע טבילה באמהות מנלן סברה היא דא״כ במה נכנסו תחת כנפי השכינה: i. e. *Inde Baptismus probari potest, quod Moses* Exod. 24. 8. *acceptum sanguinem asperserit super populum. Tradunt enim, Aspersionem non fore sine Baptismo. Undenam hæc R. Josuæ opinio de Baptismo Matrum nobis innotescit?*

quia

R. Juda, qui expresse *unicum medium sufficere initiationi* statuit (*a*), pro Baptismo stetisse vel ideo potest concipi, quod de circumcisione parum solicitus, illico fidem adhibuerit dicenti; se fore circumcisum, & in id modo incubuerit, ut Baptismo initiaretur legitime (*b*). Atque ab hac sententia non eximit *Tosiphta* Codicis Jevamot R. *Osajam*; dum accedentem ad se Proselytam, qui nullo stipatus testimonio, asseruerat, se circumcisum esse, sed non baptizatum, sine ulteriori in veritatem istius inquisitione, in crastinum, ut *baptizaretur*, remiserit (*c*). Quin & tota Secta *Hilleliana*, Proselyto quidem apella existente, statuit, non expectato sanguine foederis, solum sufficere *Baptismum* (*d*). Ac satis audacter in Gemara asserunt, neminem in hoc mundo litem movere ei, qui pro solo *Baptismo* pronunciarit, quod absque Circumcisione valeat (*e*).

XX. Neque id injuria. Nullum quippe dubium, quin intra tres istos menses, qui effluxisse dicuntur (*f*) ab exitu ex Ægypto ad promulgationem legis, non neglecto septiduo quo in servitute adhuc commorantes circumcidi non poterant legitime (*g*), plures nati fuerint *Masculi*. Tanta hominum copia erat, quæ non permittit sentire aliter. Deficientibus aliis novi quotidie succedunt, natura operatrice nunquam deficiente. *Hi omnes*, præsupposita Judæorum, de initiamento Baptismi ad montem Sinai facto, sententia, *absque circumcisione in foedus cum Deo introierunt*, *solo usi Baptismo*. Ponamus in Ægypto genitos omnes septiduum superantes circumcisos fuisse (*h*). At nemo istorum ab eo die, quo ex Ægypto egressi fuerant, quamdiu forent in itinere sustulit præputium, donec ad collem Araloth circumciderentur a Josua omnes (*i*). Parvulos autem a solenni illo Baptismo eximendos haud fuisse, & generalis *populi* mentio comprobat, qui consecrandus jubetur (*k*), & constans Judæorum traditio (*l*). Nec scrupulum figere potest, quod hodienum quilibet parentum pro se baptizetur omnibusque posteris (*m*). Siquidem id de ea saltem prole valet, quæ in lucem editur post initiationem, in parentibus suis adhuc existens simul cum ipsis consecrata (*). Fieri quoque potuit, ut istiusmodi parvulus parentibus fuerit orbatus: qui aut in foedere cum Deo non fuit, aut, si receptis acquescimus mediis, initiamento usus est *Baptismo*.

XXII. Plures præterea Gentes erant, quæ circumcisionis morem observabant præter Israelitas. Philo (*n*) præsertim Ægyptios laudibus extollit, reverenter de

quia si non per eum, quo fuissent ingressæ sub alas divinæ Gratiæ?

(a) Loc. cit. l. 16. א"ר יהודה בחדא סג' *R. Juda inquit, in uno sufficit.*

(b) Loc. cit. l. 12. 13. הרי שבא ואמר מלתי ולא טבלתי מטבילין אותו (פר"שי ואין צריך לבדוק בעדים אם מילתו לשם מצות אם לא הואיל וטבל בטבילה סגי) ומה בכך דברי רבי יהודה: i. e. *Si quis venerit dicens, circumcisus sum, sed non baptizatus, curant eum baptizari*. (i. e. Glossa habet, *non opus æstimant, inquirere in testes, an circumcisio ob præceptum divinum facta sit*, an non. *Posteaquam baptizatus fuerit, in Baptisma sufficit.*) *Et quid in hanc rem verba Rabbi Judæ!*

(c) Loc. cit. l. 26. seqq. רבי אושיא ברבי חייא ראתא לקמיה גר שמל ולא טבל אבל אמר ליה שהי כאן עד למחר ונטבלינך: i. e. *R. Oschaja f. R. Chija accedenti sibi Proselyto, qui circumcisus fuerat, sed non baptizatus, dixit, expecta hic usque in crastinum, tunc baptizari te curabimus*. Cumque inter tria, quæ ex hac actione elicienda existimabant, etiam inferrent, *non fore Proselytum, donec circumcisus, baptizaretur*; ad ista verba *Tosiphta* annotat: מהכא לא מצי לדקדק דלא תסגי בטבילה לחודה ולא בא לדקדק אלא דמילה בלא טבילה לא מהניא: i. e. *exinde nemo accurate inferre poterit, quod solus Baptismus non sufficiat. Nil enim amplius exinde probare satagic, quam circumcisionem non valere sine Baptismo.*

(d) Cod. *Schabb.* fol. 135. a. l. 8. seqq. א"ר שמעון בן אלעזר לא נחלקו ב"ש וב"ה על נולד כשהוא מהול שצריך להטיף ממנו דם ברית מפני שערלה כבושה היא על מה נחלקו על גר שנתגייר כשהוא מהול שב"ש אומר צריך להטיף ממנו דם ברית וב"ה אומר אין צריך להטיף ממנו דם ברית: i. e. *R. Simeon f. Eleasar inquit, non dissentiunt inter se Schola Schammæana & Hilleliana de eo qui Apella genitus est, opus fore elicere ex isto sanguinem foederis; quia præputium forte depressum est adhærens carni. De quo igitur dissentiunt? De Proselyto, qui recipi vult in gremium Ecclesiæ, glande denudatus. De hoc Schola Schammæana asserit, sanguinem foederis esse eliciendum; Sectatores vero Hillelis asseverant, non non opus esse, destilletur ex eo sanguis foederis*. Conf. *Rabbenu Tam* ad l. c. Glossa exterior ad *Jevam.* fol. 46. bl. 21. *Rabbenu Ascher.* ad l. c. fol. 135. c. 1. l. 2. seqq.

(e) Cod. *Jevam.* f. 46. b. l. 1. בטבל ולא מל כולי עלמא לא פליגי דמהני כי פליגי במל ולא טבל: i. e. *de baptizato, qui circumcisus non est, totus mundus non dissentit, quod conducat; sed dissentiunt tantum de circumciso, qui non est baptizatus*. Vid. *Tosiphta* ad l. 8.

(f) Exod. 19. 1. Conf. *Aben Esra* ad l. c. it. Cod. *Taanith.* f. 28. b. l. 24. 25. ubi lex promulgata dicitur die mensis tertii sexto.

(g) Gen. 17. 12.

(h) Ita *Rambam* l. c. §. 2. it. *R. Moses de Kozi* Præc. Neg. 116. fol. 40. col. 2. l. 41. seqq. (e Cod. *Kerith.* f. 9. a. cujus Conf. Glossæ) מילה היתה במצרים שנאמר וכל ערל לא יאכל בו ומל אותם משה רבינו שכולם בטל ברית מילה במצרים חוץ משבט לוי ועליהם נאמר ובריתך ינצורו: i. e. *Circumcisio in Ægypto extitit, sicut dicitur* Ex. 12. 48. *nullus præputiatus de isto comedat. Itaque circumcidit eos Moses Doctor noster. Omnes enim in Ægypto abrogarunt foedus circumcisionis, excepta tribus Levi, qua de dicitur* Deut. 33. 9. *& foedus tuum observabunt.*

(i) Jos. 5. 5.

(k) Exod. 19. v. 20.

(l) Vid. ad §. 24. verba *Rabbenu Ascher* ad lit. (b) p. 39.

(m) Vid. §. 24. (*) Vid. *Tosiphta* ad *Jevam.* 78. a. l. 41. Cod. *Temuroth* c. 6. circa fin. f. 130. b.

(n) De Circumcis. p. m. 625. A. πρᾶγμα σπουδαζό-

de hoc ritu sentientes. Herodotus (*a*) *Colchos* enumerat, *Ægyptios*, atque *Æthiopas* omnium primos: a quibus didicerint *Phœnices*, *Syri* ac *Macrones*. Diodorus Siculus (*b*) nominat *Troglodytas*, quos Josephus (*c*) existimat e Ketura Abrahami genitos. Epiphanius (*d*) Judæis annumerat Ægyptios, *Saracenos* sive *Ismaelitas* (quos Josephus (*e*) & passim Talmudistæ vocant *Arabes*), item *Samaritanos*, *Idumæos* atque *Homeritas*. His pronum fuisset, Judæis glande detecta imponere, ni aliquid accessisset amplius ac evidentius, quo mediante reciperentur in Ecclesiam.

XXII. Imo multi sunt, qui si sine *Baptismo* forent, nullum prorsus externum symbolum haberent, quo intercedente in fœdus cum Deo reciperentur. Res nota est de omni fœmina (*f*). In qua Judæi nunquam Æthiopum approbarunt circumcidendi morem (*g*). Passim introducuntur a Talmudistis pueri, qui apellæ nascuntur (*h*). Ac deploranda comprobat experientia, alios hominum malitia exsectos esse penitus (*i*). In his ac olim circumcisis *Baptismus* vel inaugurationem unice conficit, vel primario. Utut enim sint, qui in circumcisis gentibus, alii etiam in apellis genitis, sanguinem quem vocant fœderis, putant circumcisionis loco eliciendum: Deseruntur tamen non modo a quibusdam, sed & ipsimet, eo non obstante, *Baptismum* summopere æstimant necessarium. Omnes vero in fœmellis, & exsectis *Baptismum* solum rem omnem conficere uno fatentur ore.

XXIII. Proinde solicite admodum disputant (*k*) de muliere quadam gentili,

ζόμενον ἐ μετρίως καὶ παρὰ ἑτέροις ἔθνεσι, καὶ μάλιστα τῷ αἰγυπτιακῷ. ὃ καὶ πολυανθρωπότατον καὶ πολυσοφώτατον εἶναι δοκεῖ. i. e. *Res non mediocri honore habita etiam apud gentes alias, præsertim Ægyptiam, hominum tam frequentia quam sapientia procellentem.*

(a) Lib. 2. cap. 36. τὰ αἰδοῖα ἄλλοι μὲν ἐῶσι ὡς ἐγένοντο, πλὴν ὅσοι ἀπὸ τούτων ἔμαθον. Αἰγύπτιοι δὲ περιτάμνονται. *Alii virilia relinquunt qualia natura sunt, præter eos qui ab istis didicerunt; Ægyptii autem circumcidunt.* cap. 104. μοῦνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι, καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. *Soli omnium, hominum Colchi, & Ægyptii, & Æthiopes a principio pudenda circumcidunt: Phœnices enim & Syri in Palæstina confitentur ipsi, se hoc ab Ægyptiis didicisse. Syri autem, qui Thermodontem & Parthenium fluvium accolunt, & his vicini Macrones, id a Colchis nuper didicisse dicuntur.*

(b) Lib. 3. p. 115. D. Τὰ αἰδοῖα πάντες οἱ Τρωγλοδύται παραπλησίως τοῖς Αἰγυπτίοις περιτέμνονται. *Troglodita omnes genitalia circumcidunt, ritu Ægyptiorum.*

(c) Antiq. l. 2. c. 5. p. m. 55. C. καὶ κατῴκισαν μὲν, ἰσμαήλῳ καὶ τοῖς ἐξ αὐτοῦ τὴν ἀράβων χώραν τοῖς δ' ἐκ χετούρας τὴν τρωγλοδύτιν. *Et Ismaeli quidem ejusque posteris reliquisse Arabum Regionem, Cheturæ filiis Troglotytidem.*

(d) Hæresi XXX. quæ est Ebionis, num. 33. p. m. 160. Τί δὲ καυχᾶται ἰδίαν περιτομὴν, ὁπότε καὶ οἱ εἰδωλολάτραι καὶ ἱερεῖς τῶν Αἰγυπτίων περιτομὴν ἔχουσιν. ἀλλὰ καὶ οἱ Σαρακηνοὶ, οἱ καὶ ἰσμαηλῖται περιτομὴν ἔχουσι, καὶ Σαμαρεῖται, καὶ Ἰδουμαῖοι, καὶ Ὁμηρῖται, *Et vero quid est, quod Ebion adeo de Circumcisione sua glorietur? cum & idolorum cultores, & sacerdotes Ægyptii se circumcidant. Quod & Saraceni, & Ismaelitæ, ac Samaritani, Judæi, Idumæi, & Homeritæ faciunt.*

(e) Antiq. l. 1. c. 13. p.m. 21. G. Ἄραβες δὲ, μετὰ ἔτος τρισκαιδέκατον· ἰσμαῆλος γὰρ ὁ κτίστης αὐτῶν τοῦ ἔθνους ἐν τούτῳ περιτέμνεται τῷ χρόνῳ. *Arabes vero post annum decimum tertium* circumciduntur: *quia Ismael, princeps eorum generis ea ætate circumcisus est.* Vid. *Marscham* Can. Ægypt. Sec. v. p. 74. & sec. IX. p. 175. Illustris *Ludolfus* Histor. Æthiop. l. 3. c. 1. n. 19. seqq.

(f) Cod. *Jevam.* f. 46. b. l. 8. 9. רבי יהושע טבילה באימהות מנלן סברה היא דא"כ במה נכנסו תחת כנפי שכינה: i. e. *undenam nobis ista, quam R. Josua de Baptismo Matrum fovet, sententia probatur?* ℞. *quia nisi per hunc, quonam medio ingressæ essent sub Gratiæ divinæ alas?*

(g) Quo de vid. *D. Ludolfus* l. c. n. 37. qui *Judæorum fœminas de hoc more audientes ridere* ait, *tanquam ignorantes, quid puellis abscindi possit.*

(h) Cod. *Jevam.* cap. 8. fol. 71. a. l. 27. 28. ר"א קסבר קטן כשנולד מהול אין צריך להטיף ממנו דם ברית: i. e. *R. Eliesei existimat, non opus esse, ut a puero sine præputio genito stillare curent sanguinem fœderis.* Quo cum consentire Autorem הלכות גדולות aliosque γνωμολόγυς, tradit *R. Moses de Kozi*, hilc. *Issure bia* fol. 40. c. 4. l. 31. seqq. פקק ב"תנ והטן שנולד כשהוא מהול אינו צריך להטיף ממנו דם ברית וסובר כמו האמוראים שאומר כן בפרק רבי אליעזר דמילה: h. e. cap. 19. Cod. *Schabbath* f. 135. aubi l. 8. dicitur: וב"ה אומרים אינו צריך i. e. *Sectæ Hillblianæ addicti existimant, non opus esse* ex istiusmodi puero extrahatur sanguis fœderis. Vid. *Tosiphta* ad l. h. item Cod. *Jevam.* f. 72. a.

(i) *Rabbenu Ascher* ad *Jevam.* fol. 135. c. 1. l. 6. seqq. בריש הערל פליגי ר"א בר שמעון ורבנן בגר שנתגייר כשהוא מהול אם נמול ביום ובלילה אבל כולהו מודו דצריך הטפת דם ברית ויש ליתן טעם לדבריהם דנולד כשהוא מהול שלא היתה לו ערלה מעולם אין צריך אבל גר שהיתה לו ערלה ומילתו לאו כלום הוא צריך להטיף ממנו דם ברית ומיהו אם נכרת כל הגיד ובא להתגייר נראה שאין מילתו מעכבתו מלהתגייר ומודים חכמים דסגי בטבילה לחודה i. e. *In principio capitis Octavi Cod. Jevammoth* f. 71. a. *disputant inter se R. Eliesei f. Simeonis, & Doctores nostri de Proselyto, qui in cœtum recipitur jam apella existens, utrum circumcedendus sit die aut nocte. Sed omnes fatentur, quod destillatio sanguinis fœderis omnino sit necessaria. Nec deest verbis ipsorum ratio. Qui enim apella genitus est, cum præputium nunquam habuerit, nil indiget. Sed Proselytus, qui præputium habuit, quia circumcisio ejus in Gentilismo facta nullius est momenti, omnino opus habet, sanguis fœderis ex ipso destilletur. Enim vero si, cui virga tota excisa est, ambiat Proselytismum, videtur ipsius circumcisio non impedirl, quo minus fiat Proselytus: nam fatentur Saptentes, quod solus Baptismus sufficiat.* Vid. *Rab Moses de Kozi* hilc. Issure bia fol. 40. c. 4. post. med. *Epiphanius* lib. de Mensuris & pondere num. 16. p. m. 172. *Rabbenu Jacob* in *Jore Dea* num. 268. qui est hilc. *Gerim.* superiori Patris sui sententia recitata, subjicit: וכן כתב גאון סרים שבא להתגייר נכנס תחת כנפי השכינה כאשה: *Atque ita scripsit Gaon, si Eunuchus accedat, ut fieret Proselytus, ingreditur sub alas Gratiæ divinæ perinde ut mulier.*

(k) Cod. *Jevam* f. 45. b. l. 24. seqq. עבדיה דר' חייא בר אמי אטבלה להחיא נכרית לשם אנתתא אמר רב יוסף יכילנא לאכשורי וברתה: i. e. *Servus R. Chijæ f. Immi baptixavit aliquam gentilem nomine Uxoris. Dixit R. Joseph, poterimus legitimam pronunciare eam ejusque filiam?* h. e. ut Glossa interior

ex-

tili, quam servus R. Chijæ f. Immi baptizari curaverat uxoris nomine, utrum reputandus ipsi sit hic *Baptismus*, ut perfecta declaretur Proselytissa, ejusque filia, si quam pareret, reddatur legitima, quæ nuberet Sacerdotibus; an vero nova instituenda veniat initiatio per *Baptismum* solenni modo susceptum. In eo quippe cardinem rei verti, non inter solos Judæos obtinet: Sed ejus fama dudum quoque ad ipsas emanavit gentes. Arrianus (*a*) diu multos Judaismum simulare asserit, quamdiu non sunt baptizati. Quod si quos *Baptismum* recepisse constet, illis de sincero Judaismo non amplius movendam litem: quasi eo jam obsignatis sigillo, quod fallere plane nesciat.

XXIV. *Subsunt* autem *Baptismo* huic penes Judæos omnes omnino alienigenæ, cujuscunque sint sexus atque ætatis (*b*), extra fœdus cum Deo geniti, cum primum ad ipsorum accedunt religionem, totius legis in se recepturi jugum. Quilibet vero pro se atque posteris suis nondum genitis ita initiatur, ut deinceps in Sanctitate editi *Baptismum* non recipiant amplius, parentibus post suum Baptismum jam factis Israelitis; ad quorum posteros non spectat initiationis *Baptismus*. Imo infans a metre adhuc gentili conceptus, si gravida *baptizetur* proselytissa facta, in lucem deinceps editus, sub fœdere jam est, & si puer, non nisi circumciditur (*c*). Qui vero nati jam erant, non participant de fœdere, nisi media initiationis eodem modo recipiant, quo parentes.

XXV. Venerationem Ritui conciliat Antiquitas, divinaque, quam habere creditur, *Origo*. Falluntur, qui ejus natales non ultra *Johannis præconium* extendunt. Scri-

explicat: להיות גיורת גמורה וא"עפ שלא טבלה לשם גירות ואמר לקמן לעולם אין גר עד שימול ויטבול וטבילת נדה סלקה לה לשם גירות ונכריה לא טבלה לנדותה׳: i. e. *possumus legitimam pronunciare eam, ut sit proselytissa perfecta, quamvis non baptizata sit ad proselytismum, dicaturque infra, nunquam proselytus fit, donec circumcisus baptizetur. Lavacrum quippe menstrui reputatur ipsi loco Baptismo ad Proselytismum. Ethnica enim non solet lavari ob menstruum*. Ita pronunciant re jam confecta, in gratiam prolis, ne illegitimarum numerus cresceret in infinitum. Vid. *Alphes* l. c. p. m. 15. b. l. 8. Multa in hoc casu permittuntur, quæ re integra neutiquam concessa. Certe in profanis etiam mersionibus *intentio* usque eo illis erat necessaria, ut ea neglecta, actio subinde fieret irrita. Vid. Cod. *Chagiga* c. 2. §. 6. it. fol. 19. b. l. 29. seqq.

(a) In *Epictetum* l. 2. c. 9. circ. fin. τί ἂν στωϊκὸν λέγεις σεαυτόν; τί ἐξαπατᾷς τοὺς πολλούς; τί ὑποκρίνῃ ἰουδαῖος ὢν ἕλληνας; οὐχ ὁρᾷς, πῶς ἕκαστος λέγεται ἰουδαῖος; πῶς Σύρος; πῶς Αἰγύπτιος, καὶ ὅταν τινὰ ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰώθαμεν λέγειν, οὐκ ἔστιν ἰουδαῖος, ἀλλ' ὑποκρίνεται. ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι, καὶ καλεῖται ἰουδαῖος. οὕτω καὶ ἡμεῖς παραβαπτισταί, λόγῳ μὲν ἰουδαῖοι, ἔργῳ δ' ἄλλο τι. *Quid igitur* (Philosophiam nudis verbis venditantes increpat,) *apellas te Stoicum? quare decipis tam multos? quam ob causam Græcorum personam induis, cum sis Judæus? an nescis, quare dicatur quisque Judæus, quare item Syrus, quare Ægyptius, ut quum viderimus quempiam animo utrinque ancipiti, dicere solemus, Judæus non est, sed simulat: quum autem susceperit affectum Baptizati, & inter Sectatores asciti, tum revera & est & apellatur Judæus. Ita & nos quoque Parabaptistæ* f. male initiati *sumus, dum quisque verbotenus duntaxat Judæus est, revera autem aliud quiddam.*

(b) De adulta quidem ætate res manifesta. Sed ne Parvulos quidem eximendos esse, multa comprobant. *Maim.* hilc. *Issure bia* c. 13. §. 7. גר קטן מטבילין אותו על דעת ב"ד שזכות היא לו: *Proselytum minorennem baptizant ad consensum Senatus, quod hoc ipsi proficuum*. Desumta hæc (quæ & in *Smag* extant p. 40. c. 3. l. 7.) e Cod. *Cetubhoth* fol. 11. a. l. 4. seqq. אמר רב הונא גר קטן מטבילין אותו על דעת ב"ד מאי קמ"ל דזכות הוא לו וזכין לאדם שלא בפניו תנינה זכין לאדם שלא בפניו ואין חבין לאדם שלא בפני׳: i. e. *Rab Huna inquit, Proselytum parvulum baptizant ad sententiam Senatus. Quidnam est quod hoc nobis reddit probabile? quia id ipsi est proficuum. In rebus autem homini profuturis ejus non semper expectant consensum. Nota est thesis illa Mischnica: absolvunt hominem etiam nescium; sed non condemnant, nisi conscium:* וקטן לאו בר דיעה הוא: *Parvulus siquidem*, ut Glossa ait, *usum judicii, aut notitiam nondum habet*. *R. Ascher* ad *Jvam.* f. 135. c. 2. l. 12. seqq. hac recitata sententia, subjicit: וכן מצינו באבותינו שנכנסו לברית והיו בהם כמה ינקי שדימו: *atque ita invenimus de Majoribus nostris, quod in fœdus introierint, tot inter eos infantibus, qui ubera sugebant matrum, existentibus*. Vide supra §. 20. In Cod. *Cherub.* c. 1. §. 2. mentio fit הגיורת שנתגיירו פחותות מבנות ג׳ שנים ויום אחד: *Proselytissarum, infra tertium ætatis anum ac diem unum in gremium Ecclesiæ Judaicæ receptarum*. Ad quam thesin in Gemara f. 11. a. l. 14. seqq. annotatum est: עסקינן בגר שנתגיירו בניו ובנותיו עמו וניחא להו במאי דעביד אבוהון אמר רב יוסף הגדילו יכולין למחות (ולומר אי אפשנו להיות גרים וחוזרין לסורן:) *sermonem in ea fore de Proselyto, cujus filii filiæque cum ipso simul amplectantur Judæorum fidem; queis consultum ducatur, in eo acquiescere, quod ipsorum facit parens. Quod si adoleverint, ex sententia Rab Joseph integrum ipsis, impune recedeee, ac*, ut Glossa adjicit, *dicere, non placet nobis esse Proselytos; redibimus inde, quo sumus digressi* &c. *Rabbenu Jacob* in Jore Dea num. 268. p. m. 47. c. 4. l. 22. seqq. קטן שגיירו אביו או גיירוהו ב"ד ג"ץ יכ"ל למחות כשיגדיל ואין דינו כישראל מומר אלא כגוי גמור בד"א כשלא נהג מנהג יהדות משהגדיל אבל נהג מנהג יהדות משהגדיל שוב אינו יכול למחות ואם חזר בו דינו כישראל מומר׳: i. e. *Parvulus quem Parentes aut Senatus ad Proselytismum adduxere, potest annihilare illud, factus majorennis; neque in eo observantur leges Israelitæ Apostatæ, sed habetur pro Gentili perfecto. De quo nam hæc dicuutur? De eo, qui majorennis factus, nunquam more Judaico se gesserit: quod si fecerit, non potest ulterius recedere; aut deficiens, jura incurrit Israelitæ apostatæ.*

(c) Cod. *Jevam.* f. 78. a. l. 14. 41. *Maim.* hilc. *Issure bia* c. 13. §. 7. *R. Jacob* in *Jore Dea* num. 268. p. m. 47. l. 19. *R. Moses de Kozi* Pr. Neg. 116. fol. 40. c. 3. l. 9. אמר רבא נכרית מעוברת שנתגיירה בנה אין צריך טבילה ר"ל לשום גיור׳ דסלקא ליה טבילה דאימיה: i. e. *Rabba inquit, Si Ethnica gravida proselytissa fiat, ipsa baptizata, ejus proles Baptismo non indiget*, nimirum, ut Glossa adjicit, *ad Proselytismum, quia* in hunc finem *ei imputatur suæ matris Baptismus*, *Tosiphta* ad Cod. *Cethub.* f. 11. a. l. 25. superioribus Gemaræ verbis annectit: והוי גר מן התורה וישראל גמור הוא ואית ליה ממון מן התורה כגון שירש את אמו וכו׳: i. e. *ex ipsa lege reputatur Proselytus, & est Israelita perfectus, habetque de lege opes, ut v. g. hæreditatem adeat matris* &c.

Scriptura pariter ac Josephus de Hujus Baptismo loquuntur, tanquam ritu dudum in Ecclesia Judaica recepto. Utrinque magis occupatus describitur in ejus abrogando abusu (*a*), quam confirmanda institutione. Populus accedit ad eum copiosissime (*b*), tanquam rem usurpaturus jam diu notam. Legati Procerum Israelitarum missi ad Johannem (*c*), non de Baptismo ipso quæstionem movebant, tanquam ritu aliquo inusitato; sed de autoritate, qua instructus eum etiam apud eos adhiberet, qui in fœdere cum Deo erant geniti.

XXVI. Jam *Davidis tempore* immensus Proselytorum numerus ad Ecclesiam judaicam accessisse perhibetur (*d*), Regis erga exteros motus benevolentia. De quibus omnibus persuasus est Maimonides (*e*), quod Baptismo usi fuerint externo gratiæ medio. An *Salomon* & *Simson* in convertendis uxoribus suis, quas non nisi Proselytissas duxisse creduntur a Judæis (*f*), aliquod externum adhibuerint elementum, & quodnam illud fuerit, non offendi ullibi speciatim ab Hebræis expressum. Qui, licet in *Jethro* Baptismum applicatum asserant; (*g*); sui tamen asserti nullum e Scriptura norunt producere fundamentum. De Proselytis *Abrahami* ac *Saræ* opera conversis (*h*), uti res ipsa est incerta: Ita multo incertius medium, quod in recipiendis illis fuerit adhibitum.

XXVII. Id vero nullum prorsus meretur assensum, quod *filiam Pharaonis* ad rivum descendentem lotum, Rabbi Johannes statuat, eo ipso baptizatam fuisse ad Proselytismum (*i*). Talis tunc erat Judæorum status, qui non facile aliquem, nedum Majestatis sobolem in sui traheret assensum. Nulli eam comitati

(a) Matth. 3. v. 2. 8. 11. &c. *Joseph.* Antiq. l. 18. c. 7. p. m. 626. F. τοῦτον κτείνει Ἡρώδης ἀγαθὸν ἄνδρα, καὶ τοῖς ἰουδαίοις κελεύοντα ἀρετὴν ἐπασκοῦσιν, καὶ τὰ πρὸς ἀλλήλους δικαιοσύνῃ, καὶ πρὸς τὸν θεὸν εὐσεβείᾳ χρωμένοις, βαπτισμῷ συνιέναι. οὕτω γὰρ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ φανεῖσθαι, μὴ ἐπί τινων ἁμαρτάδων παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ἁγνείᾳ τοῦ σώματος, ἅτε δὴ καὶ τῆς ψυχῆς δικαιοσύνῃ προεκκεκαθαρμένης. i. e. *Hunc interfecit Herodes virum bonum, jubentemque Judæis virtutem exercentibus, uc erga se mutuo justitiæ, erga Deum vero pietati studentibus, Baptismo se committere. Ita enim & Baptismum Deo gratum futurum, si non ab uno tantum alterove peccato abstineant, sed puritatem corporis addant de*mum *animis justitia prius optime perpurgatis.*

(b) Matth. 3. v. 5. ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν ἱεροσόλυμα καὶ πᾶσα ἡ ἰουδαία, καὶ πᾶσα ἡ περίχωρος ἰορδάνου.

(c) Joh. 1. v. 19. 25.

(d) Cod. *Jevam.* f. 79. a. postquam prolixe narratum fuerat, quomodo David ad reconciliandos Gibeonitas, septem viros posteritatis regiæ suspendi permiserit, in causas inquirunt relictorum in ligno cadaverum, contra expressa Deuteron. 21. vers. 23. verba, h. m. א״ר יוחנן משום ר״ש בן יהוצדק מוטב שתעקר אות אחת מן התורה ויתקדש שם שמים בברהסיא שהיו עוברים ושבים אומרים מה טיבן של אלו הללו בני מלכים הם ומה עשו פשטו ידיהם כנרים גרורים אמרו אין לך אומה שראויה להדבק בה כזו ומה בני מלכים כך בני הדיוטות על אחת כמה וכמה ומה גרים גרורים כך ישראל על אחת כמה וכמה מיד נתוספו על ישראל מאה וחמשים אלף : i. e. *Respondet R.* Johannes *nomine R. Simeonis f. Jozadaki: bene se res habet, una de lege litera eradicata, si exinde sanctificetur nomen cœlorum publice. Transeuntes quippe dicebant, quanti æstimantur illi! hi certe Regum filii sunt, & quid mali commissum? extenderunt manus suas adversus Proselytos suapte opera attractos. Inferebant, nullam esse gentem huic similem, quæ æque digna sit, ut ei quis adhæreat. Nam si hæc in Regum filiis, quanto magis in privatorum! Et si tanti æstimantur Proselyti sua sponte tracti, quanto majoris Israelitæ. Illico accesserunt Israelitis centum ac quinquaginta millia.* Conf. Glossa exterior ad tit. cit. f. 24. b. & Vid. 1. Reg. 5. 29. c. 9. 22. 2. Chr. 2. 17.

(e) Hilc. *Issure bia* c. 13. §. 15. היו גרים הרבה מתגיירים בימי דוד ושלמה בפני הדיוטות והיו ב״ד הגדול חוששין להם לא דוחין אותן אחר שטבלו וכו׳ : i. e. *Proselyti plurimi facti sunt in diebus Davidis & Salomonis coram privatis, de quibus soliciti admodum fuere viri Synedrii Magni; non repulere eos, posteaquam baptizati fuerant &c.*

(f) Idem *Maim.* l. c. §. 14. seqq. אל יעלה על דעתך ששמשון המושיע את ישראל או שלמה מלך ישראל שנקרא ידיד ה׳ נשאו נשים נכריות בגיותן אלא סוד הדבר כך הוא -- כל החוזר מן הכותים בשביל דבר מהבלי העולם אינו מגירי הצדק -- ולאי שגייר שלמה נשים ונשאן וכן שמשון גייר ונשא ודבר ידוע שלא חזרו אלו אלא בשביל דבר ולא על פי ב״ד גיירום חשבן הכתוב כאלו הן כותיות ובאסורן עומדין : i. e. *Ne tibi in mentem veniat, ac si Simson Redemtor Israelis aut Salomon Rex Israel, quem Scriptura dilectum Dei vocat, uxores duxerint alienigenas in Ethnicismo suo subsistentes. Sed rei mysterium ita se habet: quicunque Gentilium convertit se ob rem aliquam e vanitatibus mundanis, non est e numero Proselytorum justitiæ. Cum itaque Salomo converteret mulieres easque duceret uxores, similiterque Simson ducendam converteret; ac res nota esset, nullam istarum accessisse, nisi propter rem aliquam* mundanam. *Præterea quoque nec Senatum de illis convertendis consuluissent: reputavit eas Scriptura, ac si adhuc gentiles forent, prohibitæ quæ nubent Israelitis.*

(g) In *Zennorenna* fol. 83. c. 1. cit. *D. Pfeiff.* Antiq. Dec. 1. Pos. 1. §. 5.

(h) In *Beresebith Rabba* f. 24. c. 3. l. 5. seqq. ad verba Gen. 12. 5. *& animam istam, quam fecerant in Haran*, annotant: א״ר אלעזר בר זומרא אם מתכנסין כל באי העולם לבראת אפילו יתוש אחד אינן יכולין לזרוק בו נשמה את אמ׳ ואת הנפש אשר עשו אלא אלו הגרים שגיירו ואם כן שגיירו למה אמר עשו אלא ללמדך שכל מי שהוא מקרב את הנכרי ומגיירו כאילו בראו׳ ויאמר אשר עשה למה נאמר אשר עשו א״ר חונא אברהם היה מגייר את האנשים ושרה מגיירת את הנשים : i. e. *Eliesar f. Simræ dixit, si vel maxime omnes mundi incolæ congregarentur, ut crearent etiam muscam unicam, non possent animam ei infundere, & hic dictum est: animam quam fecerunt. Enimvero intelliguntur hic Proselyti, quos converterant. Quod si* saltem *converterunt* eos, *quare dicitur fecerunt? ut te erudiat, omnem qui admovet alienigenam, eumque ad fidem convertit, ptrinde se habere, ac si eum creasset. Dicendum vero fuisset, quam fecit: quare autem dicitur* in plurali *quam fecerunt? respondit R. Hpnna, Abraham convertit masculos, Sara autem fœmellas.*

(i) Cod. *Sota* fol. 12. b. l. 1. *Megilla* fol. 13. a. l. 11. ותרד בת פרעה לרחוץ על היאור וא״ר יוחנן שירדה לרחוץ מגילולי בית אביה : i. e. *quando* Exod. 2. 5. *filia Pharaonis descendisse* dicitur, *ut lavaret ad rivum, R. Johannes inquit, descendisse eam, ut se ablueret, ab idololatrico cultu domus patris sui.* Glossa annotat לרחוץ לטבול לשון גירות *lavare idem esse ac Baptizari, quo sensu sumitur in Proselytismo.*

tati leguntur Hebræi, religionis fundamenta instillantes, ejusque audientes confessionem (*a*). Ipsam quoque avitæ deinceps inhæsisse religioni, non modo silentium Scripturæ contrarium asserentis adstruit; sed & Mosis educatio. Quippe quem in Ægyptiorum sapientia educari curavit (*b*), non Hebræorum: rationem secutura procul dubio contrariam, si semel imbuta fuisset fide Judaica. Ad *Ægyptios* ipsos cum nonnemine (*c*) ejus Originem derivare velle, non satis tutum judico. Dubium adhuc, an nudam religionem amplexuros æque illi lavacro initiarint, ac eos, qui sacris erant defuncturi. Recentius insuper est Apuleji exemplum (*d*), quam ut veram nobis viam monstret. Præterea vehementer ambigo, an non magis dicendum, Ægyptios ab Abrahamo, Jacobo; Josepho, aliisque Judæis accepisse (*), si quem rituum communium usum habuerint; quam hos ab illis.

XXVIII. Neque enim vestigia legerem istorum (*e*), qui asserunt, a Judæi *Baptismum* circumcisioni fuisse superadditum, *ob odium Samaritanorum*, a quibus & ipsis circumcisis hoc modo different. Recentius est odium (*f*), quo erga hanc gentem flagrabant, quam ut in ejus initiis figamus pedem. Baptismi usus inter Judæos obtinuit, antequam vel nomen Cutthæorum, quos Samaritanos vocant, illis innotesceret (*g*). Adhæc si Hebræorum hypothesi paulo post tradendæ insistas, Samaritani non minus ac alii vel Judæi vel proselyti, primum in fœdus cum Deo recepti fuerunt mediante baptismo: a quibus proinde Judæis originarii, & ipsi non nisi in Majoribus suis, primum fœdus cum Deo ineuntibus, baptizati, hoc modo nil differrent quicquam.

XXIX. Si certum foret, *Jacobum Patriarcham* captas a filiis Mulieres Sichemitidas secum retinuisse, in familiam suam ac religionem cooptatas: non careret probabilitate, ab Eo derivare hunc, quem describimus, Baptismum. Idola enim exterminaturus, quæ intra eas, simul jubet ut *mundentur* (*h*). Aben Esræ ac Abarbanelis interpretatio, qui *lotionem corporis* hac voce intelligunt, (*i*) textui valde congrua est, ac plurimorum obtinuit assensum. Verum nullibi traditur, illas a Jacobo fuisse conversas. Odium a quo erga maritorum occisores fervebant, altius erat infixum, quam ut intra tantillum temporis spatium ex ipsarum deleretur animis: facinus vero a filiis Jacobi commissum, atrocius, quam ut amorem ingeneraret illis erga religionem istorum, qui fidem servarant pessime. Profligata sectariorum vita ab optima etiam religione animos avertit ambientium. Adhæc brevior erat mora, qua intra domesticos Jacobi fuerant versatæ, quam ut intra illam de capitibus fidei sufficienter potuerint erudiri, tantoque digne præparari negocio. Præterea non solos hospites alloquitur, sed domesticos omnes (*k*), qui hac initiatione non indigebant. Finis quoque lustrationis istius expressus est alius. Votiva facturus erat sacrificia (*l*), non homines novo initiaturus cultui. Etiam ibi lustrationem viguisse, notum est. Nec quicquam in hanc rem faciet exterminatio Deorum alienigenæ. Ex Syria enim Labanis Teraphim attulerat Rahel (*m*), e Sichemitis nuperrime opima spolia filii; in quibus Deorum vel imagines extitisse, vel alia pretiosa ad ipsorum cultum pertinentia, non improbabile (*n*).

XXX. Communis inter Judæos Antiquos circumfertur sententia, Baptismum ceu medium initiandi a Patriarchis ad Proselytos derivatum (*o*), inde *a temporibus promulgandæ legis* in gente sua ob-

(a) Vide infra §. 38.

(b) Act. 7. 22. Ἐπαιδεύθη Μωσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων.

(c) *Marsham.* Can. Ægypt. Sec. IX. p. m. 200.

(d) Vid. infra. (*) Vid. *Joseph.* Antiq. l. I. c. 9. p. m. 17. Conf. *Pridieux* de Sap. Ægypt.

(e) *Schik.* de Jur. Reg. c. V. theor. 17. p. m. 329. *Mayer.* Phil. S. P. I. p. 91.

(f) Vid. Esdr. 4. 1. seqq. 2. Reg. 17. 24. seqq.

(g) Vid. §. 26. lit. (e) §. 30.

(h) Gen. 35. 2.

(i) Ille שירחצו הגוף i. e. *ut lavent corpus*: hic f. 99. c. 3. l. 17. ורחצו גופכם *& lavate corpus vestrum.*

(k) Loc. cit. *Et dixit* Jacob *ad domum suam, & ad omnes qui cum ipso.*

(l) Loc. cit. v. 1. *fac ibi altare* &c. *Joseph.* Antiq. l. I. c. 21. p. m. 34. Deus Jacobo per visum bono animo esse jusso, imperat, ἁγνίσαντα δὲ τὰς σκηνὰς, θυσίας ἐπιτελεῖν ἃς τὸ πρῶτον ἀπιὼν εἰς τὴν μεσοποταμίαν, ἐπὶ τῇ ὄψει τοῦ ὀνείρου ηὔξατο, *lustraret tentoria, sacrificiumque, quod olim post somnium illud in profectione Mesopotamena voverat, persolvere.*

(m) Joseph. l. c. pergit: ἁγνίζων τοὺς ἑπομένους, ἐπιτυγχάνει τοῖς Λαβάνου θεοῖς. οὐ γὰρ ἠπίστατο ὑπὸ τῆς Ῥαχήλ κλαπέντας. καὶ αὐτοὺς ἔκρυψεν. *Dum lustrat, incidit in Labani Deos: nesciverat enim, Rachelem eos furatam, quos abscondidit* &c.

(n) *Abarb.* l. c. l. 15. seqq. הסירו את אלהי הנכר כלומר אני ידעתי כי יש בידכם כלי עכ"ום הרבה ממה שלקחתם בעיר הזאת הסירו אותם מכם כי הם תשמישי עכ"ום ואינם ראויים למקום קדוש: i. e. *removete Deos alienigenæ, q. d. novi intra vos esse vasa idololatrica plurima de eo, quod surripuistis in hac urbe. Removete ea ex vobis; sunt enim idolorum Utensilia, neutiquam apta sancto illi*, quem petimus, *loco.*

(o) Ad verba Num. 15. 15. *Uti vos, ita quoque peregrinus sit*, in Cod. *Cerith.* c. 2. f. 9. a. l. 7. *seqq.* Talmudistæ annotant: לכם היקשתיו ולא לדבר אחר לקרבנותיכם רבי אומר ככם באבותיכם מה אבותיכם

obtinuisse, ab ipso Deo institutum. Hic enim publicaturus in monte Sinai legem suam, quæ conditiones comprehenderet, de quibus utraque pars fœdus contrahentium convenire debebat; Mosi jubet, ut descenderet ad populum consecratum eos, lavaturos vestes (*a*). Quod non modo ad tenorem præscriptum sancte exsecutus legitur (*b*); sed & post legem jam promulgatam, mactati sacrificii sanguine totum conspersisse populum (*c*). Cum itaque Judæis nulla statuatur aspersio sine prævio baptismo, nec vestium injungi dicatur lotio, ubi non simul totius corporis indigitetur mersio. *Exinde Baptismum rite institutum & celebratum autumant* (*d*). Sed nec immerito quis urgeat injunctam *consecrationem*. Hæc enim immersione fieri usque eo consuevit, ut Talmudistis *consecratio manuum pedumque* in templo frequens, nil denotet aliud, quam ipsorum tinctionem (*e*). Quam eo magis hoc loco concipere fas est, quo manifestus cum *vestium lotione* conjungitur, parum procul dubio effectura, polluto corpore. Quin & fuga consuetudinis conjugalis imperata simul nonnemini probabiliorem reddit hanc sententiam (*f*). Ab ista quippe multæ hodienum gentes purificant se toto corpore aquæ immerso.

XXXI. Non est mei instituti, solicitius hic inquirere in primi hujus *Baptismi* circumstantias; quæ parce admodum a Talmudistis recensentur, in Scriptura omittuntur penitus. Copia hominum tum

אבותיכם לא נכנסו לברית אלא במילה וטבילה והרצאת דם אף הם לא יכנסו לברית אלא במילה וטבילה והרצאת דמים : i. e. *Vobis assimilavi eum, non rei alii, Vestris sacrificiis. Rab inquit: sicut Vos i. e. Pattes vestri, quomodo vero Patres vestri? non introierunt in fœdus, nisi per circumcisionem, Baptismum, & aspersionem sanguinis. Ita nec illi recipientur in fœdus, nisi per circumcisionem, Baptismum, ac sanguinis aspersionem.*

(a) Exod. 19. v. 10.

(b) Loc. cit. v. 14. *& descendit Moses de monte ad populum, & consecravit populum illum, qui laverunt vestes.*

(c) Exnd. 24. 8. & *accepit Moses sanguinem istum, & aspersit super populum & dixit, ecce sanguis fœderis, quod pepigit Deus vobiscum ad omnia verba illa.*

(d) Cod. Jevam. f. 46. b. l. 1. seqq. בטבל ולא מל כולי עלמא לא פליגי דמהני כי פליגי במל ולא טבל ר"א יליף מאבות ורבי יהושע באבות נמי טבילה הוה מנא ליה אילימא מדך אל העם וקדשתם היום ומחר וכבסו שמלותם ומה במקום שאין טעון כיבוס טעון טבילה מקום שטעון כבוס אינו דין שטעון טבילה ודילמא נקיות בעלמא אלא מהכא ויקח משה את הדם ויזרוק על העם וגמירי דאין הזאה בלא טבילה: i. e. *De Baptizato, qui non circumcisus, nemo in hoc mundo litem movet, quo minus sit legitimus: sed disputant de circumciso, qui non fuerit baptizatus. R. Eliefer*, ad justificandum eum *ad Patriarchas provocat: R. Josua vero Baptismum itidem in Patriarchis extitisse asserit. Unde nam id habet? an dicam* ex verbis Exod. 19. 19. *abi ad populum hunc, consecraturus eos hodie & in crastinum, & lavent vestes suas, quid enim? an quo loco nulla jubetur vestium lotio, Baptismum necessarium diceres,* (*quemadmodum*, verba sunt Glossæ interioris, *qui communem passus noctis pollutionem, jubetur* Lev. 15. 16. *aquis lavare, immundus ad vesperam usque, vestium lotione omissa!*) *& non æquum foret, ut ibi* baptismu. seu *corporis immersio adhiberetur, ubi lotionis vestium expressa sit mentio? Quod si quis dixerit, civilem hic intelligi munditiem*, qua nitidis & puris compareant vestibus coram divina Majestate. Conf. Jos. Ant. 3. 4. p. 77. F. *tunc R. Josuæ sententia fundari poterit* verbis Exod. 24. 8. *& accepit Moses sanguinem istum & aspersit super populum. Cum recepta sit doctrina, nullam fieri aspersionem sine Baptismo* præeunte Conf. *Tosiphta* loc. cit. pluribus. *Maim.* hilc. *Issure bia* cap. 13. §. 13. טבילה היתה במדבר קודם מתן תורה שנאמר וקדשתם היום ומחר וכבסו שמלותם: i. e. *Baptismus in deserto obtinuit ante promulgationem legis, sicut dicitur: & consecra eos hodie ac cras; & lavent vestes suas.* Quomodo enim sub *vestium lotione* imperata, simul comprehendi existimet *corporis* ablutionem, sequens ejus Canon indicat, qui extat Hilc. *Mikvaoth* c. 1. §. 2. כל מקום שנאמר בתורה רחיצת בשר וכיבוס בגדים מן הטומאה אינו אלא טבילת כל הגוף: *ubicunque in lege jubetur absterfio carnis, & lotio vestium ob immunditiem, nil intelligitur aliud quam corporis totius immersio.* Vid. *R. Moses Mikkozi* Pr. Neg. num. 115. p. m. 40. c. 2. l. 13. fin. *Bechai* Com. in legem fol. 87. c. 2. מכבוס הבגדים למדנו טבילת הגוף ובן דרשו ר"זל במכילתא אין לך כבוס בגדים שלא יהא טעון טבילה: i. e. *lotione vestium discimus baptismum corporis. Et sic exposuerunt Doctores nostri p. m. in Mechilta, numquam lotio vestium tibi injungitur, quin obligatio significetur ad Baptismum.*

(e) Conf. Cod. *Joma* c. 3. §. 2. 3. 7. &c. *Maim.* hilc. *Biath hammikdasch* c. 5. §. 1. מצות עשה לקדש מכהן העובד ידיו ורגליו ואחר כך יעבוד שנאמר ורחצו אהרן ובניו ממנו את ידיהם ואת רגליהם וכהן שעבד ולא קידש ידיו ורגליו שחרית חייב מיתה בידי שמים שנאמר ירחצו מים ולא ימותו: i. e. *Præcepto Affirmativo obligatur sacerdos, ut ministraturus consecret manus suas pedesque, ac tum denique fungatur officio, sicut dicitur:* Exod. 30. 19. *& lavent Aaron ac filii ejus de isto manus suas pedesque. Quod si quis Sacerdos ministret, manibus ac pedibus suis mane non consecratis, mortis reatum contrahit per Deum inferendæ. Quia dicitur* l. c. v. 21. *lavent se aquis, ut ne moriantur.* Vid. de tali *consecratione*, quam Scriptura fere *lotionem* vocat, totum cap. cit. Maimonidis. Nonnulla ad §. 12. lit. [c].

(f) *Aben Esra* Comment. ad Exod. 19. 10. Bibl. Bas. f. 81. b. l. r. long. וטעם וקדשתם שירחצו במים ויורה על זה וכבסו שמלותם כדרך ואם לא יכבס ובשרו לא ירחץ על כן אמר משה אל תגשו אל אשה מעתה ויהיו קדושין ולא טמאים ומי שנגש אל אשה יתקדש כדרך והיא מתקדשת מטמאתה: i. e. *sensus vocis & consecrabis eos*, est, *ut lavent se aquis. Id quod confirmant* adjecta verba: *& lavent vestes suas, more* quo alias hæc duo conjunguntur Lev. 17. 16. *& si non laverit, & carnem suam non lustrarit. Propterea jussit Moses* v. 15. *ne abhinc cum uxoribus consuescant; quo puri sint, nec coinquinati. Qui vero cum uxore jam consueverit, consecret se, more quo Bathseba* 2. Sam. 11. 4. *se consecrasse dicitur, a contracta per concubitum immunditia.* Abarbanel ad l. c. f. 169. c. 3. l. 11. fin. נכלל בקדושה ההיא מה שפירש מר"עה אל תגשו אל האשה ורחיצת הגופים והרחקת התאוות הגשמיות עד וכבסו שמלותם כדי שיהיו בנקיות וטהרה ואפשר שאמר וקדשתם היום ומחר על הרחיצה שירחצו ויזכו בימים ההם כי זה יקרא קדוש כמו שאמר קידוש ידים ורגלים: i. e. *in consecratione hac comprehenditur id quod exposuit Moses Doctor noster p. m.* verbis v. 15. *ne accedatis ad uxorem, item lotio corporum, & amotio corporalium concupiscentiarum, in tantum, ut & vestes suas lavent, quo in puritate appareant ac munditie. Imo nil obstat, quo minus dixerit: & consecrabis eos hodie ac cras, de lustratione; ut lustrent se ac purgent istis diebus. Hoc enim vocatur consecratio, quemadmodum consecratio manuum atque pedum.*

tum temporis præſentium exigit, plures una vel ſecundum familias, vel ſecundum ſexum diſtinctos *baptizatos* ſtatuamus. Sapientia ac Omnipotentia jubentis ſuadet, ut exra dubium ponamus, etiam in deſerto & loco petroſo non defuiſſe aquas, quæ tot hominum centenis millibus abunde ſuffecerint. Locus paſcuoſus, qualis hic deſcribitur (*a*), herba ac gramine luxurians, nunquam eſt in totali aquarum penuria. Imo vero experientia magiſtra diſcimus, nullibi majorem aquarum copiam inveniri, quam in montium abundantia; & maximos quoſque fluvios, e maximis oriri montibus (*b*). Philoſophus exemplis id comprobavit, ex omni Orbis parte petitis (*c*). Quamdiu Iſraelitæ aberrarent per loca plana, ſubinde querelas ingeminabant ob defectum aquæ (*d*). Sed montium radicibus adhærentes, de eo nil movent amplius. Quo obſervato non opus ad nubium aquas miraculoſe de-

miſſas provoces, ſubnixus verbis Pauli: *Omnes per Moſen baptizati nube.*

XXXII. Sequioribus ævis, ſingulis ad hunc actum, rite diſpoſitis, a Judæis ad *Baptiſmum* adhibetur *aqua vulgaris ac uſualis*, ſive fluvialis ea ſit, ac primum a ſcaturigine emanans; ſive, deficiente iſta, in conceptaculo aliquo, arte ac opera humana facto, collecta. Amnes naturam habent fontium (*e*), aptique in quibus decurrentibus lavarent, quacunque (*f*) polluti immunditia, non curioſe nimis ad ipſorum attendentes capacitatem. Aquæ *Siloa* vocantur *vivæ*, ut fontium; perindeque, ut horum, Sacerdotem luſtrant comburentem vaccam rufam (*). Neque pluvia ipſorum pervertit aptitudinem, utut delapſa copioſiſſime (*g*). Quanquam enim aqua pluvialis non aliam naturam habeat, quam conceptaculi, h. e. non purificet, niſi ſtagnans, in decurſu vero neutiquam (*h*): cum fluvio tamen commix-

(a) Exod. 3. 1. c. 19. 13. Joſeph. Antiq. l. 2. c. 5. p. m. 60. B. μωυσῆς χρόνῳ ὕστερον τίμων, ἐπὶ τὸ σιναῖον καλούμενον ὄρος ἄγει τὰ ποίμνια· τοῦτο δ' ἐστὶν ὑψηλότατον τῶν ταύτῃ ὀρῶν, πρὸς νομὰς ἄριστον ἀγαθῆς πόας &c. *Moſes aliquanto poſt egit paſtum greges in montem, qui dicitur Sina, omnium in ea regione celſiſſimum, & paſcuis valde commodum, abundabat enim herba* &c.

(b) *Ariſt.* Meteorologic. l. 1. c. 13. Tom. 1. p. m. 767. fin. τὰ ῥεύματα τῶν ποταμῶν ἐκ τῶν ὀρῶν φαίνεται ῥέοντα καὶ μέγιστοι ποταμοὶ ῥέουσιν ἐκ τῶν μεγίστων ὀρῶν. ὁμοίως δὲ καὶ αἱ κρῆναι αἱ πλεῖσται ὄρεσι καὶ τόποις ὑψηλοῖς γειτνιῶσιν. ἐν δὲ τοῖς πεδίοις, ἄνευ ποταμῶν ὀλίγαι γίγνονται πάμπαν. οἱ γὰρ ὀρεινοὶ καὶ ὑψηλοὶ τόποι, οἷον σπόγγος πυκνὸς ἐπικρεμάμενοι, κατὰ μικρὰ μὲν, πολλαχῇ δὲ διαπιδῶσι καὶ συλλείβουσι τὸ ὕδωρ &c. *Amnium fluxus e montibus corrivari cernuntur atque plurimi & maximi amnes e maximis defluunt montibus. Pari modo & montibus locisque excelſis vicini ſunt fontes plurimi: in planis vero latiſque campis, pauci admodum ſine fluviis fiunt. Montana ſiquidem & edita loca, tanquam ſpongia quædam, locis incumbentia humilibus, pauxillatim quidem, ſed multis ex partibus effundunt ſtillantque aquam.* Vid. *Varen.* Geogr. gen. l. 1. c. 16. prop. 5. p. m. 225. ſeqq. 228. ſeqq.

(c) Loc. cit. p. 768. 769.

(d) Ex. 15. 22. c. 17. 1. Vid. Joſeph Antiq. l. 3. c. 1.

(e) Diverſi ſunt pollutionum gradus,) *Maim.* hilc. *Mikv.* c. 10. §. 6. ſeqq. Cod. *Mikv.* c. 2. §. 2.) ſive iſtarum conſideres durationem, ſive purificationem. Quoad hanc inprimis eminet *feminifluus mas* (de fœmelia vid. R. Moſ. ad *Mikv.* c. 5. §. 5. Hilc. *Mikv.* c. 1. §. 5.), & *leproſus*; qui non purificantur, niſi ſpecie aquarum optima. Harum ſex recenſent ordines *Talmudiſtæ* in Cod. *Mikvaoth* cap. 1. Supremum omnium obtinent ſcaturientes e fontibus. Ita eſt l. jam c. §. 8. למעלה מהם מים חיים שהן טבילה לזבין והזייה למצורעים וכשרים לקדש מהם מי חטאת: *Omnium dignitate ſunt ſupremæ aquæ vivæ*, h. e. ſecundum Gloſſam R. Moſis, ſcaturientes dulces, *quæ lavacrum præbent feminifluo, & aſperſionem leproſo, aptæ quoque ſunt, ex quibus conſecretur aqua expiationis.* De ſingulis hiſce rite purificandis Scriptura uſurpat *aquas vivas*. Vid. Gloſſ. marg. l. c. it. cap. 5. §. 4.

(f) Cod. *Mikvaoth* c. 5. §. 5. הזוחלין כמעיין *Fluenta ſunt inſtar fontium.* Ad quæ *R. Simſon*: הזוחלין כגון נהרות שהן זוחלין כמעיין הן לטהר בכל שהוא: i. e. *Fluenta cujuſmodi ſunt fluvii, qui defluunt, permodum fontis ſe habent ad purificandum quantulacunque* ſint *capacitate. R. Maimon.* ad l. c. אמר שהמימות הנוזלים מן המעיין כנהרות הגדולים והנחלים משפטן ומשפט המעין אחד: i. e. *indicat, aquarum e fonte decurrentium in fluviis magnis ac amnibus, idem eſſe jus cum fontibus ipſis.* R. Sal. Jarchi ad Cod. *Schabb.* f. 65. *b.* l. 6. יש תורת מעיין על נהרות המושכים: i. e. *in amnibus e fonte derivatis eadem obtinet lex quæ in fontibus ipſis.* Vid. omnino Cod. *Para* cap. 8. §. 8. & 9. una cum Comment. *Maimonidis.* (*) Cod. *Para* c. 3. §. 2. coll. *R. Simſone* ad l. c. & c. 8. §. 10.

(g) Raſchi ad *Schab.* l. c. מטהרין בזוחלין שהנוטפין שבתוכן מטהרין בריבוי הזוחלין ויתבטלו הנוטפין בהן להיות זב וזבה טובלין בהן בשביל הזוחלין: i. e. *Purificant ſe in torrentibus. Aqua enim pluvialis copioſæ torrentium multitudini adjecta purificat, aquis pluvialibus intra hanc quaſi abſorptis; ut etiam ſeminiſluus vir ac fœmina idem patiens immergant ſe illis licite ob torrentem.* Vid. ad lit. [h]. Item Cod. *Nida* fol. 67. a.

(h) Cod. *Mikvaoth* c. 5. §. 5. הנוטפין כמקוה: *aquæ ſtillantes ſunt inſtar conceptaculi.* Ad quæ *R. Simſon*: הנוטפין כגון מי גשמים כמקוה הן לטהר באשבורן דוקא ולהצריך ארבעים סאה: i. e. *aquæ ſtillantes, cujuſmodi pluviales, inſtar conceptaculi ſe habent, ad purificandum præciſe in ſcrobe* ad minimum *comprehendente quadraginta Sata.* Toſiphta ad Cod. *Schabb.* f. 65. b. §. שמא hæc habet: ואמרין ראין מקוה מטהר בזוחלין כי אם באשבורן: i. e. *communis circumfertur ſententia, non purgare conceptaculum aquis decurrentibus, ſed unice in ſcrobe ſtagnantibus.* Vid. *Raſchi* l. c. qui provocat ad antiquiſſimum librum *Torath Cohanim*, ad Lev. 11. 36. Conf. ad Cod. *Nedarim* fol. 40. a. §. אמר in *Toſiphta* ubi dicitur: אין מי גשמים הנוטפים מטהרין בזוחלין אלא באשבורן כלומר דנקוו וקיימי כדתניא בספרי אי מה מעיין מטהר בזוחלין אף מקוה מטהר בזוחלין ת"ל אך מעיין ובור מעיין מטהר בזוחלין ומקוה באשבורן הילכך כל היכא דאיכא למיחש שמא רבו נוטפין על הזוחלין אסור: i. e. *aquæ imbrium deſtillantes non purificant in alveis* ſeu decurſu ſuo, *ſed in ſcrobe* unice, *h. e. in locum unum confluentes & ſubſiſtentes. Prout in Siphri docetur, quomodo ſe habet fons? purificat in decurſu. Ergone etiam conceptaculum purificabit in decurſu? Enimvero Lev.* 11. 36. *dicitur, veruntamen fons & ciſterna. Fons purificat in decurſu, conceptaculum autem in ſcrobe* ſeu ſtagno. *Ergo, ubicunque licet conjicere, quod aquæ imbre deſtillantes ſuperent decurrentes* fluviales, *interdictum viget.*

ta, hujus merito induit naturam, plerisque Judæorum adstipulantibus. Quippe semper præsumitur fluvius incrementa cepisse e fontibus suis ex rupe se exonerantibus (*a*); atque adeo in quantum intumescat pluviis decidentibus, nil ipsius decedit aptitudini (*b*). Proinde & ordinarie leguntur baptizati in fluviis. (*c*) Exempla novi Fœderis ubivis sunt obvia (*d*). Hypocriseos ab ipsis Talmudistis (*e*) insimulantur Samuelis filiæ, quod Euphrate pluviis intumescente, laverint in scrobe ad ripam fluminis effossa; & alio tempore, ne detumescentibus aquis luto impedirentur, scirpæ vel storeæ (in einer Flechten) inclusæ, quæ aquam equidem transmitterent, sed excluderent crassiora (*f*). Qui in Talmude speciatim excipiuntur fluvii (*g*), ob aquas vel lutosas vel undicunque collectas; ad certos saltem & paucissimos purificandi actus (*h*) inepti pronunciantur. Qua ipsa exceptione satis evidenter cognoscitur, *baptizari* alioquin in fluviis fuisse receptum (*i*). Neque mulier alia de causa in portu *baptizari* pro-

(a) Sententia est Samuelis, celebrata, Cod. *Schabb.* f. 65. b. l. 5. נהרא מכיפיה מבריך *amnis e petra sua augetur*. Ad quod *Tosiphta*, פירש ממקומו ומסלעו סלע מתרגם כיפיה מנביעתו מיתברך ולא מימי גשמים i. e. *e loco suo ac rupe sua, quæ chaldaice Cepha dicitur. E scaturigine sua incrementa capit, nec ex aquis pluvialibus*. Mox subjicit, secundum hanc sententiam *pronunciari* in Scholis Hebræorum usitate. Vid. eandem Cod. *Nedarim* f. 40. a. l. penult. *Biccuroth* c. 9. f. 55. b. l. 7.

(b) *Rabbenu Nissim* ad Cod. *Nedarim* f. 40. a. l. 55. נהרא מכיפיה מתבריך מכיפית מסלעו כלומר ממקורו הוא מתגדל שאע"פ שאנו רואים שכשהגשמים יורדין נהרות מתרבין ועיקר רבוי ממקורן הוא כדאמר בפ' סדר תעניות אין לך כל טפח וטפח יורד מלמעלה שאין תהום עולה לקראתו טפחיים ונמצא שלעולם זוחלין רבין על הנוטפין דהא לטפח של גשמים איכא טפחיים דמעיין הילכך לשמואל מותר לטבול בנהרות לעולם אפילו בשראה לעין שנתרבו הרבה מחמת המטר: i. e. *Amnis e* כיפיה *h. e. petra sua benedictionem accipit. q. d. e scaturigine sua est, quod intumescit. Nam utut videamus intumescentes fluvios imbribus decidentibus: fundamentum tamen* ac potior pars *istius intumescentiæ ab ipsorum dependet fontibus.*] *Secundum id quod habetur in Cod. Taanith, cap.* סדר תעניות *h. e. tertio* f. 25. b. l. 26. *nunquam superne aqua descendit ad palmum unum, quin duplo majus ei obviam ascendat ex abysso. Ut manifestum adeo sit, quod aquæ fluviales semper superent pluviales, respondentibus palmo e pluvia destillantium unico, duobus palmis derivatarum e fontibus. Licitum itaque est, juxta hoc Samuelis fundamentum, quocunque tempore baptizari in omnibus; utut oculari aspectu cernamus, multum eos intumescere propter pluviam.* Ad loc. cit. annotat *R. Ascher* רוב גדול הנהר מן התהום: *major pars intumescentiæ fluminum est ex abysso*. Tosiphta ad Cod. *Schabb.* f. 65. b. §. דאמר שמואל circa fin. דאמר נהרא מכיפיה מתבריך ועל זה אנו סומכין לטבול בנהרות אפילו אם גדלו מאד: i. e. *Sententiæ Samuelis, qua fluvium intumescere asserit a rupe sua, innitimur, baptizantes in aquis, utut assurrexerint nimium*. Vid. etiam præcedentia, queis singulis guttis per pluviam decidentibus binas ex abysso propullulantes respondere asserit.

(c) Vid. ad Cod. *Biccuroth* f. 55. b. l. 10. *Raschi*. Cod. *Nidda* f. 66. b. fin. fol. 67. a. *Nedarim* f. 40. b. *Schabboth* f. 65. *Maim.* hilc. *Mikv.* c. 6. §. 10.

(d) Matth. 3. 6. Joh. 1. 28. cap. 3. 23. Act. 8. 36.

(e) Cod. *Schabb.* f. 65. a. l. 27. בנתיה דאבוהי דשמואל דצבעונין הוו: i. e. *filiæ patris Samuelis pigmentatæ erant*. Conf. *Sota* f. 22. b.

(f) Loc. cit. ad lit. (d). *Schabb.* l. c. l. 25. dicitur: אבוה דשמואל לא שביק להו לבנתיה דנפקי בחוטין ולא שביק להו גניאין גבי הדדי ועביד להו מקואות ביומי ניסן ומפצי ביומי תשרי: i. e. *Pater Samuelis non permisit filiabus suis* Sabbato *in publicum prodire cum filis, nec ut una dormirent, fecitque illis conceptacula in diebus Nisan, & paradas in diebus Tisri*. Ad quæ *R. Salomon Jarchi*: מקואות בימי ניסן של מים מכונסין או סמוך לנהר וממשיך להוכן מי הנהר וטובלות שם: i. e. *conceptacula aquarum hinc inde collectarum, aut prope fluvium, in quæ amnis aquas derivabat; & lavabant ibi*. Ad verba reliqua: שטובלות בפרת ומפני הטיט שלא יהא חציצה נותנות המפץ תחת רגליהן: i. e. *lavantibus illis in Euphrate, ob lutum, ne interveniat, substernebant pedibus suis paradam*. Item *Raschi* ad Cod. *Nidda* f. 67. a. l. 2. בימי ניסן אינן טובלות בנהר לפי שרבו המים בימות הגשמים מגשמים שנפלו וחייש טמא שרבו נוטפין על הזוחלין: i. e. *mense Nisan non lavabant in fluvio* Euphrate, *quia ab imbribus tum ordinarie cadentibus aquæ excrescunt nimium; suspicione, ne forte pluviales aquæ superent fontanas*. Consentit huic *Rabbenu Nissim* ad Cod. *Nedarim* f. 40. b. ante med. אבוה דשמואל עביד להו לבנתיה מקוואות ביומי ניסן שמפני שהיה חושש להפשרת שלגים לא היה מניחן לטבול בזוחלין · ומפצי ביומי תשרי בנהר היה נותנן תחת כפות רגליהן משום טיט דלא ליהוי חציצה אי נמי לצנועותא בעלמא והיה מניחן לטבול בנהר משום דביומי תשרי ליכא למיחש לזוחלין: i. e. *Pater Samuelis in diebus Nisan, sollicitus de nivibus liquefactis, non permisit filiabus suis, ut aquis decurrentibus se immergerent. Et in diebus Tisri paradas in amnem posuit sub plantas pedum ipsarum, propter lutum, ne lotioni interveniat. Forte etiam ob verecundiam sexui isti familiarem. Permisit autem, ut in fluvio se immergerent, eo quod mense Tisri non est, cur quis jure de aquis decurrentibus sit solicitus*. Reliqua copiosissima vid. l. c. in seqq. *Glossa* interior ad Cod. *Biccuroth* f. 55. b. l. 20. כשהיו טובלות בנהר ביומי תשרי היה עושה להם מחצלות של קנים שקורין קלו"יש ומשליכין לתוך המים ועומדות עליהן וטובלות לפי שבימי תשרי יש טיט רך בנהרות אצל שפתים וחוששת שמא יעלה טיט למעלה על רגליהן ויהיה הוצץ: i. e. *lavantibus illis mense Tisri in fluvio, paradas fecit scirpeas, quas Claustra vocant; ut illis in medias aquas injectis insistentes, sese immergant. Quum enim in diebus Tisri lutum tenax sit ad oras fluminum, suspicabatur, ne ascendat illud; ipsarum inhærens pedibus, suoque interventu lotionem reddat irritam*.

(g) Cod. *Para* c. 8. §. 10. מי קרמיון ומי פיגה פסולין מפני שהם מי בצים מי ירדן ומי ירמוך פסולין מפני שהם מי תערובת ואלו הן מי תערובות אחד כשר ואחד פסול שנתערבו שניהן כשרין ונתערבו כשרין רבי יהודה פוסל: i. e. *aquæ* fluviorum *Karmijon & Pigæ ineptæ sunt, quia lutosæ. Aquæ Jordanis & Jarmochi ineptæ sunt, quia collectæ ex variis. Istæ vero sunt aquæ ex diversis collectæ, perinde est sive altera sit legitima, & illegitima altera, si commisceantur inter se. Utraque legitima existente, si misceantur invicem, sunt legitimæ. R. Juda autem declaravit ineptas*. Sed, ut Glossæ annotant, non pronunciant juxta R. Judam.

(h) Seminiflui scilicet, leprosi, ac vaccæ ruffæ. De his passim hoc capite. Jordanem etiam lavacro fuisse aptum, non modo Baptismus Johannis demonstrat; sed & Naemanis 2. Reg. 5. 10. 14.

(i) Cod. *Para* cap. 8. §. 8. כל הימים מטהרין בזוחלין ופסולין לזבים ולמצורעים ולקדש מהם מי חטאת: i. e. *Omnia maria purificant in alveis decurrentia: sed inepta sunt seminifluis, leprosis, & ad consecrandum de illis aquas lustrationis*. Quem effectum R. Juda l. c. soli Oceano denegat, reliqua maria omnia sub lege fontium comprehendens. Conf. ad l. c. *R. Simson.* & *Maim.* Equidem de flu-

prohibetur (*a*), quam, ut ne pudore suffusa ob civium præsentiam, negligeret omnia rite exsequi; nequaquam vero ob aquarum ineptitudinem.

XXXIII. Quod si vero non suppetat aqua fontana aut fluviatilis, in alveis decurrens; vel fluminibus, v. g. hyberno tempore gelu nimium rigentibus, aut condensatis penitus (*b*): tunc confugiunt ad aquas in scrobe seu fossa in fundum terræ excavata stagnantes, sive hanc exundantia imbrium, aqua per terræ meatus sudans, vel fluviorum exoneratio effecerit, sive hominum industria. Hanc enim qui doctissimus *Seldenus* (*c*) excludat, non video: tot fere in privatis hominum ædibus existentibus in hunc finem foveis, quot familiæ degunt Judaicæ. Quarum omnium excavationem si providæ adscripseris naturæ, vix etiam Judæorum quantumvis sibi applaudentium mereberis assensum. Quin potius expresse monent, naturæ hic succurrendum; nec opus, ut totum conceptaculum per Cœlorum constituatur manus. (*d*) Samuelis pater supra adductus fuit (*e*), qui scrobem suis præparasse dicitur domesticis. Quales hinc inde occurrunt plures. Curiosa foveæ adaptatio non permittit, quo minus humanam concipias operam. Latitudo requiritur quaquaversum ad minimum cubitalis, altitudo s. profunditas aquis repleta trium cubitorum (*f*): non connumerato, ut videtur, spatio vacuo, ad quod, corpore in aquas immisso, pars aliqua assurgit caput perfluens & brachia (*g*). Canales aliaque media præsto sunt, queis purgentur a luto aliisque heterogeneis, aqua aliunde exonerata (*). Quin & dolium spatiosum terræ infossum, vicem Baptisterii præbet, si in eo excaventur foramina (*h*); & mare sulcantibus, ob denegatum terræ fundum, etiam

fluviis, quorum aquæ fallunt nonnunquam, dubium movetur l. c. §. 9. itemque ap. R. *Nissim* ad Cod. *Nedarim* f. 40. b. l. 10. seqq. sed non inepti judicantur, nisi causa aquæ deficientis ignorata; idque eo casu, in solo aquarum decursu, neutiquam iis in scrobem collectis.

(a) *Maim.* hilc. *Mikvaoth* cap. 1. §. 11. אשה אינה טובלת בנמל מפני שמתביישת מבני העיר ואינה טובלת כהוגן ואם הקיף לה מפץ וכיוצא בו כדי להצניעה טובלת בנמל׃ i. e. *mulier non baptizetur in portu. Pudor enim, quem præsentia civium elicit, impedit eam, quo minus digne se lavet. Quod si vero matta aut simile quod sepimentum eam includat, ut verecundiæ suæ tuto possit consulere, in portu licite lavat.* Desumta sunt e Cod. *Nidda*, f. 66. b. fin. Ubi *Glossa* exterior adducit *Rabbenu Tam* eandem approbantem rationem, verbis: כי בני אדם מצויין שם ובועתה וממהרת מפני שבושה מבני אדם המצויין שם׃ *quia homines præsto ibi sunt, unde perturbatur illa, ac properat: erubescit enim ob homines ibi existentes.* Quam causam multi quoque allegant facti superius memorati a patre Samuelis. l. c. paulo post; ופי׳ מפצי מחצלות כמין גדר בנהר לצניעות שלא יראוה עוברים ושבים׃ *Paradæ* quas in aquas abjecisse dicitur, *erant instar sepimenti in fluvio, ob verecundiam: ne hinc inde transeuntes mulierem lavantem videant.* Quibuscum conspirat Glossa exter. ad Cod. *Biccuroth* f. 55. b. §. ומפצי. Atque hæc tam operose hic tradidi, quod videam, multos Christianorum in hoc articulo non nisi *conceptaculi* meminisse; persuasos, id solum penes Judæos legitimum fore *Baptisterium*, sacro huic ritui destinatum.! Imposuit illis haud dubie Maimonides. Qui tamen exclusive non erat intelligendus; difficultate præter necessitatem illis N. T. locis conciliata, quæ in omnibus *Baptismum* loquuntur peractum.

(b) *Rabbenu Nissim* ad Cod. *Nedarim* f. 40. b. §. אבוה l. 4. נ״ל דבנתיה דאבוה דשמואל בסתוא לא היו טובלות בנהר משום צנה אלא במקוואות שבבתיהן׃ i. e. *quantum ego conjicio, filiæ patris Samuelis hyberno tempore non lavabant in fluvio, ob frigus; sed in conceptaculis, quæ domi habebant.*

(c) De Jur. N. & G. lib. 2. c. 2. p. m. 141. abluendum, inquit, Proselyti corpus omnino integrum erat, idque in confluente seu conceptaculo aquarum *naturali* &c. Mox: *nihil minus admittunt, quam ut* aqua hausta, aut *conceptaculis artificiosis* recepta, quis rite omnino sive ut Proselytus sive aliter mundaretur &c. Quasi v. labrum in templo constitutum, unde mundabantur sacerdotes, non fuisset artificiose confectum!

(d) *Maim.* hilc. *Mikv.* c. 4. §. 3. אמרו חכמים המקוה לא יהיה כולו שאוב כבור ואינו צריך להיות כולו בידי שמים כמעיין אלא אם יש בו תפיסת יד אדם כשר׃ i. e. *Sapientes dicunt, conceptaculum non sit penitus haustum, instar cisternæ: neque tamen opus, ut totum sit per Cœlorum manus, fontis instar: sed si in eo homo aliquod proprietatis jus sibi vindicet, legitimum est.*

(e) Vid. §. 32. ad lit. [f].

(f) Vid. §. 5. lit. [b].

(g) Cod. *Joma* f. 31. a. l. 19. seqq. ורחץ בשרו במים במי מקוה כל בשרו מים שכל גופו עולה בהן וכמה הן אמה על אמה ברום שלש אמות ושיערו חכמים מי מקוה ארבעים סאה׃ i. e. cum Lev. 16. v. 24. 26. dicitur: *lavet aquis carnem suam, intellige, aquis conceptaculi; omnem carnem suam, i. e. aquis, in quas totum corpus suum immittatur, Sed quanti hæ sunt? cubiti quaquaversum, in altitudine autem cubitorum trium. Sapientes æstimarunt aquas conceptaculi quadragiuta Satorum.* Eadem habentur Cod. *Pesachim* f. 109. a. l. antep. & ad lit. [x] citatis Ibi p. b. §. ברום in *Tosiphta* habetur: וא״ע דקומת אדם שלש אמות בלא הראש ולכך מצריך בבוכין ארבע אמות בשביל הראש ועובי הדפין במקוה סגי בג׳ אמות דכשטובל עולין המים למעלה ומיירי בשהכלי גבוה משלש אמות דא״לכ כשיכנס יפלו המים למטה ויחסר השיעור׃ i. e. *quamvis hominis altitudo ad tres assurgit cubitos, non commensurato capite, ut hinc etiam in cavernis quatuor requirantur cubiti, propter caput & densitatem asserum: in conceptaculo tamen tres cubiti sufficiunt. Quia aquæ, homine iisdem immerso, assurgunt sursum. Dicunt vero vas altius* concipiendum *tribus cubitis. Quod, nisi hoc, aquæ homine ingresso, deciderent exundantes, deficeretque mensura determinata.* Ita *Tosiphta* ad Cod. *Joma* l. c. b. l. 9. החקק של בית הטבילה היה גבוה יותר מג׳ אמות אע״פ שהמים עולים למעלה כשנכנס להוכו לא היו יוצאין לחוץ וכו׃ i. e. *Locus Baptisterii excisus altior fuit tribus cubitis, ut, quantumvis aquæ, homine immisso, sursum assurgerent, non exundarent foras.* Idem conjicere licet de conceptaculis communibus: quia alia quadraginta satis impleta dicuntur, antequam aqua ad tertiam ipsorum fossulam ascenderit, Cod. *Mikvaoth* c. 2. §. 1. 4. *Maim.* hilc. *Mikv.* c. 5. §. 4. Alia vero ad memoratam aquæ quantitatem plus amplius recipiunt. *Maim.* l. c. §. 9. c. 4. 6. c. 7. §. 1. (*) Vid. *Maim.* hilc. *Mikv.* c. 8. §. 7. e Cod. *Mikvaoth* c. 6. §. 8.

(h) *Maim.* l. c. cap. 6. §. 4. הלוקח כלי גדול כגון חביה גדולה או עריבה גדולה ונקבו נקב ומטהרו וקבעו בארץ ועשאהו מקוה הרי זה כשר׃ i. e. *Si quis acceptum vas aliquod magnum, cujusmodi spatiosum dolium, aut labrum magnum, excavato foramine, in* ter-

etiam capsa perforata in mare projecta (a).

XXXIV. Exra hunc vero casum, necesse erat, in fundo terræ existat baptisterium (b), quo eo se recipiat aqua undecunque per suos meatus collecta. Hinc enim est, ut dicatur *conceptaculum*. Aristoteli locus diceretur ὑποδοχὴ vel κοιλία, aqua ὕδωρ συλλεγόμενον (c). Perinde siquidem est, sive aqua ibi comprehensa fontana sit (d), sive pluvialis (e), aut maris fluctibus eo delata: (f) modo pura sit, legitimam habeat copiam, ac stagnet ibi per meatum suum collecta (g), non aliunde hausta. Pura tamdiu existimatur, quamdiu non mutat colorem (h). Mensura ea requiritur, quæ sufficiat toti corpori simul una vice immergendo: cujusmodi quadraginta sata creditur conficere (i).

XXXV. Baptismus siquidem hic fœderalis una creditur abstergere sordes antiquas. Hinc eadem aqua eidem adjudicatur, quæ aliis detergendis pollutionibus (k). Ubi quo puriores sunt aquæ, magisque pellucidæ, eo ad lavacrum existunt aptiores (l). Aliunde autem haustæ licet fontanæ sint (m), vel infra legitimam mensuram 40. Satorum collectæ, & haustis ad tres logos auctæ (n), aut

terram defixerit, ac fecerit ex eo conceptaculum: en illud est legitimum. Mox subjicit fossam in muro structura lignea excavatam.

(a) *Maim.* l. c. §. 8. e Cod. *Mikv.* c. 6. §. 5. השידה והתיבה שבים אין מטבילין בהן אלא אם כן היו נקובין כשפופרת חנור ואם היה שק או קופה מטבילין בהן: i. e. *in Arca & capsa in mare projectis non lavant se, ni perforatæ sint instar fistulæ utris. Quod si saccus fuerit aut cupa, in illis lavant.*

(b) Vid. *Maim.* supra §. 3. ad lit. [p] it. ad §. præc. lit. [y].

(c) Meteorolog. l. 1. c. 13. p. m. 767.

(d) Vid. *Maim.* hilc. *Mikv.* cap. 9. toto e Cod. *Mikvaoth* c. 1. toto.

(e) Vid. ll. cc. §. prioribus. Inprimis th. 5. & ad eand. *R. Simson* prolixe. c. 7. th. 1. *Maim.* §. 16. item 3. 4. §. 3. seqq. cap. 10. §. 5. fin. Conf. hinc inde inserta supra ad §. 22.

(f) Vid. Cod. *Para* c. 8. §. 8. Cod. *Mikvaoth* cap. 5. §. 4. 6. Cod. *Chagiga* f. 19. a. l. 3. seqq. Cod. *Chullin* f. 31. a. l. penult. Unde *Maim.* hilc. *Mikv.* cap. 9. §. 17. x8. sequentia; גל שנתלש מן הים ונפל על האדם או על הכלים אם יש בו ארבעים סאה הרי אלו טהורין לחולין שאין הטובל לחולין צריך כונה ואם נתכוון והיה יושב ומצפה עד שיפול עליו הגל עלתה לו טבילה לדבר שנתכוון לו אין מטבילין בגל כשהוא באויר קודם שיפול על הארץ ואע"פ שיש בו ארבעים סאה לפי שאין מטבילין בזוחלין קל וחומר באויר׳ היו שני ראשי הגל נוגעים בארץ מטבילין בו ואין מטבילין בכיפה שלו מפני שהוא באויר: i. e. *Si quæ unda a mari avulsa in hominem cadat, aut super vasa, quum quadraginta sata contineat, munda hæc fiunt ad profana: Ad hæc enim lavans intentione non indiget. Quod si intenderit, sedendo expectans, donec in ipsum fluctus incidat, imputatur ipsi* hæc *lotio, ad quumcunque rem intenderat. Non tamen in unda baptizant se, cum in aere existit, antequam in terram decidat; utut in eo sint quadraginta sata. Quia in decursu non lavant, nedum in aere. Quod si utraque fluctus extremitas terram attingat, inibi se mergitant, non vero in ejus convexitate: quia hæc existit in aere.*

(g) *Maim.* l. c. §. 16. מי גשמים הבאים מן המדרון והנם נזחלין ויורדין אע"פ שיש מתחילתן ועד סופן ארבעין סאה אין מטבילין בהן כשהן נזחלין עד שיקוו וינוחו באשבורן ארבעין סאה: i. e. *Dentur aquæ pluviales e declivitate proruentes, quæ decurrunt descendentes: quamvis a principio ad finem usque quadraginta sata contineant; non tamen immergunt se illis, quamdiu decurrunt, donec confluant, atque in lacu stagnent sata quadraginta* &c. e Cod. *Mikvaoth* c. 5. in fine. Idem *Maim.* l. c. c. 9. §. 8. מה בין מעיין למקוה המקוה אינו מטהר אלא בארבעים סאה והמעיין מטהר בכל שהוא המקוה אינו מטהר אלא באשבורן והמים הנזחלין ממנו אינן מטהרין והמעיין מטהר בזוחלין המקוה לא תעלה בו טבילה לזבין והמעיין אם היו מימיו מים חיים הזב טובל בהן: i. e. *Quæ differentia intercedit inter fontem & conceptaculum? conceptaculum non mundat, nisi quadraginta contineat sata: fons autem cujuscunque sit quantitatis. Conceptaculum non mundat, nisi stagnans; aquæ autem exinde decurrentes non purificant: fons autem mundat aquis decurrentibus. In Conceptaculo facta immersio non imputatur seminifluis; sed si fontis aquæ vivæ sint, in illis mergitat se seminifluus.* Conf. supra §. 32. ad lit. [f].

(h) *Maim.* l. c. c. 10. §. אין המקוה נפסל לא בשינוי הטעם ולא בשינוי הריח אלא בשינוי מראה בלבד וכל דבר שאין עושין בו מקוה לכתחילה פוסל את המקוה בשנוי מראה כיצד היין או החלב והדם וביוצא בהן ממי כל הפירות אינן פוסלין את המקוה בשלושת לוגין שלא אמרו אלא מים שאובין פוסלין בשינוי מראה אפילו מקוה שיש בו מאה סאה ונפל לו לוג יין או מי פירות ושינה את מראיו פסול: i. e. *Conceptaculum non redditur ineptum, gustu mutato, aut odoratu; sed solo aspectu. Et omne id, unde non primum conficiunt conceptaculum, hoc reddit ineptum simul ac colorem variat. Qua ratione? vinum, lac, sanguis, aut si quod his simile de omnis generis succo fructuum, non ineptum] reddunt conceptaculum, infusa quantitate trium logorum; quod non nisi de aquis haustis obtinet. Polluunt vero aspectu variato, etiam si in conceptaculum centum satorum non nisi logus vini aut succi fructuum inciderit, fit, aspectu mutato, ineptum.*

(i) *Maim.* l. c. c. 4. §. 1. דין תורה שכל מים מכונסין טובלין בהן שנ׳ מקוה מים מכל מקום והוא שיהיה בהן כדי להעלות בהן כדי טבילה לכל גוף האדם בבת אחת שיערו חכמים אמה על אמה ברום שלוש אמות ושיעור זה הוא מחזיק ארבעים סאה מים: i. e. *In lege fundatur hoc jus, quod in omnibus aquis hinc inde confluentibus se immergitent, quia dicitur* Lev. 11. 15. *confluxus aquarum, undecunque tandem venerint: modo tantum contineant aquarum, quantum sufficit toti corpori humano una vice immergendo.* Minimam *ejus mensuram Sapientes constituerunt longitudine ac latitudine cubitalem, profunditate autem tricubitalem. Cujusmodi mensura sata continet quadraginta.* Vid. supra ad §. 5. lit. [b]. §. 33. lit. [e].

(k) Cod. *Jevam.* f. 47. b. l. 10. ובמקום שנדה טובלת שם גר ועבד משוחרר טובלין: i. e. *Ubicunque menstruata se lavare potest, ibi etiam Proselytum, servum, ac libertum baptizant.*

(l) Vid. Cod. *Mikvaoth* cap. 1. tot. *Maim.* hilc. *Mikv.* c. 9. §. 1. seqq.

('m) *Maim.* l. c. c. 4. §. 2. מדברי סופרים שהמים השאובין פסולין לטבילה: i. e. *e verbis scribarum constat, aquas aliunde haustas ineptas esse ad baptismum.* Vid. Cod. *Mikv.* c. 2. §. 3. seqq.

(d) *Maim.* prioribus subjicit: ולא עוד אלא מקוה מים שאינן שאובין שנפל לתוכן שלשה לוגין מים שאובין פסלו את הכל: i. e. *neque id modo; sed si in conceptaculum* seu stagnum *aquarum minime haustarum tres incidant logi aquarum haustarum, totum reddunt ineptum.* Idem c. 4. §. 8. אין המים השאובין פוסלין את המקוה בשלשה לוגין עד שיפלו להוך המקוה מן הכלי אבל אם נגררו המים השאובין חוץ למקוה ונמשכו וירדו למקוה אינן פוסלין את המקוה עד שיהיו מחצה למחצה אבל אם היה רנב מן הכשרים הרי המקוה כשר: i. e.] *aquæ haustæ non corrumpunt con-*

aut jam coinquinatæ (*a*), ad hunc finem prorsus existimantur ineptæ. Exinde vehementer ambigo, *hydrias* illas *lapideas*, vel e saxo excisas, quarum Johannes in Evangelio suo (*b*) meminit, huic perficiendo operi, ut *Altingius* (*c*) voluit, fuisse aptatas. Hæ quippe non modo aquas haustas continebant: sed & ex uno loco facile deferri poterant in alium. Quorum hoc cum capacitate illa, qua integrum hominem, non excluso capite, ita comprehendere debebat, ut uno motu totum simul corpus abluere posset (*d*), difficulter congruit: Illud vero disertis verbis a Talmudistis prohibetur non uno loco (*e*). Omnes vas eximunt ab hoc opere, quod ullo modo eum in finem præparatum est, ut retineat sibi inditum (*f*). Aqua quoque, quæ vel studio in eo excepta fuerat, vel solo fluxu suo super illud decurrerat, etiam hinc exonerata, & collecta in stagnum, locum alioquin huic negocio admodum convenientem, baptismo pronunciatur inepta (*g*). Nec ea admittitur, quæ per canalem ligneam, cui fossula erat incisa (ad lapillos in aqua agitatos excipiendos, atque a conceptaculo retinendos), ad sedem aptam defertur (*h*); nisi fossula ista, quæ retinendi capacitatem habebat, pulvere fuerit expleta, aut materia alia (*i*). Etiam quæ præter hominum intentionem in vase alio fine exposito collecta fuerat pluvia, tunc demum permittitur; quum vase fracto vel deturbato, per meatus consuetos in conceptaculum se receperit (*k*). Quæ omnia hydriis illis neutiquam in fundo defixis, male conveniunt. Tanta cæteroquin est Judæorum vel quoad baptisterium vel ejus aquas solicitudo, ut specialem tractationem exigat.

XXXVI. Baptizandi *Modus* ita peragi-

conceptaculum tribus logis, nisi in medium ejus incidant e vase aliquo. Verum si deriventur aquæ haustæ extra conceptaculum, & trahantur ut decidant in illud, non ineptum reddunt conceptaculum, nisi ejus conficiant dimidium. Sed majori parte existente legitima, totum conceptaculum est legitimum. l. c. §. 6. כיצד פוסלין המים השאובין את המקוה בשלשת לוגין שאם היה במקוה פחות מארבעים סאה הכל פסול אבל מקוה שיש בו ארבעים סאה מים שאינן שאובין ושאב בכד ושפך לתוכו כל היום כולו כשר: i. e. *quomodo corrumpunt aquæ haustæ conceptaculum tribus logis? si in conceptaculo existat minus quadraginta satis, totum fit ineptum. Sed si quod conceptaculum quadraginta sata comprehendat aquarum minime haustarum, utut hydria quis hauriat & effundat in illud toto die, totum tamen manet legitimum* &c. Ejusdem tenoris sunt verba hujus Doctoris Comment. ad Cod. *Mikvaoth* c. 2. §. 2. מקוה שיש בו מ' סאה לא יפסלוהו מים שאובין אם נפלו בו ואפילו נפלו בו אלף סאה מים שאובין ואמנם יפסלו מים שאובין למקוה שאין בו ארבעים סאה ואחר השלים המ' סאה במי שאובין ושמור זה העיקר: i. e. *Conceptaculum* 40. *Satorum non vitiant aquæ haustæ, in id incidentes, utut cadant in id mille sata aquarum haustarum: sed id vitiant, in quo nondum existunt* 40. *sata, quæ aquis haustis* quis *supplet. Quæ regula fundamentalis observatu digna*.

(a) Vid. *Maim*. l. c. c. 7. tot. Conf. supra §. 8. ad lit. [d]. §. 34. lit. [g].

(b) Cap. 2. 8.

(c) Differt. Philol. 7. §. 32. p. m. 234.

(d) Vid. §. 34. lit. [h]. & Conf. §. 36.

(e) Vid. *Maim*. hilc. *Mikvaoth* c. 4. §. 2. seqq. cap. 5. & 6. tot. Conf. supra ad lit. (m).

(f) *Maim*. l. c. c. 6. §. 1. כל הכלים המקבלין שהלכו המים עליהן או שנפלו מתוכן הרי אלו שאובין ופוסלין את המקוה והוא שיעשו לקבלה אפילו היו כלים שאין מקבלין טומאה כגון כלי אבנים וכלי אדמה הרי אלו פוסלין: i. e. *Omnia vasa recipientia aliquid, aquis super ea currentibus aut ex illis decidentibus, quæ habentur pro haustis, ineptum reddunt conceptaculum: si quidem eum in finem parata sint, ut aliquid recipiant* vel contineant. *Et quamvis vasa alioquin in se non recipiant pollutionem, cujusmodi vasa lapidea, aut testacea; ineptum tamen illa reddunt conceptaculum*. Vid. *Jore dea* num. 201. p. m. 35. c. 1. l. 18.

(g) *Maim*. l. c. c. 4. §. 4. המניח כלים תחת הצינור תמיד בכל עת ובכל זמן אחד כלים קטנים ואחד כלים גדולים אפילו כלי אבנים וכיוצא בהן מכלים שאינן מקבלין טומאה ונתמלאו מי גשמים הרי אלו פסולין ואם כפאן על פיהן או שברן המים הנקוין מהן משאובין לכל דבר שהרי לדעתו נתמלאו שחזקת הצנור לקלח מים ואפילו שכח הכלים תחת הצינור פסולין גזרו על השוכח מפני המניח וכן המניח את הכלים בחצר בעת קשור העבים ונתמלאו המים שבהן פסולין שהרי לדעתו נתמלאו וכן גזרו על השוכח בחצר בשעת קישור עבים משום מניח: i. e. *Si quis vasa constituat sub canali continuo quocunque tempore ac opportunitate; perinde est, sive vasa minora fuerint, sive magna, etiam lapidea aut his similia, quæ impuritatem non recipiunt: illis imbre repletis, aqua est inepta. Et si vel maxime invertat ea in orificium suum, aut frangat, aquæ exinde collecta quoad omnia haustis sunt similes: quia ex istius intentione repleta sunt; cum canalis eandem cum torrente habeat præsumtionem. Imo vasis istis etiam per oblivionem sub canali relictis, aquæ sunt ineptæ. Adversus obliviscentem decernunt, ob collocantem. Atque ita si quis vasa in atrium constituat, quo tempore condensantur nubes; impletis illis, aqua est inepta: quia ex istius intentione sunt repleta. Eandem ferunt sententiam adversus obliviscentem in atrio condensatis nubibus*, unice *propter eum qui* data opera *illic* vasa *constituit*.

(h) *Maim*. l. c. c. 6. §. 6. החוטט בצינור מקום לקבל בו הצרורות המתגלגלין במים כדי שלא ירדו עם המים היה הצינור של עץ וחפר בו כל שהוא פוסל שהרי כל המים שיורדין באין מתוך כלי שנעשה לקבלה i. e. *Si quis in canali locum exsculpat, pro recipiendis lapillis cum aqua se devolventibus, ut ne cum hac descendant* in conceptaculum: *si canalis e ligno fuerit, quantillum etiam sit quod exsculpserat, aquas reddit ineptas Omnes enim descendentes e vase proveniunt ad receptionem aptato* &c.

(i) Loc. cit. ירד לתוך המקום שחקק עפר וצרורות ונתמו ונכנס הרי זה כשר: i. e. *descenderit in locum quem excavaverat, pulvis aut lapilli, qui obthurarint; si quis laverit, sit legitime*.

(k) e Cod. *Mikvaoth* c. 2. §. 7. refert *Maim*. loc. cit. c. 4. §. 3. המניח קנקנין בראש הגג לנגבם וירדו להם גשמים ונתמלאו אע"פ שהיא עונה הגשמים הרי זה ישבור את הקנקנים או יכפם והמים הנקוים מהם כשרים לטבול ואע"פ שכל המים האלו היו בכלים שהרי לא מלאן בידו לפיכך אם הגביה את הקנקנים והערם הרי כל המים שבהן שאובין: i. e. *Si quis amphoras in vertice tecti exponat, ut exsiccentur, & , descendentibus in illas imbribus, impleantur; utut dies sint pluviales, quum fractis amphoris aut inversis, hinc aquæ stagnent, sunt ad immergendum legitimæ, quamvis omnes in vasis extiterint; non enim ea sua replevit manu. Itaque si amphoris in sublime latis, aquas effuderit; omnes quæ inibi existunt aquæ, æstimantur haustæ*. Ibid. §. 4. fin. הניחן בחצר בעת פיזור עבים ובאו עבים ונתמלאו הרי אלו כשרין

כמו

gitur, ut baptizandus modeste ac sensim (*a*), exutis vestibus, in aquam demissus, edita denuo confessione sua, simul ac semel totum immergeret corpus (*b*): membris omnibus ita dispositis, ut singulas ipsorum partes, ne pilis quidem exceptis, aut rugis contractioribus, undiquaque aqua difflueret (*c*). Utut enim Baptismus irritus non fieret tinctione iterata; probrosum tamen habetur tingenti, tinctionem repetere (*d*). Vestibus vero indutus, si quis, pudore nuditatis suffusus, lavare vellet; necesse est, ut tenues sint, quæ aquam facile transmittant, nec impedirent, ut ulla vel minima corporis pars maneat illota (*e*). Nam si vel filum aut pilus impediret, quo minus aqua undiquaque perflueret, totus Baptismus habetur irritus (*f*).

XXXVII. Masculus autem non baptizatur, nisi vulnusculo illo, quod e circumcisione, quæ semper præcedit, ceperat, bene curato (*g*). Periculum enim, ne aqua, ut omnibus vulneribus, ita & huic, ob frigiditatem suam, indeque metuendam alterationem, valde infensa, esset noxia (*h*). Quo casu legum observantia non vitam, quam promittunt (*i*), afferret, sed, quantum in se, redderet dubiam. Uterque sexus non prius aquæ immittitur, quam sufficienter fuerit edoctus de fidei capitibus: inprimis de Deo uno, præmiis fideles post hunc mundum manentibus, Israelitarum prærogativa, ac idololatrarum incommodis (*k*). De quibus, ut & aliis nonnullis Præceptis tam gravioribus quam levioribus, in ipsa aqua constitutus, confessionem prius edere debet, quam actus baptizandi perficiatur (*l*).

XXXVIII. Ut itaque legitime peragantur omnia, legibus cautum est, *Tres* adhiberi *Testes* omni exceptione majores. Coram Senatu fieri debere Proselytorum initiamenta, passim inculcant Talmudistæ (*m*). Ut & publica polleat autoritate, defendendi exosos, sicubi de ipsorum conversione lis mota fuerit: & peritia emineat legum domesticarum, ad informandos rudes, ac judicandum de valore confessionis editæ. Ad hoc quanquam nullum dubium, quin olim, vigente adhuc puritate doctrinæ, gravitas rei ipsius eos compulerit, ut veritati sua ubivis constaret certitudo; eodem modo, quo inter Christianos hodienum Patrini adhibentur seu susceptores (*n*), & probabiliter Johanni Baptistæ duo adstitere discipuli, quorum hinc inde fit mentio (*o*): moderni tamen omnes obligatos se existimant ex eo, quod in Scriptura de Proselytis nomen usurpetur *Judicii*; quod pauciores Tribus nunquam possit complecti (*p*). Ubicunque enim secundum plurium vota debet decerni, necesse est, numero sint Senatores impari: qui infra ternarium non potest concipi. Huic proinde numero tam tenaciter inhærent, ut, vel uno deficiente, totam actionem jure merito in dubium vocari posse censeant (*q*). Facile fieri poterat, ut duo in testimonium vocati, vel de re ipsa, vel aliqua ejus circumstantia dissentiant: quo facto, quod ab alterutro assertum fuerat, destruetur rursus ab alio; Judici difficultate relicta extricabili, in quam partem ferenda sit sententia.

XXXIX. In casu tamen necessitatis, ubi vel ob paucitatem hominum, ordinarius trium virorum Magistratus consti-

כמו שהניחן בראש הגג לנגבם וכן אם הניחן בעת קישור עבים ונתפזרו וחזרו ונתקשרו ונתמלאו הרי אלו כשרין ואם שברן או כפאן המים הנקוין מהן כשרין: i. e. *Collocarit qui vasa in atrium, cælo sereno, si exortis nubibus impleantur, en legitimæ sunt, quemadmodum in vertice tecti, ad exsiccandum exposita; Atque ita si tempore nubilo exposita, nubibus dissipatis, ac condensatis denuo, repleantur, legitima sunt. Fractisque illis, aut inversis, aquæ inde stagnantes sunt legitimæ.*

(a) *Maim.* l. c. c. 1. §. 9. הקופץ לתוך המקוה הרי זה מגונה: i. e. *Si quis saltu in baptisterium se præcipitat, homo turpis est.* מפני שהקופץ למקוה עף אם מתכוין לטבול הרואים סבורין שאינו מתכוין אלא להקר: *Quia subsilientem in conceptaculum, si vel maxime intendat se immergere, videntes putant, nil intendere amplius quam refrigerium.* Quæ ratio est *R. Isaaci f. Scheschat*, citata a *R. Joseph. Karo* in *Ceseph Mischne* l. c.

(b) Vide supra §. 2. ad lit. (e) *Maimonidem* Eund. l. c. c. 1. §. 2.

(c) *Maim.* l. c. §. 10. Cod. *Niada* f. 66. b. f. 67. a. Cod. *Mikv.* c. 9. §. 2. seqq. Vid. *Buxt.* Syn. Jud. p. 94.

(d) *Maim.* hilc. *Mikv.* c. 1. §. 9. Vid. *Voss.* Disp. 2. de Bapt. th. 3. p. 44. seqq.

(e) *Maim.* loc. cit. §. 7. Cod. *Beza* f. 18. a. l. 21.

(f) *Maim.* l. c. cap. 2. tot. hilc. *Issure bia* cap. 13. §. 13. Cod. *Mikv.* cap. 9. tot. Cod. *Schab.* f. 57. a. b.

(g) Cod. *Jevam.* f. 47. b. l. 4. 33. *Maim.* hilc. *Issure bia* c. 14. §. 5.

(h) Cod. *Jevam.* l. c. l. 33. *R. Moses-Mikkozi* P. N. 116. f. 40. c. 4. l. 22.

(i) Lev. 18. 5.

(k) Cod. *Jevam.* f. 47. a. l. 34. seqq. *Maim. Issure bia* cap. 14. §. 2. seqq. *R. Moses de Kozi* loc. cit. f. 40. c. 3. post med. *Arba Turim* Part. 2. hilc. *Gerim.* fol. 47. cap. 3. circa fin. *Rabbenu Ascher* ad Cod. *Jevam.* f. 135. cap. 1. post med.

(l) Cod. *Jevam.* f. 47. b. l. 4. seqq. *Maim.* hilc. *Issure bia* c. 14. §. 6.

(m) Cod. *Jevam.* l. c. l. 34. *Maim.* l. c. §. 6. *Mos. de Kozi* l. c. c. 4. l. 23.

(n) Vid. Suic. Th. Eccl. in ἀναδέχομαι II. col. 258.

(o) Matth. 11. 2. Joh. 1. 35.

(p) Cod. *Jevam.* f. 46. b. l. 30. *Rab Ascher* ad l. c. f. 134. c. 4. l. 23.

(q) *Maim.* hilc. *Issure bia* c. 13. §. 7.

ſtitutus non eſt; vel rerum penuria, aut alia cauſa tot numero eruditi convocari non poſſunt; quin &, neceſſitatibus his non urgentibus, re jam confecta; acquieſcunt in tribus teſtibus plebejis, alioquin minime aptis, qui Baptiſmum perficerent. Taciti expectantes, quam vitæ rationem converſus ſit initurus (*a*). Imo nonnulli in gratiam mulieris pronunciant, quæ, modo informationis ſuæ & confeſſionis teſtes eruditos tres habeat, Baptiſmi peracti non alios producere noverit teſtes, quam mulieres, ad teſtimonium ferendum alioquin prorſus ineptas. Quia receptio Præceptorum divinorum *judicii* quaſi ſit principium; cujus non niſi complementum Baptiſmus (*b*).

XL. Omnino enim aliquid dandum videtur pudicitiæ muliebri, quæ omnibus nudata veſtibus, ægre circa ſe patitur maſculos, præſertim luce clara adſtantes (*c*). Ob memoratam quippe Judicum præſentiam, legibus cautum eſt, *ne* qui Proſelyti *nocte baptizentur*, *neque* in *Sabbatho*, *aut die feriato* (*d*). Cum hiſce juſtitium. Illa quidem, quod eandem judiciorum rationem eſſe contendant, quæ plagarum dignoſcendarum: ad quas rite dijudicandas clara lux requiritur (*e*). Reliquis vero, quod ſacris vacare debeant: quæ non niſi extremo vitæ periculo profanantur (*f*). Adhæc reliquæ quoque lotiones, multo minoris momenti, interdiu fiebant omnes, ſi ſolam menſtruatam exceperis ac puerperam (*g*): in quibus, præter alia, pudicitiæ muliebris aliquam haberi rationem, non inepte dixeris.

XLI. Cui alioquin conſulunt, hoc negocio muliebris commiſſo, quæ baptizandam ad aquas deducunt, in eaſque ſiſtunt collotenus. Quo facto Judices demum accedunt, informantes eam denuo, ac confeſſionem exigentes. Edita hac, ſe ipſam immergit; illis, ne aſcendentem ex aqua adſpiciant, facie averſa exeuntibus (*h*). Nec opus, ſi Rabbenu Aſcher habenda fides, ut ipſam immergentem videantur confeſſione enim edita, omnibuſque ad Baptiſmum requiſitis decenter diſpoſitis, ac muliere in eo jam conſtituta, ut ſe immergitet, de modo jam ante ſatis edocta: Baptiſmum rite peragi, nemo amplius dubitat (*i*).

XL. Si huic ſententiæ inſiſtendum, non dubium, quin hominum etiam Judicum malitia multum ad eam ferendam contulerit. Olim enim pia hominum ſimplicitate vigente, eo uſque non arcebantur viri a conſpectu nude lavantium mulierum, ut etiam ibi, ubi ipſorum teſtimonium neutiquam requirebatur, frequentes adfuiſſe legantur: vel de modo baptizandi informaturi, vel aliam illis allaturi utilitatem (*k*). Prorſus ut in primitiva Eccleſia Chriſtiana, latina non minus quam græca; quamdiu ſincera obtinuit ſimplicitas, condidaque morum probitas; non infantes modo, ſed & adulti ſexus utriuſque nudi baptizabantur, omnibus exuti veſtibus. Id quod in Eccleſia etiam latina floruit ad tempora uſque Bernhardi. Diaconiſſis, ne quid baptizantis oculis inverecunde ingereretur, id dabatur negocii, ut veſtibus exui curarent baptizandam (*l*). Sed poſtquam, ut aliorum, ita Sacerdotum crevit nequitia; ab aliquot jam ſeculis, per univerſum pene occidentem conſuetudo iſta exolevit.

XLIII. Rebus omnibus legitime peractis, ſimul ac quis aſcendit ex aqua, in fœdus cum Deo plenarie jam receptus, *habetur pro Iſraelita in omnibus* (*m*). Exuit natales priſtinos, omnemque Majorum ſanguinem; ut nullos amplius in gentiliſmo agnatos habere credatur, queis inceſtus nomine interdici poſſet matrimonio (*n*); nec ſi abſque prole decedat, hæredem (*o*). Prorſus *ut infans recens in lucem editus* hinc inde

(a) *Maim.* hilc. *Iſſure bia* c. 13. §. 17.
(b) *Rabenu Aſcher* ad Cod. *Javam.* f. 134. c. 4. l. 24. ſeqq. Vid. R. *Jacob*, Jore Dea, n. 268. p. m. 47. c. 4. l. 8. ſeqq.
(c) *R. Aſcher* ad l. c. l. 24. 25. *non eſt mos* inquit *multerum, ut viri eant cum illis tempore Baptiſmi*.
(d) *Maim.* l. c. c. 3. §. 6. Cod. *Jevam.* f. 46. b. l. 29. Cod. *Joma Tob.* ſ. *Beza* c. 2. §. 2. ad quem vid. *Raſchi* f. 17. b. *Toſiphta* ad *Jevam.* l.c. l. 18. *Cicero* de leg. l. 2. p. m. 442.
(e) Cod. *Sanhedr.* c. 4. §. 1. *Maim.* hilc. *Sanhedr.* c. 3. §. 7.
(f) *Maim.* hilc. *Sanhedr.* c. 3. §. 1. hilc. *Schab.* c. 23. §. 14. Cod. *Beza* c. 5. §. 2. *Gem.* Bab. f. 36. b. Vid. *Hier.*
(g) Hilc. *Mikv.* c. 1. §. 6. Cod. *Peſachim* f. 90. b. l. antep. Cod. *Joma* f. 6. b. l. 5. ſeqq. f. 88. a. l. 2. ſeqq. Cod. *Schab.* f. 121. a. l. 4. ſeqq.
(h) *Maim.* hilc. *Iſſure bia* c. 14. §. 6. Cod. *Jevam.* f. 47. b. l. 7. ſeqq. *R. Aſcher* ad l. c. f. 134. c. 4. l. 24. f. 135. c. 1. l. 6. fin. *R. Moſes Mikkozi* l. c. f. 40. c. 4. l. 26.
(i) *R. Aſcher* loc. cit. f. 134. cap. 4. lib. 24. ſeqq.
(k) Vid. Cod. *Berachoth* fol. 20. a. lib. 18. ſeqq.
(l) Vid. *Voſſius* Diſp. 1. de Bapt. th. 6. ſeqq. 31. ſeqq. *Suic.* Theſ. Eccl. iu *ἀπεκδύσεις* cap. 429. ſeqq.
(m) Cod. *Jevam.* f. 47. b. l. 6. l. 35. *Moſ. Mikkozi* l. c. c. 4. l. 25.
(n) *Maim.* hilc. *Iſſure bia* cap. 14. §. 10. ſeqq. Cod. *Jevam.* f. 98. a.
(o) *Maim.* hilc. *Sechija Umattena* c. 1. §. 6. ſeqq. Cod. *Baba Batrhra* c. 3. §. 3. *Gem.* Bab. fol. 42. a. l. penult. Cod. *Kidduſchin* f. 22. b. l. penult. f. 23. a. l. 2. ſeqq. *Gittin* f. 39. a. l. 32.

de apud Talmudiſtas introducitur (*a*). Nec immerito Chriſtus Nicodemi habitudinem perſtringit (*b*) admirantis, hominem regenerari, qui adultus jam eſt. Id quod Doctori Iſraelitico non debebat non eſſe perſpectiſſimnm.

XLIV. Patris vero vicem deinceps præſtat Triumviratus iſte, quo præſente fuit baptizatus, Matris vero Synagoga Judaica. Hinc ipſorum *poſteri* matre ſaltem Iſraelitide geniti, *ad ſummos* inter Judæos *honores adſpirare* poſſunt (*c*), dignitatemque & regiam conſequi [ut exemplum comprobat Agrippæ (*d*),] & ipſius Pontificatus (*e*), a quo tamen filius Levitæ exoluſus eſt, dignitate alioquin Sacerdotibus ſecundus, omneſque Iſraelitas alios ſuperans.

(*a*) Cod. *Jevam.* f. 22. a. l. 29. f. 48. b. l. 39. f. 97. b. l. 23. *Maim.* hilc. *Iſſure bia* c. 14. §. 11. *Jore dea* l. c. p. 48. c. 1. l. 13.

(*b*) Joh. 3. 10.

(*c*) Cod. *Jevam.* f. 45. b. l. 24. f. 102. a. l. 1. ſeqq. coll. *Toſiphta* ad f. 45. b. prolixe.

(*d*) Cod. *Sota* f. 41. a. l. 28. ſeqq.

(*e*) *Bereſch. Rab.* f. 87. c. 4. l. 24. ſeqq.

JOHANNIS SPENCERI DISSERTATIO DE LUSTRATIONIBUS ET PURIFICATIONIBUS HEBREORUM.

PRÆFATIO.

Qua nonnulla de sensu vocis Καθαρμὸς, *& Ordine in sequentibus observando præmittuntur.*

E Dissertatione proxima liquidum est, S. *Chrysostomum* Sacrificiorum originem gentium ruditati, & eorum sanctionem gentium consuetudini, consulto tribuisse. Eo me ducente (*a*) verborum suorum serie, probandum est proximo, S. *Patrem* Judæorum Καθαρμοὺς ab eodem fonte & origine, pari cum ratione & veritate derivasse.

Ut autem λογομαχίας ansa præscindadatur, necesse est, ut de usu sensuque vocis καθαρμὸς, in Dissertationis hujusce limine, paucula præmittamus. Nam de sensu vocis hujusce non adeo inter doctos convenit: nonnulli scilicet inter illa sensus cognati vocabula (καταρμὸς, καθαρισμὸς, & ἁγνισμὸς) paulo (*b*) curiosius distinguendum sentiunt: καθαρμὸς, inquiunt, proprie idem est quod κάθαρμα vel victima piacularis, quæ ad lustrandum aut peccata expiandum offerebatur: καθαρισμὸς idem erat quod βαπτισμὸς, nempe corporis aut manuum solarum in aquas immersio, quam Judæi ad immunditias eluendas adhibebant: ἁγνισμὸς autem, aquæ levior aspersio, qua etiam Judæi polluti, in ordine ad καθαρισμὸν, sæpius utebantur. Me quod attinet, curiosas hasce vocum earum differentias ad eos qui ῥῖνα κριτικὴν habent, in præsens amandabo; &, Criticorum pace, Καθαρμὸν, hic sensu laxiore sumam, pro quavis nempe lustratione, purificatione, vel ceremonia sacra, qua Judæi, ad maculam aliquam eluendam, sanctitatem legalem rei vel personæ conciliandam, peccatum expiandum, vel malum aliquod averruncandum utebantur. Vocem hanc sensu tam lato sumi, variis exemplis evinci posset, si leviculis hisce diutius immorari liceret.

Si a vocibus ad rem ipsam progrediamur, tanta se dicendorum moles offert, quod difficilis operæ sit ea vel in ordinem digerere; sed longe difficilioris, eorum omnium origines in aprico collocare. Nam duplicis generis καθαρμοὶ vel purgationes, Personarum scilicet & Rerum, in Hebræorum legibus & ceremoniis locum invenerunt. Personarum etiam duplicis generis erant, Ordinarii & Extraordinarii. Καθαρμοὶ ordinarii erant purificationes illæ frequentes, aqua sola peractæ, ad incursionis quotidianæ maculas aut immunditias eluendas adhiberi solitæ. Καθαρμοὶ extraordinarii erant, qui non ablutione sola, sed & victimis, jejuniis, aliisque ceremoniis statim recensendis, temporibus solennioribus peragebantur.

Purificatio ordinaria (ut inde telam ordiamur) quatuor modis spectari potest: (1°.) Materialiter, vel cum respectu ad materiam in purificatione celebranda usurpatam. (2°.) Fortunaliter, quatenus purificatio vel ablutio illa consilio religioso suscepta erat & administrata. (3°.) Finaliter, vel respectu habito ad fines & usus illos varios quibus κάθαρσις illa carnalis inserviebat. (4°.) Modaliter, aut cum respectu ad varios modos & circumstantias in purificatione peragenda, e præscripto Legis observandas.

(a) Supr. citat. pag. 644.

(b) Vid. *Heins Arist. Sac.* c. 19.

Cum itaque Purificatio tam late ſumi poſſit, ut S. *Chryſoſtomi* fidem liberem, & officio præſenti cumulate ſatisfaciam; mihi probandum ſumo, καθαρμὸς, quovis modo ſpectatos, ex antiquo Patriarcharum, aut potius Ægyptiorum aliarumque gentium, ruditate & uſu ad Hebræos deveniſſe.

CAPUT PRIMUM.

Probatur, Hebræorum καθαρμὸς ordinarios, materialiter ſpectatos e Gentium more rituque traductos fuiſſe.

Hebræi purificandi ſtudio ducti, triplici tantum materia *ordinarie* utebantur: aqua nempe pura (fontana vel fluviali) Aqua marina, & aqua illa ſeparationis *Numer.* 19. memorata, quæ Vaccæ rufæ cineribus commixtis parabatur. Si autem aquas haſce paulo attentius intueamur, in iis omnibus moris apud Gentes Moſe priores uſitati veſtigia facile percipiamus. Ne quis autem mihi talia dicenti læſæ veritatis dicam ſcribat, de aquis hiſce tribus ſigillatim agam, & ſententiam meam ratione non facile rejicienda munitam dabo.

Placet itaque ab aqua pura, fontana vel fluviali, principium ſumere. Judæos, puritati operam adhibentes, aquam fontanam, tanquam communiſſimum purgationum ſuarum materiam, uſurpaſſe, teſtimonio Lagis indubitatum eſt. Præceptum eſt enim, ut *ſeminis pollutus lavet veſtes ejus & totum corpus in aquis viventibus*, Levit. 15. 13. Ubi *Chaldæus* legis mentem per במי מבוע *in aquis fontis* explicat. *Chaldæo* conſonat *Joſephus*, qui aquas in leproſo mundando requiſitas referens, ſic ſenſum legis (*a*) interpretatur; *ſi cui morbo illo* (lepra nempe) *liberari, & in priſtinum reſtitui contingat*, προείρηκε τινὰς ἁγνείας, καθαρμὸς πηγαίων ὑδάτων λυτροῖς. *Præſcripſit Moſes certas purificationes, mundationes, & aquarum foutanarum lavacra*. Et (*b*) alibi, de Levitis Deo ſacratis agens, ἥγνιζε, inquit, πηγαίοις ὕδασι καὶ ἀενάοις, καὶ θυσίαις· *purgavit eos aquis perennibus, & ſolenni ſacrificio*. Ideo vero aquam fontanam & e vena ſalientem luſtrationibus adhibebant, quod purior, & acrioris ad purgandum virtutis, adeoque luſtrationi magis apta crederetur. Poſt aquam fontanam, Judæi munditiæ ſtudioſi ſecundas aquæ fluviali deferebant. Hinc *Johannes Baptiſta*, (*c*) Jordanis fluenta ad baptiſmum ſuum elegiſſe dicitur, quod ſcilicet illa purgationi magis accommodata cenſerentur. Sed quamcunque demum aquam (de fontibus, fluviis, puteis, aut ciſternis, hauſtam) ad purgandum adhibebant, id anxia religione curabant, ut aqua tantum pura, & nulla fæce vel uſu ordinario contaminata ſeſe expiarent. Hinc regulæ multæ a Magiſtris traditæ de aquis ad manus abluendas aptis aut ineptis, quas apud (*d*) *Buxtorfium* & (*e*) *Pocockium* noſtrum reperiant harum rerum curioſi. Religionem eandem a Judæis mutuati videntur Mohammedani, apud quos hoc in legem abiit; (*f*) *non tollitur immundities aliquo liquore, excepta aqua: ſed nec qualibet aqua, ſed munda tantum, quæ non fœde mutata fuerit rei alicujus non neceſſariæ admiſtione*. Atque hæc religio ſeculis antiquioribus inter Judæos inolevit: nam teſtante (*g*) *Porphyrio*, Eſſæi, genere Judæi, in puritatis exercitio verſati, *participes facti ſunt* καθαρωτέρων τῶν πρὸς ἁγνείαν ὑδάτων, *aquarum maxime purarum, & ad puritatem conciliandam maxime facientium*. Hunc uſum Judaicum ob oculos habuiſſe videtur Apoſtolus, ſic (*h*) Hebræos alloquens, *accedamus* λελυμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ, *abluti corpus aqua pura*. Haud abſimile Prophetæ dictum, ad luſtrationis Judaicæ ritum reſpicientis; (*i*) *effundam ſuper vos*, καθαρὸν ὕδωρ, *aquam puram*, &c. Prout enim κοιναῖς χερσὶ *comedere*, ita & κοινοῖς ὕδασι lavare, pro profano habebatur.

Nec minus apud ethnicos quam Judæos anxie curatum eſt, ut aqua fontana vel fluvialis (utcunque pura & immaculata) in ſacris luſtratoriis adhibe-

(a) Lib. 1. contr. *Ap.* p. 1357. 25.
(b) *Antiq.* lib. 3. c. 11. p. 125. 20.
(c) *Mat.* 3. 6. 13.
(d) *Diſſertatio* de *rit. lotion. man.* ap. *Judæos*.
(e) *Not. Miſcel.* c. 8. p. 357. 358.
(f) Ib. p. 359.
(g) De *Abſtin.* l. 4. §. 12.
(h) Cap. 10. 22. 23.
(i) *LXX.* in *Ezech.* 36. 25.

beretur. Hoc e *Virgilio* discimus, apud (*a*) quem Dido, sacra Diis inferis instituens, sic loqui fingitur,

Dic corpus properet fluviali spargere lympha,
Et pecudes secum, & monstrata piacula ducat.

Sic & Æneam infert, ramum Proserpinæ apud inferos consecraturum, *Æn. 6.* v. 635.

Occupat Æneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua, ——

Virgilio consona sunt *Ovidii* illa, *Fast.* 4. v. 777.

—— *Tu conversus ad ortus*
Dic quater: & vivo perlue rore manus.

Nec minore religione cavebant ethnici, ut eorum purgationes *aqua pura* nec usu communi vel fæcibus inquinata perficerentur. (1) *Hesiodi* verba huic mori testimonium perhibent:

—— πρὶν γ' εὔξῃ ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα
Χεῖρας νιψάμενος πολυηράτῳ ὕδατι λευκῷ.

Memorat & *Theocritus* ἀβλαβὲς ὕδωρ in purgationibus usitatum. Hujusmodi aquæ cura tam superstitiosa sacerdotes Ægyptios tenuit, ut (*b*) aqua nulla alia se purgarent, quam ea cujus puritatem *Ibis*, avium mundissima, bibendo approbasset. Hic multis argumentis nil opus esse censeo, ad probandum aquæ usum e gentium institutis in Hebræorum piacula transiisse. Nullus enim hac de re dubitandi locus superesse potest, si] probatum dedero, purificandi ritus legem antiquitate vincere & Deum tot lustrandi ceremonias ob seculi morem in cultum suum admisisse. Huic autem penso, capite sequente manus admovendæ.

Secundo: ad καθαρμὲς ordinarios Judæi aquam marinam frequenter adhibebant. Hanc in Hebræorum sanctimoniis usum habuisse, pateat ex (*c*) *Aristea*, Græcorum Interpretum mores in hunc modum referentes; *Quotidie bene mane in aulam veniunt, & salutato rege ad loca sua redeunt,* ὡς δὲ ἔθος ἐςὶ πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις, ἀπονιψάμενοι τῇ θαλάσσῃ τὰς χεῖρας, &c. *Et manibus, pro communi Judæorum more, ex mari lotis, Deo preces effundunt.* Ne quis autem auctoris hujusce suspecti testi testimonium negligat, *Philonem* advoco, testem omnium calculo probatissimum. (*d*) Ille vero, de Judæis templum adituris agens, οἱ μὲν ἄλλοι, inquit, σχεδὸν ἅπαντες ἀμιγεῖ περιρραίνονται· θαλάττῃ μὲν οἱ πολλοί· τινὲς δὲ ποταμοῖς, οἱ δὲ κάλπεσιν ἐν πηγῶν ἀρυόμενοι· *Alii fere omnes aqua pura puta aspergunt: marina quidem plerique: quidam fluviali: nonnulli etiam hydriis e fontibus haurientes.* Ebion, hæreticus Judæus, hunc purgandi ritum, inter alia quammulta, a Judæis hausisse putetur; cum enim consuetudinem cum fœminis habuisset, ei solenne fuit, (uti auctor est (*e*) *Epiphanius*) βαπτίζεσθαι ἐν τοῖς ὕδασιν, --- ἢ θαλάσσης, ἢ ἄλλων ὑδάτων· *se proluere in aquis, aut maris, aut alterius generis.*

Ratio vero suadet, cogit opinari, Judæos hunc lustrandi morem e gentium moribus in suos transtulisse. Nam,

(1°.) E veterum Græcorum & Latinorum testimoniis passim obviis apertum est, ethnicos aquam marinam in lustrationibus frequenter usurpasse, eamque usui illi, præter cæteras aquas, aptam & accommodatam existimasse. Ne sermo meus æquo prolixior sit, rem hanc duobus tantum Græcis & Latinis firmabo testimoniis. E Græcis primas habeat illud (2) *Aristophanis*:

Πρῶτον μὲν αὐτὸν ἐπὶ θάλατταν ἤγομεν·
Ἔπειτ' ἐλοῦμεν·

Primo quidem ad mare ipsum perduximus,
Moxque lavimus.

Haud absimile est illud (3) *Apollonii*, *Argonaut.* 4. ubi socii Jasonis Circen

Εὗρον ἁλὸς νοτίδεσσι κάρη ἐφαιδρύνουσαν,
Τοῖον γὰρ νυχίοισιν ὀνείρασιν ἐπτοίητο·

Invenerunt maris humiditatibus caput lavantem,
Ita enim nocturnis somniis attonita reddita est.

Huc spectant etiam *Apuleii* verba, lib. XI. p. 356. *Confestim discussa pigra quiete,*

(a) *Æneid.* 4. v. 635.
(b) *Plutarch.* lib. de *Isid.*
(c) Pag. 890. D
(d) Lib. de *Sacrificantib.* p. 848. C
(e) Adv. *hæres.* l. 1. T. 2. *hær.* 30.
(1) De *Op.* & *Dieb.* L. 2. v. 326.
(2) Vid. *Plut.* Act. 3. Scen. 2. v. 656.
(3) Vers. 663.

te, alacer exsurgo: meque protinus purificandi studio lavacro marino trado: septies submerso fluctibus capite. Et illa (*a*) *Taciti*, de Junonis statua; *Propitiata Juno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare: unde hausta aqua, templum & simulacrum Deæ prospersum est*. Feruntur Mauri hanc marinam lustrationem, consuetudine a Majoribus hausta, etiamnum in usu retinere.

(2°.) Nihil in tota lege de aqua maris in lustrationibus usurpanda præceptum extat. Quin potius contrarium instituitur, ut nempe Judæi aqua pura & qualem fons ipse suppeditat, in purificationibus uterentur. Ideoque e sola gentium imitatione natum videtur, quod Hebræi, puritati studentes, aquis non funtanis, sed marinis tam frequenter abluerentur.

(3°.) Gentilium veterum doctrinæ, sacræ simul & philosophicæ consentaneum est, ut eos aquas salsas ad purgationem primos usurpasse censeamus. Nam aquam, non corporis tantum, sed & animæ maculas eluere posse, si præsertim sale saturatam, Gentilium Theologi simul & Philosophi docuerunt. Eorum Theologi salem igni & sulphuri natura conjunctum, adeoque purgationis usui cumprimis accommodatum censuerunt. Hoc e (*b*) *Procli* verbis intelligi datum est: *aqua marina vi purgandi prædita est, quod salis sit particeps, qui aliquam in se continet ignis particulam: ideoque sacerdotes ethnici ea in lustrationibus suis utebantur, illaque aspergebant quæ lustrare volebant*. Eorum etiam Philosophi sali facultatem (*c*) καθαρτικὴν inesse dicebant, atque inde forsan aquæ salsæ vires ad purgandum præstantiores habebantur. Ex hoc aut illo principio fluxit, quod ethnici antiquiores (si forsan aquam marinam desiderarent) salem in aquam injicerent, eaque locos aut homines inquinatos irrorarent. Ea de re non obscurus apud (*d*) *Theocritum* occurrit locus,

——— καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
Πρᾶτον ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισαι)
Θάλλῳ ἐπιῤῥαίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.

——— *Puro vero lustrate domum sulphure*
Primum: postea vero sale mixtam (uti mos est)
Florido ramo aspergere decet aquam.

Cum itaque Gentes tantam aquæ salsæ tribuerent purgandi vim, consultum videtur, illius usum in sacris, a Gentilibus, anili superstitione & vana philosophia occæcatis, potius quam Judæis auctoribus derivare.

(4°.) Inde causa credendi nascitur, Judæos aqua marina purgandi morem a Gentibus accepisse, quod e Veterum monumentis aperte constet, aquam illam in Gentium antiquitate maxime celebrium lustrationibus usitatam. Hic *Homeri* fidem testor, qui Veteres lustrasse dicit,

Θείῳ τ' ἀσφάλτῳ τε, πολυφλοίσβῳ τε θαλάσσῃ·

Quod *Homeri* carmen cognato *Nasonis* versu non prorsus infeliciter interpretemur:

(*e*) *Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.*

Nam *Ovidium*, eo in loco, de aqua salsa intelligendum esse, multi non sine causa suspicantur. Sed ad *Homerum* redeo, qui lustrationis aqua marina factæ nobis exemplum præbet, ubi Græcos sacris operaturos, mari lustratos memorat. Ne Lectori jam fraudi fuisse videar, verba (*f*) Poetæ adscribam integra:

Λαὸς δ' Ἀτρεΐδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν·
Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον·
Ἕρδον δ' Ἀπόλλωνι τεληέσσας ἑκατόμβας·

Populos autem Atrides lustrari jussit:
Illi autem lustrabantur, & in mare sordes jaciebant:
Sacrificabant etiam Apollini perfectas hecatombas.

Sed hunc aqua marina lustrandi morem Expeditione Trojana multo antiquiorem sentiamus, si quid a vero trahat hæc Auctoris haud (*g*) obscuri conjectura:

vus

(a) *Annal.* 15. p. 255.
(b) Lib. de *sacrif. & Mag.* sub fin.
(c) Vid. *Oribas. Medic. collectan.* lib. 15. & de *virtut. simplic. medicam.* l. 2.
(d) *Idyl.* 24. v. 94.
(e) *Metamor.* l. 7. v. 262.
(f) *Iliad.* A. v. 313.
(g) *Fortunat. Schac. Myrothec.* P. 2. c. 75. col. 690.B

vas illud coram *Tabernaculo & Templo*, *in ſacerdotum luſtrationem collocatum*, *mare æneum* dictum fuit; quod purgantibus maris loco eſſet, & vim omnem purgatricem aquæ marinæ a Gentibus tributam in ſe uno contineret.

(5°.) Frequens aquæ *marinæ* ad luſtrandum uſus Superſtitionis ingenium ſapit, quæ in ritibus ejus περιεργίαν quandam prodere ſolet, & virtutem ingentem rebus minutis dare. Ab hac ſententia *Stobæus* haud multum abſuit: poſtquam enim (*a*) citaſſet tritum illud *Euripidis* dictum,

Θάλαττα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά·

Mare cuncta hominum mala prorſus abluit,

ſtatim ſubjungit, φέρεται δὲ εἰς τοὺς δεισιδαίμονας, οἳ θαλάσσῃ περικαθαίρονται· *Cadit autem* hoc dictum *in ſuperſtitioſos*, *qui mari luſtrari ſolent*. Pleroſque Gentiles eo charactere notandos eſſe, docent *Ciceronis* illa, (*b*) *mare quo omnia quæ violata ſunt, expiari putantur*.

Rationes jam dictæ cauſam opinandi non levem præbent, aquas haſce luſtrales a Gentibus fluxiſſe ad Hebræos, qui gentium dogmatis & moribus ſerva nimis erant & addicta natio.

Tertio: in luſtrationibus Hebræorum Ordinariis uſu frequens erat *aqua ſeparationis* aut (*c*) *expiationis*. *Num.* 19. memorata, quæ Vitulæ rufæ cineribus, aqua fontis immiſtis, parabatur. Aquam illam hunc uſum præbuiſſe, patet ex Apoſtoli verbis ad (*d*) Hebræos: *cinis vitulæ aſpergens inquinatos, ſanctificat ad carnis emundationem*. Eumdem uſum & effectum aſſignat Moſes, *Num.* 19. 9. *Colliget vir mundus vitulæ cineres, & effundet* eos *in loco puro, ut ſint multitudini filiorum Iſrael in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis*. Ad quorum verborum ſenſum capiendum, ſciendum eſt, Deum vitulæ rufæ cineres ſancte cuſtodiri, & aqua fontis immiſceri præcepiſſe: non ut aqua illa corporis totius ablutioni deſerviret, ſed ut perſonæ tactu mortui pollutæ ſola ejuſdem aſperſione mundarentur. De luſtrationis hujus origine vel iſtituendi cauſa, non eſt conſulti quicquam fidenter affirmare; cum hac in lege, veritas pene tenebris obducta & circumfuſa jaceat. Si vero in re tam obſcura difficilique modeſtæ conjecturæ locus eſſet, aquæ luſtralis hoc ritu confectæ cauſam triplicem aſſignarem.

(1°.) Gentes antiquiores ad puritatem acquirendam, non raro cineres uſurpaſſe videantur. Hanc conjecturam eo minus irato Genio feciſſe videar, quod evidens ſit, cineres in gentium recentiorum purgationibus locum præcipuum habuiſſe. Nam (*e*) *Arnobius* gentium numina ſugillans, *Lavatio*, inquit, *Deum Matris eſt hodie: ſordeſcunt enim Divi, & ad ſordes eluendas lavantibus aquis opus eſt, atque adjuncta cineris fricatione*. Moris ejuſdem ſe teſtem præbet *Ovidius*, *Faſt.* 4. ubi inter piacula, combuſtorum vitulorum meminit, dicens, verſ. 733.

Sanguis equi ſuffimen erit vitulique favilla.

Et v. 639.

Igne cremat vitulos, ——
—— purget ut ille cinis.

Paucis etiam interjectis, inquit, verſ. 725.

Certe ego de vitulo cinerem, ſtipulaſque fabales
Sæpe tuli plena, februa, caſta manu.

Ab hiſce non multum abeunt quæ apud *Virgilium* occurrunt, luſtrandi ritus memorantem, *Eclog.* 8. v. 101.

Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti,
Tranſque caput jace, ——

Sat ſcio pleroſque ſibi perſuadere, Gentiles cineres in ritibus luſtratoriis uſurpaſſe, ut legem a Deo latam *Num.* 19. κακοζηλίᾳ diabolica imitari poſſent. Mihi vero probabilius eſt, hunc cineres ad luſtrationes adhibendi morem primam inter Gentes originem reperiiſſe, & Deum hunc morem e Gentilium initiis in cultum ſuum tranſtuliſſe; ne Iſraelitæ gentium februa, veluti ſuis puriora, deſiderarent, & ſemetipſos minus expiatos exiſtimarent, niſi aquis novam a cineribus infuſis purgandi virtutem haurientibus aſpergerentur. Cum enim populus ille vetera omnia libens acciperet, ſed quæ nova in cultu videbantur animis aver-

(a) *Serm.* 4.
(b) *Orat.* pro *Sext. Roſcio*.
(c) *Num.* 31. 23.
(d) Cap. 9. 13.
(e) Lib. 7. contr. *Gent.* p. 237.

aversis intueretur; æquum est opinari, Deum hunc lustrandi modum instituere noluisse, nisi cineres inter gentium februa numeratos, & res in usu solenni positas, invenisset. Deinde, si Gentiles, cineres in purgandi ceremoniis usurpantes, ad Hebræorum imitationem se fingere studuissent; credi nequit, eos ab exemplari suo tam longe recedere voluisse.

(2°.) Deus *aspersionis aquam* hoc ritu parari voluit, ut ab infusis oblatæ vitulæ cineribus religionem quandam hauriret, & inde a vulgari quavis aqua lustrali discerneretur. Gentes nonnullæ, solo rationis instinctu monitæ, aquam sacris usibus destinatam nota vel charactere aliquo ab aquis cisternæ separabant. Gentiles enim aqua plurimum e (*a*) fonte aliquo sacra petita in lustrationibus eorum utebantur: nonnunquam aqua, qua titionem ardentem ab (*b*) ara sumptum extinxissent, purificandi studio, seipsos aspergebant. Et Hebræis proculdubio consentaneum videbatur, ut eorum aqua lustralis nota aliqua religiosa discerneretur, & infusus animalis immolati cinis (quo vix quicquam religioni magis cognatum) ei reverentiam & sanctitatem quandam conciliaret.

(3°.) Cineres aquis immisti ad sordes abstergendas plurimum valent, adeoque cum eorum usu (nempe purificatione) consensum & analogiam quandam coluisse videantur. Deum & hac de causa cineres aqua sua purgatoria commisceri voluisse me persuasum habeo, quod gentes antiquæ καθάρσια sua ex iis rebus componere solerent, quæ puritati affines erant, & virtute καθαρτικῇ maxime pollere credebantur. Hinc aqua limpidissima, sale, sulphure, cinere, nitro, igne flammante, & hujusmodi aliis, in lustrationibus suis utebantur. Sacerdotes autem piaculis illis excogitandis ingenii sui vires exercuerunt, ut homines creduli, lustrationis ritibus perfuncti, sibi facile persuaderent, se vitæ (licet impurissimæ) maculas abstersisse & expiasse. Cum itaque gentes antiquiores, in purgationibus suis, rebus virtute vere purgativa claris uterentur; credere par est, Deum cineres mundationis aqua commisceri voluisse, quod ad mundandum naturaliter apti essent & accommodati, unde & causa omnis ethnicorum lustralia rebus a Deo ad lustrandum istitutis præferendi tolleretur.

Rationes hasce, ut probabiles tantum, in medium profero; & lectori integrum volo, eas recipere vel repudiare.

(a) *Schac. Myrothec.* 2. c. 49.
(b) *Athen.* lib. 9. cap. 18.

CAPUT II.

Καθαρμὸς formaliter *spectatos*, *eidem origini abscribendos*.

EO me jam ducit præsentis instituti filum, ut probem Hebræorum καθαρμὸς *formaliter* spectatos (h. e. quatenus ablutiones sacras, non sanitatis aut elegantiæ, sed puritatis & religionis causa usurpatas) e veteri gentium usu, tanquam institutionis suæ causa præcipua dimanasse.

Quo vero methodice procedat sermo, primo sententiam meam argumentis aliquot communire; secundo, Objectiones illius fidem minuentes enervare conabor.

SECTIO I.

Argumenta quædam ad sententiam firmandam afferuntur.

GEntes antiquiores curam puritatis externæ singularem habuisse, & earum ritus lustrales legibus de puricatione latis occasionem fecisse, variis argumentis evinci potest.

Horum primum petitur e variis hominum exemplis, qui ablutionibus, non munditiæ sed ἁγνείας gratia, diu ante datam legem utebantur. Cum enim Jacobus Patriarcha familiæ suæ reformationem aggrederetur, (*c*) *amoveto*, inquit, *a vobis Deos alienos*, והטהרו *& mundamini*, *& mutate vestimenta vestra*: ubi sensum vocabuli והטהרו optime assecutus videtur *Aben Ezra*, illud per שירחצו הגוף *ut lavent corpus*, interpretatus. Atque hanc interpretandi rationem mutuo accepisse videtur a *Jonathane*, hac paraphrasi locum illustrante; *purificate vos a pollutionibus interfectorum ad quos accessistis, & mutate vestimenta*. Consillum huic affine filiis ejus dedit Jacob, *Genes.* 49. 1. si *Jonathani* credimus, hunc sensum Patriarchæ verbis affigenti, *vocavit Jacob filios ejus*, *& dixit eis*, *purificate vos ab immunditie*, *& indicabo vobis secreta occulta*, &c. Sed missis exemplis illis obscurioribus, ad Pharaonis filiam transeat sermo, quæ religionis causa ad fluvium se conferebat, quod in ἁγνείαις olim frequentissimum. Sentiunt equidem nonnulli, non lotionis aut puritatis, sed liberorum & fœcundita-

(c) *Genes.* 35. 2.

tatis desiderium, fœminam illam ad fluvium attulisse; quod Nili (*a*) potus fœminas Ægypti fœcundas reddere crederetur. At nec ratio, nec adversa veterum testimonia patiuntur, ut huic opinioni fidem habeamus: Nam (*b*) *Ezechiel* tragicus, Mosis Historiam fuse persequens, sic lotionis illius scopum explicat,

> Κἄπειτα θυγάτηρ βασιλέως ἅβραις ὁμοῦ,
> Κατῆλθε λουτροῖς φαιδρῦναι τὸ ἑὸν δέμας·

Id est, *Vigero* interprete,

> *Ecce tibi Regis nata cum famulis subit,*
> *Lustrare liquido gestiens corpus vado.*

E gentis nempe ritu & religionis suæ instituto. Sic enim lotionis illius mentem interpretatur (*c*) *Clem. Alexandrinus*, de Mose loquens in ripa fluminis exposito: *Regis filia*, ait ille, *quæ longo tempore non concipiebat, filium autem desiderabat*, ἐκείνης ἀφικνεῖται τῆς ἡμέρας ἐπὶ τὸν ποταμὸν, λουτροῖς καὶ περιῤῥαντηρίοις χρησομένη. *Illo die venit ad fluvium, ut lotionibus & aspersionibus uteretur.* Hæc autem verba, *Clemens* (ni falli contingat, e (*d*) *Philone* mutuatus est: dicit enim ille, Regis filiam ἐξορμῆσαι μετὰ θεραπαινίδων ἐπὶ τὸν ποταμὸν, ἔνθα ὁ παῖς ἐξέκειτο· *proripuisse se cum puellis familiaribus ad fluvium, ubi puer* Moses *expositus erat*; κἄπειτα λουτροῖς καὶ περιῤῥαντηρίοις χρῆσθαι μέλλουσαν, &c. *deinde lotionibus & aspersionibus usuram, inter opaca & condensa stagnorum* puerum *conspicatam*, &c. Hac loquendi formula docet *Philo*, fœminam regiam purificandi fluvium petiisse: nam vox illa περιῤῥαντηρίοις, de lustrationibus in templorum aditu fieri (*e*) solitis frequenter usurpatur. *Jobum* etiam se purificationibus illis exercuisse, e verbis ejus (uti sentiunt aliqui) probabiliter intelligitur; (*f*) *si lavero me in aquis nivis, & mundavero* בבור *in cisterna volas meas*, &c. *Jobus* autem (uti communis fert opinio) ante Mosem vixit, sub ea nempe tempora quibus in Ægypto serviebant Israelitæ. Atque inde factum est, quod in Bibliis eorum, Syri librum Jobi, veluti omnium primum & antiquissimum primo & ante Mosis libros collocent. Sed quoniam Jobi seculum conjectura tantum assequor, addo insuper, Israelitas, legem a Deo accepturos, se aquis lustralibus (juxta seculi morem proculdubio) expiasse. Hoc sacris literis consignatum legimus, *Exod.* 19. 14. *Et descendit Moses de monte ad populum, & sanctificavit populum, & laverunt vestimenta sua.* Eo autem in loco, & aliis ubi vestium ablutio occurrit, (frequenter autem occurrit) Magistri pene omnes corporis totius baptismum vel ablutionem intelligendum consentiunt; quod observat (*g*) *Seldenus*.

Secundo: sententiæ meæ non leve momentum affert, discrimen quod inter gentium & Hebræorum purgationes intercessit: nempe.

(1°.) Respectu materiæ: nam purificationes Dei legibus institutæ, aqua tantum pura vel vitulæ rufæ cineribus infecta, peragi debuerunt: Gentes autem res alias, haud paucas, ad purgationes excogitasse, clare percipitur e sacris & profanis monumentis. Occurrunt *Jesai.* 66. 17. המטהרים *purificantes se, comedentes carnem porci, & abominationem & murem*. Multis etiam testimoniis, petitis ex *Homero*, *Apulejo*, *Plinio*, *Juvenale*, *Theocrito*, *Propertio* r *Ovidio*, aliisque, nos docent (*h*) *Meursius*, (*i*) *Saubertus* & (*k*) *Lomeierus*, ethnicos salem, sulphur, tædam, salivam, mel, aliaque multa, lustrationibus suis adhibuisse. Hoc discrimen verbis hisce compingit (*l*) *Procopius Gazæus*: *quid igitur de purificationibus in Lege constitutis dicemus?* Eas *a Græcanicis differre*: *quod* illæ aqua, hæ *cum incantationibus, salibus, lauro, hordeo, mari & transitione per ignem fieri solebant*.

(2°.) Respectu instrumenti: nam in lustrationibus omnibus e Deo præscriptis, hyssopus aspergilli locum & usum habuit: in purgationibus autem in Dæmonis honorem usitatis, aqua lustralis lauri vel olivæ ramo plurimum aspergebatur. Laurum usum illum præbuisse, docent illa (1) *Juvenalis*,

> —— *Lustrari, siqua darentur*
> *Sulfura cum tædis, & si foret humida laurus.*

Oli-

(a) *Windelin.* de *admirand. Nil.* c. 24.
(b) Ap. *Euseb. Præp. Evang.* l. 9. c. 28.
(c) *Stromat.* l. 1. p. 412. 5.
(d) Lib. 1. de *Vit. Mos.* p. 604. E
(e) Vid. *Theophrast.* cap. περὶ δεισιδαιμ.
(f) Cap. 9. 30.

(g) De *Synedr.* l. 1. cap. 3. p. 25.
(h) In *Spicileg.* in *Theocrit.*
(i) Lib. de *sacrif.* c. 11.
(k) Lib. de *lustrat. Vet. Gent.*
(l) *Comment.* in *Deut.* p. 441.
(1) *Sat.* 2. v. 157.

Olivam etiam huic usui sepositam, (*a*) *Virgilii* versus indicant,

> *Idem ter socios pura circumtulit unda,*
> *Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.*

(3°.) Respectu modi & circumstantiarum. Nam purgandi ritus, apud populum sanctum, modo simplici & omni pompa destituto peragebatur; apud ethnicos autem multifario ceremoniarum apparatu. Eos enim lustrationes suas ore ad surgentem solem converso celebrare solitos, aut lustrationis ritu tribus vicibus repetito, testimoniis haud paucis docuerunt (*b*) *Heinsius* & (*c*) *Saubertus*, e quorum ubere messe nihil ipse colligam. Gentibus etiam in more erat, res ad purgationem usurpatas post terga (*d*) rejicere, & non respicientes domum recurrere. Gentium ritus alios in purgatione frequentes omitto, ne, si omnia persequi velim, fastidium Lectori fuerit.

(4°.) Respectu finis: nam purificationes Legales erant tantum δικαιώματα σαρκὸς (uti loquitur Apostolus) & ad solam carnis munditiem consequendam institutæ. Eo vero stultitiæ processit ethnicorum natio, ut aquam lustralem ipsas animæ maculas eluere, & nigrioris cujusque criminis labem delere posse somniarent. Non paucos e gentibus errorem illum crassiorem imbibisse, docent (1) Poetæ illa,

> *Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis*
> *Fluminea tolli posse putatis aqua!*

Cum itaque purificationes ethnicæ & Judaicæ tam insigniter ab invicem discreparent, inde promptum est inferre, non Gentes ab Hebræis, sed hebræos a Gentibus, lotiones suas religiosas accepisse: & purificandi religionem, reformatam quidem & a ceremoniis superstitiosis aut magicis repurgatam, ad Hebræos accessisse; apud ethnicos autem superstitione & magia corruptam & vitiatam permansisse. Si enim Gentiles, κακοζηλίας affectu ducti, purificandi ritum a Judaismo fuissent mutuati, proculdubio non tam insigniter ab exemplaris sui simplicitate deflexissent, ut quandoque ne tenuis Judaicæ purgationis umbra vel imago in eorum purgationibus deprehendi possit. Non me latet hic regeri posse; Gentes purificandi ritus, simplices quidem & puros, ex Hebræorum legibus aut moribus accepisse: sed hominum pruritum & superstitionem plurima decursu temporis addidisse, & inde gentium aquas lustrales a nativa sua puritate multum degenerasse. At huic suspicioni locus esse non potest: cum enim clare pateat, simplicitatem, in aliis cultus Judaici partibus observationi obviam, Deo cultus, antiqui formam externam corrigenti tribuendam esse; longe consultius est opinari purificationis Judaicæ ritus simplices & paucos (si nempe cum Gentilium lustrationibus operosis conferantur) ad Deum auctorem referendos esse, qui lustrandi ritus corruptos & ineptos amputavit, & omnia ad simplicitatem majorem revocare studuit. Ut rem paucis exequar: inde factum est, ut ethnicorum lustrationes a Judaicis mira discreparent insolentia, quod Judæi veteres purificandi ritus a Deo correctos & emendatos exercerent; eos autem ethnici sine ulla emendatione retinerent & usurparent.

Tertio: vix ulla tot baptismorum Judaicorum ratio assignari potest, nisi eorum originem a seculi moribus, non facile citoque dediscendis, arcessamus. Haud ex nihilo est, quod asserit Apostolus, Judæorum cultum stetisse (*e*) μόνον ἐπὶ βρώμασι, καὶ πόμασι, καὶ διαφόροις βαπτισμοῖς· alia enim erat Pontificis & Sacerdotium lotio, *Exod.* 29. 4. alia Levitarum, *Num.* 8. 7. Israelitarum alia: eaque, vel ob officii alicujus sacri reverentiam & solennitatem, *Exod.* 19. 10. 11. vel immunditiem contractam, e tactu seminuisti. *Lev.* 15. 8. reptilis, *Lev.* 22. 5. cadaveris, cap. 17. 15. aliisque caussis. Quid autem Deus (qui cordis, non cutis, munditiem spectare solet) tot frigidos & omni virtute cassos corporis baptismos in cultum suum recipere dignaretur, nisi ut illius instituta ad ruditatem Hebræorum, jam diu (*f*) ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου δεδουλωμένων, aliquatenus accommodaret. Tam diuturnam, sub rituum illorum pædagogia, servitutem serviissent Israelitæ, quod plenam libertatem ferre non norant. Et si Deus inanes illos purgandi ritus protinus e medio sustulisset, forte rudis ille populus sa-

(a) *Æneid.* 6. v. 229.
(b) In *Sil. Ital.* l. 13. p. 124.
(c) Ub. sup.
(d) *Meurs.* lib. jam laud. p. 143.
(e) *Hebr.* 9. 10.
(f) *Gal.* 4. 3.
(1) *Ovid. Fast.* Lib. 2. v. 45.

ſacra profanis miſcere, & rerum omnium diſcrimen e rebus ſublatum credere voluiſſet: unde & integra pietatis meſſis, una cum rituum illorum ſepe periiſſet. Niſi hac de cauſa tot baptiſmorum ſpecies & ritus inſtituti fuerint, quis expedire novit cur Deus eos Iſraelitis impoſuerit? An ut, populo illi diſciplinam tam oneroſam imponendo, dominium ejus abſolutum oſtentaret? vel ut, Regis mundani ritu ſervorum ſuorum munditie & elegantia ſeipſum oblectaret? Abſit, ut de benigniſſimo ſanctiſſimoque numine tam abjecte ſentiremus. Si varii illi baptiſmi ex inſito Dei in ritus illos carnales affectu præcepti fuiſſent, proculdubio Deus non eos tantum quos lex ipſa præſcribit, ſed plures alios quos Judæorum Superſtitio poſtea produxit, inſtituiſſet.

Quarto: ipſe purgandi ritus (ſi quis propius attendat) opinandi cauſam ſuggerit, eum, diu ante Moſis ætatem, inter Orientales obtinuiſſe. Nam (1°.) Ritus hic, utpote aqua peractus, nulli gravis eſſe potuit in oriente, ubi cœlo plerumque miti & benigno utebantur. Hinc inter Turcas (qui nihil cuti nimis ingratum ferunt) lotio, in uſu frequente, & prima ſanctitatis parte ponitur. (2°.) Ritus ille, quo corporis ſordes abſtergebantnr, vitæ puritatem tam clare ſignificat, quod illius mentem & ſcopum quivis intelligeret, & illius uſus ſolennis quemvis (Deo præſertim & ſacris vacaturum) ad ſeipſum (*a*) *ab omni carnis & ſpiritus inquinamento mundandum* excitare poſſet. (3°.) Id apud omnes gentes ſtudioſiſſime ſemper obſervatum eſt, ut ſacra omnia ritu ſolenni, & ad religionis dignitatem tuendam maxime accommodato peragerentur. Cum itaque lotio, ſacris omnibus præmiſſa, ritus tam ſolennis ſit, & ſanctitatis eximiæ ſpeciem præ ſe ferat; creditu maxime difficile eſt, Antiquos eum prætuliſſe, eumque, diu ante Moſis ætatem, in uſu habuiſſe. Quonam enim alio ritu, cultum ſuum, profanum alias aut ridiculum, a contemtu facilius vindicarent? (4°.) Purificationis ritus hominem adeo ab omni ſorde & veteri quaſi cute liberat, quod ex aquis novus & veluti renatus prodire videatur. Facile itaque fieri potuit, ut gentes antiquiores aquis luſtralibus uterentur; ſerio nempe perſuaſæ, (quæ ſeculi ſimplicitas erat) eas hominum noxas eluere poſſe, eoſque innocentiæ ſuæ priſtinæ reſtituere. Hæc omnia

(a) 2. *Cor.* 7. 1.
(b) *Prælect.* in *Geneſ.* 35. 2.

cauſam opinandi non levem offerunt, aquas luſtrales a naturæ rudioris inſtinctu principia ſua petiiſſe, & e gentium antiquiorum inſtitutis in Hebræorum leges moreſque tranſiiſſe.

Ne coronis huic Sectioni deſit, duo ſubjungam virorum clarorum, mecum ſentientium, teſtimonia. Horum primum (*b*) *Merceri* ſit, qui, modum citatis Jacobi verbis lucem allaturus, hæc habet: Jacob *domum ſuam purgare & emundare* cupiens, -- *reſpicit ad purgationes, luſtrationes ac lotiones, quibus veteres ſacra acceſſuri uti ſolebant; quas patribus etiam ante legem puto fuiſſe uſitatas, poſtea per legem confirmatas*. Cum hoc proxime conjunctum eſt *Pinedæ* teſtimonium: (*c*) *in lege multæ erant purificationes, quas Deus forſan iſtituit, ut populum illum aliarum gentium cæremoniis aſſuetum facilius ad mentis puritatem ſectandam adduceret*.

SECTIO II.

Elevantur Objecta.

UT Lector eo minus offenſo pede ad ſequentia progrediatur, opus eſt ut objectionum quarundam offendicula dimoveantur.

Harum primam verbis (*d*) *Cocceii* proferam, meipſum in perſona *Pinedæ*, jam nunc laudati, ſic refellentis: *quod Pineda cenſet*, Deum forte purificatioaes legales inſtituiſſe, ut populum aliarum gentium ceremoniis aſſuetum facilius ad mentis puritatem ſectandum adduceret; *ut ita lex cerimonias populorum imitata ſit, non admitto. Nam contra certum eſt, legem Iſraelitas a plurimis gentium iſtitutis legibus contrariis abduxiſſe; ut ita* φραγμὸν *&* μεσότοιχον, *ſepem & maceriam inter eos conſtitueret. Nam ex aſſimilatione in ritibus-ſequitur communio, ex communione depravatio*.

Facile reſpondetur: Deus non eo conſilio gentium purificationes, aut ritus alios niſi uſu longo tritos, in ſacrorum ſuorum numerum adoptavit, tantum *ut populorum ceremonias imitari* poſſet: nemo cui mentis integritas, ita cenſuit aut ſomniavit: ſed ut per cultus antiqui reliquias, rudem & moris antiqui tenacem gentem ad legem cultumque ſuum facilius alliceret; utque mediis iis ad hominum ſalutem, quibus olim diabolus ad eorum perniciem, uteretur; & ut Iſraelitæ purificationes alioſque gentium ritus

(c) *Comment.* in *Job.* c. 9. v. 30.
(d) In *Job.* 9. 30.

tus e Dei solius præscripto modoque peculiari peragentes, eo clarius a gentilium grege discernerentur, & se Deo tantum vero ἁγνεύειν aperte testarentur. Non diffitendum est quidem, Deum a plurimis gentium institutis, *legibus contrariis Israelitas abduxisse*. Sed leges eas, non animo contradictionis studioso, vel a gentium personis & institutis, per se spectatis, alieno dedit; vel ut odii & aversionis mutuæ inter Israelitas & Ægyptios (quos omnibus humanitatis officiis demereri jussit) semen sereret; sed quod aliqua gentium istituta, obscœna, magica, vel crudelia essent, & veri Dei cultui vel ipsis naturæ legibus adversarentur. Deus itaque multas leges cum gentium moribus ex adverso pugnare voluit non tam ut Israelitas a Gentilium communione, quam superstitione & impietate coerceret.

Secundo: non nemo forsan objiciet, sententiam illam quæ multorum sedet animis, rationi & legis scopo magis consentaneam videri; Deum nempe tot purgationum genera Judæis imposuisse, ut in quovis vitæ articulo & circumstantia, obedientiæ Deo præstandæ materiam administrarent, nec leges patrias eorum animis unquam excidere paterentur. Ad hunc scopum, Judæorum ritus omnes, purificationes inprimis collimasse, sentit auctor libri *Constitutionum*, quæ *Apostolorum* nomine circumferuntur. Sic enim Deum (*a*) introducit populum Judaicum alloquentem, ἀφορισμὰς τοιάσδε σοι προςάσσω, καθαρισμὰς, συνεχῆ βαπτίσματα, ῥαντισμὰς, &c. *Præcipio tibi tales quasdam separationes, purgationes, crebras lotiones, aspersiones, purificationes vacationes varias; & in singulis horum, nisi parueris, supplicium tibi ut* servo *non obedienti decerno*. Et tandem, rationem reddens cur Deus arctis pœnarum vinculis eos ad harum legem observationem devinciret; διὰ τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν, inquit, (1) ἐπέδησεν αὐτὰς, ἵνα διὰ τὰ θύειν, καὶ ἀργεῖν, καὶ ἁγνίζεσθαι, καὶ τὰ τοιάδε παρατηρεῖσθαι, εἰς ἔννοιαν ἔλθωσι τὰ Θεὰ, τὰ ταῦτα διαταξαμένα αὐτοῖς· *Propter duritiem cordis alligavit eos* Dominus, *ut ei sacrificando, feriando, purificando, & talia quædam observando, Dei venirent in memoriam, a quo hæc præscripta & constituta essent*. Non itaque sine summa probabilitate creditur, Deum Hebræorum baptismos, ob usum quem in cultu suo provehendo habuerunt, potius quam seculi mores, instituisse.

Hæc objectio non obstat, quo minus mihi persuadeam, purificationis ritum, diu ante legis Mosaicæ sanctionem, apud Ægyptios aliosque viguisse; Deum etiam ideo multiplices illos purgandi ritus & modos instituisse, quod Israelitæ, seculi moribus assueti, cultum vel nullum, vel seculi mori consonum accipere voluissent. Absit interim, ut Deum ita cum religione & populo suo (sit verbo venia) lusisse sentiam, ut Eum purgationes illas ob solam seculi consuetudinem præscripsisse dicam. Ne quidem Diabolus ritus prorsus otiosos, nullique usui inservientes, mancipiis Ejus præscribere solet. Ut rem pressius tangam: verisimile est Deum purificationes illas ob seculi consuetudinem, tanquam causam primariam instituisse; Eumque Israelitas purificandi ritibus assuetos, nec religionem magis internam facile recepturos, leniter tolerasse, ea tamen lege & conditione, ut seipsos non gentium ritu, sed more Lege præscripto purificarent. Interea loci, non diffitendum censeo, ritus illos fuisse (*b*) πρὸς ὀλίγον ὠφελίμας, & variis modis ad gentem illam intra debitos officii limites coercendam inservisse. An vero purificationes Legales ea sola de causa præceptæ fuerint (quod auctor ille perantiquus asserit) ut populum illum officii sui nimis immemorem commonefacerent, ipse compertum non habeo: hoc etiam multo facilius affirmari quam probari posse judico.

Tertio: alii nobis adversi dicent forte, baptismos illos Mosaicos puritatis internæ typos & symbola fuisse, eosque a Deo institutos, ut crassam illam, & rerum spiritualium nondum capacem gentem, per emblemata & figuras erudiret, & ad puritatis Sibi longe gratioris sensum aliqualem perduceret. Inde etiam populus ille tardus admoneri poterat, neminem nisi a peccati sordibus mundum, cultum Deo gratum præstare posse, vel illius sacra tractare debere. Ideoque lotiones illæ frequentes, si calculos rite ponamus, e Christianismo potius quam Gentilismo fluxisse censeantur.

Sed neque magni negotii res erit, hunc nodum expedire: nam facile largiamur, Hebræorum baptismos expressam internæ puritatis imaginem prætulisse, & iis templi limen adituris, internæ munditiæ, sacrificiis omnibus longe gratioris sensum incutere potuisse. At mens mea refugit credere, Deum tam va-

(a) Lib. 9. c. 20.
(b) 1. *Tim.* 4. 8.
(1) *Quamvis* (inquit Jo. Clericu.) *ritus Mosaici vera sint vincula, ut possit esse hic huic verbo locus; tamen* malit *cum* MS. *Vindebonensi*, ὑπαίδευσε, quod *legendum in eo pro* ἐπαίδησε.

varios lustrandi ritus ea sola de causa statuisse. Nil enim probabilitatis habet, Israelitas e luto tam crasso conflatos, quod non essent auditores idonei primi illius religionis rudimenti, quod nempe Deus pura mente coli debeat. Si tam tardi fuissent & natura adeo novercante nati, quod hanc initiatorum doctrinam minus intelligerent; at quid Deus per ænigmata vel typos, ipsam illam doctrinam obscuritate superantes, eos alloqueretur? Veritas cognitu tam necessaria verbis potius apertis & simplicibus tradi debuit, tam pingui præsertim & inerti populo. Facile concesserim quidem, Deum baptismos illos corporeos, tanquam puritatis umbras & monumenta proposuisse: Eum autem hoc ex intentione purgandi ritus postularet, Deus eos eo facilius tolerasse putetur, ut Judæos puritatis ethnicæ commonefaceret, & (a) *cordis a mala conscientia aspersi* indies extarent & simulacra.

Objectione quarta sic urgemur: necesse est, ut Gentes a Judæis, non autem Judæi a Gentibus, purgandi ritus accepisse censeantur; alias enim intellectu perdifficile fuerit; unde Gentes antiquæ morem illum derivarint, & quid ritum tam onerosum & inanem tam sollicite tamque frequenter exercuerint.

Respondeo: si rem tam antiquam & obscuram satis assequor, Gentes antiquores triplici de causa lotiones illas tam frequenter usurparunt, easque pro præcipuis religionis ritibus habuerunt.

(1°.) Quod olim opinio illa passim obtinuerit, Diluvium nempe magnum Mundi καθάρσιον fuisse, a Deo missum ut terram ipsam lustraret, & labem ab impuris incolarum moribus haustam elueret & expiaret. Hæc enim opinio veterum Judæorum, Philosophorum, & Christianorum quorundam, animis inhærebat. Hanc opinionem inter antiquos Judæos fautores invenisse, conjicere licet e (b) *Philonis* verbis: ὁπότε γῦν τὴν γῆν ὕδατι καθαίρειν ὁ δημιυργὸς διενοήθη, &c. *Quando igitur aqua terram purgare statuit* Summus *Opifex*, &c. Eadem fide Christianos imbutos, testatur (c) *Origenes*, cum ait, οὐκ οἶδα δ' ὅπως παραπλησίως τῷ κατακλυσμῷ καθήραντι τὴν γῆν, ὡς ὁ Ιυδαίων καὶ Χριστιανῶν βύλεται λόγος, &c. i. e. *Nescio autem cur Diluvio, quo terram purgatam Judæi pariter & Christiani asserunt*, Celsus *putet turris dejectionem similem esse*. Ea sententia Philosophos etiam fuisse, idem (d) *Origenes* testatum reddidit: ἡ δ' ἐν τῷ κατακλυσμῷ διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων, καθάρσιόν ἐστι τῆς γῆς, &c. *Interitus autem hominum per diluvium, terræ lustratio est: quemadmodum etiam tradunt Græcorum non contemnendi philosophi, his verbis;* ὅταν δ' οἱ Θεοὶ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες, κατακλύζωσιν. *Quando vero Dii, terram aquis purgantes, inducunt diluvium.* Quæ sane verba, e (e) *Platone* (1) citata, quamvis forte de particulari quovis diluvio dicta, ansam accepisse videntur a communi opinione inter gentes antiquiores invalescente, de virtute purgatrice Diluvii generalis, cujus notitias aliquas obscuriores a Majoribus transmissas (f) habuerunt. Hæc autem opinio fidei & incrementi non parum accepisse putetur, ab Oraculis sacris, ipsi (g) terræ [non homini tantum] impuritatem singularem, ante Diluvium, tribuentibus. Cum itaque hæc opinio inter primos, post terram Diluvio lustratam, Orbis incolas obtinuisset, opinari promtum est, inde corpus aquis lustrandi morem originem accepisse. Hæc opinio (h) *Grotio* patrono gaudet: de peregrinis enim Judaismo per baptismum initiatis agens, *hanc ablutionem*, inquit, *arbitror fuisse inter instituta vetera, orta post magnum diluvium, in memoriam* aqua *purgati mundi*. Aquas lustrales ex hoc fonte profluxisse, eo libentius crediderim, quod (i) S. *Petrus* Baptismum, Orbis Christiani καθάρσιον, Diluvio ἀντίτυπον esse dixerit: & quod Antiqui tantam aquæ marinæ in purgatione virtutem dederint; forte quod Deus, terram aquarum diluvio purgaturus, (k) *abyssi magnæ fontes omnes aperuerit*.

(2°.) Gentes Mose antiquiores, e nativo reatus & impuritatis suæ sensu, purgandi ritus excogitasse censeantur. Nemo nocens, nisi animum plane perditum & callo quodam obductum habeat, vel se judice absolvitur; sed perpetuis interioris domus suæ rixis interpellatur, donec rationem aliquam inveverit, unde in gratiam cum Deo redire, & seipsum criminis opprobrio liberare, valeat. Atque hinc (l) Auctor nobilis pro-

(a) *Heb.* 10. 22.
(b) Lib. *quod deterior potior. insid.* pag. 186. A
(c) *Contr. Cels.* l. 4. p. 173.
(d) Ib. p. 316.
(e) Lib. 3. de *Legib.* p. 676. &c.
(f) Hoc probat *Grot.* de *V. R. C.* lib. 1.
(g) *Genes.* 6. 11.
(h) *Annot.* ad *Mat.* 3. 6.
(i) 1. *Ep.* c. 3. v. 21.
(k) *Gen.* 7. 11.
(l) *Hebert.* de *relig. Gentil.* c. 15.
(1) Vid. *Plat.* in *Timæo.* p. 22. D

prodiisse putat, varia illa nomina & ritus, *καθαρμῶν*, *ἁγνισμῶν*, *ὁσιῶν*, *expiationum*, *februorum*, *lustrationum*, *piaminum*, *purgationum animæ*, *piamentorum*, *& purificationum*; quorum omnium in scriptis ethnicis occurrit mentio, Iis enim ceremoniis, seculis illis rudioribus, usi videntur, ut animos peccati conscios indicarent, & ipsi puri expiatique coram Deo sisterentur. Et quid minus poterant homines, peccati conscientia pœnæque metu semper agitati; & quid majus, luce verbis divini destituti?

(3°.) Purificationis ritus, uti conjicio, seculis tam antiquis placuit, quod adeo facilis esset, & ad usus religiosos cumprimis accommodatus. Cum enim religio naturalis exigat, ut officia sacra cum solennitate quadam & reverentia peragantur; hæc equidem ritu nullo, quam corporis ablutione rebus sacris præmissa, felicius exprimi potuit aut augeri. Cum etiam omnes homines ipso naturæ instinctu edocti sint, Deum caste adire, eumque mente pura venerari; temporum antiquiorum simplicitati proculdubio consentaneum videbatur, ut cultores Dei solenni corporum ablutione (maxime vivido puritatis symbolo) animos affectu quovis impuro vacuo indicarent. Et ita se morem habuisse, credibilius habeatur, quod antiqui principia sacratiora symbolis magis quam verbis exprimere, eaque hominum rudiorum oculis potius quam auribus inculcare solerent.

CAPUT III.

Hebræorum καθαρμὸς finaliter spectatos e Gentium moribus initia petiisse.

ASserit Apostolus, Deum (*a*). (λατρέιαν) ἐν διαφόροις βαπτισμοῖς consistentem Hebræis imposuisse. Illi vero variis hisce baptismis minime satiati, pro affectu suo in ritus & ceremonias effusissimo, novos baptismos addere, & superstitionis suæ panniculos mandati divini purpuræ assuere, non dubitarunt. Hinc temporis progressu factum est, ut eorum purificationes in immensum exirent, & minimus Pharisæorum, baptismos novos imponentium, digitus ipsos Mosis lumbos gravitate superaret. Ne vero Dissertatio nostra mole laboret sua, plurimos illos Pharisæorum baptismos in præsens missos faciemus, & de purificationibus tantum legalibus sermonem habituri sumus. Si itaque generis hujusce purificationes cum respectu ad fines earum consideremus, in duas species distingui possunt. Erat enim purificatio ad munditiem tantum, & purificatio ad cultum, de quibus ordine disseremus.

SECTIO I.

De purificatione ad munditiem.

PUrificationes ad munditiem, lotiones erant, quæ mortui, menstruatæ, vel reptilis tactu pollutis, somnium immundum passis, sanguinis profluvio laborantibus, & aliis macula alia legali contaminatis imponebantur. Cum enim hæc vel illa legalis immundities Israelitis facile obreperet (licet maxime vigilantibus) eosque a sacrorum communione cohiberet; necesse fuit ut eorum pietatem & industriam purificationes lege præscriptæ sæpius exercerent. Ne quid itaque deesset quod purificationis tam frequentis ratio postulavit, Judæi fluvios, lacus, piscinas, & fontes passim obvios habebant, quibus munditiæ operam daturi abluebantur. Ad hunc gentis Judaicæ morem alludunt, ni fallor, (*b*) Prophetæ verba; *in die illo erit fons apertus domui David, -- pro peccato & immunditie*. Inter omnes autem fontes & piscinas eorum, immundorum ablutioni inservientes, fons aut *piscina Bethesdæ* maxime eminuisse censeatur. Nisi enim (*c*) viri literis Hebraicis instructissimi fallat conjectura, Ideo quinque porticibus instructa fuit, ut immundi, una eademque immunditie laborantes, in porticum eandem convenirent, & per illam ad aquas descenderent, ut abluerentur. Non immerito itaque piscina illa *locus baptisterii* vel *baptizationis* (hominum nempe, non pecudum) ab interprete (*d*) *Syro* nuncupatur. Sed ut hæc missa faciam, Judæi non tantum lavacra publica, sed privata vel domestica, in parato habuerunt, ad lustrationem (si res exigeret) peragendam accommodata; fontes nempe domui vicinos, cisternas, & hydrias, vim magnam aquarum continentes. De hisce forte conjunctim fit sermo, *Lev.* 11. 63. ubi domestica rei alicujus immundæ tactu polluta recensentur. Legis verba sic sonant, *fontes vero, & cisternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit.*

Si

(a) *Hebr.* 9. 10.
(b) *Zach.* 13. 1.
(c) *Lightfoot. Hor. Hebr.* in *S. Joh.* 2.
(d) In cap. 5. *S. Joh.* 2.

Si quid autem conjectando valeo, gentium mores lege antiquiores immunditiis lege memoratis, & purificationibus ad eas tollendas institutis, occasionem non levem præbuere. Verisimile est enim sacerdotes ethnicos immunditias & operosas aliquas purgandi ceremonias excogitasse, ut quæstuosam lustrandi artem inter suos exercerent: & diabolus sorte magnum ritibus ilis inanibus incrementum dedit, ut hominum stultitia & obedientia plane servili frueretur; nec forsan inepte conjiciet, qui dicet eum nonnullas immunditias & lustrandi ritus, sibi & culti suo peculiares excogitasse; ut per eos, tanquam signa quædam & characteres, cultus & obsequium sibi præstitum innotesceret. Cum igitur immunditiæ & purgandi ceremoniæ quædam antiquitus obtinuerant, & in Hebræorum forsan animis moribusque radices egerant; noluit Summus Legislator receptam purgandi disciplinam prorsus abolere, ne forsan Israelitæ rerum differentias omnes e medio sublatas existimarent, & cum nihil haberent quod sensus externos exerceret, in religionis omnis contemtum & merum Atheismum sensim laberentur. Ut eorum itaque saluti consultius prospectum esset, Deus Israelitas ad externæ munditiæ curam devinctos tenuit; ita tamen ut mundandi ritus a Se solo præscriptos observarent, & munditiæ vel immunditiæ mensuras, non e gentium usu vel sensu, sed Legis suæ præscripto peterent.

Ne vero hæc omnia speciose tantum dictata videantur, argumentis aliquot evincere conabor, nonnullas immunditias, aliquos etiam mundandi ritus, ante Mosem obtinuisse; & Deum mundandi disciplinam, non plane novam, sed a gentium superstitione repurgatam Israelitis imposuisse.

Horum primum suggerit ritus ille mundandi plane peculiaris, & a gentium purgationibus insigniter discrepans, a Deo institutos. Si quis enim e mortui contactu, vel aliunde, pollutionem contraxisset; aqua lustrali, vitulæ Deo immolatæ cineribus infecta, se aspergere tenebatur. Sic enim præceptum legitur, *Numer.* 19. 16. 17. 18. 19. 20. Quid autem Deus purgandi modum, singularem adeo, & ab omnibus gentium lustrationibus tam dissitum, institueret; nisi ut populum suum a gentium februis avocaret, & purgandi ritus in Dei honorem peragendi, ab iis omnibus quos ethnici in Dæmonis cultu peragebant, aperte distinguerentur? Ut hoc argumentum locum, momentis ejus convenientem, apud Lectorem habeat, perpendat velim.

(1°.) Non facile esse rationem satis solidam assignare, cur Deus aquam lustralem in sacris Ejus usurpandam hoc ritu confici juberet, & ad illius usum Israelitas omnes arcte adeo devinciret; nisi ut aqua purgationis divinitus instituta, sacro illo cinere, tanquam signo & charactere quodam ab aquis gentium execratis discerneretur, & populus aqua illa conspersus, in Dei honorem se mundandi ritum præstare testaretur.

(2°.) Non absimile est vero, Gentes antiquiores *καθαρμοὺς* suos *ἀκαθάρτους* (ita vocat (*a*) *Clemens*) aqua tam peculiari sæpe peregisse, ut ipsius aquæ circumstantiæ satis indicarent, se lustrationes suas in Dæmonis honorem celebrare. Hoc multis Veterum testimoniis evinci posset, nisi quod hic mihi laboris compendium fecerint (*b*) *Casaubonus* & Auctores modo citati, a Lectore, si vacat, facile consulendi. Non est itaque fidei dissonum, Deum aquam Ejus lustralem ritu quem dixi parari voluisse, ut lustrationes in honorem sanctuarii peractæ, a gentium februis, Idoli alicujus nomine præstari solitis clare distinguerentur.

(3°.) Veteres Ægyptii purificationibus suis tam critice & studiose perfungebantur, ut varias earum formulas, pro varia Deorum suorum natura, habuisse videantur. Hoc e (*c*) *Porphyrii* verbis (nisi a me perperam intellectis) inferre licet: nam varias Ægyptiorum ceremonias referens, *istæ quidem*, ait, *communes omnibus ceremoniæ quibus se puros reddunt: sunt tamen ἁγνεῖαι οἰκεῖαι καθ' ἕκαστον Θεόν, purificationes Deo cuique propriæ*. Hinc itaque non absurde suspicari possit quispiam, Deum aquam Ejus purgativam ratione tam peculiari confici, & Israelitas ritu tantum præscripto lustrari voluisse; ut & ipse *ἁγνείας οἰκείας* haberet, & populus Ei sacer a purificationibus Deo alicui fictitio propriis abhorreret.

Secundo: purificationes ad munditiem e gentium ritu manasse censeantur, quod e scriptis sacris & profanis pateat, Zabios, Ægyptios, aliosque, diu ante Mosis ætatem, nonnulla pro immundis & pu-

(a) *Stromat.* l. 7. p. 884.
(b) In *Theophrast. Charact.* p. 126.

(c) De *Abstin.* l. 4. §. 7.

puritatis causa vitandis habuisse. (*a*) *Maimonides* enim, e scriptis Arabicis Zabiorum instituta referentibus, memoriæ tradit, *eos labores magnos habuisse circa pollutiones*, & immunditias quamplurimas homini in quovis vitæ articulo occurrentes, eumque tædio maximo afficientes, excogitasse. Unde & auctor ille non inepte conjicit, Deum legem de immunditiis ea præcipue de causa statuisse, ut *homines a laboribus & molestiis illis sublevaret*, & Zabiorum immunditias (homines ad lassitudinem usque defatigantes) intra limites arctiores coerceret, Ægyptios etiam, ante Mosis tempora, puritatis & immunditiæ leges aliquas habuisse, & a nonnullis, pollutionis evitandæ causa, abstinuisse, certa fides facta e Scripturæ testimonio. Nam Historicus sacer, Josephi fratres suo convivio excipientis historiam referens, inquit, & (*b*) *panes apposuerunt* Josepho, *seorsim*; fratribus, *seorsim*; *Ægyptiis quoque qui simul vescebantur*, *seorsim: illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis*, כי תועבה *quia abominatio Ægyptiis illud*. Ubi (*c*) *Mercerus*, (*d*) *Menochius*, aliique sentiunt Ægyptios ejusdem cum Hebræis mensæ communicationem fugisse; ob impuritatem aliquam (uti credebant) e gentium exterarum usu familiari contrahendam. Atque hanc sententiam totis ulnis amplector ipse, quod significationi vocis תועבה maxime conveniat; quam LXX. nunc per μόλυνσις, nunc per ἀκαθαρσία & ἀκάθαρτος, interpretantur. Hunc significatum hic etiam ei voci tribuere videntur Græci, eam per βδέλυγμα vertentes, quo μιασμὸν non semel denotant. Consentit Syrus interpres, sic locum reddens, *nam hoc esset Ægyptiis* דטמאותא *pollutio* vel *inquinatio*. Ab hoc sensu non multum recedit Auctor Vulgatæ, textum in hæc verba transferens, *profanum putant* Ægyptii *hujusce modi convivium*, h. e. pollutum, & personis sacris indignum. Eo vero facilius est creditu, veteres Ægyptios rarissime cum τοῖς θύραθεν versari vel comedere voluisse; quod eorum sacerdotes ne cum popularibus suis, nisi purgationes quasdam subiissent, misceri sustinerent. Hoc e verbis (*e*) *Porphyrii* discimus: ἁγνεύσαντες ἔδει προσιέναι, &c. *Qui illos accedebant*, *oportuit prius se purgare*, *& a multis abstinere*, *pro recepto apud sacerdotes Ægyptios more*. Et, paucis interjectis, refert, sacerdotes illos, purificationum suarum tempore, se ab amicorum suorum, & sacerdotum etiam non mundorum, societate segregasse, ut puritatem illæsam servarent & illibatam. Hæc eo facilius inveniant fidem, quod *Vincentius le Blanc* eadem pene de Gentilibus regni *Casubi* (*f*) referat: de iis enim loquens, hæc habet, sacerdotes nos pro pollutis habuerunt: „ & ex iis nonnulli (probe memini) cum nobiscum collocuti fuissent, vestes laverunt, & cibum a nobis tactum edere plane recusarunt. “ His omnibus quasi in fasciculum collectis, probabile factum est, Gentes ante Legem datam immunditias aliquas, & proinde purgationes ad immunditias illas solvendas in moribus habuisse.

Tertio: hinc etiam sententia nostra probabilior evadat, quod Scriptura causam opinandi præbeat, veteres Hebræos καθαρμοὺς saltem nonnullos, ob solos seculi mores, exercuisse. Nam (*g*) καθαρμὸς (quod obiter moneo) inter Gentes antiquas usitatus, duplex erat, lustratio a cæde, & præparatio ad sacra: Israelitæ vero utrumque e seculi more, potius quam Legis præscripto petiisse videantur.

Nam (1°.) Israelitas a cæde, bello licet legitimo commissa, se lustrasse, h. e. corpora cum vestibus lavisse, legimus, *Numer.* 31. 19. Ubi Moses populo, a bello cum Midianitis revertenti, obviam ivit, dicens, *manete extra castra septem diebus: qui occiderit hominem*, *vel occisum tetigerit*, *purificetur die tertio*, *& septimo*. Largior equidem, Legem omnes qui mortuo manum admoverant, ad aquæ lustralis usum devinxisse: Moses autem eos qui hominem tantum in bello occidissent, ob solum seculi morem ad lustrationem vocasse videatur. Hoc in animum induco, quod aperte constet, lustrandi consuetudinem, post cædem bello patratam, inter gentes antiquiores obtinuisse. Sic enim *Amphitryon Herculem* alloquitur apud (*h*) *Senecam*,

—— Nate, *manantes prius*
Manus cruenta cæde & hostili expia.

Sic etiam, *Æneid.* 2. *Virgilius Æneam* loqui facit, v. 717.

Tu

(a) *Mor. Neb.* P. 3. c. 47.
(b) *Genes.* 43. 32.
(c) *Superstitiosissimi fuerunt* Ægyptii: *ideo alios a convictu suo*, tanquam immundos, *prohibuerunt*. In Genes. 43. 32.
(d) *Pastores ut immundos quadam superstitione*, *judicabant*. In loc.
(e) De *Abstin.* lib. 4. §. 6.
(f) *Peregrinat.* P. 1. cap. 34.
(g) Vid. *Marsham. Can. Chroninc.* p. 253.
(h) *Hercul. Fur. Act.* 4.

Tu genitor, cape ſacra manu, patrioſque Penates.
Me, bello e tanto digreſſum & cæde recenti,
Attrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.

Non eſt autem probabile, Poetam talia verba Æneæ tribuere voluiſſe, niſi morem illum diu ante tempora Trojana inter gentes obtinuiſſe crediſſet. Deinde: veſtis aut corporis ablutio, ei qui cæde hoſtili ſe impuraſſet, nuſquam certa aliqua lege præcepta legitur. Eſt itaque rationi conſentaneum, Moſem, ſeculi tantum moribus obſequentem, Iſraelitis a cæde recenti digreſſis hanc luſtrationem impoſuiſſe; ne forſan ethnici ipſam gentem ſanctam puritate vincere viderentur.

(2°.) Καθαρμῶν ſpecies altera (Præparatio nempe ad ſacra) e gentium initiis in legem cultumque Judæorum fluxiſse cenſeatur. Huic opinioni fundum præbent verba (a) Moſis, ſic populum Legem ſtatim accepturum alloquentis: *eſtote parati ad diem tertium: ne appropinquetis ad uxores veſtras*: nullam enim veri ſpeciem præ ſe fert, Moſem abſtinentiam a lecti conjugalis uſu, Iſraelitis ante latam Legem præcipere voluiſſe; niſi abſtinentia illa ante ſacra frequens fuiſset, eamque mos antiquiſſimus in religionis partem adoptaſset. Certe Gentes antiquiores, ſacra tractaturas, a venere etiam legitima temperaſse, nemini in Veterum ſcriptis vel mediocriter verſato non innoteſcit.

Quarto: quæ dicta ſunt (b) alibi non obſcure docent, gentium antiquiorum mores immunditias aliquas Lege memoratas inſtituendi & obſervandi cauſam præbuiſse. Eſt itaque conſentaneum opinari, nonnullas Hebræorum purificationes ad munditiem, antiquiori gentium conſuetudini natales ſuos debuiſse.

Si jam dicta rite perpendantur, nonnulli ſaltem Hebræorum καθαρμοὶ e gentium uſu manaſſe, & iis relicti potius quam impoſiti cenſeantur. Ne quis autem me hæc omnia e meo ſolius ſenſu dixiſſe putet, unum ſubjungam (c) Theologi non contemnendi teſtimonium. His verbis effertur: *multis corporalibus emundationibus uſa eſt gens Iſraelitica, quas Dominus ea ratione præſcripſit, ne Gentilium aquis ad ſimilem uſum execratis uterentur, ut erant ad ceremonias idololatrarum promtiſſimi. Sic enim gens illa Judaica cobibenda erat: & ad cordis illorum duritiem hæc & alia multa illis magis permiſſa videri poſſunt quam juſſa, ſicut & aræ & holocauſta.*

SECTIO II.

De purificationibus ad cultum.

CUltus nomine, preces, ſacrificium, & introitum in Templum, hic intelligimus. Hic itaque probaturi ſumus, Hebræos lotionem corporis aut manus tribus hiſce cultus partibus præmiſiſſe, & morem ubique gentium obtinentem huic inſtitutioni cauſam & originem tribuiſſe.

Religioſum illum corpus aut manus lavandi morem, inter Hebræos precibus vacaturos obtinuiſſe, ex hiſtoria *Judithæ* ſatis aperte colligendum eſt. Cum enim ad preces ſe pararet illa, (d) *ſe in aquæ fonte baptizaſſe* dicitur. Et *Clem. Alexandrinus*, cum probaſſet ethnicos non niſi lotis manibus preces effudiſſe, ſtatim (e) ſubjungit, ἔθος τούτο Ιουδαίων, ὡς καὶ τὸ πολλάκις (1) ἐπὶ κοίτῃ βαπτίζεσθαι, *mos ille adeo Judæorum erat, ut ſæpe vel in lecto* jacentes *tingerentur*; nempe ut puris caſtiſque precibus Deum colerent; cum adverſa valetudine lectis ſuis affigerentur. Ritus hic e more tandem in decretum & legem tranſit, (f) *qua manus quiſque, quam primum lecto mane ſurrexerit, aqua, (ſi ipſi adſit) purgare debeat; quo lectionem* Shemaah, *quam vocant, rite peragat, & oraturus purum ſe Deo ſiſtat: neque enim exiſtimant* טהור *mundum ſeu purum audire hominem, antequam* שביא ידיו במים *manus aqua perfuderit*. Hiſce conſentanea ſunt illa Poetæ (g) perantiqui, mores Hebræorum referentis,

Ἀλλὰ γὰρ αἴρουσιν πρὸς οὐρανὸν ὠλένας ἁγνάς,
Ὀρθεῖοι ἐξ εὐνῆς ἀεὶ χρόα ἁγνίζοντες
Ὕδασι, ——

At contra puras tollunt ad ſydera palmas,

Ma-

(a) *Exod.* 19. 15.
(b) Vid. Lib. 1. c. 11. §. 1. 2. 3.
(c) *Pelican. Comment.* in *Num.* 19. 19.
(d) Can. 12. 7.
(e) *Stromat.* lib. 4. p. 628. 30.
(f) Vid. *Pocok. not. Miſcel.* c. 9. p. 388.
(g) Ap. *Cl. Alexan.* in προτρεπ. p. 60.
(1) Ἐπὶ κοίτῃ Hoc eſt, *poſt concubitum*. Hervetus perperam vertit *in lecto*. *Heſychius*, Κοῖται, γυναικῶν ἐπιθυμίαι· Rom. 13. 13. Μὴ κοίταις περιπατήσωμεν. Vid. *Epiſcop. Oxon.* in loc.

Mane ubi de lecto veniunt, se Virgine lympha
Semper mundantes, ——

Hunc Hebræorum morem ante oculos forsan habuit (a) Apostolus, cum dixit, *volo ergo orare viros in omni loco, levantes* ὁσίους χεῖρας, *puras manus*. Eo etiam spectare videntur (b) *Philonis* illa, καὶ τὰς καθαρὰς, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις τροπικώτερον, παρθένους χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἀνατείνας, *& levatis ad cœlum puris & virgineis (ut ita loquar) manibus sit precatus est*, &c. Sed missis conjecturis, certum est, Judæos, precandi causa synagogas ingressuros, manus hodieque (c) lavare; consuetudine proculdubio a majoribus introducta, quæ ad hæc usque tempora promanavit. Judæi vero, solennem lotionem precationi præmittentes, religionis illius exemplum a Gentibus mutuati videantur.

Nam (1°.) Institutionis hujus nullum in lege vestigium deprehendi potest. Id *Grotio* observatum: nam, de lotione precibus *Judithæ* præmissa loquens, inquit, (d) *lotio hæc non ex lege erat, sed ex speciali quorundam cura ubi se precibus pararent*. Neque his Judæorum magistri nobis multum refragantur: nam lotiones precationi prævias, non tam Dei præcepto, quam sacerdotum in Sanctuario ministrantium exemplo, confirmare solent. Dicunt enim, sacerdotes non nisi post lotiones accuratas, cultus sacros præstitisse, & in cultuum illorum locum preces mane & vesperi fundendas successisse. At assertionis hujusce veritatem non injuria suspectam habeo: nam Judæi mane tantum & vesperi precari & abluere, vestes etiam candidas inter precandum genere debuissent, si eorum præces & lotiones præviæ in lotionum & cultuum sacerdotalium locum successissent. Cum itaque lotiones illæ religiosæ nullo præcepto vel Exemplo in Scriptura memorato subnixæ fuerint, æquum est opinari, Judæos hac in re Gentilium precandi ritum æmulatos; ne ulla puritatis aut pietatis, vel ethnicæ, species sibiipsis deesse videretur. Hæc eo magis arridet conjectura, quod Judæi in ceremonias pene omnes, puritatis specie & gentium usu commendatas, effuso semper affectum ferebantur.

(2°.) Gentiles & Judæi lotiones illas εὐκτικὰς iisdem circumstantiis observatis plerumque peragebant. Cum enim Gentiles precari statuissent, aqua marina, si præsto esset, manus abluebant. Hoc e Poetæ verbis apud (e) *Clem. Alexandrinum* occurrentibus intelligi datum est:

—— Τηλέμαχος δὲ
Χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς, εὔχετ' Ἀθήνῃ·

—— *Telemachusque,*
Ablutis manibus pelago spumante,
Minervæ supplicavit.

Judæos etiam, preces habituros, manus aqua marina lavare solitos, his verbis indicat (f) *Aristeas*, ἔθος ἐστὶ πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις, ἀπονιψάμενοι τῇ θαλάσσῃ τὰς χεῖρας, ὡς ἂν εὔξαντο πρὸς τὸν Θεόν. *Moris est apud omnes Judæos, manus aqua marina lavare, quoties Deum precibus venerantur*. Gentiles Deos invocaturi, non manus solummodo, sed quandoque corpus integrum, aquis immergebant. *Euripidem* moris hujusce testem advoco: nam de *Alcestide* (g) loquens,

—— ὕδασι, inquit, ποταμίοις λευκὸν χρόα
Ἐλούσατ'. ἐκ δ' ἑλοῦσα κεδρίνων δόμων
Ἐσθῆτα, κόσμον τ', εὐπρεπῶς ἠσκήσατο·
Καὶ στᾶσα πρόσθεν ἑστίας, κατηύξατο,
Δέσποιν', ἐγὼ γὰρ ἔρχομαι. &c.

Id est,

—— *Aquis fluvialibus candidam cutim*
Lavit, ex ædibus etiam cedrinis ferens
Vestimentum, ornatumque, decore parabatur.
Et stans coram Vesta, *sic precebatur.*
O Domina, ego enim venio, &c.

Judæos etiam, vota facturos, quandoque totum corpus lavacro purgasse, ex historia *Juditæ* colligo, quæ, cum precari statuisset, (h) *aquæ fonte* seipsam *baptizasse* dicitur. Præterea, Gentiles, Deos precibus adituri, lotionis præviæ ceremoniam diligenter atque operose peregerunt. Hoc e *Persii* verbis eliciamus, *Sat.* 2.

Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, terque.

Ju-

(a) *Tim.* 2. 8.
(b) Lib. περὶ φιλανθρωπ. p. 698. C
(c) *Leo Moden.* de *Jud. ritib.* P. 1. cap. 11. §. 2.
(d) *Comment.* in *Jud.* 12. 7.
(e) *Stromat.* l. 4. p628.
(f) *Histor. LXX.* p. 890.
(g) In *Alcestid.* v. 157. &c.
(h) Ἐβαπτίζετο ἐπὶ τῆς πηγῆς &c. *LXX.* in *Jud.* 12. 7.

Judæos etiam antiquiores curam non minus accuratam in lotionibus orationi præmiſſis adhibuiſſe, inde conjicere pronum eſt, quod Turcæ (*a*) hodierni (qui ſua pleraque a Judæis hauſerunt) *ter caput aqua aſpergant, antequam eo ingrediantur, ubi orant*. Unde factum autem quod Judæi & Gentiles in ritus hujus, non ſubſtantia tantum, ſed & circumſtantia quavis præcipua, tam amice conſpirarent; niſi quod Judæi multo magis in Gentilium, quam Gentiles in Judæorum, inſtituta ſemper inclinarent, & mores Gentilium omnes, niſi lege aliqua diſerta vetitos, ulnis apertis amplecterentur?

(3°.) Quantum per obſcura temporum antiquiorum monumenta percipere liceat, ethnici lotiones illas in uſu habebant, diu antequam Judæi ſuos in mores eas induxiſſent. Nullo enim exemplo, ante ſeculum quo *Juditha* vixiſſe creditur, oſtendi poteſt, hanc ante preces lavandi conſuetudinem inter Judæos increbuiſſe. Nec huic aſſertioni obſtant jam citata (*b*) Pſalmiſtæ verba, e quibus nonnulli ritum illum, ſaltem tempore *Davidis*, inter Hebræos viguiſſe colligunt: apertum eſt enim, Pſalmiſtam eo in loco, nec de precibus (ſaltem privatis) ne lotione precibus præmiſſa, ſermonem habuiſſe. Gentiles autem multo ante, nempe *Heſiodi* ætate, manus illotas ad cœlum levare nefas exiſtimarunt. Hoc e Poetæ (*c*) verbis intelligitur:

Μηδέ ποτ' ἀενάων ποταμῶν καλλίῤῥοον ὕδωρ
Ποσσὶ περᾷν, πρὶν γ' εὔξῃ ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα,
Χεῖρας νιψάμενος πολυηράτῳ ὕδατι λευκῷ·

Id eſt,

Nec unquam perennium fluviorum limpidam aquam
Pedibus tranſito, priuſquam oraveris aſpiciens pulchra fluenta,
Manus lotus amœna aqua limpida.

Sed paulo modeſtius hactenus, quam rei veritas exigit, de ritus hujus origine locuti videamur. Si enim gentium pene omnium uſus, antiquitatis indicium habeatur; conſentaneum eſt, ut lotiones illas *Heſiodo* longe antiquiores fuiſſe, & originem ſuam a remotiſſimo mundi ſenio duxiſſe, judicemus. Eas autem, Gentes pene omnes in moribus habuiſſe, dubitari nequit; cum Gentes illæ clariores, *Ægyptii*, *Græci*, *Romani*, lavacris ante preces uterentur. Sic apud *Ægyptios* morem habuiſſe, ita teſtatur (*d*) *Apulejus*: *diſcuſſa pigra quiete, alacer exſurgo: meque -- purificandi ſtudio, marino lavacro trado: ſeptieſque ſubmerſo fluctibus capite, —— lætus & alacer Deum præpotentem -- ſic apprecabar*. Antiquiores *Græcos* non niſi lotis manibus preces effudiſſe, me perſuaſum facit *Homerus*, Hectorem ſic loquentem (*e*) introducens.

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισιν Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι· οὐδέ πῃ ἐστὶ κελαινεφεῖ Κρονίωνι
Αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι:

Manibus autem illotis Jovi libare ardens vinum
Vereor: neque ullo modo fas eſt atras nubes reddenti Saturno
Sanguine & pulvere pollutum vota facere.

Apud *Romanos* morem eundem inceſſiſſe, dubitare non ſinit (*f*) *Marius*, qui Diis vota feciſſe dicitur, νιψάμενος τὰς χεῖρας, καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνασχὼν, *manibus ablutis, & in cœlum ſublatis*. *Ovidius* etiam ad illum ritum inter Romanos uſitatum reſpexiſſe (*g*) putetur cum dixit,

Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos,
Et peragit ſolita fundere voce preces.

Nec temerarium eſt, opinari *Virgilium* religionem mori Romano conſentaneum *Turno* tribuiſſe, cum eum hoc ritu Deos invocaſſe (*h*) dicit:

—— Ad undam
Proceſſit, ſummoque hauſit de gurgite lymphas;
Multa Deos orans: oneravitque æthera votis.

(a) Vid. *Columη. de aqua luſtral.* ſect. 1. c. 6. p. 109. & *Gabr. Sionit. De Orient. Urb. & morib.* cap. 15.
(b) *Pſal.* 26. 6.
(c) Lib. β. περὶ Εργ. καὶ Ημερ. *Verſ.* 335.
(d) De *Aur. Aſin.* l. 11. ſub init.
(e) *Iliad.* ζ. verſ. 266.
(f) Ap. *Plutarc.* in *Vit.* Mar.
(g) *Faſtor.* lib. 5. v. 679.
(h) *Æneid.* 9. v. 22.

(4°.) Tertullianus lotioni corporis ante preces crimen tribuit, eamque ex affecto Gentilismo in Ecclesiam venisse (a) dicit. Nam vitia reprehendens quæ suo jam seculo in precandi ritus irrepserant, notat aliquos qui lavacro corporis ad omnem orationem utebantur, alios qui positis pænulis orationem faciebant, alios etiam qui *assignata* ac finita *oratione assidebant*. Ad lavacrum hæc pertinent; (b) *he sunt veræ munditiæ non quas plerique superstitiose curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam sumentes*. Ad morem secundum hæc spectant: (c) *ut mos est quorundam, expositis pænulis orationem facere: sic enim adeunt ad idola Nationes*. Post pauca, sic tertium notat: *item quod adsignata oratione assidendi mos est quibusdam*, &c. Et statim, *cum perinde faciunt Nationes, adoratis sigillaribus suis residendo; vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur*. Hæc autem omnia *Tertullianus* multis nominibus damnanda censuit, inprimis autem quod Superstitionem olerent, &, affectatione moris ethnici, Christianos Gentilibus adæquarent. Nam de ritibus iis generatim loquens, (d) *hujusmodi*, inquit, *non religioni sed superstitioni deputantur: affectata & coacta* sunt, *& curiosi potius quam rationalis officii, certe vel eo coercenda, quod nos Gentilibus adæquent*. E quibus apparet, *Tertullianum* lotionem ante preces usitatam, ritum origine paganum existimasse, & a Gentilibus ad Christianos advenisse. Si itaque Christiani nonnulli, e superstitione vel moris ubique recepti studio, hunc inter alios ritus ethnicis ortos initiis, in Ecclesiam Christianam introduxerint; non abhorret a fide, Judæos aliquos (originarios aut advenas) ritum eundem in Ecclesiam Judaicam invexisse, eumque ex usu profano in sacrum convertisse.

A Judæorum precibus, ad cultus sui partem cum precibus arcte cohærentem, sacrificium intelligo, proximo transeundum est.

Hic autem primo probandum est, eos a corporis aut manuum lotionibus ritus eorum sacros inchoare solitos. Eorum sacerdotes sacris operam daturos hoc sanctius observasse, dubitare non sinunt ipsa (e) Legis verba: *facies & labrum æneum cum basi sua ad lavandum, ponesque illud inter Tabernaculum testimonii & Altare: & missa aqua lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas & pedes, quando ingressuri sunt in Tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad Altare*. Si quis hanc lotionem præviam neglectui habuisset, impurus accedere, & indignius quam sacrorum jura poscebant se gerere censebatur. Israelitas etiam vulgares, munia sacra peracturos, se lavacro purgare solitos, e verbis in historia (f) *Judithæ* occurrentibus intelligendum est. Καὶ ἡνίκα ἐκαθαρίσθη ὁ λαὸς, *& mox ut purificatus est populus, obtulerunt holocausta & vota sua*. Huic mori testimonium & *Philo* præbet: nam de victimas offerendi ritu (g) loquens, ἀπονιψάμενος, inquit, ὁ προσάγων τὰς χεῖρας, ἐπιφερέτω τῇ τοῦ ἱερείου κεφαλῇ· *Ille qui offert, postquam manus abluerit, eas imponat victimæ capiti*. Sed hic ritus fidem firmiorem e Psalmistæ verbis arcessat, (h) *lavabo in innocentia manus meas, & sic circumdabo altare tuum Domine*: His enim allusum est ad morem Hebræorum, qui, sacrificaturi, puritatis & innocentiæ propositum solenni manuum lotione profitebantur.

Hunc autem ritum a gentium rudiorum moribus ad Hebræos accessisse, mihi videtur omnino verisimile:

Nam (1°.) Lotiones, ante sacra frequentes, diu ante Mosis ætatem, in usu fuisse videantur. Nam Jacobi famulos, sacris in Bethele perficiendis se accingentes, *lavacro se purgasse*, *vestes* etiam *mutasse* legimus: *Genes*. 35. 2. Huic itaque textui *Mercerus* hanc facem præfert: (i) *respicit ad purgationes, lustrationes & lotiones, quibus veteres ad sacra accessuri uti solebant; quas patribus etiam ante legem puto fuisse usitatas, postea per legem confirmatas*. Hujusmodi lotiones sacrorum oblationi prævias, *per legem confirmatas fuisse*, non facile a meipso impetro ut censeam: fuisse vero *ante legem usitatas*, eo minus dubitandum arbitror: quod hac in re historia profana Scripturæ testimonium præbeat. Nam (k) *Diodorus Siculus*, primorum Ægypti regum morem referens, *sub auroram*, inquit, *experrecto* Rege *literæ undecunque scriptæ omnium primo acceptandæ erant*, &c. ἔπειτα λουσάμενον, καὶ τοῖς τῆς ἀρχῆς συσσήμοις μετ' ἐσθῆτος λαμπρᾶς κοσ-

(a) Lib. de *Oration*.
(b) Cap. 11.
(c) Cap. 12.
(d) Ibid.
(e) *Exod*. 30. 18. 19. 20.

(f) *Judith*. cap. 16. v. 18.
(g) Lib. de *victim*. p. 838. C
(h) *Psal*. 26. v. 6.
(i) *Prælect*. in *Gen*. 35. 2.
(k) *Biblioth*. *Hist*. l. 1. p. 63. D

κοσμήσαντα τὸ σῶμα, θύσαι τοῖς Θεοῖς· *Deinde cum se aqua lustrasset, & regni insignibus cum veste nitida se adornasset, Diis sacrificatum ibat*. Cuivis autem in re historica tyroni notum est, primos Ægypti reges diu ante Mosis ætatem floruisse. Nec testimoniis tantum, sed & aliis argumentis ostendi potest, hunc lustrandi ritum, cum res sacra fieret, diu ante Mosen obtinuisse. Nam Syros, Ægyptios, Græcos, Romanos, omnes lotione semper præmissa res sacras egisse constat. Hoc testium antiquissimorum nube probari posset, nisi (*a*) *Marcus Marsilius*, (*b*) *Natalis Comes*, (*c*) *Filesacus*, (*d*) *Bonfrerius*, (*e*) *Fortunatus Schacchus*, (*f*) *Elias Schedius*, (*g*) *Dilherus*, (*h*) *Saubertus*, (*i*) *Seldenus*, (*k*) *Conradus Dietericus*, (*l*) *Doughteius*, aliique, pleraque veterum de hoc ritu loquentium testimonia congessissent. Unde vero gentes illæ omnes, ingeniis, linguis, moribus, terrarum spatiis, ab invicem dissitæ & divisæ adeo, in ritus hujus usu conspirarent; nisi quod eum a patribus quibusdam communibus, una cum sacrificiorum religione, derivassent? Nam ritum illum in omnes pene mundi partes, e parvula & obscura Judæorum gente, seculis præsertim antiquioribus, effluxisse, fidem apud me nullam invenire potest. Deinde: ritus ipse de quo sermonem jam habeo, simplicitatem temporum antiquiorum ruditati consentaneam præ se ferre videatur. Nam sordium ablutio, cum ad aras accederent, clare docet, ritus illius auctores puritatis divinæ sensum aliquem, sed crassum & languidum, habuisse: manuum etiam ablutio innuere videtur, se Dei gratiam, justitia quadam externa, & sola quasi manuum puritate, consecuturos existimasse. Nam apud antiquos, lota manus innocentiæ signum habebatur, ὅτι πᾶσα ἐνέργεια διὰ τῶν χειρῶν γίνεται, *quoniam per manus conatus omnes externi soleant expediri*, uti rationem reddit (*m*) *Aristeas*.

(2°.) Judæi sacra peracturi, ad exempla gentium se lavisse censeantur, quod nullibi præceptum extet, ut hac ceremonia in sacris obeundis uterentur. Facilis agnosco Deum sacerdotes, altari ministraturos, ad manus & pedes abluendos lege diserta devinxisse: Israelitis etiam præcepisse, ne festis interessent, aut sacra participarent, si gravi aliqua immunditie laborarent, priusquam aqua purgatrice seipsos expiassent. Ita legem habuisse, non tantum e *Pentateucho*, sed & (*n*) *Josepho* discitur: ἁγνείας, inquit ille, ἐπὶ ταῖς θυσίαις διῄρηκεν ὁ νόμος, ἀπὸ κήδους, ἀπὸ λέχους, &c. *Purificationes in sacrificiis Lex decrevit, a funere, lecto, uxoris consuetudine, multisque aliis, non sine longo opere conscribendis*. Est equidem extra controversiam positum, eos qui ab hujusmodi rebus immunditiem hausissent, ut sacra rite obirent, se lavare debuisse: nullibi vero præceptum extat, ut vulgares Hebræi, sacerdotum ritu, manus ante sacra lavarent, licet rei nullius Legaliter impure contactu seipsos contaminassent. Unde factum itaque, quod quilibet e plebe Judæus, mundus licet & nulla lege devinctus, eo ritu sacra facturus uteretur? Brevi dicam quod censeo: per ea tempora quibus lex Mosaica ferebatur, Gentium usu & constitutione veteri sancitum erat, ut sacerdotes simul & plebeii, ad aras accessuri, manus abluerent; & omnia, nisi aqua purgata, tam animata, quam inanima procul a sacris arcerentur. Cum itaque Deus, moribus antiquis indulgens præcepisset, ut sui etiam sacerdotes manibus & pedibus ablutis altari ministrarent, ut etiam vasa cultui suo dicata lotione frequenti purgarentur; proclive est opinari, Judæos antiquiores lotiones hasce manuales, olim in sacrorum celebratione non minus usitatas retinuisse, & ad seros nepotes transmisisse. Inde robur accipiat hæc opinio, quod Gentiles, lotiones in sacrorum honorem peracturi, præcipuam manuum rationem habuisse videantur. Nam Scriptores ethnici, de sacrorum ritu loquentes, manuum quidem ablutionem non raro memorant: de ablutione vero pedum ante sacra, nihil, quod sciam, extra sacram Scripturam legitur. Et sacra vasa, quorum *Pollux* & *Homerus* frequentius meminere, manuum lotioni serviebant; & ab eo in sacris usu, χέρνιβες, χερνίβια, & χειρόνιπτρα, dicebantur. Cum itaque Veteres nihil tam sancte curarent, quam ne res sacræ manibus illotis tractarentur; nil opus erat ut Deus de lavandis ante sacra manibus legem di-

(a) *Hydragiolog.* sect. 1. cap. 6.
(b) *Mytolog.* l. 1. c. 10.
(c) *Select.* l. 2. p. 175.
(d) *Comment.* in *Exod.* 30. v. 18.
(e) *Myrothec.* P. 2. cap. 49. & 75.
(f) De *Diis German. Syntag.* 2. c. 27.
(g) *Dissert.* de *cacozel. Gentil.* c. 5.
(h) De *sacrif.* c. 11.
(i) De *Synedr.* l. 1. c. 3. & 10.
(k) *Antiq. Biblic.* p. 341. 342.
(l) *Analect. sacr.* P. 1. *Excurs.* 138.
(m) Ub. supr.
(n) Contr. *Apion.* l. 2. p. 1380. 30.

disertam ferret, cum præsertim sacerdotes Ejus ad lotiones illas lege lata devinxisset. Israelitæ proculdubio solis sacerdotum exemplis & gentium omnium moribus inducti, ritum illum præstare voluissent. Deus itaque lotiones hasce manuales, Hebræorum plebi, sacra peracturæ, reliquisse potius quam imposuisse videatur.

(3°.) Ipsa lotionis sacerdotalis circumstantia originis ethnicæ characteres haud obscuros præfert. Hoc enim de Pontifice, diei expiationis munia peragente, in (*a*) *Talmude* memoratur, חמש טבילות ועשרה קרושין טובל כהן גרל ימקרש בו: *Quinque lotiones, & decem sanctificationes lavabat sacerdos magnus, & sanctificabat in eo die*: hoc est, quinque vicibus totum corpus, decies autem manus & pedes, aquis immergebat. Unde vero curiosa tot lustrationum religio ortum duxit, cum Deus vix ullas ceremonias nisi facili simplicitate peragendas instituerit? Mihi probabile videtur, Hebræos cultus sui munia lotione toties repetita præstari voluisse, ne sacra sua minore cum puritatis cura & specie, quam Gentiles ipsi, celebrasse viderentur. Gentiles enim sæpius, ante ritus præcipue solenniores, abluebant, & quandoque non nisi post septimum, quandoque bis septimum, baptismum se puros existimabant. Nam (*b*) *Apulejus*, purificandi studio, *se marino lavacro tradidisse* refert, & nisi *septies submerso fluctibus capite*, *Deam* suam *adiisse*. Hic opportunum erit (*c*) *Alexandri* verba superaddere: *si quis* ethnicus *nece aliqua pollutus fuisset*, *bis septem vicibus -- vestes abluebat aqua*, &c. Cum itaque tam probabile sit, Hebræos antiquos lotionis suæ religiosæ modum & mensuram e gentium moribus accepisse; non absurde creditur, eos ipsum lavandi ritum e gentium moribus haustum existimasse. Nam proculdubio ritum illum more gentium obire, nefas habuissent; nisi ritus illius principium e gentium more fluxisse credidissent.

Si jam ab Altari ad Templum animos convertamus, observationi non minus obvium est, sacerdotes simul & Hebræorum vulgus se lotionibus exercuisse, priusquam Templi limina transilirent.

Sacerdotes non tantum ad Altare ministraturos, sed Tabernaculum ad incensum offerendum ingressuros, manus & pedes aqua purgasse, satis e lege discere est, ubi de labri ænei forma & usu (*d*) scribitur: *& missa acqua, lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas & pedes, quando ingressuri sunt Tabernaculum testimonii*, &c. Huic legi facem accendunt ea (*e*) *Talmudis* verba, ארם נכנס לעזרה לעבורה אעפּי טהור ער שיטבול: *Nemo atrium intrabat ad ministerium peragendum, tametsi mundus, priusquam laverat*. Ea vero lavatio קרוש *sanctificatio* dicebatur. De hoc sanctificandi ritu, nonnulli verba *Psalmistæ*, sacerdotes alloquentis, intelligenda sentiunt; (*f*) *elevate manus vestras* קרש *& laudate Dominum*: q. d. „ vos sacrorum ministri, „ manus lotas & externa puritate conspicuas ad Sanctuarium afferatis; ita „ tamen ut vitæ puritatem præcipue „ curetis: manuum lotione symbolice „ designatam, & officiis in Sanctuario „ præstandis maxime convenientem.

Eandem puritatis externæ curam Judæis vulgaribus, Templum adituris incubuisse, *Josephi* simul & *Philonis* testimonio confirmatur. Horum (*g*) ille de atrio Templi loquens, ἐς τοῦτο, inquit, τοῦ λαοῦ πάντες, οἱ διαφέροντες ἁγνείᾳ καὶ παρατηρήσει τῶν νομίμων, εἰσῄεσαν. *In hoc cuilibet e populo, modo puro & casto, & præscriptorum legis observanti accessus patebat*. Hanc legem Judæorum vulgus tenuisse, innuit & *Philo*, dicens, εὔηθες ἐς μὲν τὰ ἱερὰ μὴ ἐξεῖναι βαδίζειν, ὃς ἂν μὴ πρότερον λουσάμενος φαιδρύνηται τὸ σῶμα, εὔχεσθαι δὲ καὶ θύειν ἐπιχειρεῖν ἐπὶ κεκηλιδωμένῃ καὶ πεφυρμένῃ διανοίᾳ. *Stultum est, existimare sacras ædes ingredi non licere, nisi prius laveris, ut niteat corpus; precari vero & sacrificare, maculato licet & inquinato animo, nihil cunctari*. Mos ille lucis aliquid affundit S. Pauli (*h*) verbis: *post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam, veni Hierosolymam: unde Judæi quidam me purificatum in Templo invenerunt*.

Neque Judæi tantum, sed etiam Gentiles, templum adituri, se lavacro purgabant; indignum arbitrati, ut coram Diis suis conspurcati sisterentur. Hunc morem spectant (*i*) *Euripidis* illa,

Ἀλλ', ὦ Φοίβου Δελφοὶ θέραπες,
Τὰς Κασταλίας ἀργυροειδεῖς
Βαίνετε δίνας· καθαραῖς δὲ δρόσοις
Ἀφυδρανάμενοι, στείχετε ναούς·

(a) Vid. *Cod. Jom.* c. 3. §. 3.
(b) Ub. supr.
(c) *Alex.* ab *Alex.* l. 4. c. 17. p. 1093.
(d) *Exod.* 30. 18. 19. 20.
(e) In *Jom.* c. 3. §. 3.

(f) *Psal.* 134. 2.
(g) *Antiq.* lib. 8. p. 346. 20.
(h) *Act.* 24. 17. 18.
(i) In *Jone*: v. 94.

Sed O Delphici Phœbi ministri,
Castaliæ limpidos
Ite ad gurgites, pura vero aqua
Abluti, ite in Templum.

Sentiunt autem e Doctis haud pauci, Gentiles hac in re Judæorum exempla secutos fuisse, qui, Templum ingressuri, Deumque propius adituri, lavandi ceremonia defungebantur. Auctor (*a*) egregius, בית הטבילה *domum lotionis* memorans, ad quam sacerdos Judaicus, Templum ingressurus, purgandi causa ducebatur; *hoc*, inquit, *purgationis genus cæteræ quoque gentes a Judæis arripuerint, quæ ad eorum imitationem suas lustrationes & lavandi ritus habuerint, cum templa sua ingrederentur*. At veritati magis affine videtur, ritus eos longo antea usu tritos fuisse, eosque Deum cultoribus ejus utendos tradidisse, ut reverentiam sanctuario suo debitam more passim recepto tribuerent, & hebetes vulgi mentes puritatis in Dei cultu requisitæ sensu aliquali tangerentur. Hanc sententiam mihi multum commendant haud exigui ponderis argumenta: nam,

(1°.) Sacerdotes plerumque, post extructum Templum multo curiosius, quam post extructum Tabernaculum, ante sacra omnia perluebantur. Nam observat modo dictus (*) Auctor, Deum præcepisse, *Exod.* 30. 20. *ut sacerdotes manus & pedes lavarent, cum ingrederentur ad Tabernaculum conventus: & post extructum Templum idem observatum* fuisse, *nisi quod sacerdotes ingressuri Tabernaculum, manus & pedes, sed ingressuri Templum totum corpus* lavarent. Quum autem illa tam curiose lavandi consuetudo diu post tempora Mosis exordium sumeret, & nullo (quod scimus) instituto niteretur; opinari fas est, Hebræos morem illum a gentibus supra modum ritualibus, accepisse; ne scilicet a gentibus ipsis puritate superari, & minore cum reverentia, Dei, quam illæ Dæmonis, ædibus & sacris adesse viderentur. Ethnicos enim, templa Dæmonis ingressuros se totos frequenter abluisse, liquido constat e veterum testimoniis passim obviis, quorum nonnulla congessit (*b*) *Hospinianus*. Nos in re tam confessa contenti simus unico *Justini Martyris* testimonio, qui, de gentium institutis agens, hæc (*c*) habet: τὲ ὑπολύεσθαι ἐπιβαίνοντας τοῖς ἱεροῖς, καὶ τοῖς αὐτοῖς τὸς θρησκεύοντας κελεύεσθαι, &c. Eorum *templa ingredientes, — iisque cultum præstantes, jusserunt dæmones ut toto corpore abluantur*. Hunc gentium morem imitati videntur Samaritæ, de quibus (1) *Benjamin Tudelensis* hæc memoriæ tradidit; moris his est, *vestes, quibus quotidie utuntur, exuere, cum in Synagogam eundum sit, & lavare aquis corpus, —— estque hic ritus quotidianus*. Si itaque Judæi (ad quos denuo revertit sermo) lotionis suæ modum & mensuram a gentibus templa sua petituris acceperint; quam maxime credibile est, eos ipsam lotionis illius ceremoniam ab antiquo gentium ritu derivasse.

(2°.) Veteres Ægyptii primi fuisse creduntur, qui homines amplexu fœminæ pollutos, & nondum lustratos, ab ædium sacrarum aditu cohibuerunt. Nam *Clemens Alexandrinus*, ab Ægyptiis inventa referens, illi (*d*) inquit, *lucernas primi accendere docuerunt*, —— καὶ ἐν ἱεροῖς μίσγεσθαι γυναιξὶν ἐκώλυσαν, μηδ' εἰς ἱερὰ εἰσιέναι ἀπὸ γυναικὸς ἀλούτους ἐνομοθέτησαν. *Et in templis mulieribus commisceri* primi *vetuerunt, neque ad templa ab uxoris congressu illotis adeundum esse, lege sanxerunt*. Si *Clemens* itaque moris tam antiqui testis idoneus habeatur, necesse est, ut lustrationes ante Templi ingressum usitatas, Judæorum lege & nomine multo antiquiorer fuisse; & proinde, Judæos ab Ægyptiis aut aliis gentibus, permissu tamen divino, eas accepisse censeamus.

(3°.) Multis & (nisi me fallam) evidentibus argumentis evictum est (*e*) alibi, gentes exteras (forsan Ægyptios) primam Templis originem tribuisse. Nulli itaque dubium esse potest, quin gentes exteræ modis omnibus caverent, ut summus erga templa (Deorum suorum habitacula) honos & reverentia tribueretur. Cum autem nulla ceremonia, tam expedita, loquax, & connatis hominum de Deo & religione conceptibus consentanea fingi potuerit, quam ut sacerdotes populusque, numinum sedes adituri, corporis aut manuum lotionibus uterentur; facile credatur, Ægyptios & alios, ut Deorum & ædium suarum honori prospicerent, ritum illum instituere, & omnes, templum aliquod ingressuros, ad illius observationem astringere, voluisse.

(4°.) Lotiones ante Templi ingressum

(a) *Sheringh.* in *Cod. Jom.* c. 3. §. 2.
(b) Cap. 25. de *Orig. Aqu. Lustral.* p. 329. 330.
(c) *Apolog.* 1. p. 91. 10.
(d) *Stromat.* lib. 1. p. 361. 15.
(e) Lib. 3. *Differt.* 6.
(*) Ub. sup. §. 3.
(1) *Itinerar.* Pag. 40.

ſum uſitatæ, lege vetuſtiores, & ab antiquis gentium moribus ortæ, putentur; quod apud omnes gentes, a remotiſſima rerum ſuarum memoria, receptæ fuerint. Ægyptios, non niſi luſtrato primum corpore, templa petiiſſe, ex *Apuleii* (*a*) verbis intelligendum eſt: me *prius ſueto lavacro traditum -- circumrorans abluit* ſacerdos, *rurſumque ad templum reductum ——, ante ipſa Deæ veſtigia conſtituit*. *Porphyrius* etiam, de ceremoniis Ægyptiorum (*b*) agens, ἁγνευτέα inquit, τοῖς μὴ καθαρεύουσιν ἄδυτα· *Sacraria puritati operam non dantibus nequaquam adeunda*. Religionem eandem apud Syros viguiſſe, e (*c*) *Pauſania* diſcimus: nam de Dea Syria loquens, ἐς ταύτης, inquit, τὸ ἱερὸν εἰσίασιν ἐν ἡμέραις ῥητῇσι, ἀλλά τε ὅσα νομίζουσι προκαθαρεύσαντες καὶ ἐς τὴν δίαιταν· *In ejus Deæ templum non niſi ſtatis diebus intrant, cum ſe ritu præſcripto, victus præcipue modaratione, purificaverint*. Hunc ritum apud Græcos in uſu fuiſſe, teſtatus (*d*) Sozomenus: nam Valentiniani, Julianum Apoſtatam in Fortunæ templum ſequentis, hiſtoriam referens, inquit, ἐπεὶ δὲ ἔμελλεν ὑπεραμείβειν τοῦ ναοῦ τὸν οὐδὸν θαλλούς τινας διαβρόχους κατέχων ὁ ἱερεὺς, νόμῳ Ἑλληνικῷ περιέρραινε τοὺς εἰσιόντας· *Cum autem limen templi ſuperaturus eſſet, ſacerdos virentes quoſdam ramos madefactos in manu tenens, more Græco, ingredientes aſpergebat*. Romanos eidem ceremoniæ dovotos abunde probat unum (*e*) *Ovidii* teſtimonium:

—— Ubi libatos irroravere liquores
Veſtibus & capiti; flectunt veſtigia ſancte
Ad delubra Deæ. ——

Gentes alias hunc ritum coluiſſe, non facile dubitandum eſt; cum Chriſtiani Veteres, more proculdubio a gentibus hauſto, Eccleſiam non niſi loti manus aut corpus ingrederentur. Eo ſpectant S. *Chryſoſtomi* (*f*) verba, ἔπειτα χεῖρα μὲν νιπτόμεθα εἰς ἐκκλησίαν εἰσιόντες, *deinde manus lavamus, in Eccleſiam ineuntes*. Cum itaque mos ille tam longe lateque diffunderetur, inde probabiliter inferamus, eum vel ab Ægyptiis (antiquiſſimis cultus ethnici magiſtris) aut a communibus mundi patribus, propagatum fuiſſe. Hoc argumentum eo firmius arbitror, quod in confeſſo ſit, ritus aliquos Judæo cum Gentili communes, Lege antiquiores fuiſſe, & a patribus quibuſdam communibus ad varias gentes ab iis propagatas effluxiſſe.

His omnibus unum opponi poteſt *Juſtini Martyris* teſtimonium, qui lotiones in templorum ethnicorum aditu frequentes, Dæmonibus divini cultus æmulis tribuendas aſſerit. Poſtquam enim Prophetæ verba (*Lavamini*, *mundi eſtote*, &c.) recoluiſſet ſtatim (*g*) ſubjungit, τὸ λουτρὸν τοῦτο ἀκούσαντες οἱ δαίμονες διὰ τοῦ προφήτου κεκηρυγμένον, ἐνήργησαν καὶ ῥαντίζειν ἑαυτοὺς τοὺς εἰς τὰ ἱερὰ αὐτῶν ἐπιβαίνοντας, καὶ προσιέναι αὐτοῖς μέλλοντας, &c. *Lavationem autem illam cum audiſſent Dæmones per Prophetam promulgatam, effecerunt ut & ingreſſuri in templa eorum, & acceſſuri ad illos, atque libationibus adipiſque nidoribus offerendis operaturi, ſeipſos aquæ aſperſione luſtrarunt. Quin ut toto quoque corpore laventur prodeuntes, priuſquam ad templa veniant, ſua opera & inſtinctu curarunt*.

Hæc equidem *Juſtinus Martyr* habet: ei vero S. *Chryſoſtomum*, omnes Hebræorum καθαρμοὺς a gentium ritu & ruditate derivantem, opponere non dubitemus: cum præſertim cogat Hiſtoriæ fides, ut lotiones inter ethnicos, ad ædes ſacras acceſſuros, diu ante Prophetæ tempora uſitatas exiſtimemus. Utcumque, mihi nunquam perſuadere potero, Dæmonas, e jam dictis Prophetæ verbis, hujuſmodi lotiones inſtituendi anſam arripuiſſe; cum citius aquam e pumice, quam aquæ luſtralis uſum ante templi ingreſſum, e verbis illis, puritatem ſolummodo moralem ſpectantibus exprimere potuiſſent.

CAPUT IV.

Hebræorum καθαρμοὺς, modaliter *ſpectatos, ab antiquo Gentium uſu ſumtos*.

DE purificationibus *finaliter* ſpectatis, & earum origine (quantum facultates noſtræ capiunt) hactenus diſſeruimus. Proximo de purificationibus *modaliter* conſideratis, juxta methodum nobis præſcriptam, dicturi ſumus. Ut autem hoc penſum eo felicius abſolvatur, monendum eſt obiter, Hebræos purgationes aqua factas (de quibus jam ſermo eſt) (*h*) triplici ratione celebraſſe; nem-

(a) *Aſin. Aur.* lib. 11. p. 387.
(b) De *Abſtin.* l. 4. §. 6.
(c) Lib. 7. c. 26. p. 592.
(d) *Hiſt. Eccleſ.* l. 6. c. 6. p. 226. 15.
(e) *Metam.* lib. 1. v. 371.
(f) *Homil.* 72. in *S. Johan.*
(g) *Apolog.* 1. p. 91. 5.
(h) Vid. *Num.* 8. 7. & 19. 19. *Exec.* 36. 25.

nempe *corporis immersione*, quæ Hebræis טבילה Græcis λῦσις, aut *manuum pedumque lotione*, quæ קרוש νίψις, aut *aquæ aspersione*, quæ נדה vel הזיה ῥαντισμὸς, dicebatur.

Duos priores purgandi modos a gentium moribus ortos fuisse, rationibus capite superiori prolatis evicisse videar. Restat itaque, ut de purgationibus, aspersionis ritu peractis loquar; & gentium antiquarum usum iis etiam instituendis occasionem dedisse probem. Hanc autem provinciam lubens aggrediar, spe læta fretus, Lectorem æquiorem argumenta tantum probabilia hic expectaturum, ubi omnia vetustatis tam remotæ tenebris operiuntur. Ne Lectorem pluribus teneam: harum rationum momentis inductus, purgationes aspersione factas antiquiori gentium consuetudini, tanquam origini primæ, tribuendas arbitror.

(1°.) Hebræi veteres, in aspersionibus suis, omnia ad aspersionem ethnicarum ritum & exemplum fecisse videantur. Nam primo, ethnici personam aliquam lustraturi, aquam lustralem circumferre solebant & (*a*) circumspergere. Ad hunc morem clare alludit *Ovidius*, *Metam.* lib. 1. v. 369.

—— *Adeunt pariter Cephisidis undas:*
Inde ubi libatos irroraveres liquores
Vestibus & capiti.

Sed *Virgilius* clarius aliquanto, cum dicit, *Æneid.* 6. v. 229.

Item ter socios pura circumtulit unda.

Circumlatio illa cum ipsa lustrationis essentia tam arcte jungebatur, quod ibi Poeta *purgare* per (*b*) *circumferre* denotet; & vox illa περὶ, fere in vocibus ad lustrationem pertinentibus (*c*) reperiatur: ut in περιμάττεσθαι, περικαθαίρειν, περιθύεσθαι, περιαγνίζειν; περιθειῶν, quæ circuitus & ambitus notionem ferunt. Consimilem aspergendi ritum & Hebræos observasse, me sentire suadent voces illæ περιεῤῥαντίσθη & περιῤῥαίνων, a (*d*) LXX. non semel usurpatæ, legem de *aspersionis aqua* latam explicantibus. Deinde: Gentes aspersionibus statim post immersiones (manuum aut corporis totius) plurimum utebantur. *Apuleius* moris hujus exemplum his verbis (*e*) exhibet: *tempore -- id postulante, stipatum me religiosa coborte deducit* sacerdos *ad proximas balneas; & prius sueto lavacro traditum, -- purissime circumrorans abluit.* *Theophrastus* ridendum (*f*) propinat superstitiosum suum quod ἀπονιψάμενος τὰς χεῖρας καὶ περιῤῥανάμενος, *manibus elotis & aqua lustrali aspersus prodiret.* *Pythagoras* docuisse (*g*) fertur puritatem λουτροῖς καὶ περιῤῥαντηρίοις *lavacris & aspersionibus* acquirendam. Hanc purgandi methodum Gentes, templum ingressuræ, religiosius observant: tunc enim λουτρὸν aut χέρνιψ plerumque processit, & περιῤῥαντήριον in ipso aditu sequebatur. Hebræos etiam, puritati operantes, lotionem & aspersionem sæpe conjunxisse, sat constat e (*h*) legibus, Levitis & cadaveris tactu pollutis purificandi rationem præscribentibus. Lavabant autem Judæi, seipsos etiam aqua lustrali, *Numerorum*. 19. præscripta plurimum aspergebant, cum eos Religio ad templum advocaret. Duplex illa Judæorum (cum templum adirent) lavandi & aspergendi consuetudo, Apostoli verbis ad (*i*) Hebræos lucem afferat: *habentes itaque* —— *sacerdotem magnum super domum Dei accedamus* —— ἐῤῥαντισμένοι, *aspersi corda* —— καὶ λελουμένοι τὸ σῶμα; *& abluti corpus aqua pura.* Cum itaque Judæi & Gentiles, aspersionis ritum peragentes, tam amice consentirent; inde nobis indicium non obscurum suppeditetur, Judæos ritum illum ad morem & exemplum Gentilium præstitisse, eumque primitus e gentium moribus effluxisse. Quid enim Judæi veteres tot aspersionum ethnicarum ritus in suis exprimerent, nisi quod eas a Gentibus ortas crederent, easque juxta gentium usum celebrari consentaneum existimarent?

(2°.) Gentium antiquiorum religioni morique consonum est, ut lavandi simul & aspergendi ritus in eorum officina cusi censeantur. Si enim ad rituum ethnicorum farraginem paulo diligentius attendamus, facile percipiamus, ethnicorum cultum corporis tantum exercitium fuisse, & περιεργίαν tantum religiosam. Suadet itaque cultus ethnici natura & ingenium, ut Gentes antiquas curiosos hosce, nunc lavandi, nunc aspergendi ritus primo excogitasse & usurpasse censeamus. Deinde:

(a) Me *purissime circumrorans abluit*, &c. Apul. ub. infr.
(b) Circumtulit, *purgavit. Antiquum verbum est.* Serv. ad Æneid. 6.
(c) Vid. *V. Casaubon. Comment.* in *Theophrast. Charact.* p. 136.
(d) *Numer.* 19. 13. 18. 19. 21.
(e) *Aur. Asin.* lib. 11. p. 387.
(f) *Charact.* cap. περὶ Δεισιδαιμ.
(g) Ap. *Laert.* in *Vit.* p. 222.
(h) *Numer.* 8. 7. 6. & 19. 19.
(i) Cap. 10. 19. 21. 22. 23.

de : Gentes exteræ ritus & instituta sua religiosa, variis modis, pro vario Deorum quos colebant ingenio, perficere solebant. Cum enim hostiæ (*a*) Diis inferis mactarentur, humi capita impingebant : at cœlestibus immolantes, colla sursum convertentes jugulabant. Gentiles, Diis superis facturi sacrum, altaribus in sublime structis; cum autem terrestribus, aris ex humiti cespite conflatis, plurimum utebantur. Alia moris hujusce curiosi exempla in medium proferre possem, si Lectorem argumento tam trito morari liceret. Huic autem mori convenit, ut Gentes antiquæ, cum Diis superis hostias allaturæ, corpus integrum abluisse; cum autem inferis, aqua lustrali seipsos tantum aspersisse credantur : quin & varios illos lustrandi modos, ad Deos suos, eorumque ritus, ab invicem discriminandos, instituisse. Conjecturæ huic eo minus diffido, quod eam non parum honestet (*b*) *Macrobii* testimonium : *constat Dii superis sacra facturum corporis ablutione purgari, cum vero inferis litandum est, satis actum videtur si adspersio sola contingat. De sacris igitur superorum ait Æneas*, *Æn.* 2. v. 719.

—— Donec me flumine vivo
Abluero,

At Dido, *sacra Diis inferis* instituens, *ait*, *Æn.* 4. v. 634.

Annam, cara mihi, nutrix, huc siste sororem:
Dic corpus properet fluviali spargere lympha.

Si itaque gentium antiquiorum cultum & consuetudinem, hac in re judicii normam & mensuram habeamus; æquum erit ut aspergendi ritum e gentium cultu moreque desuptum, & Dei ritibus ascriptum judicemus. Cuivis enim nisi lippienti patet, hunc ritum externis affinitate conjunctum, & curiosæ gentium theologiæ morique consentaneum. Et sane par erat ut Deus aspergeudi ritum sibi sacrum faceret, ne veteri superstitioni locum relinqueret, & ut Hebræorum religio ritus gentium omnes, quid sani habentes, in se una complecteretur.

(3°.) Lege prospectum est, ut Israelitarum aspersiones ritu insolito & a gentium moribus alieno peragerentur. Nam lege jussum est, ut Vitulam, eamque rufam integre, ritu solemni sed insolito mactarent; & ut vitulæ illius combustæ cineres aqua lustrali, Deo sacra mergerentur. Curatum est insuper, ut aqua hoc ritu confecta, non quovis aspergillo, sed hyssopi fasciculo, manubrio cedrino filis coccineis alligato spargeretur. Quid autem præcepit Deus, ut aspersiones a Seipso præscriptæ ritu tam anomalo perficerentur, nisi quod ethnici tunc temporis aspergendi ritum sæpius obirent; & æquum esset, ut aspersiones Dei nomine peractæ a lustrationibus in idolorum honorem præstitis, nota & circumstantia peculiari discernerentur? Hæc inde fidem ampliorem acquirant, quod ethnicorum veterum aspersiones sacræ ritu plene dissimili absolverentur; si de iis e Græcorum & Romanorum lustrationibus conjecturam faciamus. Apud Græcos enim & Romanos, aqua lustralis non humili hyssopo, sed *ramo felicis olivæ* (quod habet (*c*) *Virgilius*) aspergebatur. Et illi aqua in qua titionem ardentem ab ara sumptum immersissent, non aqua vitulæ rufæ cineribus infecta, ad aspergendum utebantur. Si itaque Deus aspersiones cultui suo sacras hac de causa ritu peculiari perfici voluisset, inde luculentum est, aspergendi ritum primo inter Gentes obtinuisse, & ab iis ad Hebræos (purgatum tamen & emendatum) transiisse.

(4°) Nulla ratio satis solida, nisi a communi gentium usu petita, reddi potest, cur Deus utrumque (lavandi simul & aspergendi) ritum in cultum suum recipere dignaretur. Erat equidem ethnicismi genio apprime consentaneum, & Diaboli rationibus haud parum conducebat, ut inter cultores ejus lotiones & aspersiones in usu frequenti versarentur. Nam illa rituum varietas populo pergrata fuit, & effecit ut religionis ethnicæ fabula populi ruditati magis arrideret. Sed & lotionis ritu, Gentiles se Diis superis; aspersionis autem, Diis inferis sacra facturos indicabant. Quid autem Deus, qui cordis, non cutis puritatem spectat, non lotiones tantum sed & aspersiones, easque sæpe conjunctim usurpandas institueret; nisi ut rudi populo cultum mori passim recepto convenientem daret, eosque lenitate blandiente, cultuque ad ipsorum modulum accommodato sibi devinciret? Deinde : Deus lotiones simul & aspersiones in cultum suum transferri voluit, forsan ut intelligerent Israelitæ, eum esse Deum Deo-

(a) Vid. *Joseph. Laurenth.* l. 2. *Dissert.* 18.
(b) *Saturn.* lib. 3. cap. 1.

(c) *Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ*, Æneid. 6. v. 230.

Deorum quem ceremoniis illis observabant, quibus olim Deorum superorum & inferorum sacris utebantur.

CAPUT V.

De purificationibus Extraordinariis.

DE purificationibus Ordinariis, (lotione vel aspersione peractis, & in usu quotidiano positis) egi hactenus. Ordo mihi præscriptus jam postulat, ut Hebræorum purificationes extraordinarias expediam, & earum originem e vetustatis tenebris in lucem proferam. Harum autem nomine intelligo purgationes illas quæ temporibus quibusdam solemnioribus, & ritibus plerumque variis, a sacerdotibus aut Hebræorum vulgo peragebantur. Duorum autem generum fuerunt isti καθαρμοὶ extraordinarii, privati & publici. Privatos voco, quibus personæ singulæ ad puritatem, sacris aptam restitutæ sunt: Publicos autem, quibus gens integra, ad numinis iram avverruncandam, & mala graviora depellenda utebatur. A privatis exordium sumimus.

SECTIO I.

Privatis, huic aut illi personæ propriis.

CAtharmi privati, Sacerdotum erant aut Vulgarium Hebræorum. A Sacerdotum purificationibus principia nobis ducenda, quæ ceremoniis hisce quatuor absolvebantur; Ablutione scilicet, Aspersione, Sacrificio, & Abstinentia.

Primo: Ablutione, quam Deus in Sacerdotii simul & Tabernaculi ingressu Sacerdotibus imperavit. Priorem præcipit, *Exod.* 29. 4. *Et adduces Aaronem & filios ejus ad ostium Tabernaculi, & lavabis* patrem cum filiis *aqua*: Posteriorem, *Exod.* 30. 19. 20. *Et lavabunt Aaron & filii ejus manus suas & pedes suos, quando ingredientur Tabernaculum conventus.* Hac autem ablutione paulo diligentius fungi debebant, si forte rei (*a*) immundæ tactu, vel alia quavis impuritate legali a sacris arcerentur. Si quis e gente sacerdotum (*b*) nocte præcedente τί φυσικὸν passus esset, rebus sacris obeundis ineptus habebatur, nisi lotionem sollicitam subiisset.

Secundo: Aspersione, nempe (*c*) purificationis aqua, si Sacerdotes, patris, matris, fratris, aut necessarii alicujus, exequiis interfuissent, aut immunditiem a cadaveris, ossis, aut sepulchri contactu, incauti contraxissent.

Tertio: Sacrificio, cujus sanguine tangi simul & aspergi debuerunt, priusquam ad sacerdotii munus obeundum satis purgati credebantur. Lex enim, ritus præscribens Sacerdotum initiationi debitos, inter alia, *tolles*, (*d*) inquit, *arietem alterum*, -- *quem cum immolaveris, sumes de sanguine ejus, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaronis & filiorum ejus, & super pollicem manus dexteræ, & super pollicem pedis dexteri eorum*, &c. Quibus continuo (*e*) subjungit, *eumque tuleris de sanguine qui est super altare, & de oleo unctionis, asperges Aaronem & vestes ejus, filios & vestimenta eorum, & sanctificabuntur.*

Quarto: Abstinentia, eaque (1°.) A Venere, etiam licita. Nam sacerdotes, cum ministerii sui vices redirent, a connubii juribus abstinuisse, discere licet e verbis (*f*) Abimelechi ad Davidem; cum, urgente fame, panes propositionis sibi & servis ejus dari postularet: *præsto quidem est panis sanctus, si juvenes servarunt se puros a mulieribus.* Q. d. „ potest equidem panis ille, sanctus „ licet & a solo sacerdote comedendus, „ tibi tuisque ad famem sedandam porrigi: modo, sacerdotum tabernaculo „ ministrantium ritu, a nupero cum „ fœminis commercio se abstinuerint. „ Gentiles itaque cum mulieribus (*g*) *in ipsis sacerdotum ædibus & templi porticibus* miscebantur, ut omnia confunderent, & eorum virus evomerent in templum & sacerdotes, qui dum essent in sua ἐφημερίᾳ, ne uxores quidem suas attingere solebant. (2°.) A vino: erat enim usus vini sacerdotibus, vices eorum obeuntibus, sub pœna capitis interdictus *Levit.* 10. 9. *Vinum & siceram non bibes tu & filii tui, & ingressuri tabernaculum testimonii, ne moriamini.* Locus ei geminus & germanus occurrit, Ezech. 44. 21. *Vinum non bibent ulli sacerdotes, ingressuri atrium interius.* Hoc præceptum sacerdotes religiose observasse testatur (*h*) Hecatæus, qui sacerdotum Judaicorum mentionem faciens, asserit eos: τὸ παρά παν οἶνον ȣ πίνειν ἐν τῷ ἱερῷ, *semper a vino bibendo in templo occupatos abstinuisse.* Idem de Judæorum sacer-

(a) *Lev.* 22. 2. 3. 4. 5. 6.
(b) *Deut.* 23. 10. 11. *Lev.* 22. 4.
(c) *Numer.* 19. 13. 20.
(d) *Exod.* 29. 19. 20.
(e) Vers. 21.
(f) 1. *Sam.* 21. 4.
(g) Vid. 1. *Mar.* 6. 4. & *Grot.* not. in loc.
(h) Ap. *Euseb. Præp.* l. 9. p. 408.

cerdotibus a (*a*) *Josepho* (*b*) *Philone* memoriæ consignatum est. (3°.) Sacerdotes mortuorum justis solvendis, & re quavis immundorum numero posita, præcipue cum templo ministrarent, abstinere tenebantur.

Ritus jam dictos, in solemnioribus sacerdotum purificationibus usitatos, ab Ægyptiis aut aliis gentibus ad Israelitas (Deo ordinante) devenisse, non vulgaribus inductus argumentis arbitror. Nam

(1°.) Uno ore testantur antiqui, gentes hujusmodi ceremonias, cum sanctimoniæ præsertim accuratiori studerent, semper observasse. Gentes omnes curasse, ut sacerdotes, cultui divino vacaturi, prævia corporis ablutione purgarentur, & ritum illum ab Exteris in usum venisse apud Israelitas, argumentis haud infirmis ostendisse videar. Ethnicos etiam victimarum oblatione sibi ad ritus solenniores aditum præstruxisse, testatur (*c*) *Arrianus*; asserens, hominem, *ad ceremonias antiquas accedere* debere, μετὰ θυσίας, καὶ μετ' εὐχῶν, καὶ προηγνευκότα, *adhibito sacrificio*, *precibus adhibitis*, *& castitate*. Eos etiam victimæ sanguine, nunc idola, nunc populum, quandoque sacerdotes aspersisse, (*d*) *Suidas*, (*e*) *Fortunatus Schaccus*, (*f*) *Wormius*, (*g*) *Pocockius noster*, alii, satis apertum testatumque reddidere. Ethnicos insuper, eorumque sacerdotes, munia sacra peracturos, a fœminarum consuetudine se puros conservasse, multis veterum testimoniis compertissimum est (*h*) *Porphyrius* (ut alios jam taceam) sic sacerdotes Ægyptios ad sacra solenniora se parasse refert : *ab omnibus animalibus abstinuere*, *ab omni etiam olere & legumine*, πρὸ δὲ πάντων, ἀφροδισίων καὶ ὁμιλίας γυναικείας. *Sed præsertim a consuetudine mulierum*. Nec minus a vino temperabant Gentilium sacrificuli, sacris officiis incubituri. Nam (*i*) *Apuleius*, ritus a seipso religionis Isiacæ candidato peragendos referens, *illud*, inquit, *plane præcipit* sacerdos, ut *decem continuis diebus voluptatem cibariam coercerent*, *neque ullum animal essem*, *&* (*k*) *invinius essem*. His affinia sunt quæ Plutarchus habet, de sacerdotibus Ægyptiis agens : *Qui sunt Heliopoli*, *& ibi Deum colunt*, οἶνον οὐκ εἰσφέρουσι τὸ παράπαν εἰς τὸ ἱερόν. *Vini nihil unquam in templum inferunt*. Et deinde : πολλὰς δὲ ἀοίνους ἁγνείας ἔχουσιν; *multas autem invinias exercent castimonias*.

Ex hisce videre est, sacerdotes ethnicos, Ægyptios inprimis, cum Judaicis consensisse, & instituta prorsus eadem ante ritus solenniores observasse. Si quis autem consensus hujusce causam quærat, nil habeo quod regeram, quam quod Deus honorem iisdem ceremoniis sibi & sacris suis exhiberi voluerit, quibus aliæ gentes, Ægyptii cumprimis, in Deorum & sacrorum suorum honorem utebantur. Quantum autem e sacris aut profanis monumentis intelligendum est, hujusmodi ritus a remotissima vetustate sacri habiti sunt, & a (*l*) plerisque gentibus ante munia sacratiora semper usurpati. Nec facile quis dixerit, cur Ægyptii præcipue, in rituum similium usu cum Judæis convenirent; nisi quod Deus (ut instituta sua populi moribus & studiis accommodaret) iis multos ritus, a Gentibus Ægyptiis inprimis, acceptos dederit. Nemo enim vel probabiliter opinari potest, Ægyptios nomini & legi Judaicæ semper infensos, Judæos imitari, vel eorum exemplo sacra peragere voluisse. Certe, modo Ægyptii ad ritus aut leges Hesiræorum vel minimum attendissent, multo sapientiores se præstitissent; nec ob nomina & dogmata sua portentosa, in jocum & fabulam ubique gentium abiissent.

(2°.) Sacerdotes Hebræorum nonnullos purificandi ritus, a Gentibus quidem acceptos, nullibi tamen (quod scimus) a Deo præceptos, usurpasse videntur. Nam sacerdotes aliique, e Gentilium grege, ante ritus sacratiores, ab uxoribus abstinebant, hujusmodi castimoniam in præcipua puritatis parte collocantes. Huic assertioni fidem veri faciunt ea plurima Veterum testimonia, quæ (*m*) *Natal. Comes*, (*n*) *Saubertus*, (*o*) *Heraldus*, (*p*) *Grotius*, (*q*) *Dilherus*, aliique, in unum collegerunt. Sacerdotes etiam Judaici, sub ministerii sui tempus, a toro legitimo temperabant, quamvis ad castitatis illius exercitium nullo præcepto tenebantur. Abstinentia scilicet illa non erat divinitus imposita sed per ac-

(a) *Antiq.* l. 3. c. 12. p. 128. 5.
(b) Lib. 2. de *Monarc.* p. 825. C
(c) In *Epict.* l. 3. cap. 21.
(d) Ad voc. Θεὸς Ἄπις.
(e) *Myrothec.* P. 2. cap. 77.
(f) *Monum. Danic.* l. 1. c. 3. p. 7.
(g) Not. in *Hist. Arab. specim.* p. 101.
(h) De *Abstin.* l. 4. §. 7.
(i) *Aur. Asin.* l. 11. p. 387.
(k) *Vocabulum elegantissime fictum* est *pro abstemio*, *& eo qui vinum non bibit*. Invenius *enim dicitur*, *quasi sine vino: ut* Invius *sine via*. Phil. Beroald. in loc. p. 745.
(l) Vid. *Alex. ab Alex.* lib. 4. *Gen. dier.* cap. 17.
(m) *Mytol.* l. 1. c. 10.
(n) De *sacrif.* c. 21.
(o) Not. in *Arnob.* pag. 207.
(p) *Annot.* ae *Ex.* 19. 15.
(p) *Dissert.* de *cacozel. Dæm.* p. 226.

accidens tantum contingebat; eo quod ſacerdotes extra Hieroſolymas degerent, urbium Leviticarum incolæ: cum itaque miniſtrandi vices advenifſent, ad Hieroſolymas ſe conferre debuerunt; &, ab uxoribus ſeparati, octiduum in Templo commorari. Deinde: ſacerdotes Ægyptii, puritati operam dantes, non tantum a fœminis, ſed & cibis quibuſdam ſe continebant. Nam (a) *Chæremon* Ægyptius, eorum purificandi ritus memorans, πολλοὶ δὲ inquit, καθάπαξ τῶν ἐμψύχων, καὶ ἔν γε ταῖς ἁγνείαις ἅπαντες, ὁπότε μὴ δ' ᾠῶν προσίεντο. *animalibus multi omnino abſtinebant, in purificationibus omnes; adeo ut ne ovum ederent*. Et ſtatim refert, eos ſtudio puritatis occupatos, παντὸς λαχάνου τε καὶ ὀσπρέου ἀπέχεσθαι· *ab omni olere & legumine abſtinere. Et Gemara Jeroſolymitana*, de ſacerdote ſummo Expiationis ſolennia peracturo loquens, hæc (b) habet: לא היו מניחין אותו לאכל לא חלב ולא בצים וגו' i. e. *non ſinebant eum lac edere, nec ova, nec caſeum, nec carnem pinguem, -- nec fabas freſſas, nec lentes.* Præterea: Gentes eos ſolummodo qui *in caſto erant*, ſacrorum communione dignabantur. Nemo in gentium veterum ceremoniis adeo peregrinus eſt, ut hoc neſciat. (c) Abimelechus etiam ſacerdos, ea conditione Davidi & gregalibus ejus panes ſacros participandi licentiam fecit; modo caſtitatem per dies aliquot anteactos coluiſſent: cum tamen evidens ſit, Ahimelechum nullam ſic reſpondendi vel faciendi anſam e Dei legibus arripere potuiſse.

Cum itaque veteres Hebræi tot purificandi ritus & modos, a Gentibus equidem receptos, nuſquam tamen a Deo præſcriptos obſervarint; rationi congruum eſt, eos exiſtimaſse, purificandi ritus omnes a Gentibus initium habuiſse; ideoque (ſi res ferret) non tantum ritibus Lege præſcriptis, ſed etiam non præſcriptis, modo Legi conformibus uti licuiſse.

(3°.) Si quis Judaicas purificandi ceremonias, cum ethnicis collatas, propius & attentius intueatur; facile percipiat, eas non plane novas fuiſſe, ſed emendatas, & ab Ægyptiorum, aut aliarum gentium, ſuperſtitione repurgatas. Nam ſacerdotes Ægyptii, cultum aliquem ſolenniorem celebraturi, dies aliquot (nonnulli (d) quadraginta duos, alii plures) in ſe purgandis & præparandis inſumebant: nuſquam autem præceptum legitur, ut Hebræorum ſacerdotes tanto cum negotio & tam operoſo rituum apparatu ad ſacra vel maxime ſolennia ſeipſos præpararent. (e) Sacerdotes Ægyptii, ritus ſacratiores peracturi, τρὶς τῆς ἡμέρας ἀπελούοντο ψυχρῷ, *ter unoquoque die frigida lavabantur*: at Hebræorum ſacerdotes unica ablutione, præ Tabernaculi foribus præſtita: ad omnia Sacerdotii munia obeunda ſatis purgati atque initiati cenſebantur. Sacerdotes quidam Gentilitii, ſacris Iſidis aut Cereris curandis initiandi, victimæ ſanguine, ritu fœdo & vix ſine nauſea recolendo, in Tauroboliis & Crioſioliis aſpergebantur. Nam, referente (f) *Prudentio*, ſacerdos eo ritu ſacrandus aut expiandus, in ſcrobem profundam ad hoc ipſum factam demittebatur: deinde, ſcrobs illa plancis aut tabulis ubique foraminatis tota tegebatur: ſuper tabulas autem illas, taurus aut aries mactabatur, ut illius ſanguis, per foramina vel rimas illas in ſacerdotem intus defoſſum defluens, illius capite; naribus, oculis, auribus, veſtibus, toto denique corpore, exciperetur. Deus autem huic fœditati nihil affine præcepit, in ſacerdotum ſuorum ritibus luſtratoriis obſervandum: nam vice totius corporis, (g) extrema tantum auris, & manus & pedis dextri, ſanguine tingebantur, & eorum veſtes victimæ ſanguine leviter tantum aſpergebantur. Gentium denique ſacerdotes, caſtitatis cauſa, virilitatis ſuæ jacturam quandoque patiebantur, & liquore cicutæ nonnunquam ungebantur; ut venerem fugare magis quam fugere viderentur: ſacerdotes autem Judaici, ſponte tantum & miniſterii ſui tempore, a congreſſu conjugali temperabant.

Hæc omnia clare probant, Judaicas purificandi ceremonias, ethnicis multo ſimpliciores fuiſſe; & proinde a Gentibus (correctas autem & emendatas) ad Hebræos acceſſiſſe. Hic forſan objiciet non-nemo, Judaicos purificandi ritus ideo tantum Gentilitiis ſimpliciores videri & emendatiores, quod ethnici ritibus Canonicis, a Moſe præſcriptis, Apocryphos ſuos addidiſſent; adeoque gentium ritus, tractu temporis, a genuina & priſca ſimplicitate degeneraſſent. At ſi huic ſuſpicioni locum demus, difficile eſt rationem vel ſpecioſam reddere, cur

(a) Ap. *Porphyr.* de *Abſtin.* l. 4. §. 7.
(b) Vid. *Sheringh.* in *Jom.* c. 1. §. 4.
(c) 1. *Sam.* 21. 4.
(d) *Porphyr.* de *abſtin.* l. 4. §. 7.
(e) Id. ibid.
(f) *Peri Steph. num.* 3203.
(g) *Exod.* 29. 20. 21.

Deus eos quos dixi purificandi ritus instituerit; alios autem, tunc temporis in usu positos repudiarit. Nam,

(4°.) E Mosis codice satis appareat, *abrasionem*, *Jejunium*, & *abstinentiam a mulieribus*, ritus fuisse (causa puritatis) inter Gentes olim usitatos; Deum autem minime præcepisse, ut ceremoniis illis in sacerdotum suorum purificationibus uterentur. Gentes *abrasionem*, tanquam purificandi ceremoniam usurpasse, vel inde colligo, quod Deus ritum illum in (*a*) Levitarum, Leprosorum, & Naziræorum, purificationibus adhiberi jusserit. Veteres etiam *Jejunium* puritatis causa celebrasse, suspicari licet, quod stata jejunia Israelitis imponerentur, & sacris eorum solennioribus non raro jungerentur. *Abstinontiam* ab uxoribus in puritatis parte habitam, vel inde discimus, quod instituerit Deus, ut Israelitæ, corpora loti & consuetudinis nupere cum uxoribus expertes essent, ad (*b*) seipsum propediem accessuri.

Cuivis autem leges Mosaicas vel leviter intuenti pateat, Deum purificationis sacerdotalis ritus præscribentem, insignes hasce purificandi ceremonias tacite præteriisse. Immo vero tantum abfuit, ut Deus sacerdotes suos, sacra licet cito peracturos, ad hujusmodi ritus obeundos devinciret, quod abrasionis ritum plane prohiberet; Judæi sacerdoti magno, a domo sua septem diebus ante diem Expiationis in domum Parhedrorum sejuncto, (*c*) uxorem aliam (uxore priore mortua) substituerent; & toto sejunctionis suæ tempore, ad ipsam diei Expiationis vesperam, ei cibi potusque mensuram usitatam indulgerent. Deus autem in sacerdotum suorum purificatione, nullum ritibus hisce locum aut usum concessisse crediderim; quod exteræ gentes, Ægyptii præsertim, iis tanquam præcipuis puritatis patribus & instrumentis impensius uterentur. Refert enim (*d*) *Herodotus*, Ægypti sacerdotes, non caput tantum, sed & corpus integrum, alternis diebus radere solitos, ne quid excrementitiæ sordis, inter sacra Deorum, illos contaminaret. Memorat etiam (*e*) *Macrobius*, Dei Heliopolitani mystas, *raso capite* & *longi temporis castimonia puros*. (*f*) *Apuleius*, de *castimoniorum abstinentia satis ardua* loquens, rigidam intelligit ab omni cibaria & Venerea voluptate abstinentiam, quæ ab omnibus Isidi consecrandis præstari debuit. Alia huc spectantia Veterum testimonia proferri possent, si Lectoris patientia plura de re tam trita loqui pateretur.

Cum itaque jam dicta probent, Deum ritus nonnullos inter gentium puritates enumeratos abdicasse, ne superstitioni alicui materiam administraret; inde quivis intelligat, Deum purificandi ritus instituentem, non tam nova omnia instituere, quam antiqua corrigere, & ab adhærente gentilismi scoria purgare studuisse. Hinc etiam nonnullos purificandi ritus, ætate Mosis usitatos, Deo placuisse constet, quod aliquos ei displicuisse cognoscamus.

De lustrandi ritibus a sacerdote quovis observandis, egi hactenus. Monet ordo propositus, ut proximo de Hebræorum vulgarium purificationibus Extraordinariis, & earum origine sermonem habeam. Nam & Hebræorum vulgus purificationibus quibusdam Extraordinariis, duplici de causa perfungebantur.

(1°.) Si festi alicujus, Paschatis imprimis, solennia peracturi essent. Eos sanctimoniam severiorem, si Paschatis solennitas instaret, exercuisse, dubitare non patitur (*g*) Evangelistæ testimonium: *erat autem prope Pascha Judæorum, & ascenderunt multi ad Hierosolymam ante Pascha*, ἵνα ἁγνίσωσιν ἑαυτοὺς, *ut purificarent seipsos*. Quem locum obscuriorem hac luce donavit (*h*) *Theophylactus*: οἱ ἡμαρτηκότες, ἢ ἑκούσια, ἢ ἀκούσια, οὐκ ἐτέλουν τὸ πάσχα, εἰ μὴ πρότερον ἡγνίσθησαν κατὰ τὸ ἔθος, λουόμενοί τε, καὶ νηστεύοντες, καὶ ξυρόμενοι, καὶ θυσίας τινὰς νενομισμένας προσφέροντες· *Qui peccarant, vel sponte vel inviti, non agebant Pascha, nisi prius purificati essent, juxta consuetudinem; loti, & jejunantes, & rasi, & deputata quædam sacrificia offerentes*. Hic *Theophylacti* fidem firmant Magistri veteres: dixit enim (*i*) *R. Isaac*, חייב אדם לטהר את עצמו ברגל: *tenetur unusquisque ad purificandum se ad Festum*: & in (*k*) *Moed Katon*, sic ritus illius præstandi modus traditur; *hi se tondent intra festum: ille qui venit e regione ethnica vel captivitate; -- item ille qui fuerat excommunicatus*, &c. *iidem etiam lavant*

(a) *Numer.* 8. 7. *Levit.* 14. 8. *Num.* 6. 9.
(b) *Exod.* 19. 14. 15. 17.
(c) *V. Jom.* cap. 1. §. 1. & 4. cum not. *Sheringhami*.
(d) Lib. 2. c. 37.
(e) *Saturn.* lib. 1. cap. 23.

(f) *Milef.* 11. p. 383.
(g) *S. Joh.* 11. 55.
(h) *Comment.* in loc.
(i) *Comment.* in *Rosch. Haschan.* c. 1. §. 2. fol. 16. 2.
(k) Cap. 3. §. 1. 2.

vant vestes intra Festum. Quæ verba sic explicat (*a*) Auctor, literarum Hebraicarum scientia singularis: *supponitur hos necessitate aliqua detentos fuisse, quo minus tonderi & lavari potuerint ante festum. Nam rite præstandæ erant hæ res ante, ne quis aliquo modo pollutus accederet ad festi celebrationem: quod si, necessitate aliqua reprimente præstari non possent ante festum, præstabantur in profesto festi, post diem scilicet festi primum*. Non est mihi animus de ritibus hisce sigillatim differere, quod orationem longam desiderent. Hoc unum in genere dicendum censeo, de ritibus hisce qui Paschatis veluti præludia fuere, quod illi etiam ab antiquo gentium usu profecti videantur. Nam apertum est, ceremonias illas ante-paschales a præscripto Legis exorbitasse, cum Deus nusquam præceperit, ut omnes vel leviter polluti, a sacris Paschalibus arcerentur, donec ritu jam dicto (vestium ablutione, rasura, jejunio, & victimarum oblatione) seipsos purificassent. Deinde: satis e testimoniis jam allatis elucet, ethnicos (Ægyptios inprimis) cum tempus aliquod solennius instaret, lotione crebra, rasura critica, jejunio rigido, victimarum oblatione, & religione consimili, se puros reddidisse: morem etiam illum, a prima rerum ethnicarum memoria, inter gentes religionis nomine clariores obtinuisse. Cum itaque gentes profanæ, cultum solenniorem peracturæ, se ritibus illis expiarent; verisimile est, æmulam Hebræorum gentem eos tandem in cultum suum recepisse, ne puritate & religione Gentibus impuris inferiores viderentur. Hæc conjectura eo minus adversa Rationi videri debet, quod Ecclesiæ Christianæ Patres ideo jejunium ante baptismum instituisse creduntur, *ut in religionis suæ mysteriis nihilo inferiores* essent Ægyptiorum *genti*, *errorum tenebris oppressæ*, *quam præmisso decem dierum jejunio*, *sacris initiari consuevisse*, *Apuleius*, *Polydorus*, *aliique referunt*.

(2°.) Si quis immunditia quavis extraordinaria laboraret, maculam purificatione extraordinaria delere tenebatur. Si nempe legem aliquam ritualem incaute violasset, cadaveris attactu se polluisset, aut lepra, puerperio, sanguinis fluxu, vel alia ratione consimili, pollutionem insignem contraxisset; illi purificatio non levis aut vulgaris imponebatur. Hæc autem purgatio tribus potissimum officiis præstita est, quæ Lectori verbis (*b*) *Eulogii* referam: τὸ μὲν Ἑβραίων γένος ἁμαρτάνοντες, πρότερον μὲν ἡγνίζοντο· εἶτα βαπτίσμασιν ἀπελοῦντο· καὶ λοιπὸν ἤδε τὰς ὑπὲρ τῶν ἡμαρτημένων θυσίας προσέφερον· *Hebræorum natio, in peccatum lapsi, primum quidem purificabantur: deinde aqua abluebantur: deinde victimas afferebant pro peccatis*. His autem purgandi ritibus instituendis, absurdi gentium mores & dogma (siquid in re tam obscura video) causam administrarunt. Gentiles enim sacris hisce lustratoriis operari solebant, si perjurio, adulterio, (*c*) homicidio, vel tali aliqua fœdiore macula, vitam suam aspersissent. Deus itaque, ut morem & opinionem tam insulsam tacite redargueret, & illius ansam omnem amputaret; plerosque ritus lustratorios ab antiquo receptos ad nominis sui cultum transtulit, eos autem ad carnis tantum (*d*) immunditias expurgandas, & legis tantum ritualis violatæ crimen expiandum, in posterum valere voluit.

SECTIO II.

De Catharmis publicis.

CUM id mihi pensi proposuerim, de catharmis publicis dicendum est proximo, quibus nempe gens integra Judæorum, in Expiationis festo præcipue purgabatur. Hæc autem purgatio hircis duobus absoluta est, quorum unus, e præscripto Legis, immolatus erat, alter vivus, populi peccatis oneratus, in Desertum emittebatur. Hoc Argumentum uberem mihi præbet lateque patentem dicendi campum: ab eo vero orationis meæ pedes in præsens cohibebo, quod (*e*) alibi de Hircis hisce piacularibus magis opportune dicturus sum. Utcunque, Hircos eos hic tacite præterire, minime consultum duxi, ne pars Argumenti mei, plane nobilissima, mihi prorsus excidisse videretur.

CA-

(a) *Lightfoot. Hor. Hebr.* in *S. Joh.* c. 11. 55.
(b) *Joseph. Vicecom.* de *Bapt. ritib.* l. 3. c. 8.
(c) Ap. *Phot.* in *Bibliothec.* Cod. 280. col. 1609.
(d) *Penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat*. Tertul. de baptism. cap. 5.
(e) *Hebr.* 9. 13.

CAPUT VI.

De purificatione Rerum, *sacrarum simul & civilium.*

DIscutienda jam restat purificatio *Rerum*, & ritus illius origo, qua licet, nobis investiganda. Hanc itaque telam, sed brevi labore, pertexemus; ne si curiosius aliquantulum in istiusmodi rebus persequendis institerit oratio, immoderatius excurrere, vel obscuris diutius immorari, videretur. Ut autem præsens incœptum felicius absolvatur, monendum est obiter, legem, de purificandis rebus non tantum usui sacro, sed & civili destinatis prospexisse.

A rerum sacrarum purificatione sermonis initium faciemus. Harum autem purificatio ritu duplici, dedicatione vel consecratione, & (si res exigeret) impuritatis omnis amotione, peragebatur. Auctor Machabaicus utriusque ceremoniæ conjunctim meminit: cum enim eo inncumberet sacerdotum populique pietas, ut Templum, ab Antiocho temeratum, puritati suæ pristinæ restituerent, (*a*) *ascendamus*, inquiunt, *nunc mundare sancta, & dedicare*. Si quid olim religioni consecrassent homines, hoc vel illo ritu prætermisso; Deum & illius sacra non satis digne habuisse censebantur. De ritu itaque utroque strictim dicturus sum.

(1°.) Res in usum sacrum sepositæ consecratione vel dedicatione solenni purgabantur. Res enim Deo & religioni dicatæ, e rerum communium & profanarum censu transire; & sanctæ divinæque repente prodire credebantur. Hæc autem consecratio vel dedicatio, sanguinis aspersione vel olei perfusione plurimum absolvebatur. Aspersionem sanguinis in rerum Deo sacrarum purgatione frequentem fuisse, satis ex (*b*) Apostoli verbis innotescit; χεδὸν ἐν αἵματι πάντα καθαρίζεται κατὰ τὸν νόμον. *Omnia fere sanguine purgantur secundum legem*. Olei perfusionem etiam locum & usum non minus inclitum in hujusmodi purgationibus & consecrationibus habuisse, dubitare non sinit Mosis testimonium, *Levit.* 8. 10. 11. *Et cepit Moses oleum unctionis, & unxit tabernaculum, & omnia quæ erant in illo, & sanctificavit ea. Et aspersit ex eo super altare, septem vicibus; & unxit altare, & omnia vasa ejus*, &c. An Patres aut gentes Mose vetustiores, aspersionis ritu, res Deo sacrantes, uterentur, non ausim determinare. Vires meas excedit, ritus temporis iniquitate pene deletos & abolitos in lucem pristinam vocare, vel origini suæ restituere. Patres autem gentesque veteres, unctione solenni res Deo consecrasse, Deum etiam ritum illum ex eorum moribus in cultum suum traduxisse, non facile dubitandum est. Nam inde colligo, nec insulse, consecrationes unctione solenni peractas ab antiquitate remota devenisse; quod illius mentio tam frequens apud antiquos, eam olim longe lateque propagatam indicet. Nam (*c*) *Clem. Alexandrinus* πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον -- λιπαρὸν προσκυνοῦντας, *quodvis lignum & quemvis lapidem, -- oleo delibutum, adorantes* memorat; (*d*) Arnobius *lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum*; (*e*) Apulejus, (*1*) *lapidem unguine delibutum*; (*f*) Lucianus *de ara oleo perfusa* loquitur. Si vero lector certa cupiat, & fidei indubitatæ sequatur testimonium, illud ex historia Jacobi petat, qui diu ante Mosis ætatem, statuam oleo perfudit, eamque ritu illo Deo & æternitati (*g*) consecravit. *Mercerus* hoc Jacobi factum explicans, *hoc*, (*h*) inquit, *ministerii casu* Jacobum *fecisse puto, qui ritus non ab eo primum institutus, sed jam olim a patribus acceptus fuerat. Libamen fuit -- olei, quod non in sacrificiis tantum, sed extra sacrificia, ubi quod consecrabatur, & sanctificabatur, Domino dicabatur, adhiberi solebat*.

(2°.) Rerum Deo sacrarum purgatio, pollutionis & impuritatis omnis abolitione peragebatur. Nam vestes & vasa sacro dicata ministerio, ne quid sordis adhæreret aqua lavari debuere. (*i*) Lege curatum est etiam, ut pecudis altari sacræ membra solenniter abluerentur. Cum Antiochus Templi puritatem insane violasset, eamque Judæi in integrum restituere secum statuissent; illud (*k*) sordibus & spurcitiis gentilitiis expiarunt, & omnia pollutionis alicujus umbram præ se ferentia, de medio sustulerunt. Et ut purgationem Templi quam in animis

(a) Vid. *Dissert.* 8.
(b) 1. *Mac.* 4. 36.
(c) Ad *Hebr.* 9. 22.
(d) *Stromat.* l. 7. p. 843. 20.
(e) *Advers. Gentil.* lib. 1.
(f) Βωμὸς χρησμωδεῖ, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ· In *Dialog.* Θεῶν ἐκκλησ.

(g) *Genes.* 28. 18.
(h) *Prælect.* in *Gen.* *p.* 495. C
(i) *Levit.* 1. 9.
(k) *Vid.* 1. *Mac.* 4. 44. 45. 46.
(1) *Apulejus* loquitur de *ore hominis unguine delibuto*: §. 19. p. 819.

mis habebant, omnibus numeris absolutam redderent; aram Templo vicinam, suillo sanguine delibutam, & victimis impuris turpiter infectam destruere statuerunt. Sufficiat hæc in vulgus nota, levi digito tetigisse.

A rebus sacris ad civiles, & earum purificationem, descendat sermo. Rerum autem civilium nomine denotari volo, domos, muros, vineas, lecta, stragula, generis cujusque vasa, & (ut compendio dicam) omnia usum civilem præbentia, hujusque vitæ commodo ministrantia. Harum etiam purificatio ritu duplici (dedicatione & purgatione) peragebatur. Ritum priorem hic intactum præterire statui, de eo & illius origine fuse dicturus alio in (1) libro, propediem luce publica donando, si Deus mihi otium fecerit, & hæc alicujus pretii fuisse intellexero. Purgatio vel emundatio rerum, aqua vel igne (prout earum natura ferebat) absolvi debuit. Vasa omnia, (a) ex auro, argento, vel ære facta, pollutione contracta, igne tantum puritati suæ restitui potuere: lex autem (b) vestes & stragula, si quid immundi forsan iis adhæreret, aqua purgari postulavit. Rationes autem, cur Deo tot immunditiæ species & purgandi media sancire visum est, hic tacite prætermitto. (c) Alibi multas institutionis hujusce in medium protuli: & jam scripta repetere, Lectori cura supervacua non immerito videatur.

(a) *Num.* 31. 22. 23.
(b) *Exod.* 19. 10. *Lev.* 16. 28.

(c) Lib. 1. cap. 11. Sect. 4.
[1] Vid. Lib. 4. Cap. 12.

JO-

JOHANN. HENR. MAII
DISSERTATIO
DE
LUSTRATIONIBUS
ET PURIFICATIONIBUS HEBREORUM

Contra Johannem Spencerum.

PRÆFATIO.

MEditanti mihi specimen aliquod publicum, vel præſens tempus, quo Chriſti Eccleſia Feſtum Purificationis Mariæ concelebravit, oportunum & ſtudiorum meorum ratione haud alienum ſuggeſſit. De Purificationibus igitur & Luſtrationibus Hebræorum diſſerere animus eſt. Ne vero vel in immenſum creſcat opus, vel nimis vaga ſit tractatio ſuſcepta, ſtatui eos intra terminos me continere, quos celeberrimus Anglus *Joannes Spencerus S. Theol. D. Eccleſiæ Elienſis Decanus & Collegii Corporis Chriſti apud Cantabrig. Præfectus*, peculiari Diſſertatione, quæ tertia eſt Libri Tertiis *de Legibus Hebræorum Ritualibus & earum Rationibus*, præfixit. In ea enim vir doctiſſimus, pro more ſuo, quem ubique fere in citato Libro ſervat, ſpecioſis admodum & undique conquiſitis rationibus probare conatur, Hebræorum καθαρμὸς, *materialiter*, *formaliter*, *finaliter* & *modaliter* ſpectatos e gentium profanarum more rituque traductos fuiſſe. Quam ſententiam, cum mihi parum pia, nec Scripturæ Sacræ conveniens videatur, examinare ac refellere pro ingenii modulo, & quoad Philologiæ Philoſophicæque leges ſinunt, bono cum Deo breviter conſtitui: quem laborem ne impura mente manibuſque aggrediar, devote Deum veneror & oro cum Davide לב טהור ברא לי אלהים וג׳:

CAPUT PRIMUM.

I. UT λογομαχίας anſa præſcindatur, placet cum *Spencero* de uſu ſenſuque vocis *Purificationis*, in Diſſertationis hujus aditu, paucula præmittere. Aſcendam vero nonnihil altius, & pro eo ac par eſt ex ipſis Hebræis fontibus, quos neglexit hic *Spencerus*, vim ſignificationemque vocabuli repetam. Notum ibi vulgatumque verbum eſt טהר, quod denotat purificationem tam internam, quam externam, mentis æque ac corporis, & veſtium aliarumque rerum, quod multis comprobare exemplis ſupervacaneum puto; cum illa vel ex Concordantiis, quas vocant, ac Lexicis petere Tyrones quoque poſſint. A verbo nomen deducitur טהרה æque late patens ac ipſum verbum, & frequens inprimis in iis Levitici locis, quibus ex inſtituto de Luſtrationibus agitur. Unde non inepte veteres Judaicæ Gentis Doctores Partem VI. Talmudis טהרות i. e. *Purificationes* inſcripſerunt; quoniam ibi prolixe admodum per duodecim libros hoc argumentum tractatur. Quæ cur non tangat *Spencerus*, an quod non intellexerit obſcuros iſtos homines, aut dignos non habuerit, quos adduceret, per modeſtiam definire nolo. Quomodo in aliis orientis Linguis efferatur Purificationis notio, nihil ad inſtitutum intereſt. Ad Græca igitur vocabula pergimus, e quibus ſequentia adduxerit Spencerus, καθαρμὸς, καθαρισμὸς & ἁγνισμὸς; eoſque no-

notat, qui nimis curiose illa sic distinguant, ut καθαρμὸς idem sit ac κάταρμα vel victima piacularis, καθαρισμὸς idem quod βαπτισμὸς, nempe corporis aut manuum solarum immersio: ἁγνισμὸς autem aquæ levior aspersio. Ipse καθαρμὸν hic sensu laxiori sumit, pro quavis lustratione vel ceremonia sacra, qua Judæi ad maculam aliquam eluendam sanctitatem conciliandam, peccatum expiandum &c. utebantur. In his haud ægre assentimur *Spencero*; unum tamen miramur, quod ex profanis scriptoribus non plura vocabula adduxerit, ut factu facile fuisset. Si quis ea desideret, in compendio legere poterit apud *Guilielm. Stuckium* de sacris sacrificiisque Gentilium p. *99*.

II. Verum a vocibus, in quibus faciles sumus, ad rem ipsam progrediemur, ubi similiter Spencerum sequimur, quando dicit, duplicis generis καθαρμȣ̀ς vel purificationes, *Personarum* scil. & *Rerum* in Hebræorum Legibus & Ceremoniis locum invenisse: Personarum etiam duplicis generis, *Ordinarios* & *Extraordinarios*. Denique & hoc damus, Purificationem ordinariam quatuor modis spectari posse. 1. *Materialiter*, vel cum respectu ad materiam. 2. *Formaliter*, quatenus scil. religionis gratia suscepta fuerit purificatio. 3. *Finaliter* sive cum respectu ad fines & usus varios. 4. *Modaliter*, vel cum respectu ad varios modos & circumstantias. At hoc non damus, nec dare possumus quod καθαρμȣ̀ς quovis modo spectatos ex gentium ruditate & usu ad Hebræos pervenisse, affirmat, ideoque probandum sibi sumit. Nostrum ergo erit inquirere, an vir doctus S. Chrysostomi fidem, ut promittit magnifice, liberet, ac huic suo officio cumulate satisfaciat.

III. Ordiamur cum Autore a καθαρμοῖς materialiter spectatis, ac videamus, quibus, quamque solidis argumentis probet, eos e Gentium more rituque traductos esse. Ubi primo observat Hebræos in Purificationibus usos triplici materia: 1. *Aqua pura*, *fontana* vel *fluviatili*. 2. *Aqua marina*. 3. *Aqua separationis* Num. 19. Ac initio quidem aquam puram adhibitam ab Hebræis esse, e Levit. XIX. 13. probat: *Et lavet carnem suam* במים חיים *aqua viva*, i. e. juxta Targum & Josephum, aqua fontana. Hinc etiam factum putat, quod Johannes Jordanis fluenta ad Baptismum suum elegerit; quoniam illa purgationi magis accommodata censerentur: & Judæi religione curaverint, ut aqua tantum pura sese expiaverint.

Ethnicos autem non minus quam Judæos aquam puram in Lustrationibus suis adhibuisse, ex *Ovidio*, *Virgilio*, *Hesiodo*, & *Theocrito*, item Plutarcho ostendit, & ex horum vetustate & unanimi consensu probari posse existimat, aquæ puræ usum e gentium institutis in Hebræorum piacula transiisse, cum Gentium ritus legem antiquitate vincant: quod capite sequente probare conatur, quorsum refutationem quoque rejicio.

IV. *Aqua marina Hebræos frequenter esse usos*, ex *Aristea*, *Philone*, & *Epiphanio* probat; atque *hunc morem non minus e Gentium moribus in suos transtulisse* 5. argumentis probare conatur, quæ ordine recensebimus & examinabimus.

1. Petit *e veterum Græcorum & Latinorum testimoniis*, ut *Aristophanis*, *Apollonii*, *Apuleji* & *Taciti*, unde apertum esse ait, *Ethnicos etiam aquam marinam in Lustrationibus suis adhibuisse*.

2. Deinde sic colligit: *nullum in tota lege de aqua in Lustrat. usurpanda præceptum extare*, *sed potius contrarium*, *ut pura fontana uterentur*; ideoque *e sola gentium imitatione factum videri*, *quod Hebræi aquis non fontanis*, *sed marinis tam frequenter abluerentur*.

3. Tradit, *Gentium veterum doctrinæ sacræ simul & Philosophicæ consentaneum esse ut censeamus*, *aquas salsas eos usurpasse primas*; *cum & Gentilium Theologi & Philosophi*, *aquæ salsæ non tantum corporis*, *sed & animæ eluendæ maculas virtutem attribuerint*; quod e *Procli* & *Theocriti* verbis docet.

4. Argum. ex hujus moris antiquitate desumit, cum *e veterum monumentis constet*, *aquam illam in Gentium antiquitate maxime celebrium Lustrationibus*, *ante Hebræos adhibitam esse*, quod ex *Homero* in primis probat & *Fortun. Schac.* conjectura, qui hunc lustrandi aqua marina mortem, expeditione Trojana multo antiquorem sentiat.

5. *Frequentem aquæ marinæ ad lustrandum usum*, *superstitionis ingenium sapere*, *ex Stobæo & Cicerone probat*.

V. Generatim hic notamus, non magni adeo momenti hanc de marina aqua controversiam esse, cum aqua generatim purificationis materia fuerit, cui includi marina potuit. Unde non peccarunt contra præceptum divinum, qui marina aqua e Judæis usi sunt, præsertim ubi alterius copia haud fuit. Idque innuit *Philo*, quando scribit de Judæis templum adituris: *Alii fere omnes aqua pura aspergruntur*, *marina multi*, *quidam fluviatili*, *nonnulli etiam hydriis e fontibus haurientes*. Idem de Ebione Epiphanius tradit.

dit. Itaque nulla ratio suadet opinari, Judæos e Gentium moribus hunc lustradi morem ad suos transtulisse. Argumenta sane a *Spencero* producta id non cogunt, quæ breviter percurremus.

VI. Ad primum igitur respondemus, totum concedendo, Ethnicos ea frequenter fuisse usos; hinc tamen inferri nequit Judæos a Gentibus eum accepisse morem, cum æque facile Gentes a Judæis una cum cæteris Lustrationis ritibus accipere potuerunt istam consuetudinem.

Neque 2. alicujus roboris est. Negamus præceptum esse, ut Judæi fontanam tantum adhiberent aquam. Etsi marina usi fuerunt, facere id libere potuerunt: neque necesse erat, a Gentibus haurire, quod ratio suggessit.

Ad 3. dicimus, nostra nihil referre, quid Gentilium doctrinæ, sed quid vero consentaneum sit & Scripturæ S. quod si vero Judæi imitati in uno sunt Gentiles, cur non in aliis Lustrandi materiis? Nam ut aquam, ita tædam quoque, & sulphur, ac sal antiquitus in Gentilium quarumvis rerum lustratione fuisse adhibita constat. Hic mihi causam dicat Spencerus, cur non idem ad Judæos traductus sit mos? Judæos sanos adhuc nulli aquæ, sive fontanæ sive marinæ, adscripsisse vim purgandi maculas animæ, ut Gentiles, sed soli Deo, vel ex Psalm. LI. 9. liquet.

Quod enim 4. ad Homeri fidem attinet, ei Mosis opponimus fidem atque auctoritatem, utpote Homero longe antiquioris.

Denique si aquæ marinæ ad lustrandum usus superstitionem sapit, non credibile est, Deum Judæorum superstitioni indulgere aliquid voluisse: culpat Servator frequentes βαπτισμὲς ποτηρίων ϰ ξεςῶν apud Judæos, Marc. VII. vocatque ἐντάλματα ἀνθρώπων & παράδοσιν, quibus frustra Deus colatur. Minime igitur vero consentaneum est, statuere, Deum superstitionis a Gentilibus receptæ vel auctorem vel fautorem fuisse. Hoc autem ex Spenceri sententia consequitur.

VII. Hinc ad aquam *separationis* aut expiationis Num. 19. progreditur, ejusque vim & usum ex Hebr. IX. 13. indicat, & fatetur quidem hac in lege veritatem obscuram esse, ac propterea de origine ejus nil fidenter affirmari posse, tamen ne sententiam suam deserere videatur, triplicem causam adfert, cur a Gentibus ad Hebræos pervenerit.

(α) Quia Gentes antiquiores ad puritatem acquirendam non raro etiam cineres usurparint, quod ex *Arnobio*, *Ovidio* & *Virgilio* probat. Hinc probabilius sibi esse, *hunc morem inter Gentes primam originem reperisse, & Deum illum e Gentium initiis in cultum suum transtulisse*, ideoque triplici ratione evincere nititur.

(א) *Ne Israelitæ Gentium Februa veluti suis puriora desiderarent, seque minus expiatos existimarent, nisi cineres essent additi.*

℞. At primum de hoc quæstio est, utrum Februa Gentium tantæ sint antiquitatis, ut Mosis ætatem superent. Deinde de Gentibus verius affirmari poterit, eos noluisse inferiores esse populo Judaico, atque hunc per κακοζηλίαν diabolicam imitatos esse. Pergit

(ב) *Populum illum vetera omnia libenter accepisse, nova animis aversis intuitos esse. Idcirco Deum cineres a Gentibus sumtos, huic ritui addi voluisse.*

℞. Indignum est Majestate Divina asserere, Deum se ita adstringere voluisse ad perversam populi voluntatem; quin potius persuasum mihi habeo, Deum populum suum a Gentium communione seorsim in desertum abduxisse, ut excussa illarum superstitione, sanctissimis suis institutis animos ejus imburet. Quid? quod vetera plerumque sordeant, nova autem magis arrideant. Si ergo Deus dare aliquid populo suo voluisset, nova potius & insueta instituere debuisset, quam vetera relinquere. Nec ullius momenti est, quod

(ג) Adducit: *Si Gentes hebræorum hunc morem imitati fuissent, ab exemplari suo tam longe non recessissent.* Nam ℞. ipsi Pharisæi longe a Lege præscripta suis traditionibus, Hæretici longe a vera Christi & Apostolorum doctrina recesserunt. Quid ni ergo Gentiles, qui e longinquo tantum & obscure Hebræorum sacra intuebantur, longe recedere ab iis potuerunt?

(Arg. β) *Gentes nonnullas solo rationis instinctu monitas, aquam sacris usibus destinatam nota vel charactere aliquo ab aquis cisternæ separasse. Ergo & Hebræis consentaneum fuisse visum*, existimat, *ut eorum aqua lustralis nota aliqua religiosa discerneretur, & infusis animalis cinis ei reverentiam aliquam & sanctitatem conciliaret.* Sed disparrima ratio est Gentilium & Hebræorum. Fecerint illi multa sive solo rationis instinctu, sive κακοζηλίᾳ: Hebræi quæ in Lustrationibus fecere, Dei jussu fecerunt. Largitur nobis ipse *Spencerus*, Deum vitulæ rufæ cineres aqua fontis misceri præcepisse: Ergo Deus quoque notam ejusdem religiosam vel characterem eis impressit. Bene Grotius ad Numer l. c. scribit, Hebraice vocari *constitutionem*: & חקות Græ-

Græce διαςολὰς, ἐντολὰς & ἐντάλματα dici ea, *quæ non ex evidenti ratione naturali, sed ex Dei voluntate ortum habent. Talia omnia sunt de Sacrificiis, præsertim hoc de vacca rufa.* Ejusmodi vero rituum institutio inter alia eo valuit, ut populus Israeliticus per illos ab aliis populis distingueretur. Tantum abest, ut Gentium consuetudinem sequi Deus voluerit.

(γ) Denique sic concludit: *Cum Gentes antiquiores in purgationibus rebus virtute vere purgativa claris uterentur, credere etiam par est, Deum cineres mundationis aqua commisceri voluisse, quod ad mundandum apti essent.* ℞. Concedimus omnino, Deum commisceri voluisse cineres aqua, quod apti ad purgandum essent: sed non sola hæc aut præcipua ratio est. Præterquam enim quod illo ritu distincti Judæi a prophanis Gentibus sunt, alia sublimior ratio aquæ & vitulæ rufæ suberat. Typicam igitur lustrationem hic merito statuimus, ut in omnibus aliis ceremoniarum generibus. Et sane egregie vacca rufa novi fœderis gratiam adumbravit. Qua de re prolixa apud Theologos est tractatio. Mihi duo verba sufficiunt. Quid, quæso, vitula rufa aliud, quam cruentam Christi victimam repræsentavit? Quid cinerum cum aqua mistorum aspersio aliud, quam universalis hujus victimæ sanguinis effusionem, vel etiam sacri baptismatis Christi cruore tincti aspersionem? Nescio sane, quid *Spencerum* moverit, ut illustrem hanc imaginem gentilium tenebris involvere potius, quam divinæ sapientiæ & auctoritati soli attribuere voluerit. Nonne etiam magis consentaneum, & veritati & pietati, solum Deum esse Autorem hujus typi, quam Gentes? Par quoque est credere, singulari de causa factum esse, quod Deus Lustrationi præ aliis vitulam rufam destinare voluerit, utpote omnium brutorum rarissimam ac pretiosissimam, quæ, testibus Talmudicis Doctoribus in *Tr. Berachoth*, auro sæpius æquiparanda erat, ut, cui contigisset ejusmodi vitulus, eum ditissimum imo beatissimum deprædicarent. Hoc unum placet, quod doctissimus vir in fine capitis scribit: *se rationes superiores, ut probabiles tantum in medium protulisse, & lectori integrum velle, eas recipere vel repudiare.* Eadem ergo probabilitate rejicere nobis illas licebit, qua sententiam suam asseruit.

CAPUT II.

An καθαρμοὶ formaliter spectati eidem origini adscribendi sint?

SECTIO I.

Affirmat Spencerus quæstionem, & pro ea adstruenda Argumenta quædam adfert, quæ ordine, ut par est, referemus, & refutabimus.

Argumentum I. petit *e variis hominum exemplis, qui diu ante legem datam usi sunt ablutionibus.* Eo allegat exemplum Jacobi Gen. XXXV. 2. qui familiæ suæ reformationem his verbis aggressus est: *Amovete a vobis Deos alienos* והטהרו *& mundamini, & mutate vestimenta vestra.* Cujus sensum Aben Esram bene assecutum dicit, h. m. interpretando: שירחצו הגוף *ut lavent corpus.* Sic etiam Jonathanem: *purificate vos a pollutionibus interfectorum* &c.

At nego, verbum הטהרו in allato exemplo ablutionem externam a cædibus significare, sed potius internam cordis mundationem notare contendo, ut Psal. LI. aliquoties occurrit. Cui sensui Jonathan non adversatur; Aben-Esræ vero oppono *Raschium*, qui sic explicat, והטהרו מעבודה זרה *& purificate vos ab idololatria*, (quæ est purificatio per μετάνοιαν) sic etiam mutationem vestimentorum non ad lustrationem pertinere, sed idololatriam, sequentis verbis indicat: והחליפו שמלותיכם שמא יש בידכם פסות של עבודה זרה: *& mutate vestimenta vestra, forsitan vobiscum sunt idolorum particulæ.*

Ad locum, quem adducit ex *Jonathane* Genes. XLIX. 1. idem respondere possumus; nulla enim lotionis, sed purificationis tantum mentio ibi fit, & purificatio cordis potius quam corporis intelligi debet.

Deinde adducit exemplum *filiæ Pharaonis, quæ religionis gratia ad fluvium se contulerit.* Sed cum Scriptura hujus lotionis causam prætereat, neque *Spencerus* pro certo affirmare poterit, filiam Pharaonis religionis gratia ad Nilum se contulisse. Neque prophani Autores, & qui hos secuti sunt, ad probationem sententiæ ejus quicquam faciunt. Observatu etiam dignum existimo, quod in Hebræis fontibus non habeatur verbum טהר frequens de lustrationibus, sed רחץ, quod simpliciter lotionem, ut sic dicam, communem, pedum, manuum &c. declarat.

Præterea probare conatur, *Jobum etiam*

qui ante Mosis tempora vixit, se purificationibus illis exercuisse, ex propriis illius verbis, Job. IX. 30. *Si lavero me in aquis nivis & mudavero* בבור *in cisterna volas meas* &c. Sed irritus est viri docti conatus; nam Jobus loquitur de purgatione a peccatis, ut ex versu antecedente liquet. Et manuum lotio in Scriptura S. significat omnium actionum vitæ puritatem & sanctitatem: propterea quod, *Schmidio* docte annotante, externa opera manibus præcipue peraguntur. Psal. LXXIII. 3. eadem phrasis cum explicatione habetur. Adhæc vox בור hic non cisternam, sed *smegma* potius, vel ut quidam Hebræi reddunt, *puritatem* significat. Quocunque vero modo explicetur, nihil pro sua habebit sententia Spencerus.

Denique locum Exod. XIX. 14. profert: quo *Israelitas, legem a Deo accepturos, jubet Moses lavare vestimenta sua*. Ubi vestium ablutione, Magistros Hebræorum totius corporis ablutionem intelligere, e Seldeno observat. Non video, quid hinc probare Noster queat. In usu fuisse lotiones ante solennem institutionem, non negamus: dubium tamen est, an originem ex Gentibus trahant. Et possumus sane hoc in loco lotionem vestium ad literam sumere. Notum e sacris literis est, quod Judæi diebus festis, non minus ac hodie חליפות, vel mutatoriis vestibus usi fuerint, his autem cum destituerentur miseri, præsertim in deserto, ne sanctissimi hujus festi solennitatem, vestimentis per itinerum cœlique injuriam, sordidis, negligere viderentur; mirum non est, si a Mose vestimentorum etiam ablutione se præparare jussi fuerint; cum Deus externum etiam puritatis studium, utpote internæ plerumque indicium, non raro a populo suo efflagitaverit.

Argumentum II. petit *ex discrimine quod inter Gentium & Hebræorum purgationes intercessit*, & *quidem* 1. *respectu materiæ. Siquidem Judæorum purificationes legales, aqua tantum pura, vel vitulæ rufæ cineribus infecta, peragi debuerint: Gentes autem res alias haud paucas ad purificationes suas excogitaverint*, quod tam e sacris, quam prophanis monumentis probare nititur, *utpote Jes.* LXVI. 17. המטהרים *purificantes se & edentes carnem porci, & abominationem & murem*. Verum hoc discrimen probat potius, Deum certis quibusdam ritibus populum suum distinxisse a Gentibus, ut supra innuebamus. In tantum ergo differunt Gentium lustrationes a Judaicis, quantam ἐθελοθρησκεία a vero Dei cultu. Nihil itaque hic locus pro Spencero facit.

2. Respectu instrumenti: *in lege tantum hyssopum, in Gentium autem lustrationibus laurum, vel olivæ ramum, aspergilli locum & usum habuisse*.

3. Respectu modi & circumstantiarum: *Populum sanctum modo simplici purgandi ritus peregisse; Ethnicos plurimis ceremoniis esse usos*.

4. Respectu finis: *Purificationes legales fuisse tantum* δικαιώματα σαρκὸς: *Ethnicos ipsas animæ maculas eluendi virtutem lotionibus suis attribuisse*.

Cum itaque purificationes Ethnicæ & Judaicæ tam insigniter ab invicem discrepent, hinc infert, *non Gentes ab Hebræis, sed Hebræos a Gentibus lotiones religiosas, a superstitiosis & magicis duntaxat repurgatas, accepisse. Si enim*, inquit, *Gentes hunc ritum a Judaismo fuissent mutuatæ, non tam insigniter ab exemplaris sui simplicitate deflexissent, adeo ut quandoque ne umbra in eorum purgationibus deprehendi possit*. Quidni vero diabolus ejusque Sacerdotes, Lustrationis ritum, primo quidem purum ac simplicem e Judaismo acceptum, ut splendore ac solennitate ipsum Judæorum cultum superaret, credulæque turbæ magis arrideret, augere potuissent? Nihil procul dubio omiserunt, quod sive ratione materiæ, sive instrumenti, sive modi & finis splendoris aliquid præ se ferret. Sed hanc ipsam plurimorum sententiam sibi non probari, asserit Spencerus, eamque tanquam falsam rejicit, *cum*, ut ait, *clare pateat, simplicitatem in aliis, cultus Judaici partibus observationi obviam, Deo cultus antiqui formam corrigenti, tribuendam esse: idem hic factum consultius est opinari*. Sed nondum probavit satis prius, & principium, quod dicitur, petit. Posterius ergo concedere non possumus. Præterea negamus, quod purificationes legales fuerint tantum δικαιώματα σαρκός. Nam Apostolus Hebr. IX. 10. non eo sensu, quo Autor putat, varios baptismos, *justificationes carnis* vocat, nempe, quod ad solam carnis munditiem institutæ sint; (eo enim non requirebatur tam solennis institutio) sed quod ex se nihil præstare potuerint. Alias ratione finis & *spiritualis* significationis, suo effectu non caruerunt, quoniam populum ad considerationem bonorum futurorum deducebant, & spiritualia conferebant, non nisi quatenus typus erant, atque adeo aliena virtute & efficacia. Hoc imprimis Apostolus l. c. demonstrare conatur, ut ex ipso contextu planum est.

Ar-

Argumentum III. petit a variis Judæorum Baptismis; quod breviter his verbis proponam: *Si Deus (qui cordis non cutis munditiem spectat) tot frigidos & omni virtute cassos corporis baptismos, in cultum suum recipere dignatus est, aut fecit hanc ob causam* (α) *ut populo Jud. disciplinam tam onerosam imponenendo, dominium suum absolutum ostentaret: Vel* (β) *ut regis mundani ritu, servorum suorum munditie & elegantia se ipsum oblectaret: Vel* (γ) *ex insito in ritus illos carnales affectu: Vel* (δ) *ut cultus sui instituta ad ruditatem Hebræorum, jam ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου δεδουλωμένων, (Gal. 4. 3.) aliquatenus accommodaret, & quod plenam libertatem ferre non norant, sub rituum illorum pædagogia detinerentur*. Priora omnia a Sanctissimo Numine aliena putat, & solum postremam rationem probat. Ad quæ generatim observo, non satis pie a Spencero dici, baptismos omnes Judæorum esse frigidos, & omni virtute cassos. Fuerunt enim futurorum bonorum signa, & virtutem non in se quidem, sed aliunde habuerunt, quemadmodum paulo ante ostensum est. Possem id multis rationibus probare, si non ab aliis abunde factum esset. Sane non convenit in majestatem & sanctitatem divinam, frigidum ritum & omni virtute cassum in suum cultum transferre. Est igitur imperfecta causarum enumeratio in Spencero, qui præcipuam rationem institutorum illorum rituum prætermisit, nimirum eam, quam ex Paulo indicavi. Subdole etiam Autor videtur agere, quando Apostoli verba eo torquet, ut colorem aliquo modo & fucum Argumento suo superinduat, quasi στοιχεῖα τοῦ κόσμου sint Gentilium ritus, quibus assueti fuerint Judæi, & ad quorum ruditatem Deus se accommodaverit. Accommodare se utique voluit Deus ad ruditatem sui populi, non indulgendo ceremonias Ethnicas, sed futura bona gratiæ per ejusmodi στοιχεῖα, typos & imagines deumbrando & depingendo, usque ad plenitudinem temporis; hinc autem inferri non potest hos ritus e Gentium superstitione ad Judæos translatos esse.

Argumentum IV. sumptum est a *naturæ instinctu*. *Quia* 1. *ritus ob cœlum mite in Oriente nulli gravis esse potuerit, ubi cœlum plerumque benignum est & mite*, quod exemplo *Turcarum* indicat, *qui frequentibus gaudeant Lotionibus, easque in prima sanctitatis parte ponant*.

2. *Quia Vitæ puritatem significet tam clare, ut quivis scopum illius intelligat: & illius usus solennis quemvis ad se ipsum, ab omni carnis & Spiritus inquinamento mundandum, excitare possit*.

3. *Gentes sacra omnia ritu maxime solenni peragere solitas. Lotionem autem esse maxime solennem; ac alio ritu cultum suum ridiculum a contemtu vindicare eos non potuisse*.

4. *Quia purificationis ritus hominem a sordibus liberet, fieri potuisse, ut Gentes antiquæ sibi persuaserint eum hominum noxas eluere posse*.

℞. Naturæ instinctus ad ea impellit, quæ naturæ sunt, cui proinde acceptum merito ferimus purgandi ritum a sordibus Corporis: Cacodæmoni vero, quod cœcis persuaserit, ut existimarent, se, mente licet impurissimos, Deo placere. Turcarum exemplum nil probat. Potuit enim Mahomed a Judæo, quem Præceptorem habuit, id hausisse.

2. Ratio, *quod ritus ille vitæ puritatem tam clare significaverit, ut quivis scopum illius intelligere, & illius usus solennis quemvis, Deo præsertim & sacris vacaturum, ad se ipsum, ab omni carnis & Spiritus inquinamento mundandum, excitare* potuerit, pro nobis potius, quam contra nos militat. Inter alia enim idcirco Deus hunc ritum instituere voluit, ut internæ puritatis symbolum semper ante oculos haberent homines.

3. Ratio nihilo melior est: *Gentes sacra omnia ritu maxime solenni peragere solitos, hoc ritu antiquissimo cultum suum alias ridiculum, a contemtu vindicasse*. Quod enim, si quis & hunc ritum profanum & ridiculum judicasset? qualis certe in se est, nisi aliud subsit mysterium, quod sæpe innuimus. Ita ridiculum per æque ridiculum vindicare stolide conati essent.

Ejusdem commatis est 4. ratio, *purificationis ritus, hominem adeo ab omni sorde & veteri quasi cute liberasse, quod ex aquis novus & veluti renatus prodire videatur*. Unde enim Gentilibus tanti mysterii notitia & persuasio de novo & renato homine? Ex solis Israelis fontibus hauriri illa potuit.

Subjungit *Spencerus* coronidis loco virorum clarorum, secum sentientium, ut *Merceri* & *Pinedæ*. Verum hi autores dubitanter loquuntur, *forsan Deum instituisse purificationes in lege, ut populum illum aliarum gentium ceremoniis assuetum, facilius ad mentis puritatem sectandam adduceret*. Forsan Deus id non fecit: imo confidenter dicimus, Deum hoc non *fecisse*; cum indignum sacratissimo Numine sit, a profanis gentibus mutuari aliquid, aut indulgere supersti-

tio-

tioni Populi Judaici. Adhæc, ſi teſtimoniis res ageretur, poſſemus non duo tantum, ſed quam plurima adducere. Verum parco chartis & tempori. Cum igitur nec ſolidis rationibus, nec certis teſtimoniis nitatur *Spencerus*, merito eum deſerimus.

SECTIO II.

Qua elevantur Objecta.

HIC Spencerus, quæ objici ſuæ ſententiæ poterant, conatur evertere. Primam objectionem verbis Cocceji, Pinedam, cujus modo facta mentio eſt, refellentis, profert, qui contra, ait, *certum eſſe, Legem Iſraelitas a plurimis Gentium inſtitutis, Legibus contrariis, abduxiſſe, ut ita* φραγμὸν *&* μεσότοιχον *inter eos conſtitueret & communionem tolleret*. Ad quam ſic reſpondet: *Deum non eo conſilio Gentium purificationes, aut ritus alios, in ſacrorum numerum adoptaſſe, tantum ut populorum ceremonias imitari poſſet, ſed ut moris antiqui tenacem populum ad legem ſuam facilius alliceret; iiſdemque mediis ad hominum ſalutem, quibus olim diabolus ad perniciem, uteretur; & ut Iſraelitæ purificationes, alioſque Gentium ritus, e ſolius Dei præſcripto, modoque peculiari peragentes, eo clarius a Gentium grege diſcernerentur. Deum quidem a plurimis Gentium inſtitutis, legibus contrariis, Iſraelitas abduxiſſe; non tamen animo contradicendi, velut averſionis mutuæ inter Iſraelitas & Ægyptios ſemen ſereret, id feciſſe, ſed quod aliqua inſtituta Gentilium magica, crudelia & obſcœna eſſent; & ſic a ſuperſtitione & impietate, non autem a communione Gentilium avellerentur*. Multa ſpecioſe quidem dicit Spencerus: ſed pauca ſolide probat. Si Deus hac ratione populum ſuum conciliare ſibi voluiſſet & potuiſſet, non video, cur opus habuerit tot tantiſque miraculis? Cur cum tanto auſcultantium horrore atque ſtupore e monte Sinai legem promulgaverit? Cur in deſertis regionibus Populum ab omni gentium commercio avulſerit? Cur per 40. annos, variis pœnis & afflictionibus contumaciam ejus repreſſerit? Si inquam ſuperſtitionibus ejus indulgere voluerit? Ubi φραγμὸς & μεσότοιχος inter Gentes & Judæos, ſi eadem fere utrorumque religio? Abſurdum & impium eſſe videtur, Deum diabolico figmento ad hominum ſalutem uti voluiſſe. Et quomodo *frigidis iſtis omnique virtute caſſis*, uti *Spencerus* vocat, aſperſionibus, ad ſalutem uti potuit DEUS, quibus potius a vera ſalutis via ſuperſtitioſa turba repelleretur? Sed a *Gentium communione populum ſuum ſecernere* voluit; ſcilicet, cum eundem cum Gentibus cultum rituſque exercerent! Nonne hoc felicius fieri poterat, ſi novos plane & a Gentium turba diverſos, populo ſuo præſcripſiſſet ritus? Nec eſt quod Spencerus excipiat, *Deum non ex animo contradicendi, aut lites ſerendi & animos abalienandi, contrarias Iſraelitis legis tuliſſe*. Imo vero voluit ac debuit Deus contradicere, non tantum magicis ac crudelibus, ſed omnibus etiam Gentilium inſtitutis, cum omnia veri Dei cultui adverſentur. Gentiles enim, Paulo teſte, Rom. 1. 20. Deum cognoſcentes, non tamen Deum glorificarunt aut coluerunt, ſed in cogitationibus ſuis ſtulti facti ſunt. Omnino igitur Deus prorſus contrariis legibus Iſraelitas abducere debuit a Gentilium ſuperſtitione. Si enim vel in minimis populo ſuo indulſiſſet, Gentium imitari ritus, facile inde occaſionem arripere potuiſſet, in aliis quoque eaſdem imitandi. Quapropter ſapienti conſilio voluit Deus, ut Judæi nihil commune in ſacro Cultu cum Gentibus haberent, & hac ratione Φραγμὸς & μεσότοιχος inter Judæos & Gentes fieret. Hinc David divina civium ſuorum privilegia decantaturus, magnam Judæorum ab Ethnicis in ſacris differentiam expreſſe ſatis indicat Pſ. CXLVII. v. 19. 20. his verbis: מגיד דבריו ליעקב NB. חקיו ומשפטיו לישראל לא עשה כן לכל גוי ומשפטים בל ידעום הללו יה:

Pergit ad 2. Objectionem Spencerus e libro *Conſtitutionum Apoſtolorum* deſumtam, ubi Deum introducit, populum Judaicum ſic alloquentem: *Præcipio tibi tales quaſdam ſeparationes, purgationes, crebras aſperſiones, lotiones, purificationes, vacationes varias, & in ſingulis horum, niſi parueris, ſupplicium tibi, ut ſervo non obedienti, decerno*. Mox additur ratio, *propter duritiem cordis alligaviſſe eos Dominum ejuſmodi ritibus*. Hujus Objectionis vim Spencerus non poteſt effugere, quando fatetur, *Deum non ob ſolam ſæculi conſuetudinem purgationes illas præſcripſiſſe*, licet hanc cauſam *primariam* exiſtimet, ac dubitet, an, quod auctor ille perantiquus Conſtitutionum aſſerit, *purificationes legales ea ſola de cauſa præceptæ fuerint, ut populum illum, officii ſui nimis immemorem, commonefaceret. Hoc*, inquit, *multo facilius affirmari, quam probari poſſe, judico*. Idem vero dicere de *Spenceri* ſententia poſſumus. Tantum abeſt, ut probaverit nobis, primariam cauſam inſtitutionis rituum

tuum istorum sæculi consuetudinem fuisse, ut ne quidem secundariam causam fuisse concedamus.

Ad 3. Objectionem: *Baptismos Mosaicos internæ puritatis typos & symbola fuisse, eosque a Deo institutos, ut crassam illam, & rerum spiritualium nondum capacem gentem, ad veram internam puritatem quodammodo per emblemata & figuras perduceret, eamque admoneret, neminem nisi a peccatis mundum illius sacra tractare debere*, & consequenter *e Christianismo potius quam Gentilismo fluxisse*, regerit, *se concedere Hebræorum Baptismos, internæ puritatis imaginem prætulisse*; negat tamen, *eam ob causam tam varios lustrandi ritus Deum instituisse*: *sic enim* arguit, *si Israelitæ tam crassi fuissent & rudes, ut prima religionis rudimenta non intelligerent Deum scil. pura mente colendum, ad quid Deus per typos & ænigmata longe obscuriora eos alloqueretur*. Mox repetit quæ supra dixit, *se concedere, quod typicos ob causam Deus ex intentione secundaria istos ritus instituerit*. Ad quæ speciatim aliquid reponere nihil opus est, cum jam in antec. hæc conjectura sit vel negata vel refutata. Interim hic ad voluntatem Dei confugiendum est, cui & verbis apertis & typis erudire populum placebat. Nec typi illi potuerunt esse obscuri Judæis, cum eorum explicationem a Sacerdotibus & Magistris haurire facile fuerit. Deinde experimento constat, rudes & infantes aliquando felicius figuris & picturis, quam verbis erudiri. Sic Apostoli Christi initio tam rudes erant, ut nec prima Christi elementa intelligere potuerint, idcirco per varia ænigmata ac parabolas, animos eorum attentos ac dociles reddit Salvator, donec misso Spiritu S. plene de omnibus erudirentur. Nihil mirum igitur, si rudes & crassos istos Judæos, Deus per typos & ænigmata veri interni cultus admonere voluerit, ut præparati eorum animi, eo attentius & ardentius futuram Novi Fœderis gratiam exspectarent; Atque hæc rituum istorum institutorum primaria causa fuit.

Quartam denique pro vera sententia objectionem aggreditur, quæ hæc est: *Necesse est, ut Gentes a Judæis, non autem Judæi a Gentibus purgandi ritus accepisse censeantur; alias enim non constaret, unde Gentes antiquæ morem illum derivarint*. Quam objectionem ut diluat, observat, *triplici de causa, Gentes lotiones illas præcipue usurpasse*. 1. *Propter communem Judæorum & Philosophorum opinionem, Diluvium nempe magnum mundi* καθάρσιον *fuisse, a Deo immissum, ut terram ipsam lustraret & labem expiaret ab impuris incolarum moribus haustam*. 2. *Propter Conscientiæ stimulum: Homines nocentes, nisi plane induratos, in gratiam cum Deo, ut redeant, quæsivisse, hincque juxta Herbertum, ritus purificationum prodiisse*.

3. *Religionem naturalem exigere, ut sacra cum solennitate peragantur, hæc autem ritu nullo, quam corporis lotione exprimi potuisse facilius*. Quid fabulati veteres sint de virtute purgatrice diluvii, constat; sed num inde occasionem sumserint, lotiones fingendi, non constat; nec probavit Spincerus ullo testimonio. Ad cætera respondimus supra. Gentes opinionem de Diluvio magno habuisse, vel ex Justino constat, sed illud mundi καθάρσιον credidisse, probari non potest.

Ad 2. Homines nocentes, ut in gratiam cum Deo redeant, quærere, concedo; quod autem lustrationibus id fecerint, nego.

Ad 3. Antea responsum fuit.

CAPUT III.

An Hebræorum καθαρμοὶ finaliter spectati e Gentium moribus initia petierint?

SECTIO I.

I. HIc Spencerus agit de *purificatione ad munditiem, qua tactu cujusvis rei immundos, vel macula legali contaminatos usos esse* dicit, ac propterea *Judæos fluvios, latus, piscinas & fontes, quibus abluerentur: nec tantum publica* καθάρματα *sed & in privata in parato habuisse*.

Missis illis, quæ prolixe & otiose disputat *Spencerus*, de purificationum ad munditiem institutorum occasione & locis, ad argumenta statim progredior, quibus evincere conatur, nonnullas immunditias, aliquos etiam mundandi ritus ante Mosen obtinuisse, & Deum mundandi disciplinam non plane novam, sed a Gentium superstitione repurgatam, Israelitis imposuisse. Horum *primum* petit ex *singulari illo & ab omnibus gentium lustrationibus tam dissito modo purgandi*, quo polluti aqua lustrali, e vaccæ rufæ cineribus facta, se aspergere tenebantur. Hunc ideo a Deo institutum censet, ut populum suum a Gentium Febrius avocaret, & ab iis distingueret, quod tribus rationibus asserere conatur, quæ tamen eædem sunt cum asserto ipso, quod probandum est, unde non necesse est, ut iis recensendis immoremur, cum le-

lectoris tædio. Docta, imo ne docta quidem garrulitas eſt, idem per idem, incertum per æque incertum probare, & ubique principium, quod ajunt, petere. Interim grato animo accipimus, quod dat dicitque, Deum ἁγνείας οἰκείας populo ſuo præſcripſiſſe, ut a Gentilibus clare diſtingueretur. Quod cum ita ſit, quomodo affirmare poteſt *Spencerus*, Hebræorum καθαρμοὺς finaliter ſpectatos e Gentium moribus initia habuiſſe. Nec congruit ſatis hoc aſſertum cum eo, quod ſupra negavit, Deum animo contradictionis ſtudioſo leges rituales Judæis tuliſſe. Ita ſibi vir doctus non conſtat, ſed contradicit, dum aliis contradicere ſtudet. Idem dicendum eſt de ſequenti argumento.

Arg. II. nititur auctoritate *Maimonidis*, ex Arabicis ſcriptis referente, *Zabios ante Moſis tempora, magnos labores habuiſſe circa pollutiones. Hinc inferre* Maimonidem dicit, *Deum legem de immunditie ea præcipue de cauſa ſtatuiſſe*, ut *hominem a laboribus illis & moleſtiis ſublevaret, & Zabiorum immunditias intra limites arctiores coerceret. Sic etiam Ægyptios ante Moſis tempora, puritatis & immunditiæ leges habuiſſe aliquas, ex Scriptura S.* probare conatur, ſcil. Gen. XLIII. ubi de ſervis Joſephi ita: *Ægyptii ſeorſim appoſuerunt cibum* &c. כי תועבה *quia abominatio Ægyptiis illud, nempe ob impuritatem aliquam, quam e gentium exterarum uſu ſe contrahere* exiſtimabant, ut quibuſdam viſum ſit auctoribus, quos eo magis ipſe ſequitur, quod verſiones per *pollutionem, immunditiam* תועבה expreſſerint. De *Zabiis* vel *Sabæis* non vacat jam prolixe diſſerere, nec opus eſt; cum alii hanc operam dudum occupaverint. Id tamen *Spencerus* prætermittere haud debuiſſet, quod *Maimonides*, cujus auctoritate fretus eſt, tradit, craſſiſſimæ illorum ſuperſtitioni legem Moſaicam e diametro fere & ex profeſſo oppoſitam fuiſſe. Vid. *Hotting.* Theſ. Phil. L. I. cap. 1. S. 8. unde non probabile eſt, quod Sabæorum leges Deus contraxerit & retinuerit. Fuiſſe apud Ægyptios purificationum uſum, eam ob cauſam, quam Spencerus adfert, non concedimus. Nec verſiones cum a fontibus deflectant, quicquam habent ponderis; inter תועבה enim, quod *abominationem* ſignificat, & *pollutionem, immunditiam*, magna eſt differentia. Omnia quæ abominamur, non ſtatim immunda ſunt. *Raſchi* vero quem hic ſequimur, ex *Targum Onkelos* felicius veram hujus ſeparationis cauſam aſſecutus videtur, qui ad verba: כי תועבה hunc in modum commentatur: דבר שנוי הוא למצרים לאכול את העבריה ואנקלוס נתן טעם לדבר ארי לא יכלין מצראי למיכל עם עבראי לחמא ארי בעירא דמצראי דחלין לה עבראי אכלין: *Res exoſa eſt Ægyptiis edere cum Hebræis, & Onkelos rationem hujus reddidit* h. m. *Ecce non poſſunt Ægyptii cum Hebræis edere panem, quia animalibus, quæ colunt Ægyptii, veſcuntur Hebræi.* E quibus patet, quod non pollutionis periculum ſed animalium cultus Ægyptios a communione Hebræorum abſtraxerit.

Arg. III. *Hebræos καθαρμῶν duplicem, luſtrationem ſcil. a cæde, & præparationem ad ſacra e ſæculi moribus potius, quam legis præſcripto petiiſſe*, probat ſequentem in modum.

Quia (α) *Iſraelitæ a cæde, bello licet legitimo commiſſa, ſe luſtraverint*, Num. XXXI. 19. 20. ob ſolum ſeculi morem, quem e Seneca & Virgilio oſtendit. (β) *Quia Iſraelitis ante legem a Moſe acceptam, ad ſacra ſe præparaturis mandaverit, ne appropinquarent ad uxores*, Exod. XIX. 15. Atqui *Gentes ſacra tractaturas a Venere legitima abſtinuiſſe*.

℞. Ad (α) Spenceri *videtur* per *non videtur* refutatur. Nec rationi conſentaneum eſt, Moſen ſeculi tantum moribus obſequentem, Iſraelitis a cæde recenti regreſſis, hanc luſtrationem impoſuiſſe, ne Ethnici ipſam Gentem ſanctam puritate vincere viderentur; Moſes in ea ferenda lege non moribus ſeculi, ſed Dei mandato obſecutus eſt. Deinde luſtratio a cæde pertinet ad generale præceptum de luſtratione a mortuis vel aliis rebus immundis, id quod *Raſchi* non ignoravit במי נדה כדין שאר תתחטאו inquit טמאי מתים: mundate vos aqua ſeparationis (vel vitulæ rufæ cineribus miſta) juxta legem cæterorum mortuorum, tactu polluentium. Quid enim facilius in prælio, quam occiſorum cadavera tangere? Non miramur itaque Moſen hanc in bello contractam immunditiam voluiſſe expiari. Ad (β) ℞. Non ſequitur Moſen hanc legem a Gentilibus didiciſſe, vel accepiſſe, etiamſi largiri velimus, eam inter Gentiles hujus ſeculi floruiſſe. Nonne magis pium eſt aſſerere, Moſen juſſu divino, vel inſtinctu Spiritus S. hanc abſtinentiam a Gente præſertim libidinoſa efflagitare, qua ejus animos ad preces fundendas præpararet magis? Neceſſarium profecto erat, ut omnia media adhiberentur, quibus attenti eorum redderentur animi, ad recipienda præcepta divina, publice demum promulganda.

IV. Argument. deſumi ex iis vult, quæ L. I. *de Leg. Hebr. forenſibus cap.* 8. 1.

8. 1. *de personarum immunditiis earumque speciebus*, 2. *de rationibus eas instituendi maxime probabilius*, 3. *de earum origine & antiquitate*, 4. *de rerum etiam immunditiis*, prolixe disseruit; sed quia nimis longum foret ea omnia transcribere & refellere, ac pleraque etiam hic tacta sint, hisce acquiescimus.

SECTIO II.

De Purificationibus ad cultum.

PUrificationes sive lotiones manuum vel corporis Spencerus dicit Hebræos præmisisse aut *precibus*, aut *sacrificio*, aut *cum in templum introire vellent*: morem hunc triplicem, ubique Gentium obtinentem, institutioni divinæ causam & originem tribuisse. 1. *Precibus vacaturos* se lavisse, colligit ex *historia Judithæ* cap. XII. 7. 8. Postea ex *Clem. Alexand.* probat, *Ethnicos non nisi lotis manibus orasse, & morem hunc esse Judæorum. Judæos hodie etiam synagogas ingressuros manus lavare. Hanc autem religionem a Gentibus esse mutatos* colligit; (α) *Quia nusquam hæc lex reperiatur instituta.*

(β) *Quia Gentiles lotiones illas εὐκτικὰς iisdem circumstantiis peregerint, ut ex Clem. Alex. it. ex histor. Judithæ c. XII. 7. constet.*

(γ) *Quia Ethnici lotiones hasce diu in usu habuerint, antequam Judæi suos in mores eas induxissent, & ante Judithæ tempora eas fuisse non legatur.* Etiam *ante Hesiodi ætatem eas fuisse, ex Gentium omnium usu* probare conatur.

(δ) *Quia Tertullianus lib. de Orat. inter alios etiam hunc morem tanquam vitiosum, superstitiosum ac origine Gentilem, suo jam seculo in Christianorum ritus irrepsisse* queratur.

℞. Hæc breviter perstringemus, eo magis cum nihil soliditatis habeant adductæ rationes. (α) Negat lotiones religiosas, præcepto aut exemplo in Scriptura subnixas esse. At vero Exod. XXX. 18. seqq. Deus jussit confici כיור נחשת לרחצה *fontem æneum ad lavandum*, & statuto perpetuo sancivit, ut *Aharon & filii ejus* sacra facturi sese lavarent. Ad sacra vero etiam preces pertinent, has igitur facturus lavare se debebat. Hoc exemplum secuti deinceps procul dubio Israelitæ sunt. Ita & præceptum, & exemplum *Spencerus* habet. Sane credibile est, Judæos potius Sacerdotes suos quam Gentiles æmulari voluisse.

(β) Nec eædem cum Judæis Gentilium circumstantiæ, quicquam ad firmandam sententiam *Spenceri* faciunt, cum eadem probabilitate inferre liceat, Gentes lotiones illas εὐκτικὰς a Judæis accepisse. Deinde etiam circumstantiæ non satis congruunt, nec validæ ad concludendum sunt. Quam mirabilis enim consequentia est, Gentiles cum precari statuissent, aqua marina si præsto esset, manus abluebant; idemque Judæos etiam fecisse *Aristeas* indicat; ergo Judæi a Gentibus istum ritum accepere. Sed de his plura diximus suo loco. Turcas fatetur *Spencerus* a Judæis hausisse sacram lotionem, cum eodem modo asserere potuisset, illos a Gentilibus accepisse, qui ergo negabit, Gentiles a Judæis transsumsisse lotionem εὐκτικὴν?

(γ) Etiamsi non legeretur in sacris literis, hasce lotiones ante Judithæ tempora in usu fuisse, non tamen hinc inferri potest, ab Ethnicis illas Judæos accepisse; tum si verum est, quod Judith lotione εὐκτικῇ usa fuerit, sequitur quod etiam ante Judithæ tempora lotio ista in usu fuerit. Interim nulla necessitas cogit, ut credam, lotionem *Judithæ* præparationem ad preces fuisse, cum potius verisimile sit, eam pulchritudinis causa hanc lotionem suscepisse, ut se eo felicius, ad perpetrandam cædem Holoferni commendaret. Ad Psalmistæ verba Psal. XXVI. 6. *lavo in innocentias manus meas*, unde nonnulli ritum illum, saltem tempore Davidis, inter Hebræos viguisse colligunt, *Spencerus* respondet, *ea nec de precibus, nec de lotione precibus premissa loqui.* Verum sufficit, si ad solennem ablutionis ritum alludat, quod vix negari potest. Ex Deut. XXI. 6. constat lavasse manus illos, qui se puros a scelere testantur. Quo respicere Davidem, diserta litera docet, & mox *Spencerus* sui oblitus concedit, allusum esse ad morem Hebræorum, qui sacrificaturi, innocentiæ propositum solenni manuum lotione professi fuerunt.

Denique (δ) *Tertulliani* locus nihil nobis obest, quia fatemur temporibus N. T. cessare debuisse ceremonias omnes: & quamvis D. Pater istum ritum paganum vocet, non tamen vel negat, vel asserit, an origine Paganus vel Judaicus sit.

Ex his etiam judicari nullo negotio potest, quid II. *de purificatione sacrificia præcedente* habendum sit; hanc enim similiter *Spencerus* a Gentibus ad Hebræos derivatam, sequentibus rationibus conficere vult:

1. *Quod lotiones sacrificiis præmissæ, ante Mosis ætatem diu in usu fuerint,* quod probat (α) exemplo *famulorum Ja-*

Jacobi Genes. xxxv. 2. (β) Deinde *ex Diodoro Siculo, qui primorum Ægypti regum morem referens* id testetur; *primos autem Ægypti regum ante Mosis ætatem floruisse.* (γ) *Quia tot Gentes, Syræ, Ægyptiæ, Græce, Romanæ, omnes, ingeniis, linguis, moribus, terrarum spatiis ab invicem dissitæ, & divisæ, adeo in ritus hujus usu conspirent. E cum a Patribus quibusdam communibus, una cum sacrificiorum religione derivatum esse* NB. *Se enim credere non posse, illum ex obscura Gente Judaica & parvula effluxisse.*

(§.) *Morem illum temporis simplicitati esse consentaneum.*

℞. Ad (α) loc. Gen. xxxv. 2. jam antea responsum fuit. At (β) Diodorus Siculus tantæ auctoritatis non est, ut obtineat a nobis assensum. At (γ) si vel maxime largiri velimus, Gentes hunc ritum a Patribus quibusdam communibus una cum sacrificiis accepisse, inde nondum id sequitur, quod putat Noster. Nam Patres communes potuerunt esse Judæi, vel si altius ascendere velis. Noachus cum filiis. Imo non opus est ad Patres recurrere, sed si quod vult *Spencerus*, naturæ instinctu ortus ille ritus est, in omnibus fuit. Sed falsum est Judæorum Gentem fuisse obscuram, cum ipsius fama ad dissitas maxime regiones pervenerit. Quod exemplo reginæ Æthiopium, visendi Regis Salomonis cupidine accensæ, clare patet. Imo Patriarchæ, & Patres longe anteriores in magna semper apud Gentes celebritate, ac Regibus etiam Principibusque æquales habiti fuerant, ut vel e Jobi Abrahamique exemplis liquet. Quod autem *Spencerus* credere non potest, e Gente Judaica ad exteros Lustrationis ritum emanare potuisse, facile credo, quoniam falsa opinione imbutus derogare veritati quovis modo nititur. At (δ) cur simplicitas hujus ritus non æque convenire poterit Judæis, quam Gentibus? Certe Deus simplicitati hujus populi consulere gestiens, talem potissimum illis præscribere potuit modum.

2. *Quia de hac ceremonia in obeundis sacris nullum præceptum extet; Deum sacerdotes quidem Altari ministraturos, non autem plebem ad lotionem hanc adstrinxisse, nisi rei alicujus impuræ contactu pollutus quis esset. Cum itaque quilibet etiam e plebe Judæus, mundus licet & nulla lege devinctus, eo ritu sacra facturus uteretur, sequi* dicit, *quod e Gentium ritibus eum Judæi retinuerint, præsertim cum sacerdotes ad legem hanc devincti essent, eosque tanquam exemplum imitari possent.*

℞. Si Plebeji sacerdotes tanquam exemplum imitari potuerunt, non erat necessarium, ut hanc in sacris obeundis ceremoniam a Gentilibus discerent. Deinde, cum cæteris suis legibus, veluti de decimis, jejuniis, majora sempre incrementa dederint Judæi, æquum est existimare, quod forte idem in Lustrationis ritu fecerint.

Pergit 3. *Quia lotionis Sacerdotalis circumstantia, cum Gentium lotione fere conveniat; Ergo & ipsam lotionem e Gentium ritu originem duxisse. Nefas enim habuisse Judæos imitari morem Gentium, nisi etiam ipsam lotionem accepissent.*

℞. 1. Non sequi id. 2. Inverto potius argumentum: cum Gentes eadem in lotionibus ante sacra circumstantia cum Judæis usi fuerint, sequitur eas & ipsam lotionem a Judæis accepisse.

Jam progreditur ad III. scil. *lotionem, qua se præparasse* dicit *Sacerdotes simul & Hebræorum vulgus, prius quam templum ingressi essent.*

De *Sacerdotibus*, *constare* dicit; ex Exod. XXX. 18. 19. 20. Item ex *Talm.* in *Joma* cap. 3. §. 3. *Judæos vulgares non minus lotione usos esse, testimonio* Josephi *simul &* Philonis *comprobat, ut etiam Pauli Actor. XXIV.* 18. *Gentiles quoque templum adituros se lavacro purgasse*, probat variis iterum argumentis.

Quia illa curiosa lavandi consuetudo (cum non tantum manus ac pedes, uti jussi erant Exod. XXX. 20. ingressuri in tabernaculum; sed etiam totum corpus, ingressuri in templum Salomonis, lavarent:) diu post tempora Mosis exordium sumserit, neque ullo nitatur instituto. Hebræos igitur morem illum a Gentibus accepisse, quæ se totas frequenter abluerint, quod imprimis e Justini martyris testimonio declarat.

2. *Quia constet, Ægyptios fuisse primos, qui homines amplexu fœminæ pollutos, & nondum lustratos, ab ædium sacrarum aditu arcerent, teste Clem. Alex.*

3. *Quoniam certum sit, Gentes exteras primam templis originem tribuisse; easdem ergo etiam templis suis prospexisse, ut honor eisdem tribueretur, præsertim hoc ritu naturæ convenientissimo.*

4. Arguit, *lotiones illas apud omnes Gentes, a remotissima rerum suarum memoria receptas, multis veterum autorum testantibus; Ergo vetustiores, & ab antiquis Gentium moribus ortas esse.*

Christianos etiam veteres Ecclesiam nonnisi lotis manibus ingressos esse dicit; *hinc inferendum* censet, *hunc ritum eos a Gentibus hausisse; vel ab Ægyptiis, vel a communibus mundi Patribus.* Denique *Justino*

stino martyri, qui lotiones Ethnicorum in templorum aditu frequentes, dæmonibus divini cultus æmulis tribuit, opponit *S. Chrysostomum*.

℞. Ad 1. Etiamsi illa lavandi consuetudo nullo nitatur præcepto divino, & diu post tempora Mosis initium ceperit, tamen non sequitur, Hebræos a Gentibus eam accepisse; datur enim adhuc alia ratio, anxia scil. populi cura, atque periculum, ne si quando impuritatem contraxisset, se immundum Deo sisteret. Huc accedit ficti hominum cultus proprii mira delectatio ac confidentia. Hinc factum est, ut Pharisæi aliique Judæi, teste Servatore, electitio variorum βαπτισμῶν cultu magis, quam divinis gauderent institutis. Cum hoc verissimum sit, quis inficias ibit, Gentes hunc etiam ante sacra se lavandi ritum a Judæis haurire potuisse; quem deinde per κακοζηλίαν variis ritibus ac ceremoniis augere, vel etiam insigniorem reddere voluerunt? Vel si maxime unam alteramve circumstantiam purificationis a Gentibus deinde mutuati fuissent, non tamen de toto purificationis ritu, vel ipsa purificatione ejusque origine valebit, quæ est & manet divina institutio.

Ad 2. Nec Clementi Alex. fidem habemus, nisi & ille certis ac indubitatis rationibus probet, Ægyptios fuisse primos, qui pollutos ab ædium sacrarum aditu cohiberent.

Ad 3. Licet concedamus, templa ante Mosis tempora in usu, eaque primitus a Gentibus exteris profecta esse, non inde statim colligi potest, eosdem quoque homines sacrorum ritus invenisse. Imo credibile est, Patriarchas ubi fixam stabilemque sedem accepere, locum sacris destinasse: ita Abraham in אלון מורה docuit. Sed hæc de Origine templorum disceptatio alium locum & doctiores postulat.

Ad 4. Testimonia veterum omnia, quæ adducit Spencerus, tantam hujus ritus vetustatem probare apud Gentiles non potuerunt. Ergo vanus est & labor atque opera *Spenceri*. Quod ad veteres Christianos attinet, concedi potest, eos hunc lustrandi ritum a Gentibus hausisse, quem tamen prius Gentes a Judæis hauserunt. Sed de his antea. Justini Martyris autoritatem merito Chrysostomo opponimus, cum & hoc antiquior sit, & cum veritate Scripturæ magis conveniat.

CAPUT IV.

An Hebræorum καθαρμοὶ modaliter spectati, ab antiquo Gentium usu sumti sint?

TRiplici ratione Hebræos purgationes suas celebrasse, notat *Spencerus*, nempe:

1. *Corporis immersione*: 2. *aut manuum pedumque lotione, aut* 3. *aquæ aspersione*.

De duobus prioribus modis se egisse asserit *cap. superiori, & probasse, ex Gentibus eos esse ortos*.

Ritum aspersionis e Gentium moribus ortum; probare conatur *argumentis*, ut ipsemet fatetur, *probabilibus saltem, cum omnia vetustatis tam remotæ tenebris operiantur*.

Quia 1. *Hebræi cum Ethnicis in aspersionis rittu conveniant*, quod ex *Virg.* & *Ovid.* probat, sed satis obscure.

Quia 2. *Gentium antiquiorum religionis morique consonum sit, curiosos hosce nunc lavandi, nuc aspergendi ritus, primo ab illos excogitatos esse & usurpatos*.

Quia 3. *Hebræorum ritus aspersionis* (adhibitis scil. cineribus vitulæ rufæ) *plane dissimilis sit ritui Gentium, ut sc. discerneretur ab Ethnicorum aspersionibus, in idolorum honorem factis*.

Quia 4. *alia ratio solidior dari non possit, cur Deus simul lavandi & aspergendi ritum in cultum suum recipere vellet, quam ut morem receptum rudi populo relinquendo, lenitate sua illi blandiretur*.

Argumenta hæc Spenceri cum nihil fere ponderis habeant, nec ipse iis fidat multum, ac in superioribus semel iterumque discussa sint, operæ pretium haud esse duco, prolixe ea refutare. Quare hic finio, cum jam præter opinionem & modum fere excrevisse dissertationem videam. Si aqua alicubi hærere videbitur; non morabor & ego eidem subscribere ipse. Fateor enim e pulvere scholastico non tantum otii relictum fuisse, quantum & argumenti dignitas & Spenceri subtilitas requirebant. Facile ergo excusatum me habebit benevolus Lector, si non ubique ei satisfecero. Disputandi argumentum duntaxat dare volui, quia dandum fuit. In reliquis nolo aquam perdere. Igitur quod restat reliquumque est, Deo T. O. M. gratias solvo decentes, pro præstita e fontibus salutis aqua limpidissima & saluberrima. Quam ut indies affluentiorem experiar, est quod enixe peto atque supplico.

JOHANN. HENR. MAII DISSERTATIO DE PURIFICATIONE MIRABILI SINGULARI,

Et singulariter mirabili.

PRÆFATIO.

FRequentes admodum lustrationes purificationesque apud profanas gentes & populum Judaicum olim viguisse, nemo est, qui ignoret, licet de origine illorum rituum non una sit eruditorum sententia; aliis ad Hebræos eam revocantibus, aliis contra e Gentilismo derivantibus. Pro posteriori sententia acriter pugnavit *Joannes Spencerus*, Anglus, peculiari Dissertatione, quam superiori anno in alma hac Ludoviciana refutatam & publico examini a doctissimo quodam Pædagogii Giessensis Magistro, Præside hoc ipso meo Præside & Patre in Christo maxime venerando, subjectam vidi, indeque occasionem nactus sum, nobili huicce argumento inhærendi. Sed arctioribus me continebo limitibus, & eas duntaxat lustrationes illustrare conabor, ad quas Jesaias populum Judaicum deducit, quasque David respexit, quando a Deo se lustrari purificarique petiit. Quod argumentum ne illotis tangam tractemque manibus, omnibus puritatis fontem & illustratorem rerum omnium, Patrem luminum, rogo atque obsecro, ut mentem meam ab omni impuritate ac cœcitate purget & illustret per Spiritum S. propter Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

Verba Textus expendenda:

Jes. I. 16. 18.

רחצו הזכו הסירו רע מעלליכם מנגד עיני:
אם יהיו חטאיכם כשני כשלג ילבינו אם
יאדימו כתולע כצמר יהיו:

Versio Latina Nova Vatabli:

Lavate, mundos facite, auferte malitiam studiorum vestrorum a conspectu oculorum meorum. Si peccata vestra fuerint ut coccus, nive reddentur albiora: si rubuerint instar purpuræ, sicut nativa lana fient.

Psal. LI. 9.

תחטאני באזוב ואטהר תכבסני ומשלג אלבין:

Versio Vulgata.

Asperges me hyssopo & mundabor: lavabis me & super nivem dealbabor.

I. DE Purificationibus universe agere nihil attinet, & nimis prolixum foret, si totum hoc argumentum persequi vellem: sed ea duntaxat attingere animus est, quæ tangere atque respicere David & Jesaias videntur. Forte tamen lustrationibus omnibus aliquid inde lucis adspergetur.

II. Certum exploratumque omnibus interpretibus esse opinor, quod Jesaias, vel Deus potius per Jesaiam, populum Judaicum, peccatis inquinatum, ad singularem prorsus mirabilemque purificandi rationem cohortetur, ac talem quoque David respiciat, quando purgari se ab ipso Deo petit. Eam vero Leviticam & ceremonialem haud esse, facile e verborum rerumque serie liquet. Opponit enim uterque, & Jesaias & David, καθαρισμὸν, de quo loquitur, legalibus purificationibus. Quale quid etiam cœci alioqui Judæi hic viderunt, quando de pœnitentia Jesaim loqui censent, quemadmodum ex ipsorum commentariis liquet. Sic enim Targum Jonathanis Uziel. verba circumscribit: תובו לאוריתא וארכו מהוביכון *revertimini ad* Le-

Legem, *& purificamini a peccatis vestris*. Quæ explicatio niti videtur sequentibus in Textu verbis. Unde *R. Salomo Isacides*, *Jarchi* vulgo dictus, e veterum, ut ex *Abarbanele* colligo, placitis observavit, decem a Propheta verba adhibita fuisse, של לשון תשובה quæ pœnitentiam indicant. Idem procul dubio voluit *R. David Kimchi*, quando verbis רחצו והזכו innui scripsit רחיצת הלב וזכותו *lotionem cordis ejusque purificationem*, sine qua nec sacrificia, nec preces oblatæ Deo placebant, sed frustra erant; quemadmodum diserte Jehova ostendit in præcedentibus commatibus.

III. Hinc colligere promtum erat Judæis, ritus istos, alioquin imperatos, Deo non placere, si absit pœnitentia & animus purus: siquidem ipsæ lotiones exteriores & ceremoniales commonere eos debebant de interiori cordis puritate. Idem inferre de circumcisione, ac aliis in lege præceptis, licebit. Quapropter stolidi sunt Judæi, qui operi, quod vocant, operato confisi, seipsos misere decipiunt, ac dum puros se putant, in impuritate pereunt. Beati tantum sunt καθαροὶ τῇ καρδίᾳ (Matth. v. 8.) ברי לבב (Psal. LXXXIII. 1.) Hanc puritatem unde & quomodo consequi se posse existiment Judæi, edisserant. In & apud se non reperient. Quis enim, teste Jobo XIV. 4. *dabit mundum de immundo? Sumus instar immundi omnes nos, & ut vestis menstruatæ omnes nostræ justitiæ*, Jes. LXIV. 5. Neque ad זכות sive meritum Patrum provocare possunt, aut debent, quemadmodum identidem faciunt. Omnes atque singulus compellat Deus verbis רחצו הזכו indicatque, nihil valere, nec preces, nec sacrificia, nisi quisque se lavet & purificetur; multo minus ergo Patrum valebit impura puritas. At quænam illa aqua, quis sanguis, quodve medium est, a peccatis purgare valens? Nullum sane apud homines; sed valet hic dictum Domini Jer. II. 22. *Si laveris te nitro & multiplicaveris tibi smegma, maculas tamen habebit iniquitas tua coram me*. His verbis videtur vates ad vestes candidas alludere, quibus Israelitæ, pro more apud Orientales recepto, se se ornabant, ac, ut eas mundas nitidasque efficerent, varias artes adhibebant, נתר in primis & בורית quorum illud *nitrum* quidem vi literarum sonat, diversimode tamen ab Interpretibus redditnr, cum bis tantum in sacris literis occurrat, hic & Proverb. XXV. 20. Quidam generatim explicant de re vestes purificante, ut *Aben Esra & R. Levi Ben Gerschom:* nonnulli apud *Kimchium* de alumine, sive de vase ex alumine facto, in *Kelim* cap. II. Mischna I. Quod tamen refellit *Maimonides*, ac ipse alia vasa intelligit confecta ex materia adhærente (הטפל) v. g. calce, cæmento, gypso, quæ facile in aqua liquescat &c. Verum simplicissime *nitrum* interpretamur, ut *Matthesius* in Sarepta, Concione XI. exposuit, qui multa ad loca adducta & vocabulum *nether* illustranda spectantia attulit, & docte quoque conjicit, בורית *borith* esse aurifabrorum Borris vel Borar effodique e terra, unde & nomen Hebraice habeat, aut herbam acrem & salsam, fullonibus usitatam, & Vulgata Malach. III. 3. reddidit. Quæ posterior sententia magis arridet, eamque *Levinus Lemnius* in Explic. Herbarum Biblicarum cap. X. tuetur, observatque, veteribus Medicis στρύθιον vocari, & habere *incredibilem vim in eluendis maculis & imbuendis candore lanis;* hinc a ברר potius, quod est *purgavit*, *mundavit a maculis*, quam ברה *fodere*, ut *Matthesius* existimat, nomen accepisse mihi videtur, ac propterea quoque nonnulli generatim *puritatem*, alii *saponem* reddunt. In Talmude sæpius legitur, & inter quinque (Cod. *Schabbas* fol. 89. 2.) vel septem (Nidda fol. 61. 2.) species referunt, quibus vestes albicant, & maculatæ ex menstruo sanguine vesti illinunt, ut sunt: *Sputum jejunum*, *aqua fabarum*, *urina*, *nitrum*, *borith*, *cimonia*, vel cimolia, & אשלג *aschleg*; nil tamen certi definiunt, quid sit. Ad institutum nobis sufficit, quod Jeremias æque ac Jesaias, aliique sancti Dei viri, populum Judaicum ab externis illis lotionibus atque purificationibus, quibus inhærebant, unice, ad interiorem cordis purificationem revocent, ac in primis ad *fontes salutis* deducere studeant, qui e Messia promanant, Jes. XII. 3. Inde fluunt *aquæ puræ*, quibus Ezech. XXVI. 25. Deus aspersurum se Judæos promisit, *ut puri fiant ab omnibus impuritatibus suis*. Indicant ergo subinde Prophetæ, Israelitas, qui aqua lavarentur & sanguine aspergerentur, adhuc vero lavacro indigere.

IV. Quodnam vero salutare illud lavacrum sit, quo ablui purgarique a peccatorum sordibus queant homines, nunc dispiciemus. Miserrimos enim mortalium esse oportet eos qui, cum sciant iniquitatum labe ita se turpiter inquinari ac fœdari, ut accedere ad Deum, omnis boni fontem atque datorem, haud debeant, eique nec sacrificia, nec preces placere, nisi loti bene purgatique sint, tamen nesciant, quonam modo purgare se debeant. Ignorare autem hoc voluisse

ſe Deum peccatores, qui toties eos ad puritatis veræ fontes, ſive, ut Jeremiæ utar formula מקור מים חיים *ſcaturiginem aquarum vivarum* revocavit, vel cogitare, religio nobis ſit. Quapropter ſic omnino ſtatui debet, luſtrationes ſive ῥαντισμοὺς & βαπτισμοὺς legales pretioſioris ſanguinis aſperſionem ſignaſſe, ac eſt victimarum ſanguis, & aqua luſtralis, e cinere vaccæ rufæ confecta. Id quod Paulus cum Hebræis diſputans diſerte, non uno in loco, demonſtravit, clariſſime vero his verbis: *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus ſanctificat ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, purgabit* (καθαρεῖ) *conſcientiam veſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi*. Ibidem & de ſanguine fœderis, aliiſque hoc argumentum illuſtrantibus rebus, loquitur. Conf. *Guilielm. Outram*. de Sacrific. L. I. cap. XVIII. & *Cocceji* curas majores in Jeſaiæ Prophetiam ad h. l. Lotionum ergo purificationemque per ſanguinem Jeſu Chriſti indigitare Jeſaiam, haud abs re credimus, ſolus enim ille nos mundat ab omni peccato, I. Joh. I. 7.

V. Hæc ita ſe habere, Chriſtianis facile perſuadebimus, at Judæis forte non item, quibus mirabilis hæc purgandi ratio ſtultitia videtur. Diſpiciendum ergo, quomodo & his aliquo ſaltem modo tantum myſterium perſuaderi queat. Ubi primum oculos animoſque intentos habere velim in Davidem, qui cum luſtrationes ſacrificiales mente illuminata luſtraſſet, nihilque præſidii in iis ad peccatorum purgationem (v. 18.) habere poſſet, ad Deum ipſum converſus, ab eo deleri ſuas prævaricationes, (v. 3. 11.) ab eo ſe lavari bene multumque ab iniquitatibus & purgari a peccatis (v. 4.) expiari hyſſopo, dealbari (v. 9.) creari ſibi cor purum, (v. 12.) petit. Atque hoc omne vocat *ſapientiam* בסתם *in occulto* (v. 8.) ſive in myſterio abſconditam rationi (I. Cor. II. 7.) adumbratam tamen luculenterque depictam variis ſacrificiorum generibus in V. T. & in unico Chriſti ſacrificio expiatorio conſumendam & explicatius pateſaciendam. Tanti myſterii profunditatem cum capere ſatis nequiret, eam notam ſibi fieri obſignarique in corde per Spiritum S. anxie expetiit. Nec dubium eſt, quin hujus ſapientiæ rationem cognitam habuerit; nam ideo ab ipſo Deo expiari ſe hyſſopo optat, quia Sacerdotis aſperſionem faſciculo hyſſopi factam purgandorum peccatorum vim efficaciamque non habere, facile judicare poterat, niſi præfigurativam tantum & declarativam.

VI. Sed penitius paulo aſperſionem ſanguinis hyſſopo factam, ejuſque rationem luſtremus, quo melius nobis de Davide aliorumque fidelium V. T. mente conſtet. Certum & in confeſſo apud omnes eſt, de nulla alia re plura fere in antiqui fœderis libris commemorari, quam de ſanguine victimarum: eratque aſperſionis ejus ritus omnium longe ſacerrimus; ſiquidem non niſi a Sacerdotibus vaſe ſacro excipi, exceptuſque ad aram deferri, ac deinceps ſpargi certo, ac, pro varietate ſacrificiorum, vario ritu סביב per altaris circuitum, ex Moſis præſcripto, debebat, id eſt, explicantibus Hebræis, ad quatuor aræ latera, ſed duabus tantum aſperſionibus, in duobus angulis decuſſatim oppoſitis; reſiduum vero ſanguinis ad baſim altaris auſtralem effundebatur. Quod ſymbolum fuit egregium, per quatuor mundi plagas ſpargendi copioſeque pro nobis fundendi ſanguinis Chriſti. Huc etiam refer, quod in ſolenni expiationis feſto victimarum ſanguis ter & quadragies, Hebræorum Magiſtris docentibus, ſparſus a Sacerdote fuerit, verſus propitiatorum, converſa ad Occidentem facie, Golgatha verſus, ubi Servator noſter crucis ſupplicium ſuſtinebat.

VII. Porro nihil pretioſius eſſe ſanguine ſacrificiali, Judæi fatentur, quippe quo vitam animamve hoſtiæ Deo, tanquam ſummo vitæ neciſque Domino, reddi cenſebant, cum ſanguis vehiculum vitæ & animæ ſit, imo vita ipſa nonnunquam dicatur. Hinc *Outramus* intelligi poſſe exiſtimat, quod apud D. Johannem extat Apoc. VI. 19. *vidi ſub ara animas necatorum propter ſermonem Dei, propterque teſtimonium, quod habebant*, i. e. eorum, qui tanquam ſacræ quædam victimæ ſanguinem ſuum profuderunt. Quod ſuo nos loco relinquimus, qui præcipue ſpectamus ſanguinem Chriſti ejuſque pretium, inde æſtimandum, quod ſit *ſanguis Filii Dei*, ſive, ut Petrus intento in ſacrificia mentis oculo, loqui amat, ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου *utpote agni immaculati & incontaminati, quo redemtos nos dicit* ἐκ τῆς ματαίας ἀναστροφῆς πατροπαραδότου, id eſt, ab obſervatione rituum, animo non emundato, quam ſufficere ad ſalutem Judæorum Magiſtri tradiderant; quemadmodum H. *Grotius* hic putat, cujus ſententiam in tantum probamus, in quantum non negat, ſanguinem Chriſti pretioſum vim expiandi peccata totius generis humani habuiſſe. Egregia autem eſt viri docti obſerva-

vatio ſequens, cujus non poſſum non meminiſſe, quia lucem aliquam argumento præſenti fœneratur. *Ideo*, inquit, *liberatio noſtra ſæpe tribuitur ſanguini Chriſti*, Epheſ. I. 7. II. 13. Coloſs. I. 14. 20. Ebr. IX. 14. X. 16. *Aut etiam vitæ ipſius*, *nempe ob nos amiſſæ*, Matth. XX. 28. I. Tim. II. 6. *Aut etiam morti ob nos toleratæ*, Rom. V. 10. Coloſſ. III. 22. Ebr. II. 14. Sacrificia igitur ex ſe nullam habuere vim efficaciamque peccata expiandi, ſed ſub ratione typi tantum & umbræ quatenus verum illum & unicum agnum Dei immaculatum, Jeſum Chriſtum referrent. Hoc ſenſu Levit. XVII. 11. ſanguis victimarum dicitur expiare animam לכפר נפש i. e. λύτροτῆς ψυχῆς ſolvere, quod unice Chriſtus facere poterat, qui ſeipſum deinde ἀντίλυτρον pro omnibus. Vidiſſe hic aliquid ipſoſmet Judæos quoſdam, e *R. Simeone Bar Jochai*, Cabbaliſtarum Principe, & *R. Aben-Eſra* luculente probavit Excell. D. Præſes Diſſert. Sacr. L. VIII. p. 543.

VIII. Sed e diverticulo in viam redeamus, ac penitus introſpiciamus Davidis verba mentemque, quando *expiari ſe hyſſopo* a Deo petit, dicens: תחטאני באיזוב ואטהר *expiabis*, vel poſito per enallagen futuro pro imperativo, ut putant Interpretes, *expia me hyſſopo*, *ut purus ſim*. Alludit procul dubio vir ſanctus ad uſum hyſſopi (ita enim reddi debere vocem Hebraicam, *Bochartus* Hieroz. P. I. L. II. Cap. L. p. 587. multis iiſque ſatis idoneis rationibus docuit) ſacrum, vel Leviticum, ubi, quod notatum eſt a Paraphraſte *Jonathane* ad Num. XIX. 18. Doctoribus *Talmudicis*, & *Maimonide*, in Para cap. XI. aſpergillum fiebat *ex tribu hyſſopi* caulibus, filo coccineo ad baculum cedrinum in unum faſciculum colligatis, quo tum ſanguis victimarum, נדה luſtralis aſpergebatur. Qua aſperſione quid præfiguratum fuerit, haud difficile eſt conjicere, nempe Chriſti ſanguinem effundendum aſperſum purgare homines a peccatis. Eo forte Jeſaias reſpexit de Meſſia ſic vaticinatus: יזה גוים רבים *aſperget gentes multas*. D. Petrus propterea priorem ſuam Epiſtolam inſcribit electis peregrinis εἰς ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ in aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti. Ac Paulus ſemel iterumque meminit ſanguinis aſperſionis Jeſu Chriſti, Hebr. X. 22. XII. 24. Habemus ergo in aſperſione ſanguinis victimalis & aquæ luſtralis in V. T. pulcherrimam Chriſti figuram. Neque opus eſſe opinor, ut ſigillatim faſciculum hyſſopi reſolvamus, ac omnia ad myſteria trahamus, quandoquidem facile factu foret, præeunte in primis *Coccejo*, qui ad purificationem a lepra hoc loco maxime reſpexiſſe Davidem autumat, & diligenter iſtas ceremonias conſiderat, nominatimque *aſperſionem* dicit figuram applicationis & imputationis juſtitiæ & ſatisfactionis Chriſti eſſe, *cedrum* in aſpergillo Deum Patrem, *hyſſopum* hominem, & *purpuram* Spiritum S. ſignificare putat. Ego vero ad unum Chriſtum aſpergillum ſimplicius forte refero, ſalviſque aliorum judiciis, arbitror, cedro altiſſima divinam, hyſſopo humili humanam, & filo coccineo unionem perſonalem adumbratam fuiſſe. Placet tamen quod vir doctiſſimus colligit, ex iis, quæ ingenioſe de hoc argumento diſputavit. *Admonemur*, inquit, *Patres Veteris Teſtam. & bene intellexiſſe mentem divinarum ceremoniarum, & per illas ad Chriſtum, tanquam unicum fidei ſcopum, deductos eſſe*. Aliam figuram ſive typum Barnabas, vel potius auctor Epiſtolæ, quæ ſub Barnabæ nomine extat, indicavit, cum de vacca rufa diſputavit, e cujus cinere aqua luſtralis parata purificationi inſerviit. Quæritur ibi: διὰ τί δὲ ἅμα τὸ ἔριον καὶ τὸν ὕσσωπον; *quare in unum lanam & hyſſopum*, ſive quare ſimul lana coccinea & hyſſopus adhibebantur in ritu vaccæ rufæ, & reſpondetur hunc in modum: ὅτι ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ ἡμέραι ἔσονται πονηραὶ καὶ ῥυπαραὶ ἐν αἷς ἡμεῖς σωθησόμεθα i. e. *quia in regno illius* (Chriſti) *dies erunt nequiſſimi & ſordidi*, *in quibus nos ſanabimur*. Ubi videtur per hyſſopum aliquid ſordidi deſignari, quod cum hyſſopo tribui non poſſit, conjecit non nemo, non *hyſſopum* ſed *œſupum* eſſe legendum. Verum *Stephanus le Moyne*, in notis & obſervat. ad Barnabæ Epiſtolam, negat innuere Barnabam, quod hyſſopus in ſe fuerit ſordida, & proinde figuraverit ſordes maculaſque, quibus tempora Meſſiæ debeant contaminari, ac contendit ipſe vir doctus, quod innuere tantum Apoſtolus voluerit, hyſſopum adhibitam fuiſſe ad ſignificandam purgationem, quæ debebat fieri temporibus Meſſiæ. Quibus forte reſpicit ad vim virtutemque medicam hyſſopi, quod pectus & polmones expurget, capitiſque pituitam extergat, ut *Levin. Lemnius* de herb. Bibl. cap. XXXVI. prolixius enarrat. Et ſane, ſi ea eſt hyſſopi efficacia, non inepte Deus herbam humilem quidem, ſed tamen maximæ utilitatis, adhiberi voluit, ad deſignandum καθαρισμὸν, per Meſſiam, in abjecta forma comparentem, præſtandum. Ejus vero purificationis compotes ii tan-

tantum reddebantur, qui intentis fidei oculis Meſſiam per iſtiuſmodi figuras, veluti per ſpeculum intuebantur. Deus enim *per fidem purificat corda*, Actor. XV. 9. Hujus ſapientiæ divinæ in myſterio, ceu ſupra diximus, David non ignarus, petit a Deo internam applicationem & obſignationem. Vid. *Coccejus* h. l. §. 12. Perſpicue breviterque Davidis mentem expreſſit *Henr. Mollerus* in prælect. ad h. l. cujus verba non poſſumus non tranſcribere. *Reſpicit David ad figuras ſeu ritus legis Moſaicæ, eorumque meminit, non quod fiduciam ſuam locaret in hoc externo expiationis ſymbolo, ſed quia ſciebat, hæc non fruſtra eſſe in lege mandata. Sciebat enim illo ritu aſperſionis aliud ſignificari multo majus, aſperſionem ſcilicet ſanguinis Chriſti, qui futurus eſſet victima pro peccatis,* & *cujus aſperſione homines mundarentur a peccatis. Ad hanc igitur rem, quæ typo ſignata erat, reſpicit. Eſtque metonymia in his loquendi formis uſitatiſſima: aſperges ſeu expiabis me hyſſopo, id eſt, ablues & mundabis me a reatu, ſanguine filii tui, quo vere expiantur & tolluntur peccata.*

IX. Sed hæc hactenus de Davide. Nunc ad Jeſaiam redeamus, &, quod facere par eſt, videamus, quibus argumentis doceri poſſit, Deum a luſtrationibus ceremonialibus Judæos ad ſalutare lavacrum, quod in Meſſiæ ſanguine habemus, amandare voluiſſe. Id vero efficere, non adeo arduum erit, ſi conſtet, Prophetam ad tempora Meſſiæ reſpicere. Quod ſequentem in modum demonſtrare poſſumus. Jubet Deus lavari omnes atque purgari: *lavate, & purificate vos*, non, quod id homines ſuis viribus poſſint, ſed ut abluis ſe patiantur, ac media purificationi ſalutaria amplectantur: unde inepte pro libero arbitrio *Bellarminum* hinc concludere. Noſtrates Theologi dudum obſervarunt, cui Vulgatus interpres refragatur, quando imperativum רחצו optime, quo ad ſenſum, *paſſive*, non *active*, reddidit, *lavamini*. *Coccejus* præcepta fœderis gratiæ proptia vocat ea, quæ longa ſerie & graviter hic inculcantur. *Varenius* tamen melius duos tantum priores Imperativos רחצו הזכו ad conſilium emendationis Evangelicum in articulo Juſtificationis, & ſequentes ad legale in articulo Renovationis ſeu Sanctificationis refert. Hunc eſſe verum ſenſum, tota orationis ſeries evincit. Nam poſt conſilium ſaluberrimum, de accipienda purificatione, ipſe Dominus, Dominus exercituum, & Heros Iſraelis (℣. 24.) dicit, ſe *defœcaturum ad puritatem ſcorias* Iſraelis, (℣. 25.) quod Mal. III. 1. ſeqq. de Meſſia, Judæis quoque haut diffitentibus, (vid. *Kimchi* & *Aben-Eſra* in Commentar.) explicatur, ut mihi nullum ſit dubium, quin Malachias Jeſaiæ vaticinium reſpexerit & uberius clariuſque illud illuſtraverit. Quid? quod R. D. *Kimchi* ingenue fatetur, Jeſaiæ vaticinium impletum iri בימות המשיח *in diebus Meſſiæ*. Meſſias ergo ſummus æternuſque Deus, *abluet ſordes filiarum Zion, & ſanguines Hieroſolymæ propellet e medio ejus, Spiritu judicii & incendii*, uti ex Jeſ. IV. 4. Jeſaiam quam optime hoc in loco explicare licebit. Hæc cum ſatis certa atque expedita eſſe videantur, illud quoque largiri nobis Judæi debent, mirabilem purificationem, per ſanguinem Meſſiæ, cujus ſubinde Scriptura mentionem facit, hic intelligi poſſe, imo debere, quia non alia ſalutaris luſtratio datur.

X. Hæc occaſione verborum תחטאני באזוב & רחצו והזכו Nunc ad ſequentia in Jeſala vocabula progredi, ordine ſic poſtulante, deberemus. Verum quia nimis longa foret diſputatio, ſi ſingula excutere vellemus, & res ipſa ad Theologos magis quam Philologos ſpectat, omiſſis iis, quæ ad renovationem pertinent, *effectus* ſalutaris lavacri hactenus deſcripti mirabiles expendemus, ℣. 18. & apparatum aliquem in Philologicum, ſi fieri queat, ad illuſtrationem verborum & rerum proferemus. Sic vero Jeſaias: *Si*, (vel etiamſi) *fuerint peccata veſtra velut coccinum, inſtar nivis candeſient; ſi rubuerint inſtar vermis, ſicut lana fient*. Facile intelligitur, idem diverſis duntaxat vocibus enunciari, ſive ut Hebræi efferunt, כפל הענין במלות שונות *per exegeſin* hic occurrere. Idem quoque, ac ſimili figura, licet brevius, David indicat: *expia me hyſſopo, ut purus ſim; lava me, ut candidior nive reddar*.

XI. Ubi duo ſibi invicem opponi cernimus, peccatorum fœditatem, & lavacri ſacri utilitatem. Fœditas & atrocitas iniquitatum ſignificanter exprimitur vocibus שנים & תולע, quæ ut h. l. disjunctim, ita alibi conjunctim leguntur, (Exod XXV. 4. XXVI. 1. 31. &c.) & non *ſericum* notant, ut *Aben Eſra*, *Abarbanel*, aliique & noſter etiam Luth. explicant, quippe quod, ut docet *Joannes Braunius* de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum LI. Cap. 8. in toto Veteri Teſtam. non reperitur, ſed *lanam tinctam* colore rubro, ceu valide infertur ex verbo יאדימו *ſi rubuerint*, qui *coccineus* dicitur,

citur, & cum *purpura* aliquando confunditur, ſicut vel ex Matt. XXVII. 28. coll. cum Marc. XV. 17. & Joh. IX. II. manifeſtum eſt, ubi quam prior Evangeliſta χλαμύδα κοκκίνην *chlamidem coccineam* vocat, poſteriores πόρφύρα & ἱμάτιον πορφυρῶν, *purpuram*, ac *veſtimentum purpureum* explicant, Lucas autem reddit λαμπρὰ *ſplendida*, quod de *coccineo* omnino capiendum, teſte Syro & Arabe Interpretibus, quorum ille per זהוריתא ex Chald. זהוריתא a זהר *ſplendere* quia inſtar ignis ſplendet, hic בריקא ab Hebræo ברק *fulgere*, *coruſcare* expreſſerunt.

XII. Verum ipſa vocabula idem ſignificantia ſeorſim conſiderabimus, cum & in iis quædam ἐνέργεια lateat. Quod igitur ad שנים *Schanim* attinet, id plurale eſt, & alibi quoque, licet rarius, plurative occurrit, nempe Prov. XXXII. 21. ubi tamen plerique Interpretis LXX. Senioribus, ſecundum *Braunium* decepti, *duplices* veſtes potius quam coccinum intelligi volunt. Unde שני dicatur, non videtur adeo obſcurum eſſe, licet appellationis ratio non omnibus æque placeat. Certum eſt, deduci nomen a verbo שנה quod eſt *iterare*, *duplicare*; hinc *coccineum bis tinctum* ſignificare Lexicographi vulgo exiſtimant, & δίβαφον una voce Græca reddunt. Unus, quod ſciam, *Braunius* communi ſententiæ adverſatur, atque fatetur quidem, purpuram dibapham dici, ſed una contendit, illud δίβαφον proprium eſſe epitheton *purpuræ Tyriæ*, cujus lana quinis potet horis, rurſuſque mergatur carminata, donec omnem ebiberit ſaniem; probari autem non poſſe, quod coccinum quoque dibaphum dictum fuerit, Lexica igitur corrigenda hic eſſe, & errorem receptum proſcribendum. Neque concedit *Schani* a שנה *iterare* derivari, ſed ipſe potius a שנן *acutum* eſſe, deducit, ſicque dictum illum vult colorem ab acuto & igneo ſplendore, quemadmodum & Græcis, ὀξέον *acutum* dicatur. Quo etiam ſententiam *Hieronymi* trahit, qui in Epiſtola ad Fabiolam doceat, *coccineum Hebraice* שן *ſen* vocari. Quia tamen videt, hac derivandi ratione non ſatisfieri legibus Grammaticæ, non refragatur, ſi quis malit ſtatuere, radicem, ut multarum aliarum vocum, a nobis ignorari. Potuiſſet forte vir doctiſſimus ex Arabica lingua præſidium aliquod ſententiæ ſuæ habere. In ea enim radix שנא *ſana* ſignificat *luxit*, *ſplenduit*, & nomen inde deductum *lucis & ſplendoris* notionem habet, quæ apte quadrat ad coccinum vid. §. anteced. vel ſi hæc diſpliceat conjectura, dabimus aliam ex eadem radice Arab. in cujus derivatis eſt שני *pretioſus eminens*. Quod non minus aptum eſt ac prius. Omnes enim auctores, ſacri pariter ac profani, clamant, colorem coccineum fuiſſe pretioſiſſimum, quorum teſtimonia laudatus aliquoties *Braunius* adducit.

XIII. Succedit alterum vocabulum חולע *Thola*, quod generatim notat *vermem* a verbo לוע *vorare*, quia vermes res conſumere & rodere ſolent, vid. Deuter. XXVIII. 39. & ſpeciatim illum vermiculum rubentem, vel purpureum, ut vulgo vocant, ex quo color coccineus fit. Unde & pro colore in ſacris literis adhiberi e multis locis, ac vel ex ſolo hoc Jeſaiæ, patet. In Novo Teſt. Spiritus S. πορφύραν ϗ κόκκινον habet, ubi in Veteri junguntur ארגמן ותולערן שני Apoc. XVIII. 4. XVIII. 16. Sic & Paulus Hebr. IX. 19. reſpiciens ad Levit. XIV. 49. ſeqq. ubi in Hebræo eſt חולעת שני ואזוב habet κόκκινον ϗ ὕσσωπον. Certiſſimum igitur eſt, *tholaat* nihil aliud eſſe, quam coccinum. Coccus vero fructus rotundus eſt inſtar lentis, vel piſi exigui, vel excreſcentia potius fruticis, cui ineſt ſuccus, qui facile corrumpitur & in vermem mutatur, Arabice קרמז *Kermes* vel *Alkermes*, a Galatis ὗς & ὕσγινον ex סס *ſas* vermis & גון *color* id eſt *vermitinctum*, dictum. Quæ prolixe probant *Bochartus* Hieroz. Part. II. l. IV. cap. XXVII. p. 264. ſeq. & *Braunius* p. 291. ſeqq. His addo Hebræorum teſtimonia. Nam R. Salomo Jarchi ad vocem חולע ita commentatur: *Eſt color, quo tingunt rubrum, ſuntque grana ſive* baccæ, *in quibus ſingulis ſunt vermiculi*. R. David Kimchi ſcribit, *Thola* hic idem eſſe ac quod alibi plene dicitur *Tholaath ſchani*, & colorem קרמזין *carmeſin* declarare. Hoc procul dubio eſt ab Arab. קרמז *Kermes*; hodie *ſcarlattum* vocant, German. Scharlaken, vel Scharlach, quæ vox videtur compoſita ex *Sar*, vel *Sarra*, id eſt, *Tyro*, & Hebr. לקא id eſt *colore rubro inſtar coccini*, quaſi dicat color ruber Tyrius, non quod revera fuerit purpura Tyria, ſed ob ſimilitudinem, ut conjicit *Braunius*. Ex his puto lucem quandam habere poſſe loca Scripturæ S. quæ de variis purpuræ rubræ nominibus & generibus agunt. Tria enim purpuræ genera apud antiquos in uſu fuiſſe animadvertimus. *Primum* genus erat purpura infimi pretii, *rubra* quidem ſed *obtuſa*, & quaſi *fuſca*, *plebeja* a Plutarcho & Cicerone dicta. *Secundum* genus erat *rubor floridus*, & acuto lumine ſplendens, qui, *Plinio* dicente, *in roſis micat*, & coccus magis eſt, quam purpura. Hoc propterea recte a Lu-

Luth. nostro redditum puto Rosenroth. *Tertium* erat rubor eximius, de utroque priorum participans, *nigricanti aspectu*, *idemque suspectu refulgens*, qualis color est *sanguinis concreti*, vel nigricantis rosæ colore sublucens. Unde nec Luth. male, quando prius convertit blutroth; quanquam hoc tertium genus sit vera & genuina purpura Tyria. Conf. *Braunius* Cap. XIV. Lib. cit.

XIV. His ita expositis inquiramus in causas rationesque, cur peccatum cum colore isto conferatur. *David Kimchi* rem breviter, nec inepte prorsus, sic enarrat: *Comparat peccatum rubro, qui color fortis & conspicuus est e longinquo, & si in veste macula quædam ejus coloris fuerit, in lotione non auferri potest. Et sic dicitur* (Jer. II. 22.) *si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi smegma, maculosa adhuc erit iniquitas coram me.* והתשובה לבון הכתם *sed pœnitentia est candefactio maculæ*, id est per pœnitentiam eluitur macula peccati. Quæ explicatius nonnihil ac distinctus trademus. Repræsentat sane coccinum & vivis quasi coloribus pingit peccatorum fœditatem (1) ratione *originis*. Quemadmodum enim color coccineus nihil aliud est quam sanguis vermiculi in cocco nati, quo panni tinguntur; sic peccata a sanguine humano corrupto originem fœdam trahunt, & passim דמים *sanguines* dicuntur, Blutschulden / quæ insuper delinquentium sanguine eluenda sunt, ideo quod vitam spiritualem effundant. Talibus sceleribus inquinatas habebant manus Judæi, ut puras tollere ad Deum nequirent, Jes. I. 15. & ab illis David expiari se petit, Ps. LI. 16. (2) Ob *apparitionem & evidentiam*. Nam sicut coccineus color excitatus & vividus est, vel μὺς, λαμπρὸς, qui in oculos facile incurrit, eosque ferit: sic peccata in conspectum Dei facile penetrant, unde dicit: *removete malitiam operum vestrorum a conspectu oculorum meorum*. Denique (3) ob *penetrandi vim* & efficaciam. Color coccineus tam alte se insinuat, ut elui ex materia infecta nequeat, nisi cum panni ipsius interitu: ita peccatum, ac originis maxime, mortalibus post lapsum tam firmiter inhæret, ut non nisi per hominis cinefactionem tolli possit. Hæc atque alia his similia in memoriam revocare nobis potest coccinei coloris meditatio.

XV. Tam fœda vero & enormia peccata dicuntur instar nivis & lanæ albæ futura, si mirifica illa purgandi ratio, de qua dictum sæpe est, adhibeatur. Hic iterum vocabula primum, deinde sensum expendemus. שלג *Schælag* significat nivem, Psal. LXVIII. 15. verbum תשלג occurrit, sensu *albescendi*. Junius & Piscator reddunt, *niveus eris*, Pagninus, *alba facta est velut nix*. Credibile ergo est, verbum a nomine *schælæg* deduci & inde suam sortiri significationem. Neque enim verbum semper radicem constituit, ut vulgo persuasum sibi Lexicographi habent, sed in rebus naturalibus plerumque nomen id facit; unde dici haud debet, radicem esse amissam, si verbum non reperiatur. Insignis locus est Psal. CXLVII. 16. ubi Deus *nivem* dare dicitur *sicut lanam*. Respici hic nonnulli putant ad nivis usum, alii ad externam ejus speciem; nos vero, secuti *Chaldeum* & *Davidem Kimchium*, hosque sequentem *Bochartum* Hieroz. p. I. l. II. cap. 45. ad albedinem. Nam ob lucem candoremque passim commendatur nix, non solum in sacris, ut præter nostra loca, quæ sub manibus, liquet ex Ezech. XVII. 18. Dan. VII. 9. Thren. IV. Apoc. I. 14. &c. sed etiam in profanis. Sic *Homerus* Iliad. x. 437. de equis Rhesi canit, quod fuerint λευκότεροι χιόνος, id est ut *Maro* l. XII. Æneid. v. 88. expressit, *candore nives anteirent*. Ex *Eustathio* refert *Bochartus*, quod veteres eleganter nivem vocarint *aquam laneam*, occasione ex verbis Davidis nata. Forte & Talmudicorum vox אשלג *aschleg* vel שלגא *schalga* huc alludit, & *aquam nivalem* declarat, nisi *Bocharto* quis accedere malit, qui Geogr. S. l. I. cap. 14. dicit esse Persicum *aslengi*, Arab. כנדס *condus*, Græc. στρȣ́θιον Roman. radiculam & herbam lanariam. Candoris autem lucisve ratio e Physicis hæc redditur, quod plurimum habeat aeris, & ex aqua constet, ceu duobus elementis maxime perspicuis. Unde sensus hic emergit: peccata vestra, me vos purgante, ceu grandes scelerum maculæ disparitura sunt; adeo ut ex coccineis, (quæ maculæ alias nulla lotione emundari possunt) reddantur nivea; vel rectius: *vos reddemini instar nivis candidi, puri*, per hypallagen, qua peccatis tribuitur, quod hominis peccatoris pœnitentis est. Non enim peccata sed peccatores albescunt, id est, peccatorum reatu ablato, apud Deum, propter sanguinem Christi fide apprehensum, justi & puri declarantur, nt in iis non sit κατάκριμα Rom. VIII. I. Nempe enim cum *Bellarmino* l. I. de Bapt. cap. 3. ex hoc & similibus locis inferenda est deletio peccati totalis in hominibus, ita ut succedat nova quasi essentia, coccineumque in niveum transeat.

XVI.

XVI. Ad ultima nunc tandem verba progredior, quæ eundem referunt sensum ac præcedentia. Brevior ergo in iis explicandis ero. Sic vero habent כצמר יהיו *sicut lana erunt*. Res notior est, quam ut explicari debeat, *Zæmær* significare lanam, qualis scil. ab agnis vel arietibus provenit. Ejus nativi colores variis sunt, niger, fuscus, rufus, & albus, qui posterior, ut maxime vulgaris, ita etiam laudabilis fuit, Dan. VII. 9. Ps. CLXVII. 16. Apoc. I. 14. & hoc loco intelligi debet. Unde recte *David Kimchi* notat, deesse in textu denominativum h. m. supplendum *instar lanæ albæ & puræ*. Chaldæus quoque נקי *puram* lanam interpretatus est.

XVII. Alludere hic interpretes putant Prophetam ad ritum solennem & typicum in festo Expiationum, celebrem, ubi hirco omissario Asasel ad januam porticus templi לשון של זהורית *lingua* sive particula *coccinea* ad frontem inter duo cornua alligata fuit, quæ si albescebat, remissa esse peccata, colligebant. Si traditionis fundamentum e Judaicis Doctoribus quæras, id in his ipsis Jesaiæ verbis ponunt, &, quod cumprimis memorabile nonnullis videtur, ferunt quadraginta annis ante excidium templi singulare hoc divinæ clementiæ & remissorum peccatorum signum cessasse. Quod cum in illum diem expiationis incidere videatur, quod Messias juxta Hebr. IX. 11. 12. non per hircorum vitulorumque sed proprium sanguinem ingressus semel est in sanctum sanctorum, æternam redemtionem nactus, magni viri multum huic traditioni tribuunt, eamque complementum in Christo sortitam arbitrantur. Præter Doctores Talmudicos mentionem hujus ritus faciunt *Barnabas* in Epistola, & *Tertullianus* l. III. adversus Marcionem. Verum enim vero ex hoc dicto Jesaiæ nil tale effici potest. Unde quoque *R. D. Kimchi* & *Abarbanel* sicco plane pede id prætereunt, non facturi, si veri quid subesse censuissent. Neque Levit. XVI. ubi tamen omnes atque singulæ *hirci apopompæi* circumstantiæ accurate sunt commemoratæ, vel vola, vel vestigium de eo legitur. Josephus etiam, in ritibus Hebræorum enarrandis satis sollicitus, nullam prorsus hujus rei mentionem facit, ac prisci Hebræi, parum sibi constantes, miris modis variant in recensendo illo miraculo, prout ex eorum scriptis docte observavit *Joh. Frischmuth*. Dissert. I. de Hirco emissar. §. 6. & D. Sebast. Schmid. disp. de hirc. apopompœo §. 40. qui *inventum superstitionis humanæ vocat, sub specie devotionis & prætextu Scripturæ introductum, plus dubitationis quam certitudinis de remissione peccatorum mentibus ingenerans*. Spencerus, pro more suo, judicat, *Judæorum Majores, cum in vicinia gentium profanarum aut iis commisti viverent, Ethnicorum victimas & animalia sacra sæpe vittis aut infulis, iisque laneis, ac non raro purpureis, aut cocco tinctis, insignes & exornatas observasse, & in cultum suum traduxisse, cum ut sacra sua non minus elegantia & oculis vulgi grata redderent, tum ut Ethnicos hac innocua morum similitudine lucrifacerent*. Non improbamus viri clarissimi conjecturam, licet hypothesin ejus de ritibus omnibus Judæorum e gentium superstitionibus traductis probare nequeamus. Facile enim fieri potuit, ut Judæi, iis ritibus & circumstantiis, quæ Deus præscripsit, non contenti, nonnulla a Gentibus profanis desumerent. Hinc vero minime inferri debet, sacrificia, ac cætera in Lege imperata, Ethnicis originem acceptam ferre.

XVIII. Nos his prætermissis typum Christum alia ratione quærimus e Psal. XXII. 7. ubi ipse Messias se vocat תולעת vermiculum coccineum, qui sanguinem suum pro nobis largissime fudit, purgantem nos ab omni peccato. Vermis coccineus abjectus quidem est, sed utilissimus, si emoriatur, cum præstantissimus & vegetissimus color ex ejus sanguine fiat. Ita Messias tantopere quidem abjectus fuit atque humiliatus, ut infra homines haberetur, & vermis instar conculcaretur: sed sanguinem pretiosum fudit, eoque nos vivificavit & purgavit. Ut taceam, *confectionem Alkermes*, adeo a Medicis decantatam, quam Christus animabus nostris præbet. Si Novum conferre Testamentum placet, multa ibi egregia & apprime huc facientia inveniemus, inprimis in Apocalypsi, ubi fideles stolis candidis induti, cap. VII. 4. *sanguine agni* lavasse vestes dicuntur. Cap. XIX. 8. vestes, quibus sponsam suam ornat Christus, puræ & splendidæ, explicantur per δικαιώματα τῶν ἁγίων. Verum latius hæc exsequi non sinit nostrum institutum, quod intra Philologiæ cancellos contineri se debet. Talia ergo alteri reservo occasioni & tempori.

JOHANNIS SPENCERI
DISSERTATIO
DE
CIRCUMCISIONE

De signis illis SPECIATIM *fit sermo* , *& primo* , *de Circumcisione* , *ejusque ratione principali*.

Circumcisio ritus erat antiquissimus, & quasi legis ceremonialis prodromus: erat enim Abrahami ipsius exemplo cohonestata , adeoque quadringentis annis ritus alios Judaicos anteibat. Sed & ritus erat quem Judæorum natio non minore honore quam Gentiles contemtu prosequebantur : nam Judæi eodem cum contemtu & splene Gentiles, *incircumcisos*, quo illi Judæos, *appellas & verpos* appellabant.

De ritu tam antiquo & sacro quo apertius disseramus , sermonem nostrum quatuor in partes distribuemus: de ritus illius ratione vel usu, sede vel subjecto, prima origine, & præcipuis circumstantiis, verba (seorsim) habituri.

Ut circumcisionis finem aut rationem felicius expediamus , necesse est ut de circumcisione duplici , (*) *patriarchali* nempe & *Mosaica*, pauca præmittantur. *Patriarchalis* ea erat, quæ patribus ante Legem datam in usu fuit, & pactum inter Deum & Abrahamum posterosque suos obsignavit : *Mosaica* , quæ novam quandam a lege Mosaica sanctionem accepit , & primarium religionis Judaicæ sacramentum habita est. Circumcisiones illæ duæ , institutionis suæ tempore & ratione nonnihil differunt : quoniam tamen natura & usu generali consentiunt, de iis conjunctim loquar, ne in immensum excrescat sermo.

Ut ad rem præsentem paulo propius accedam: duplex erat circumcisionis instituendæ ratio, nempe, ut Signi, & ut Sigilli , vicem præstaret.

Primo: ut Signi vice fungeretur. Hoc Justini Martyris testimonio confirmatur: nam (*a*) ille de *Abrahamo* dissens , τὴν δὲ περιτομὴν , inquit , εἰς σημεῖον ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοσύνην, ἔλαβεν. De eodem fidelium patre pene eadem asserit (*b*) Tertullianus , dicens, *ante Deo placuit* , *quam circumcideretur* : —— accepit autem *circumcisionem* , *sed quæ esset in signum temporis illius* , *non in salutis prærogativam* . Et S. Apostolus Abrahamum (**) τὸ σημεῖον τῆς περιτομῆς accepisse dicit , ad *Rom.* 4. Erat autem circumcisio , quod eruditis observatum , non simplex sed multiforme signum; cum nec rem unam, nec uno eodemque modo , significaret : nam.

Primo: signum erat distinctivum, & in eum finem ordinata , ut sanctus popu-

(a) *In Dialog. cum Tryphon.* p. 124.
(b) *Adv. Judæos* p. 185.
(*) Nulla necessitas cogit, ut duplicem fingamus circumcisionem , Patriarchalem sc. & Mosaicam . Posteriori huic obstare Christi verba dicentis : *Moses dedit vobis circumcisionem* : Joh. VII. 22. i. e. Non tamquam rem novam protulit , sed mandatum de pueris circumcidendis Abrahæ traditum renovavit . Nec minus effatum Pauli asserentis fuisse Christum Circumcisionis ministrum *Rom.* XV. 8. Hisque dictis destruitur discrimen inter circumcisionem Mosaicam & Patriarchalem.

(**) Nihil aliud Paulina verba sibi velle , quam Abraham accepisse circumcisionem sigillum ejus justitiæ , quam fide sua consecutus est, cum adhuc esset in præputio , seu cum nondum esset circumcisus; His positis , *Irenæi* & *Tertulliani* loca *Spencero* adducta vindicantur , cum in priori agatur de circumcisione, prout actus carnalis, seu corporalis est; In posteriori prærogativa quidem salutis negatur Abrahamo, in ordine ad æque fideles alios , minime vero efficacia Sacramenti . Porro Circumcisionem cordis, quæ in Sacris passim præcipitur, negat mere moralem esse, quod primo fieri dicatur *Rom.* II. 28. seq. non enim silice peragitur, gladis pelliculum resecante, ut Paraphrastes loquitur, sed spiritu pravas cupiditates omnes ab animo recidente ; quodque secundo loco circumcisio Christi ideo nominetur *Coloss.* II. 11. 12. neque divum *Jacobum* de genere jubentem I. cap. v. 21. alludere ad rejectionem pelliculæ superfluæ , quæ per circumcisionem fiat, voluisse , quod in causa peccati nunquam idem sit, quod superfluum ; quodve ipsa pelliculæ præcisio totum potius corpus peccatis contaminatum , exuendum esse innuat; id quod *Damasceni* , *Epiphanii* , *Augustini* , atque *Athanasii* autoritate confirmati potest.

pulus a reliquis mundi gentibus discerneretur. Per multas annorum centurias, sanctum semen, nullo signo notabili, gentibus immixtum vixit. Primus Abrahamus jussus est suorum præputia circumcidere, & rei exemplum ad posteros transmittere, ut insigni vel nota illa visibili distinguerentur. Hanc causam sic exprimit (*a*) Irenæus: *circumcisionem, non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ*. Eandem rationem, de Judæis mentionem faciens, assignat (*b*) *Tacitus*, his verbis, *circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur*. Huic assertioni congruum est, quod hic ritus, Israelitis in deserto commorantibus, intermitteretur: quid enim, nisi quod in deserto παντὸς ἀλλογενοῦς κεχωρισμένοι (uti loquitur (I) *Cedrenus*) *ab alienigenis omnibus*, ipsa loci solitudine, satis distincti essent & *separati*? Erat autem respectu *Dei* simul & *populi*, hæc nota distinctionis apprime necessaria: *respectu Dei*, qui semen Abrahami, se tanquam cœli stellas multiplicare, & in eo gentibus omnibus benedicere velle, sancte & prolixe (*c*) promisisset; ideoque necesse erat ut posteri ejus ἄμικτοι permanerent, & cæteris Adami filiis nota quadam discreti, ut liquido constaret posteris, Deum promissionis suæ fidem implevisse. Circumcisionis notam hunc finem & scopum habuisse, notat (*d*) S. Hieronymus: *quia* inquit, *ex semine* Abrahæ *erat Christus oriundus*, -- *& ab Abraham usque ad Christum multa erant secula transitura; providens Deus, ne soboles dilecti* Abrahami *cæteris nationibus miscerentur, & paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Israeliticum quodam circumcisionis cauterio annotavit*. Nec *Dei* tantum, sed & *populi* respectu, necesse fuit, ut Israelitæ hoc signum διαγνωστικὸν corporibus impressum gererent; nempe ut certius constaret, eos ab Abrahamo genus ducere & semine sancto oriundos. Nam ipsa generis sui dignitas, & natalium sanctitas, virtutis igniculos in animis generosis accendere posset, iisque pudorem incutere, si forsan a patris sui fide & pietate degenerarent. Deinde, a patre fidelium originem trahere, honori non vulgari habitum est: hinc enim circumcisionem (originis tam claræ documentum) gloriæ ducebant Israelitæ, & *incircumcisi* nomine ad probrum & convicium utebantur. Hoc autem honore tandem caruissent Israelitæ, si patres eorum nulla nota gentili terræ populo distinguerentur. (*e*) Æthiopes itaque sibi notam circumcisionis etiamnum imprimunt, *ut ipsi a cæteris nationibus*, tanquam *filii* Abrahami, dignoscantur, in cujus consanguinitate gloriantur.

Secundo: circumcisio signum erat memorativum, quo fœdus cum Abrahamo initum, & patris illius fides & pietas in frequentem memoriam revocari posset. Deus enim pactum cum patre fidelium iniit, quo sancte promisit se Abrahamum (*f*) *patrem multarum gentium ponere*, & in semine suo omnibus terræ gentibus benedicere voluisse. Quo itaque fœderis illius memoria plane recens extaret, illius μνημόσυνον instituit, ipsis generationis partibus imprimendum, quod Abrahami filiis semper ob oculos versaretur. Nec ideo tantum instituta est circumcisio, ut fœderis illius materiam, sed ut Abrahami fidem & justitiam (præcipuam fœderis causam) in animos Israelitarum revocaret. Nam fœdus illud cum Abrahamo nondum circumciso percussit Deus, in testimonium favoris quo fidem & justitiam ejus amplectebatur, & circumcisio in fœderis simul & favoris illius testimonium instituta est. Hinc recte colligit (*g*) *Isidorus Pelusiota*, quod circumcisio non esset εὐδοκιμήσεως ὑπόθεσις, ἀλλ' --- εὐδοκιμήσεως σφραγὶς, non Dei placandi causa, sed jam placati signum & argumentum. Atque hæc verbis Apostoli consentanea sunt, qui circumcisionem vocat, non signaculum fidei Abrahami, sed (*h*) *signaculum justitiæ fidei* quam *in præputio* habuit. Cum itaque circumcisio justitiæ fidei signaculum esset, & Abrahami pietatem potius quam personam cohonestaret; Deus pietatis illius ὑπόμνησιν in ipsa filiorum suorum carne collocari jussit, ut eam recenti memoria retinerent, nec unquam deflecterent a paternæ pietatis exemplari. Judæi quidem circumcisionem in gloriæ solius argumentum trahebant, eaque tantum ut sanguinis a patribus illustribus derivati testimonio utebantur: at mores animosque longe alios induissent, si advertissent, Abrahamum, in *justitiæ fidei* primo, deinde favoris divini

(a) Lib. 4. c. 30.
(b) Lib. 5. Hist. p. 116.
(c) *Genes.* 22. 17. 18.
(d) *In Epist. ad Galat.* c. 3. T. 4. p. 252.
(e) *V. Damian. a Goes de Æthiop. morib.* p. 222.
(f) *Gen.* 17. 5.
(g) Lib. 2. Epist. 115.
(h) *Rom.* 4. 11.
(I) V. Hist. compend. p. 80.

ni signum, circumcisionem accepisse: tunc enim characterem illum, pietatis avitæ monumentum, non gloriolæ solius materiam, habuissent. Hisce, clausulæ loco, consona subjungam (*a*) S. Ambrosii verba: (1) *circumcisio non habet aliquid dignitatis, sed signum est tantum quod signum ideo accipiebant* Abrahami *filii, ut scirentur ejus filii esse qui credens Deo hoc signum acceperat; ut æmuli essent paternæ fidei, & crederent in Jesum qui promissus est* Abrahamo.

Tertio: circumcisio signum erat figurativum, utpote quæ rei spiritualis figuram & imaginem præferebat. Prout enim baptismus (cujus pars exterior est (*b*) ἀπόθεσις ῥύπου σαρκὸς) impuritatem omnem carnalem, gentium præcipue ritibus exerceri solitam, rejiciendam indicavit; ita & circumcisio (*c*) περισσείαν κακίας, in idolorum præsertim mysteriis obtinentem, abnegandam significavit. Allegoriis quidem & mysticis rituum Mosaicorum rationibus fidem atque aurem haud adeo facilem adhibere soleo: hic autem non solum signi & rei signatæ summa similitudo, sed frequens usus Scripturæ, me persuasum facit, Deum, cum respectu ad doctrinam aliquam moralem, pelliculæ obscœnæ abscissionem præcepisse. Nam morum veterum abnegatio & novæ vitæ studium, metaphoris a circumcisionis ritu desumtis, non raro in scripturis inculcantur. Phrases enim illæ, (*d*) *cordis præputium circumcidere*, (*e*) *circumcisio cordis*, (*f*) *seipsum Deo circumcidere*, & (*g*) *circumcisio* ἀχειροποίητος, vitam in melius mutatam denotant. Ex adverso, nequam & nullius frugis *homines*, *incircumcisi corde* frequenter audiunt: *Levit.* 26. 41. *Jerem.* 9. 26. *Ezech.* 44. 7. *Act.* 7. 51. Hinc factum forsan, quod *S. Jacobus* ad vitam ethnicam & impuram abnegandam hortetur, (*h*) verbis quibus allusum videtur ad pelliculæ illius superfluæ rejectionem circumcisione factam: Atque hac de re multi e Christianis & Judæis antiquioribus sensum eundem habuere. E Christianis (*i*) *Athanasius* excisionem præputii nihil aliud notasse dicit, ἢ τὴν γενέσεως ἀπέκδυσιν· Et postea, *circumcisio*, inquit, *figura & typus erat* τῆς διὰ τοῦ βαπτίσματος ἀπεκδύσεως· E Judæis sic (*k*) *Philo* ritus hujusce finem & scopum exprimit: *ejus membri circumcisio*, σύμβολον ἡδονῶν ἐκτομῆς, αἳ καταγοητεύουσι διάνοιαν, &c. *Symbolum* erat *excisionis voluptatum quæ mentem fascinant: & quia inter voluptatum illecebras principatum tenent* quæ partem illam titillant & afficiunt, *idcirco legislatores partem eam mutilari jusserunt, ut significarent voluptates superfluas resecandas esse*. Et (*l*) alibi, τὸ περιτέμνεσθαι, inquit, ἡδονῶν καὶ παθῶν πάντων ἐκτομὴν, καὶ δόξης ἀναίρεσιν ἀσεβοῦς ἐμφαίνει· *Circumcisio notat voluptatum affectuumque omnium excisionem, & opinionum insuper impiarum*. Sed quid *Philonem*, in Evangelii crepusculo viventem, loquor? nam circumcisionem hanc significationem habuisse, ne veteres Israelitas latere potuit, cum a (*m*) Mose admonerentur, *circumcidere Jehovæ Deo cor suum, & cor seminis sui, ad diligendum dominum Deum suum ex toto corde*, &c.

Quarto circumcisio signum erat initiativum, quo homines religionis Judaicæ sacris initiabantur, & se Jehovæ solius cultui devotos aperte profitebantur. Haud inepte (*n*) S. Augustino observatum est, *in nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari posse homines, nisi aliquo signaculorum* seu *sacramentorum* visibili *consortio* colligantur. Deum itaque circumcisionis ritum instituit, ut totius legis & religionis Judaicæ signaculum extaret: adeo ut homines ritu illo, veluti pignore quodam, se Legi obstringerent, se fidei ejusdem cum Judæis consortes indicarent, & a religionis alterius cultoribus, tanquam notabili indice, dividerentur. Hinc causa data verbis (*o*) Apostoli ad Galatas, *testificor omni homini qui circumciditur, quod debitor est ad faciendam totam Legem*. h. e. qui ritum illum volens & prudens suscipit, vi facti illius ad Mosis legem servandam tenetur, & religionem in ea præscriptam se amplecti profitetur. Judæos etiam antiquiores circumcisionem ritum initialem existimasse, quo proselyti in eorum fœdus adoptati erant, & eorum quasi familiæ accensebantur colligere licet ex *Esther*, 8. 17. *Et multi ex*

(a) *In* Cap. 4. Ep. *ad Rom.*
(b) 1. *Petr.* 3. 21.
(c) *Jacob.* 1. 21.
(d) *Deuter.* 10. 16. & 30. 6.
(e) *Rom.* 2. 29.
(f) *Jer.* 4. 4.
(g) *Colos.* 2. 11.
(h) Cap. 1. 22.
(i) *Orat. de Sab. & circumcis.* T. 2. p. 58.
(k) Lib. de *Circumcision.* p. 81.
(l) Lib. de migrat. *Abrah.* p. 402.
(m) *Deut.* 30. 6.
(n) *Adv. Faust.* Tom. 8. col. 319.
(o) Cap. 5. 3.
(1) Commentarium illum non esse Ambrosii, tum ex stylo, tum doctrina, constat. vid. append. ad opera *S. Ambros.* col. 21.

ex populis terræ מתיהדים (*a*) *judaizabant* : ibi enim LXX., ſenſum non verba curantes, ſic locum transferunt, ϗ πολλοὶ τῶν ἐθνῶν περιετέμοντο, ϗ Ἰουδάϊζον· i. e. Circumcidebantur, &, (ritu illo obſtricti) ad inſtituta moreſque Judaicos ſe conformabant. Cum itaque Judæi quidam zelotæ circumciſionem ſolam urgerent tanquam neceſſarium ſalutis conſequendæ medium, dicentes, (*b*) *niſi circumcidamini ſecundum morem Moſis, non poteſtis ſalvari*, ſic Phariſæi quidam verborum ſuorum ſenſum explicant, (*c*) *oportet circumcidere eos, & præcipere ut obſervent legem Moſis* : nempe quod circumciſio Moſis character eſſet, & omnes eo charactere ſignatos ad omnia Moſis inſtituta ſervanda ligare crederetur. Sed hac de re alibi paulo opportunius dicturus ſum.

Quinto : non temere conjicitur, circumciſionem ſignum (*) προφυλακτικὸν fuiſſe, & ad cacodæmonis injurias a perſonis omnibus illo charactere ſignatis propulſandas, ex Dei gratia, valuiſſe. Ea opinione (*d*) *Originem* non leviter tinctum, probant quæ contra Celſum attulit, τάχα διά τινα πολέμιον τῷ Ἰουδαίων ἔθνει ἄγγελον, περιτομὴ ἐτελεῖτο, &c. *Circumciſio celebrata eſt, propter aliquem infeſtum Judæorum genti Angelum, qui poſſet non circumciſos lædere, circumciſos non item : quod colligi poteſt ex libris Exodi, ubi Angelus ante circumciſionem Eleazari contra Moſem valuit, quo circumciſio irrita facta eſt illius potentia*. Judæos etiam antiquiores eandem virtutem circumciſioni tribuiſſe, conjiciendi anſam præbet Chaldæus Paraph. in locum (*e*) illum Canticorum, *lectum Salomonis ambiunt ſexaginta fortes*, —— *uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos*; quem ſic illuſtrandum cenſuit ; *ſacerdotes & Levitæ & omnes tribus Iſrael apprehendunt verba legis quæ comparantur gladio*, —— *& ſuper unoquoque eorum ſignata eſt circumciſio in carne ipſorum, ſicut ſignata fuit in carne Abrahæ : & prævalent & confortantur in ea, ſicut fortis qui accinctus eſt gladio ſuper femur ſuum : & ideo non timent a ſpiritibus nocivis & dæmonibus qui ambulant in nocte*. Hæc ille : nec mihi vitio verti debet, ſi cum Judæo quandoque ſentiam ; cum præſertim patres antiqui baptiſmum (qui circumciſionis locum occupat) *Dei ſignaculum*, eoque, baptizatos in Dei clientelam receptos, & contra Dæmonis inſultus munitos, exiſtimarint. Nam (*f*) *Clemens Alexandrinus* Baptiſma τέλειον (φυλακτήριον,) *perfectam* cuſtodiam, nuncupat. (*g*) Nazianzenus Baptiſma *ſigillum* dici aſſerit, ὡς συντήρησιν *quia conſervatio eſt*. Eidem ſententiæ favet (*h*) Baſilii dictum, *niſi ſignatus ſit ſuper te vultus Domini, niſi characterem in te agnoſcat angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit ?* Nec minus ſententiam jam dictam firmat ratio, quam patrum quos dixi teſtimonia : cum enim viri pii circumciſione vel baptiſmo liberorum ſuorum ſpes ſurgentes numini conſecraſſent, cum etiam ritibus illis Dæmonis cultum & ceremonias (*i*) ejuraſſent, & ſemetipſos ſoli Jehovæ ſolenniter devoviſſent ; ſuadet ratio, ut exiſtimemus Deum eos una cum liberis ſuis in patrocinium ejus recipere, & ab externis ſaltem Dæmonis injuriis (olim frequentibus) tamquam peculium ſuum, integros & immunes conſervare, voluiſſe.

Sexto : circumciſio, Moſaica ſaltem, (**) ſignum politicum erat, quo omnes ex-

(a) v. *Judith*. 14. 10.
(b) *Act*. 15. 1.
(c) V. 5.
(d) Lib. 5. p. 263.
(e) Cap. 3. 7. 8.
(f) *Pædag*. l. 1. c. 6.
(g) *Orat. in Sanc. baptiſm*. p. 639.
(h) *Exhort. ad Baptiſm*. p. 413.
(i) *Nec quidquam prius imbuuntur quam contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere*. Tacit. hiſtor. l. 5. 116.

(*) Præterea temere conjicit *Spencerus* fuiſſe circumciſionem ſignum, & ad Cacodæmonis injurias a perſonis illo charactere munitis propulſandas, ex Dei gratia valuiſſe, ut ut opinione iſta non leviter tinctus videatur *Origenes*. Neque fortes illos ſexaginta circa lectum Salomonis, conſtitutos fortitudinis ſuæ præſidium in circumciſionis charactere collocaſſe; Id enim ſi feciſſent, adeo illis non fuiſſe dæmones, qui in nocte ambulant, timendos, ut vel ſuavi ſomno indulgere licuerit omnibus. Neque conjectura ejus generis ulla *Clementis Alexandrini* auctoritate fulcitur, licet baptiſmum cirſiumciſioni ſuccedentem perfectam cuſtodiam appellet ; in ſenſus enim multo ſubtiliores *Clemens* excurrit. Præterea extat exemplum ipſius Domini ſtatim a baptiſmate tentati, & præterea quintæ petitionis neceſſitas.

(**) *Beza*, & *Thomas Tailorius* negant contra *Spencerum* fuiſſe ſignum politicum, quo peregrini in civitatem Judaicam adſcriberentur : Alia fuit mens Joſuæ circumcidentis egreſſos ex deſerto. Præterea negatur præputium dici hic ſignum ſervitutis Ægyptiacæ, non ſolum, quod nati in Ægypto, vel medio ſervitutis tempore fuerint circumciſi, verum etiam quod præputium victorum., & miraculoſe liberatorum inepte habentur pro ſigno ſervitutis patrum : & quidem ejus ſervitutis, quæ juſtiſſimo Dei judicio in perpatuum Ægyptiorum opprobrium fuerit vindicata. Neque Apoſtolus quicquam minus, quam ſignum politicum in mente habuit *Epheſ*. 11. 12. 13. 19. quod eo in loco alienati quidem a Rep. Judaica dicantur Epheſii, verum non intuitu honorum, aut dignitatum civilium, ad quas in eadem adſpirare præputiatis non liceret, ſed ratione Spiritualis fœderis. Sigilli quidem rationem & officium circumciſio præſtitit, verum non tam eo nomine, quod Deum adſtrinxerit ad repræſentanda promiſſa, niſi notam fidei violatæ ſubire voluiſſet, quam quod medii partes ſuſtinuerit, juſtitiamque Abrahami fide impetratam obſignaverit. Porro diſquiritur num ex

externi ſanguinis homines, in rempublicam Iſraelis admiſſi ſunt, & ſic in gentis Judaicæ cenſum tranſierunt, ut pari jure eſſent cum Judæis natis; honores, jura, connubia, & privilegia gentis omnia, ex æquo participantes. Erat nempe reſp. illa legibus peculiaribus adminiſtrata, peculiari regiminis formæ ſubdita, e civibus originis & ingenii peculiaris conflata, in peculiarem Dei clientelam recepta, quin & ſacris tantum Dei veri dedita. Circumciſio itaque ſignum illud peculiare fuit, quo peregrini omnes in album civium reip. hujus adſcribebantur. Hoc eo minus hæſitanter affirmo, (1°.) Quod circumſione quivis advena, paſcha, gentilitium illud Iſraelitarum feſtum, participandi jus & licentiam obtinuerit. Hæc aſſertio Dei verbis nititur, *Exod.* 12. 43. *Hæc eſt religio Paſchalis, omnis alienigena non comedat ex eo: omnis autem ſervus emtitius circumcidetur, & ſic comedat; advena & ſervus* emtus argento *non comedant ex eo*. Et paulo infra, ſi quis *peregrinorum* in veſtram voluerit tranſire coloniam, *& celebrare paſcha Domini, circumcidetur prius omne maſculinum ejus, & tunc* rite *celebrabit, eritque ſicut indigena terræ*. E quibus facile perſpicitur, advenas circumciſione, ſibi peculiare illud paſcha celebrandi privilegium acquiſiviſſe, adeoqne ritu illo in Judæorum familiam tranſiiſſe. (2°) Quod hiſtorici ſacri verba (*a*) *Et multi e gentibus terræ facti ſunt Judæi*) ſic reddunt Septuaginta, Καὶ πολλοὶ τῶν ἐθνῶν περιετέμνοντο, καὶ Ἰουδάϊζον, Quibus innuunt, homines, natalibus ethnicos, circumciſione Judæos factos fuiſſe, ritu illo nomina & jura gentis illius obtinentes. (3°.) Populus Iſraeliticus per annos quadraginta manſit incircumciſus in deſerto, & tum demum procurante (*b*) *Joshua*, præputii jacturam paſſus eſt, cum in procinctu jam ſtaret, ut in terram promiſſam introduceretur. Quid autem in eo rerum ſuarum articulo circumciderentur Iſraelitæ, niſi quod in gentem ſanctam, legibus homine ingenuo dignis adminiſtrandam, jam nunc formandi eſſent, & terram illam jure quaſi hæreditario poſſeſſuri; ideoque par eſſet, ut, peculiari circumciſionis ſigno ſuſcepto, ſe novæ hujus politiæ cives & membra profiterentur. Huc facit, quod Deus populum, recentem a circumciſionis vulnere, ſic allocutus ſit, (*c*) *hodie abſtuli opprobrium Ægypti a vobis*: hoc eſt, „ ritu illo vos in civium meorum numerum adoptavi, ingenuos, & terræ „ felicis hæredes declaravi, & omnia „ ſervitutis Ægyptiacæ (dedecoris & opprobrii veſtri) ſigna delevi & monumenta. (4°.) Hunc circumciſionis uſum ratum facere videntur Apoſtoli verba ad Epheſios, (*d*) *memores eſtote quod vos Gentiles eratis, dicti præputium*, &c. *Et quod eſſetis, eo tempore, ſine Chriſto*, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, *longe alienati a republica Iſraelis*, &c. Ibi enim gentium doctor Epheſiorum ſtatum ethnicum deſcribit, verbis ad politiæ Judaicæ legem & morem alludentibus. Sic enim Apoſtoli ſenſum explicandum cenſeo: „ in rep. Judaica, durante præputio, vobis nec honores capere, nec civium jure gaudere, licuit: aliam autem remp. inſtituit „ Deus, eccleſiam ſcilicet, in qua circuciſio veſtra ἀχειροποίητος aditum ad „ omnes honores & civium privilegia „ vobis patefaciet. (5°.) Circumciſio ſignum erat ad uſum quem dixi maxime aptum & accomodatum. Nam hujuſmodi ſignum erat, quod nemo carni ejus imprimi facile paſſurus eſſet; cum a circumciſione ſubeunda, dolor, pudor, apud exteros opprobrium, mortis etiam periculum, deterrerent: quin & ſignum erat, quo character arte vix ulla delendus imprimebatur. Adeo ut ſignum ipſum vetaret, ne quis ingenii timidi, temerarii, levis aut inconſtantis, advena, nomen ſuum in civium Judaicorum album referri peteret; quin & aperte doceret, quemvis Judæi nomine dignum, & civitatis ſanctæ jura poſtulantem, pii propoſiti tenacem & animi conſtantis virum eſſe debuiſſe. Ad hæc: ſignum hoc, quo cutis illa fœda & ſuperflua detrahebatur, puritatis indicium erat, & cum gentis Iſraeliticæ ſanctitate maxime conveniebat. Cum hæc recolo, nihil apud me dubitationis habet, circumciſionem ſignum politicum fuiſſe, & ea de cauſa (inter alias) inſtitutam ut ritus eſſet quo *a politia Iſraelis alieni*, natalium ethnicorum opprobrium amovere, pro; Judæis haberi civitatis etiam

ex parte hominum vis hujus ſigilli coarctari intra jugi legalis terminos debuerit; quod negatur, ne infringatur fœdus ad *Rom.* III. 1. confirmatum, neve minuantur gloria ad *Rom.* IX. 4. eidem genti attributa. Non tamen opus eſt, propter gentis hocce decus eximium credamus cum Lightfooto baptiſmum circumciſionis appendicem, licet adſint eorum exempla, qui & circumciſi fuerint, & baptizati, quamvis de baptiſmum matrum, Saræ, Rebeccæ, Rachelis, Leæ apud *Raimundum* in pugione fidei veſtigia quædam deprehendantur.

(a) *Eſther*. 8. 17.
(b) *Joſh*. 5. 4. 5. 6.
(c) Ib. v. 9.
(d) *Epheſ*. 2. 11. 12.

iam ſanctæ jura & honores adipiſci poſſent.

Secundo : ideo inſtituta eſt circumciſio, ut Sigilli & ſacramenti, æque ac ſigni locum obtineret; i. e. non tantum ut res ſacras indicaret, ſed ut ratas firmaſque faceret. Ideoque Apoſtolus circumciſionem σημεῖον ſimul & σφραγῖδα, *ſignum* & *ſigillum* (*a*) appellavit. Ut rei hujuſce veritas paulo clarius eluceſcat, ſciendum eſt, circumciſionem, ex parte Dei ſimul & hominum, ſigilli vicem & officium præſtitiſſe.

(1°.) Ex parte Dei promittentis : cum enim Deus fœdus cum Abramo, de illius nempe ſemine multiplicando, & in eo gentibus univerſis benedicendo, iniiſſet; ad firmandam promiſſi fidem, Abrahami poſteros, circumciſione, tanquam nota peculiari, diſtingui & ſeparari voluit, ut omnibus conſtaret, ſe fidem Abrahamo datam integram & inviolatam ſervare ſtatuiſſe. Cum enim *Abrahami* poſteri, circumciſionis nota corporibus ſuis impreſſa, a ceteris mundi gentibus diſcernerentur; obſervatu facile erat, an populus ille beneficia ulla ſingularia a Deo acciperet, & promiſſiones ejus eventum optatum aliquando ſortirentur. Adeo ut ſignum illud Abrahami poſteris impreſſum eſſet quaſi pignus & ſigillum Dei, quo ad promiſſa ſua præſtanda tenebatur, niſi fidei palam violatæ (adſit verbo reverentia) notam ſubire voluiſſet. Deus itaque, de circumciſione loquens, (*b*) *hoc*, inquit, *eſt pactum inter me & vos*, &c.

Nec circumciſio ex parte Dei ſolummodo, ſed & hominum, ſigilli munere fungebatur. Omnes enim circumciſioni ſponte ſubjecti ad legem obſervandam ſe obſtrinxerunt, & renunciatis idolis, Dei ſolius cultui ſe ſolide manciparunt. Nam circumciſio *patriarchalis* ſignum & teſſera fuit religionis naturæ lege præſcriptæ, *Moſaica* cero religionis quæ in legis pandectis continetur. Abrahamus itaque & poſteri ſui, circumciſioni huic aut illi ſubjecti, eo ipſo religionis, ſibi præſcriptæ & cognitæ, ſe debitores conſtituebant, & ad eam colendam ſe devinctos confitebantur. Hoc (*c*) S. Petri verba docere videntur: *quid jugum imponitis ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri, ferre potuimus?* Ibi enim *jugi* nomine non ſola circumciſio, (infantibus haud adeo onerosa) intelligenda videtur, ſed lex integra per Moſen tradita, ad quam tolerandam circumciſionis ritu ſuſcepto, ſinguli tenebantur. Idem paulo clarius affirmat S. *Paulus*, quem antea veritatis hujuſce teſtem advocavi: (*) *teſtificor*, ait ille, *omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legi ſervandæ*: hoc eſt: qui circumciſione, tanquam ritu ſacro jam utitur, ſe ad legem integram ſervandam, tanquam ſyngrapha ſigillo ſuo communita, devinctum profitetur. Nam (*d*) ἡ περιτομὴ θυσίαν ἔχει συνεζευγμένην, καὶ ἡμερῶν παρατήρησιν, —— καὶ τόπου φυλακήν, —— (καὶ) οἱ καθαρμοὶ δεσμόν τινα παρατηρήσεων ἐπάγουσι ποικίλων· *Circumciſio* immolationem pecudum *annexam habet*, *& dierum locique obſervationem*, *& innumerabiles purgationum ritus* : *purgationes* autem *examen quoddam obſervationum variarum* ſecum *adferunt*. Adeo ut in circumciſione Judaiſmus vivere, movere, atque eſſe videretur.

SECTIO III.

De ſede vel ſubjecto circumciſionis.

UT argumentum noſtrum eo quo inſtituimus ordine perſequamur, nonnulla de Circumciſionis (*e*) a loco vel ſede proximo dicturi ſumus.

Stigmata illa quibus ethnici olim ſe dæmoni alicui conſecratos teſtabantur, in qualibet corporis parte, ὡς ἔτυχε, imprimebantur : nota vero vel character, qui gentem Deo peculiarem indicavit, non quamvis corporis partem, ſed *carnem præputii*, ſedem aut ſubjectum habuit. Hoc e diſertis Scripturæ verbis manifeſtum, *Geneſ.* 17. 11. *Circumcidite carnem præputii veſtri*. Hinc fit ut ritus ille, Græcis περιτομή, Latinis *circumciſio*, dicatur; utraque voce amputationem pellis, membri virilis glandem circumtegentis, apte ſatis denotante. E contra, ſtatus incircumciſus (*f*) ἀκροβυστία in ſacra pagina vocatur, extremitatem notans tectam, præputio ſcilicet, quod infantibus ferro acuto abſciſſum detrahebatur.

Auctores autem tres cauſas imprimis aſſignare ſolent, cur Deus partem obſcænam characteris hujuſce ſacri ſedem fecerit :

Harum prima, cauſa naturalis eſt : nem-

(a) *Rom.* 4. 11.
(b) *Geneſ.* 17. 10.
(c) *Act.* 15. 10.
(d) *S. Chryſoſt. comment. in loc.* T. 5. p. 843.
(e) V. *Maim. mor. Neb.* P. 3. c. 49.
(f) Παρὰ τὸ βύειν τὸ ἄκρον.
(*) *Gal.* 5. 3.

nempe ut ritu illo occurreret, cui partes illi naturales (incircumcisæ) in Oriente præsertim, obnoxiæ credebantur; & ut abscisso præputio, Judæorum natio magis habilis & idonea ad sobolem procreandem redderetur. Atque hæc duplex ratio pondus & (forsan originem) suam *Philoni* debet. Postquam enim observasset, ritum illum apud alias etiam gentes antiquitus usitatum, (*a*) *permultæ*, inquit, *sunt causæ quæ suadeant, ab hoc priscorum institutio non discedere*: harum una est, χαλεπῆς νόσε κ̀ δυσιάτε πάθες ἀπαλλαγὴ, ἣν ἄνθρακα καλεσιν. *Ut caveatur morbus curatu difficilis, quem carbunculum vocant,* —— *qui præputiatis facilius innascitur.* Aliam deinde (quam *summe necessariam* vocat) *subjungit causam*, τὴν πρὸς πολυγονίαν κατασκευὴν, *curam fœcunditatis & numerosæ sobolis.* Nam observatum dicit, τὰ τεμνόμενα τῶν ἐθνῶν πολυγονώτατα εἶναι *circumcisas gentes fœcunditate pollere, esseque populosissimas.* Quid sani aut solidi contineat hæc vel illa *Philonis* ratio, aliorum judicium esto.

Secundo: ratio alia, cui auctores haud obscuri favent, moralis est: dicunt enim, gentes antiquiores in omne genus luxuriæ & libidinis effusas fuisse, & libidinem suam specie quadam religionis obumbrasse; ideoque Deum partes libidini ministrantes circumcidi præcepisse, ut populum suum a propudiosis gentium moribus avocaret.

Hac de causa, circumcisionem quam dixi *Patriarchalem* institutam affirmat *Photius*, Epist. 205. ubi hæc occurrunt: *e gente Chaldæa oriebatur Abraham, ubi matribus, filiabus, & sororibus, de consuetudine impia, commiscebantur*: Ινα ἐν μὴ τοῖς πατρῴοις ἔθεσι, μήτε αὐτὸς τὸ ἐξ αὐτȣ͂ γένος, καταμιαίνοιτο τέμνεται -- τὴν ἀκροβυστίαν, εἰς ἀθέτησιν τῆς τοιαύτης ἀῤῥητοποιίας, &c., *Quocirca, ne per patrios mores vel ipse pollueretur, vel ab illo descendentes, circumcidebatur ei præputium, quo hujusmodi nefanda turpitudo aboleretur: atque inde facta est ei carnis suæ circumcisio, divisio quædam ab affinibus suis, & consangnineis, &, quantum ad maritalem copulam spectat, aversio. Nam post circumcisionem, quispiam e sanguine Abrahami ab hujusmodi nefandis, vel furtim perpetrandis, impediebatur.* In quæ Photii verba doctissimus Montacutius hæc annotavit: *Magis & Chaldæis hoc* παρανόμημα (cum matribus scil. & sororibus concubitum) *ascribunt multi: -- sed non potest probari, nec verisimile est, fuisse illud Abrahamo* σύγχρονον, *vel antiquius, (ut retur* Photius) *sed* μακροῖς μετὰ ταῦτα χρόνοις *subintroductum.* In his autem nihil est, cur a Photii sententia discedamus: cum enim (*b*) Scriptura sacra Canaaitas, aliosque e vicinia populos, Mosis ævo talium facinorum reos peragit; non abludit a vero, eos Abrahami seculo criminum eorum haud prorsus immunes prestitisse: cum præsertim eos, idololatras & majorum gentium peccatores, Abrahami seculo fuisse, satis (*c*) scriptura compertum sit.

Nonnulli huic rationi circumcisionem *Mosaicam* tribuendam sentiunt. Nam (*d*) *D. Thomas*, postquam duas rationes assignasset, cur Deus circumcisionis signum in carne præputii insculptum voluit, *tertia*, inquit *ratio est in sugillationem sacrorum Veneris & Priapi, in quibus illa pars corporis honorabatur.* Quibus verbis (ni falso nitar (*e*) interprete) *intelligit D. Thomas, phallos & phallagogia quæ vocabant.* Erat autem φαλλὸς, αἰδοῖον ἀνδρικὸν ξύλινον, uti docet Hesychius; phallagogia vero, explicante (*f*) Theodorito, ἡ τȣ͂ Φάλλȣ ἑορτὴ, (ἐν ᾗ) προσεκύνȣν μὲν τȣ͂τον, κ̀ (προσεφίλȣν) οἱ ὀργιάζοντες ἅπαντες. *Phalli festum* erat in quo Phallum *veneratione & osculis accipiebant, qui festum celebrabant.* Ritus tam impuri originem ad Ægyptios referunt Diodorus Siculus, & alii, qui mores *Ægypti* religiosos memoriæ tradiderunt. Asserit autem (*g*) *Diodorus*, Isin Osiridis occisi dissecta membra studio quo potuit maximo recollegisse; veretri vero (quod nullo modo reperire potuit) imaginem fabricasse, & in sacris solennioribus adorandam proposuisse. Et eo tandem pravis deventum est moribus ut, eodem (*h*) *Diodoro* teste, *pudenda non apud Ægyptios tantum, sed alios quoque non paucos, in mysteriorum ritibus religiose haberentur.* Cum itaque membrum virile sacrorum Ægyptiacorum pars magna fuerit, promtum est opinari, Deum membri illius mutilationem, in cultus Ægyptiaci contemtum & opprobrium, instituisse.

Hæc equidem circumcisionis Mosaicæ causa, speciosa videatur: non dissimulandum

(a) *Lib. de circumcis.* p. 810.
(b) *Levitic.* 18. 9. 10. 11. 12. 24. & 20. 17. 23.
(c) *Genes.* 15. 16.
(d) 1. 2. *Quæst.* 102. *Art.* 5.

(e) *R. Montacut. Orig. Eccles.* P. 1. §. 60.
(f) *In Therapeutic. serm.* 1. p. 492.
(g) L. 1. *Bibl. Hist.* p. 19.
(h) *Ibid.* p. 78.

dum eſt tamen R. Montacurium ei rationes minime contemnendas (a) oppoſuiſſe. Nam (1°.) „ Nequaquam, inquit, vel apud „ Judæos, vel alios, qui circumcide- „ bantur, pudori habebatur aut dedeco- „ ri, ſed honori potius & dignitati: „ parum itemque probabile eſt Deum „ in cultus Iſiaci odium & contemtum, „ membrum virile ſanxiſſe mutilandum. „ (2°.) Si Circumciſio in deteſtationem „ Phallagogiorum apud Ægyptios inſti- „ tuta fuiſſet; Ægyptii ipſi tanto hono- „ re Circumſionem non fuiſſent proſe- „ quuti, ut neminem admitterent ad „ myſteria niſi circumciſum. (3°.) In- „ ſtitutio illa Ægyptiaca, in honorem „ Oſiridis ab Iſide inducta, poſterior „ Moſe erat, nedum Abrahamo: ut „ nullo modo verum eſſe queat, intro- „ ductam ob deteſtationem impiæ illius „ impuritatis Ægyptiorum. Hæc ille: non eſt autem noſtrarum partium, illius argumenta ad ſtateram revocare, qui id ſolum ex profeſſo jam agimus, ut auctorum ſententias lectori judicandas offeramus.

Tertio ratio ultima characteris hujus partibus naturalibus impreſſi, mere ceremonialis eſt: nempe ut eo aptior eſſet & accommodatior ad fœdus divinum ſignificandum & obſignandum. Nam Deus, fœdus cum Abrahamo faciens, fidem ſuam de illius ſemine multiplicando & terræ gentibus in eo benedicendis, oppignoravit. Conſentaneum itaque fuit, ut fœderis illius ſignum ipſis generationis inſtrumentis imprimeretur, ut cum ipſa pacti natura & ſcopo conſenſum coleret, & eo facilius illius memoriam renovaret. Et eo probabilius eſt Deum, in fœderis illius ſignum & memoriam partem obſcœnam circumcidi voluiſſe; cum alias quilibet character, in quavis alia corporis parte ad Abrahami ſemen a gentibus aliis diſcriminandum, ſufficere potuiſſet. Sed & ideo forſan Deus fœderis ſui ſignum iu præputio poſuit, ut eo facilius ſigilli & ſacramenti divini fidem obtineret; cum enim partibus illis, a quibus aut ſecandis aut retegendis hominum pudor & natura refugit, imprimeretur; fieri non potuit, ut ſignum illud, a natura inditum, vel hominum conſilio conſtitutum, aut ab ullo alio principio niſi Deo fœderis auctore, profectum crederetur. Hujuſmodi inſtitutum, naturæ & modeſtiæ dictatis adverſum adeo, ipſa ſua inſolentia Deum auctorem probat, & circumciſionem ideo præceptam fuiſſe, ut fœderis, cujus ſignum erat, fidem ratam & firmam faceret.

SECTIO IV.

De Circumciſiono origine & antiquitate.

QUI veterum monumenta, quod ajunt labiis delibarunt, apprime norunt; non tantum Judæos, ſed & Ægyptios, (*) Colchos, Phœnicas, Syros, Arabes, Æthiopes, Troglodytas, alios, circumciſionem in uſu habuiſſe. Magna autem ſecuritate creditum eſt, Abrahamum ritus hujuſce caput & fontem fuiſſe, illumque ab eo præcipue per *Iſmaelis*, & *Keturæ* filios, ad gentes quas dixi profanas propagatum. Nonnulli tamen ſe perſuaſos habent, Ægyptios ritum illum a Joſepho, vel ab Iſraelitis in Ægypto commorantibus, accepiſſe, Colchos & Æthiopes eorum exempla ſecutos hunc ritum uſurpaſſe, Phœnices autem & Arabes eum a Judæis

(i) *Lib. ſup. laud.* §. 61. p. 66.

(*) Ad locum *Herodoti* reſpondetur, phraſin non de gentis initio, aut rerum Ægyptiarum primordio eſſe capiendam, ſed de principio ætatis, ſeu nativitatis. Cum enim Arabes, quod ex *Joſepho* conſtat, poſt annum demum ætatis decimum tertium circumciderentur, diſpar ſaltem Ægyptiorum, vicinorumque inſtitutum hic ab *Herodoto* oſtendi, quod Ægyptii ſtatim a principio nativitatis ſuos circumcidant pueros: docetur quippe eodem in loco circumcidi ab Ægyptiis, hoc eſt recens natorum genitalia; immo nec diſſimulat ob antiquitatem valde remotam dicere ſe non poſſe, utri ab utris didicerint, num Æthiopes ab Ægyptiis, num hi ab illis. Vulgi potius opinionem Judæorum majores, quod ex Ægypto venerint, habentis pro Ægyptiis (ut ex *Joſephi* libris contra *Apionem* conſtat) quam certum quoddam fundamentum *Herodotus* hac in relatione ſqa ſequutus videtur, eo que minus mirum eſt, teſtimonium illins apud doctiores parum fidei inveniſſe. Relatio *Herodoti* lib. I. contra *Apionem* ut non impugnatur a *Joſepho*, verum nec approbatur, ideo quod quæſtio de prima circumciſionis origine a *Joſephi* ſcopo tunc aliena fuerit, probare ſolum contendentis, & aliquo ſaltem modo mentionem Judæorum factam fuiſſe ab *Herodoto*: Alibi vero præſertim LVIII. Antiquit. Jud. cap. IV. non obſcure eundem in hac ipſa cauſa erroris arguit. Et quamvis Moſe cap. XVII. *Geneſ.* forte non dixerit primum mortalium Abrahamum circumciſum eſſe, dixiſſe tamen haud dubie, primum Dei mandato circumciſum eoque nullatenus imitatum fuiſſe Ethnicos. Aut denique litem intentari omnem Moſi, quod an Deus illos, an illi Deum fuerint æmulati, an Hebræi Ægyptiorum, an hi iſtorum ſimii, non expreſſerit: Ex *Jerem.* cap. IX. 25. aperte intelligitur retuliſſe Deum ipſum Ægyptios ad incircumciſos, eoque ſtigma ſi quod fuit Ægyptiorum divino judicio æſtimari præputium, & ſuperſtitionem, quod medii fœderalis minime omnium habuerit. *Sponcerus* ipſe approbavit in *Theodoreto*: Hoc (inquiens) ſcite obſervavit *Theodoretus* & Ez. XX. circumciſionem Idumæos quoque habuiſſe, qui ab Eſau ducebant genus. Iſmaelitas ſimiliter, Ægyptios, etiam a Judæis hanc edoctos obſervare ſtuduiſſe. Adductiſque ejus *Theodoreti* gemellis; certum eſſe concludit de prima Ægyptiorum, Cholchorum circumciſione nulla extare veſtigia.

dæis desumsisse quibus vicinitate jungebantur. At sententia plane contraria veterum quorundam fidem tenuit Ægyptios scil. & Æthiopes, omnium primos, præputia posuisse; adeoque circumcisionem Judaicam proxime quidem a Mose & patriarchis, remote vero ab Ægyptiis aut gentibus paulo antiquioribus (jussu tamen divino) profluxisse. In hanc sententiam propendet (1) auctor nuperus, non minus literis quam imaginibus gentilitiis ornatissimus. Me quod attinet, nolo judicis partes in re tam sacra & perplexa sumere: sed

Testimonia, & argumenta (artificialia) circumcisionis initium Ægypto vindicantia.

1. Mihi a testibus incipienti, primo occurrit *Herodotus*, qui, ex ipsius & Judæorum tunc viventium sententia, Ægyptios aut Æthiopes ceteris gentibus ad circumcisionem duces fuisse dicit. Nam, Colchos ab Ægyptiis ortos esse probaturus, hæc (*a*) habet: *μόνοι πάντων ἀνθρώπων* Κόλχοι, καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες *περιτάμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ, καὶ* Σύροι *οἱ ἐν τῇ* Παλαιστίνῃ, *καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι πάρ* Αἰγυπτίων *μεμαθηκέναι* &c. *Soli omnium Colchi, Ægyptii, & Æthiopes, a principio pudenda circumcidebant: Phœnices autem & Syri qui Palæstinam incolunt,* (i. e. Judæi) *ipsi se consuetudinem illam ab Ægyptiis accepisse confitentur.* Cur autem Herodotum hac in re, qua sibi nec serebatur nec metebatur, mentiri voluisse crederemus?

(2°.) Non tantum Herodotus, sed plerique alii e Gentilium grege, philosophi & historici, dicunt circumcisionem originem suam Ægypto debuisse. Nam (*e*) *Diodorus Siculus* postquam Judæos & Colchos ab Ægypto propagatos asseruisset, continuo addit, *διὸ καὶ παρὰ τοῖς γένεσι τούτοις ἐκ παλαιοῦ παραδέδοσθαι τὸ περιτέμνειν τοὺς γεννωμένους παῖδας, ἐξ* Αἰγύπτου *μετενηνεγμένου τοῦ νομίμου· Ideoque gentibus illis, ex antiqua traditione in usu est, ut circumcidant statim a partu, pueros, ritu ab Ægyptiis derivato.* Idem audacter & fronte retecta pronunciavit *Celsus*, (*f*) dicens, *οὐ μὴν ἁγιώτεροι τῶν ἄλλων ἂν τῦεν* (οἱ Ἰουδαῖοι,) *ὅτι περιτέμνονται· τοῦτο γὰρ* Αἰγύπτιοι, καὶ Κόλχοι, *πρότεροι. Nec ideo sanctiores sunt cæteris* Judæi, *quia*

(a) L. 2. §. 104. p. 125.
(b) *V. Scriptor. Lexic. Aruc. ap. Drus. l. 6. Præterit.* p. 223.
(c) *Apparat.* 5. p. 177.

argumenta omnia (quantum legendo vel meditando assequi datum) pro utravis parte militantia, una cum solutionibus eorum ex adverso positis, in medium proferam; & lectori integrum sit omnia probare, & quod rationi maxime consonum videtur, retinere.

Exordium autem sumam, uti par est, a veterum nonnullorum sententia, qui circumcisionem Ægyptiis aut Æthiopibus, tantam primis auctoribus, tribuendam arbitrantur. Hæc autem sententia testimoniis & argumentis sequentibus firmari videtur.

Responsa quæ opponuntur.

1. Hunc nondum *Montacutii* nostri verbis solvere vel saltem secare valeamus: *falsum est multipliciter quod* Herodotus *affirmat. Non enim illi* Soli circumcisi ab initio. *Quin ab initio omnino nec circumcisi. Falsum, hunc morem circumcidendi ab illis manasse ad Judæos. Multo magis illud falsum quod adjungit, ipsos Judæos hoc ponere in confesso. Non confitentur; nec unquam confessi sunt, quod ille fabulatur: quin vehementer contendent & verissime, apud ipsos* (*b*) *primum, ipsos solos, in usu fuisse περιτέμνεσθαι. Atque ideo distinctionis gratia, Gentes olim dictas fuisse* incircumcisas. Hæc (*c*) ille: quibus addi potest, quod (*d*) *Philo Byblius*, rerum Phæniciarum multo peritior, afferat Phænices Circumcisionis institutum ad Saturnum, non ad Ægyptios, referre solitos.

(2°.) Non est quod multum moremur quid in hac causa dixerint scriptores ethnici, qui origines rerum tempora Trojana præcedentium vix obscure cognatas habuerunt. Deinde, cum constet, Ægyptios antiquitatis, religionis, & scientiæ laude, præ aliis gentibus floruisse; & Græcos aliosque mysteria sua, sacra simul & philosophica, ab Ægypto petiisse; ethnici facile credere possent, Ægyptios circumcisioni principia tribuisse; & Colchos Judæos, alios, eam ab Ægyptiis, celeberrimis ævi prisci magistris, didicisse. Sed & ethnici forsan eo libentius in hanc sententiam concesserunt, quod Judæos odio & contemtui haberent, iisque ritum aut mysterium vel minimum inveniendi gloriam invi-

cir-

(d) *V. infr.*
(e) Lib. 1. p. 24.
(f) *Ap. Orig.* p. 259.
[1] Vid. *Marsham. chron.* p. 72. 207.

circumciduntur : hoc enim priores fecerunt *Colchi & Ægyptii*.

(3°.) Non tantum Herodotus, Celsus, & Julianus, circumcisionis initium ab Ægyptii arcessunt, sed & Josephus, Origenes, & Cyrillus; qui citatis eorum verbis nihil opponunt, adeoque silentio suo ea pro veris agnoscere videantur. Nam (*b*) Josephus, jam citatum Herodoti testimonium memorans, hanc ei laciniam assuit, in hodiernis Herodoti exemplaribus desideratam τῶν δὲ τὴν Παλαιστίνην κατοικεόντων μόνοι τοῦτο ποιοῦσιν Ἰουδαῖοι. *Ex iis qui Palæstinam habitant, soli hoc faciunt Judæi;* nullo de circumcisionis origine verbo addito : *quasi tacite innuens*, inquit (*c*) Laur. Ramirez, *se in Herodoti sententiam manibus pedibusque ire*. Origenes etiam & Cyrillus Celsi & Juliani verbis jam dictis minime contradicunt, quod fecissent proculdubio, si fide & veritate integra circumcisionis originem ad Abrahamum referre potuissent; cum præsertim alia Celsi & Juliani omnia, quantum per veritatem licuit, ex professo refutarent.

(4°.) Sanchuniatho, vetustissimus rerum Phœniciarum scriptor, ritus hujus originem a Saturno petit : ὁ Ἶλος, (*d*) ait ille, τοῦτ' ἔστιν ὁ Κρόνος, τὰ αἰδοῖα περιτέμνεται, καὶ τοὺς ἅμ' αὐτῷ συμμάχους καταναγκάσας. *Ilus-qui Saturnus est pudenda circumcisus est, & commilitones suos ad idem facienpum adegit*. Quisnam ille Saturnus fuerit, haud adeo inter doctos convenit : apud omnes autem in confessum venit, eum Abrahami tempora superare.

(5°.) Affirmat (*f*) Philo, circumcisionem non apud Hebræos tantum, sed & exteras gentes, Ægyptios inprimis, in honore non mediocri habitam. Cum autem varias rationes ritus tam gravis apud Ægyptios & alias gentes & obtinentis enumeraret, alto silentio Hebræorum exemplum præterit : sin autem Hebræorum exemplum quicquam apud Ægyptios aliosve ad circumcidendi religionem suscipiendam valuisset, derent. (*a*) Julianus etiam Abrahamum, Isaacum, & Jacobum hunc præputii secandi morem e plurimo cum Ægyptiis commercio didicisse refert.

(3°.) Josephus, eo in loco, Herodoti verba noluit ad examen severum revocare, forsan ne a scopo & instituto præsenti nimis aberraret. Nam alibi enixe facit omnia, ut Gentium ritus omnes, ullam cum Judaicis affinitatem habentes, a sacris patriæ suæ moribus effluxisse censeantur. Ab Origenis silentio, eo in loco, male colligitur, eum censuisse Ægyptios omnium primos hunc ritum celebrasse : cum enim (1) alibi Celsus τὸ περιτέμνεσθαι τὰ αἰδοῖα Αἰγυπτίων ἐληλυθέναι, *circumcisionis ritum ab Ægyptiis profectum* asseruisset, Celsi temeritatem reprehendit Origenes, quod Αἰγυπτίοις μᾶλλον ἢ Μωσῇ, *Ægyptiis citius quam Mosi, Abrahamum primo circumcisum referenti*, fidem adhiberet. Et forsan S. Cyrillus Juliani verba, mendacii tam facile arguenda, vix digna duxerit quæ refutatione aliqua cohonestaret.

(4°.) Huic uni Sanchuniathonis testimonio, in argumento tam remotæ antiquitatis, haud multum fidei tribuendum est : cum præsertim auctores plerique circumcisionis originem non a Saturno sed Abrahamo deducendam sentiant. Deinde, aut ego fallor, aut Sanchuniathonis verba cœlestem circumcisionis originem, sed (gentium more) fabulis quibusdam obscuratam, referunt. Nam Ἶλος proculdubio a Syrorum איל, Deum significante, derivatur : cum autem gentes, lapsu temporis, quis Ἶλος ille esset, qui familiæ suæ præputii secandi necessitatem imposuit, prorsus ignorarent, Saturno (a (*e*) Syyris & Phœnicibus Ἢλ & Βὴλ dicto) ritus originem tribuebant.

(5°.) E Philonis silentio hac in re non nisi elumbe argumentum ducitur, ad probandum Ægyptios circumcisionem a Judæis non accepisse. Nam ex immani odio quo Judæi & gentiles se mutuo prosequebantur, factum est, ut Judæi non minus gentilium ritus & eorum origenes, quam gentiles Judæorum, ignorarent. Deinde, cum Ægyptii pro indubitato tenerent, religiosam circumcisionis observationem se primos instituis-

pro-

(a) *Ap. S. Cyril. cont. Julian.* p. 354.
(b) *Cont. Apion.* p. 1346.
(c) *Pentecontarch.* c. 4. p. 58.
(d) *Ap. Euseb. Pr. Ev.* l. 1. p. 38.

(e) *V. Damasc. apud Phot. auctor.* col. 1049.
(f) Lib. *de circumcis.* p. 810.
(1) Vid. *Origen.* p. 17.

proculdubio *Philo* causam illam minime tacuisset; cum præsertim causas omnes cur gentes exteræ circumcisionem admitterent, de industria recenseret. Huic argumento inde momenta quædam accedant, quod (*a*) *Philo* circumcisionem, apud ethnicos irrisui habitam, Ægyptiorum exemplo a contemtu vindicet, dicens, γελᾶται ἡ τῶν γεννητῶν περιτομή, &c. *Ridicula est majorum nostrorum circumcisio, quamvis in haud mediocri honore habita, etiam apud alias gentes, præsertim Ægyptiam, hominum tam frequentia quam sapientia præcellentem*. Non est autem verisimile *Philonem* circumcisionem Ægyptiorum exemplo tueri voluisse, modo Ægyptios hac in re Judæorum simios existimasset; cum præsertim, ex Ægyptiis haud adeo multi circumcisi fuerint.

se; si Philo circumcisionis usum a Judæis ad Ægyptios fluxisse palam asseruisset, Ægyptios proculdubio & Græcos (quibus ipse magno usu conjungebatur) sibi male conciliatos habuisset.]

(*6°.*) Testimonium sextum nobis præbent Dei per (*b*) Prophetam verba: *ecce dies veniunt, dicit Dominus, & visitabo super omnes circumcisos cum incircumcisis: super Ægyptum, super Judam, super Edom, super filios Ammon*, &c. Quid enim Dominus primum locum inter gentes circumcisas Ægypto tribuit, nisi quod virilia circumcidendi consuetudo antiquior *Ægypto* quam *Judæ* fuerit, & ad alias gentes ab Ægypto venerit?

(*6°.*) Si res tam obscura conjecturam pati posset, dicerem, Deum hos inprimis *visitare* statuisse, quibus in usu erat circumcisio, quod in iis Judæi spem suam præcipue collocarent. Inter eos autem primas Ægypto tribuit, quod viribus & opibus præcelleret, adeoque Judæi forsan illius auxilio præcipue niterentur.

Testimonia circumcisionis originem Ægypto vindicantia jam trutinavimus: proximo ad examen vocanda sunt argumenta illa (artificialia) quæ circumcisionem originis AEgyptiacæ ritum probare videntur.

Horum (1°.) hujusmodi est: ex ipsa scriptura manifestum est, Ægyptios diu ante Josuæ tempora ἀκροβυστίαν pro opprobrio & infamia habuisse. Postquam enim Deus Israelitas in deserto natos circumcidi præcepisset, dixisse fertur, *hodie abstuli a vobis opprobrium Ægypti*, Jos. 5. 9. Constat itaque circumcisionem, diu ante legem datam, Ægyptiis in usu fuisse, eosque ritum illum, non Hebræorum exemplo, sed ritus ipsius studio ductos, in honore habuisse.

(1°.) Opprobrium *Ægypti*, servitus erat, & stemmatis ab Abrahamo deducti conditione servili obscuratio: circumcisione nimirum effecit Deus, ne ulterius veluti mancipia & in domo servitutis nati, sed ut Abrahami filii, & terræ promissionis hæredes, haberentur. Circumcisio pristinam sanguinis claritatem Israelitis asseruit, & omnem servitutis Ægyptiacæ maculam & opprobrium obliteravit. Multi sunt qui sic locum intelligendum sentiunt, nempe, non de præputio, sed de servitute, quæ eo usque exprobrata fuit vel Israelitis exprobrari potuit, ab Ægyptiis.

(2°.) Verisimile est Ægyptios, ἀπ' ἀρχῆς, ab ipso rerum suarum exordio, circumcisionem in moribus habuisse. Hoc enim dicit Herodotus, & confirmat ratio: nemo enim vel probabili conjectura assequi potest, quo primum tempore circumcisionem a Judæis mutuati sunt. Nonnulli quidem sentiunt, Ægyptios,

(2°.) Respondet *Bonfrerius*, in Jos. 5. 9. Verisimile *esse* Ægyptios circumcisionem admisisse, *cum Salomon Pharaonis Regis filiam uxorem* duxit, *cœpitque inter Israelitas & Ægyptios, equorum Salomoni coemendorum causa, frequens esse commercium, uti* 1. Reg. cap. 10. *indicatur*. Sed, ut verum fatear, neuti- *Jo-*

(a) *Ub. supr.*

(b) *Jerem.* 9. 25. 26.

Josephi exemplo vel præcepto motos, corpora sua circumcisioni subjecisse: alii circumcisionis usum ab Hebræis ad Ægyptios fluxisse dicunt, cum per multos annos in Ægypto una versarentur: alii dicunt alia, sed dicunt tantum, nullis aut argumentis aut testibus instructi, qui fidem dictis astruant. Consultius itaque videtur, dicere Ægyptios, consuetudine pene superstitioni suæ coæva, virilia circumcidisse; cum præsertim Herodotus, ævo vel suo gentem Ægyptiam *more veteri* recutitam referat.

(3°.) E jam citatis Herodoti verbis hoc saltem tuto colligatur, Colchos, Æthiopes, & Ægyptios, primos e Gentibus fuisse, qui Circumcisionis nota signabantur. Unde factum autem ut Colchi, & Æthiopes primi ante alios hunc ritum usurparent, nisi quod origine Ægyptiacus esset, adeoque ad Æthiopes vicinos & Colchos (olim (*a*) indigenas Ægypti) citius quam ad gentes remotiores transire potuerit? Sin autem ab Abrahamo & posteris ejus primo manarit circumcisio, nulla ratio reddi potest, cur Ægyptii [Judæorum genti semper infensi] eorum exempla tam studiose sequerentur; aut cur Æthiopes & Colchi, tanto terrarum intervallo a Judæis separati, tam cito moribus Judaicis inficerentur.

(4°.) Ægyptii, Æthiopes, aliique ex Oriente populi, rationes regioni vel religioni suæ proprias habuerunt, quibus, diu ante tempora Abrahami, ad virilium pelliculas præcidendas inducti censeantur. Nam *Philo* & alii circumcisionem, inter gentes aliquas, consilio civili primum introductam putant, ad præcavendam scilicet lepram aut carbunculum, e sordibus sub præputio latentibus oriri solitum. Herodotus aliam rationem, ab ipso religionis Ægyptiacæ ingenio petitam, assignavit: (*b*) ait enim Sacerdotes Ægyptios *καθαριότητος ἕνεκεν puritatis causa*, quam summo studio curabant, pelliculam illam, utpote sordium receptaculum, amputasse. Veteres idololatræ *τὸν κοινὸν τοῦτον καὶ καταγέλαστον λόγον*, *vulgarem hanc & ridiculam* circumcisionis *causam*, uti vocat S.

(a) *Bochart. Georg. sacr.* l. 4. c. 31.
(b) Lib. 2. §. 37.

quam probabile videtur, Ægyptios omnes, unius fœminæ vel multorum equorum causa, circumcisionem in mores accipere voluisse; cum ritus sit tam gravis & molestus, nec a viris ætatis paulo provectioris sine capitis periculo subeundus. Quin &, si *commercium* illud a *Bonfrerio* memoratum quicquam apud Ægyptios valuisset, eos proculdubio non ad circumcisionem (a qua natura refugit) sed ritus suaviores a Judæis accipiendos induxisset. Longe præstat, ingenue fateri, tempus incertum esse quo primum hoc moris in Aegypto cœperit, quam hujusmodi conjecturis lectorem ludere.

(3.) Suadet ratio ut fidem, hac in re, non nisi timidam & vacillantem Herodoto tribuamus Cum enim Deus mandatum de Abrahamo & posteris ejus circumcisionis charactere notandis tradidisset, proculdubio gentes illæ, Ammonitæ, Moabitæ, Ismaelitæ, Midianitæ, (ab Abrahamo & Loto propagati) parum exempla secuti, circumcisionis ritum observarunt: *illi itaque nusquam quod meminerint* (inquit (1) Montacutius) *appellantur in scripturis* incircumcisi: *sed titulus ille apud Philisthæos resedit, e Chamo per Misraim oriundos, nec ad Abrahami familiam aut pactum Domini pertinentes*. Verisimile itaque ritum illum ab Abrahamo Arabes ei sanguine conjunctos, & ab Arabibus ad Aegyptios, & ab iis ad alias e vicinia gentes, emanasse.

(4°.) Hisce omnibus, aliquali veritatis specie decoratis, ratio & experientia clare refragantur. Non est enim rationi congruum, naturam præputium, modo individuo tam noxium aut speciei damnosum, concedere voluisse. Sed & longa dies docuit, lepram, carbunculum, & luem veneream, non magis gentes præputiatas quam circumcisas infestare: & certum est Judæos in vagas libidines effusos, non minus lue venerea, quam gentiles ejusdem criminis reos, laborare. Non est igitur probabile, Aegyptios & alios e gentilium grege virilia circumcidisse, ne aliter lepra vel lue aliqua corriperentur. Nec verisimile est Aegyptios, pudore & dolore reclamante adeo, solius *puritatis causa* circumcisionem subire voluisse. Rationi magis convenit, ut credamus eos, traditione a se-

(*a*)

(1) Vid. *Orig. Eccles.* P. 1. §. 50.

(*a*) Cyrillus, frequenter in ore habuerunt.

(5°.) Satis e (*b*) scriptura constet, Abrahamum, licet nonagenario major esset, de circumcidendo seipso & familia sua nihil a Deo in mandatis accepisse, nisi postquam in Ægypto temporis aliquid exegisset. Quid autem, nisi quod Abrahamus, Ægyptiorum familiaritate jam usus, circumcidendi modum & ritum aliquatenus intelligeret, nec ab instituto illo, tanquam novo & incognito, resilire vellet?

(*6*°.) Judæi & Ægyptii eum inter se consensum, quoad præcipuas circumcisionis suæ circumstantias, habuerunt, quod nemo consultus sibi persuadere possit, Ægyptios ab Hebræis (populo sibi semel subdito, semper autem exoso) circumcisionem accepisse. Nam 1. Judæi honorifice admodum de circumcisione sentire solebant, eique plurimum tribuebant: idem & Ægyptios fecisse, colligere est e verbis *Hori Apollinis* de (1) Cynocephalo, γεννᾶται δὲ περιτετμημένος, ἣν κ̀ οἱ ἱερεῖς ἐπιτηδεύουσι περιτομὴν· *Nascitur autem circumcisus, quam circumcisionem studiose observant sacerdotes*. 2. Judæi nullum ad Paschatis solennitatem, & Ægyptii nullum ad mysteria sua solenniora, nisi circumcisum, admiserunt. (*d*) Pythagoras itaque, ut ad mysticam eorum philosophiam aditum haberet, circumcisionem subiisse dicitur. 3. Judæi circumcisione, tanquam initiationis & consecrationis ceremonia, utebantur. Ægyptios etiam eodem consilio circumcisionem usurpasse, intelligere licet e verbis *Origenis*, Homil. 5. in Jeremiam, (2) τῶν Αἰγυπτίων εἰδώλοις οἱ ἱερεῖς περιτέμνονται·

culis antiquis propagata, didicisse, circumcisionem Deum auctorem habuisse: cum autem temporis vetustas ritus illius instituti causam ex hominum memoria delevisset, sacerdotes forsan AEgyptii circumcisionis initium puritatis studio tribuendum censuerunt, ne sine rationis alicujus specie delirarent.

(5°.) Hujus argumenti levitas inde satis intelligitur, quod Abrahamus (*c*) fame tantum coactus in Aegyptum iverit; & Deus, non statim ab exitu suo ex Aegypto, sed post annos aliquot, ei circumcisionis præceptum dederit.

(*6*°.) Constat etiam e veterum scriptis Hebræorum circumcisionem in circumstantiis non minus insignibus ab Aegyptiaca recessisse. Nam (1°.) Aegyptiis in more fuisse, κ̀ τὰ θήλεα ἐκτέμνειν, *fœminas circumcidere*, docet (3) Strabo. l. 17. quamvis ritus illius peragendi modum taceat: Hebræi vero lege & more ad masculos tantum circumcidendos tenebantur. (2°.) Judæi die octavo, Aegyptii anno decimo quarto, circumcidebantur. Hujus rei testem advoco S. *Ambrosiam* l. 2. de Abraham. c. 11. (3°.) Asserere videtur *Epiphanius*, Hæres. 30. Circumcisionem solis Aegyptiorum hierophantis & sacrorum ministris peculiarem apud Judæos character ille sacer & laicis imprimebatur. Hæc omnia suspicandi causam præbent, Aegyptios ritum illum a Judæis mutuatos fuisse, & eum superstitione sua tandem infecisse; vel quod temporis lapsu illius rationem & originem ignorarent, aut quod circumcisio, in novam quasi formam in Aegypto mutata, facilius originis Aegyptiacæ ceremonia crederetur.

Ægyptios in his omnibus Hebræos imitari *potuisse*, non dubitandum est; eos autem *voluisse*, credere non patitur odium illud acerrimum quo nomen cultumque Judaicum semper aversabantur. Alia argumenta ad hanc sententiam astruendam addi possent, quæ tamen, ne lectorem obtundam, prætermitto. Cum autem ea argumenta ad examen vocaverim, quæ probare videntur circumcisionem Ægypti moribus originem debuisse; eorum etiam argumenta cum annexis solutionibus in medium adducenda sunt, qui, soli Dei institutioni vel Abrahami exemplo, ritus hujus originem ascribendam sentiunt. Est equidem ex æquo & justo ut utriusque partis argumenta patienter audiantur; & nolim ut quis me animo partibus obnoxio hanc provinciam, argumenta librandi, suscepisse censeat.

Eo-

(a) Lib. 10. *cont. Julian.* p. 352.
(b) *Gen.* 13. 1. & 17. 10.
(c) *Gen.* 12. 10.
(d) *Clem. Alex.* Strom. l. 1. p. 354.

(1) Vid. *Orig. Eccles.* P. 1. §. 50.
(2) V. p. 1180.
(3) Vol. 1. p. 85.

Eorum argumenta qui Abrahamum primo circumcisum sentiunt.

(1°.) SCripturæ fidem apertam faciunt, circumcisionem, non ἐθελοθρησκείαν aut institutionem humanam, sed divinam fuisse, utpote fœderis divini signum : unde factum est quod illius observatio posteris Abrahami sub pœna excisionis incubuerit : *Genes.* 17. 14.

(2°.) Aperte satis ex historiæ sacræ verbis intelligitur, circumcidendi morem una cum fœdere quod Deus cum Abrahamo (*b*) percussit, incepisse. Cum itaque Celsus, hunc ritum memorans probri loco objiceret, πρὸς τὰς ἀπὸ Αἰγυπτίων αὐτὸ ἐληλυθέναι, *eum ab Aegyptiis ad Judæos profectum* : respondet (*c*) Origenes, *Mosem dixisse, primum mortalium circumcisum Abrahamum*. Et in hanc sententiam crebrioribus itum est eruditorum suffragiis.

(3°.) Veterum & recentiorum assensu communi confirmatur, Deum circumcisionem instituisse, ut esset veluti tessera vel nota, quæ populum sanctum a cæteris gentibus discriminaret. Sin autem apud Aegyptios tunc circumcidendi mos extitisset, impossibile erat Israelitæ ab aliis nationibus circumcisione se-

(a) Vid. *Theodorit.* T. 4. p. 467.
(b) *Gen.* 17. 10.

Eorum solutiones,

(1°.) NEmo prudens unquam dubitavit, quin circumcisio, quatenus fœderis divini signum, a Deo principium & sanctionem habuerit: quatenus autem stigma corporeum, puritatis species, fœcunditatis medium, aut morbi antidotum esset, nil vetat quo minus eam ab (*a*) Aegyptiis aut Aethiopibus excogitatam asseramus. Minime dubitandum est, Mosem præcepta quædam, de cibis præsertim data, sanitatis præscriptis antea receptis accommodasse.

(2°.) Nihil dubii habet, circumcisionem, quatenus pacti divini signum, in Abrahamo primum incepisse : nullibi autem affirmat aut negat Scriptura sacra, gentes ante seculum Abrahami circumcisionem ad alios fines accommodasse. Nec forsan contrarium dixisset Origenes, si ad modo citata veterum testimonia pensiculatius advertisset. Neque sententia contraria doctorum omnium puncta tulit : nam *id certum est*, inquit (*d*) auctor fama clariore dignus, *potuisse Aegyptios, etiam ante circumcisionis institutionem quam in lib. Genesis legimus tempore Abrahami factam, eam in usu habere, vel munditiæ gratia, pluris faciente se mundos esse quam decoros, ut ait Herodotus ; vel ob physicam aliquam rationem*, cujusmodi est illa quam *a majoribus suis traditam affert Philo ; vel ob aliquam tropicam & arcanam rationem* (eos enim *multa hieroglyphicis designare solitos exploratum est*) *vel ob quid superstitionis, cum constans sit omnium sententia eos gentibus universis superstitiosiores extitisse*. Quibus verbis inde color aliquis accedat, quod Americani (qui de Abrahamo ne fama quidem acceperant) ob has aut alias causas, hunc ritum exercuerint ; modo ea quæ de circumcisione in variis Orbis novi locis reperta narrantur, pro veris habeantur.

(3°.) At & hoc argumentum fundamento male firmo nititur: quamvis enim circumcisio signi distinctivi locum occuparet, non eo præcipue consilio a Deo instituta est, ut inde Israelitæ a gentibus distinguerentur ; tunc enim par esset ut Israelitæ distinctionis notam, in fronte, vultu, pectore, brachiis, aut ver-

Xxx cer-

(c) Lib. 1. p. 17.
(d) *Ghisler. Comment. in Jer.* 9. 26. T. 1. p. 833.

cernerentur. Rationis hujusce claritatem percipiant lippientes.

(4°.) Vix credibile est Ægyptios aliasque gentes Circumcisionem, non nisi (*b*) *μετὰ χαλεπῶν ἀλγηδόνων cum doloribus gravissimis* subeundam, levi aliqua de causa admittere voluisse. A ritu proculdubio tam fœdo & aspero prorsus abhorruissent, nisi gravi aliqua ratione sed ad illius usum astrictos existimassent. Quænam autem ratio moris humanæ naturæ tam adversi reddi potest, quam quod gentes olim circumcisionem divinitus institutam fuisse, ab Israelitis aut eorum majoribus accepissent?

(5°.) In hujus sententiæ patrocinium addi potest, quod minime videatur tantæ rei congruum, ut Deus, cum Abrahamo solenne pactum initurus, eam ceremoniam pacti signum instituerit, quæ jam apud Ægyptios idololatras in usu esset; cum præsertim hoc probe sciret Abrahamus, quem in Ægyptum ivisse, & ibi commoratum fuisse, legimus, *Genes.* 12. 10.

(6°.) Nisi circumcisionis origo ad præceptum Abrahamo datum, & ejus exemplum, referatur; haud facile rationem assequemur, cur e gentibus exteris soli Phœnices, Ægyptii, Colchi, Æthiopes, Idumæi, Troglodytæ, Homeritæ, Saraceni, Turcæ, circumciderentur. Hos enim omnes & solos e gentium profanarum grege præputia secuisse, veterum stibus, gestarent; non in ea parte quam insitus a natura pudor velare jubet. Unius veri Dei cultus, ritu speciali præstitus, nota illa præcipua fuit, qua Judæi a gentibus internosci debuerunt. Neque hoc argumentum nobis obstaret, si circumcisionem signi tantum distinctivi locum & usum habuisse concederemus. Nam finis, modus, tempus, alia, fecerunt, ut latum discrimen inter circumcisionem Judaicam & Aegyptiam intercederet. (*a*) *Origenes* de circumcisione Judæis cum Aegyptiis communi loquens *ἡ πρόθεσις*, inquit, *καὶ ὁ νόμος καὶ τὸ βούλημα τοῦ περιτέμνοντος, ἀλλοῖον ποιεῖ τὸ πρᾶγμα· Propositum, & lex, & voluntas circumcisi facit, ut alia res sit Ægyptii, alia Judæi, circumcisio.*

(4°.) Non est quod miremur gentilium mystas *περιτομὴν* tam libenter subiisse, cum & *ἐκτομὴν*, virilium *excisionem* (ut Deorum gratiam inirent) tam facile paterentur. Notum omnibus gentiles liberos igni tradere, vulnera sibi infligere, stigmata corporibus suis inurere, & laboris cujusvis tædium in Deorum cultu devorare, solitos;

Tantum cœca fides potuit suadere dolorum. Sed & *Philo*, libro sæpe laudato, varias rationes assignavit, cur verisimile sit gentes præputia sua secare voluisse, quamvis ad ritus tam molesti usum nullis legibus astringerentur.

(5°.) Sed & huic objectioni facile satisfiat, cum Dei mos sit, ut, cum hominibus agens, hisce plurimum ritibus exhibeat signa, pacta ineat, instituat sacramenta, quos perspectos novit & usu frequenti tritos. Nam *Noæ* tempore, fœderis cum humano genere initi signum, arcum cœlestem posuit Deus, quem tamen & ante diluvium (juxta naturæ leges) apparuisse, non facile dubitandum est. Christus comestionem & ablutionem, quibus nihil magis in usu versatur, legis novæ signa & sacramenta constituit. Et alibi fuse probamus, Deum temporum antiquiorum instituta reformasse, & ad usum sacratiorem transtulisse.

(6°.) Sed & hoc argumentum rimas haud paucas agit: cum enim, ait Grotius, *Colchos ex decem tribubus esse*, & ea de causa inter Abrahami progeniem numerandos; a veri vicinia multum aberravit, si *Dionysio* de situ orbis & *Eustathio* fidendum sit, *Colchos* genere & origine *Ægyptios* asserentibus. Ipsa eorum verba citat (*c*) *Sheringhamus* note-

(a) Lib. 5. *cont. Cels.* p. 263.
(b) *Phil. ub. sub.* pag. 810.

(c) *Lib. de Angl. Orig.* p. 74.

testimoniis a (*a*) *Grotio* prolatis abunde confirmatum est. Sin autem pro concesso sumatur, Abrahamum primum ante alios circumcisum fuisse, hunc nodum facili negotio expediamus. Nam *Grotius* testibus fide non indignis probatum dedit, gentes eas omnes (Aegyptiis & Phœnicibus exceptis) ab Abrahamo (per Ismaelem, Keturæ filios, Esavum, aut decem tribus) oriundas. Ideoque credere par est, eos omnes circumcidi solitos, ritu inde usque ab Abrahamo (patre gentibus hisce communi) perpetua traditione propagato.

ster, quem Lector consulat. Vereor etiam ne quid humanum passus sit vir cl. cum ait, *Phœnicas* (circumcisos) *Herodotus haud dubie pro Idumæis dixit*, ab Abrahamo per Esavum propagatis. Sed ut ut hæc se res habeat, apertum est Aegyptios præputia secuisse, nec tamen originem ab Abrahamo derivasse. His addo, quod si Aegyptii a Josepho vel Israelitis circumcidi didicissent, proculdubio commune fuisset Eegyptiis omnibus circumcidi, ut Israelitis: ex iis autem (1) paucos tantum circumcisionem expertos fuisse, ex *Apionis*, hominis Egyptii, exemplo apud Josephum discimus.

Utriusque partis argumentis & responsis ἐκ παραλλήλε positis, Lectori jam promptum fuerit opinionis hujus & illius momenta omnia perpendere, & quænam similia sit vero judicare. Lectorem autem paulo humaniorem mihi veniam concessutum speravi, si in hoc argumento paulo prolixior fuerim, quod illud ab auctore uno & altera tactum quidem, a nemine pertractatum, reperiam.

SECTIO V.

De circumstantiis quibusdam in circumcisione celebranda observari solitis.

NE pars aliqua præsentis argumenti minus a nobis curata videatur, necesse est ut de præcipuis ritus hujus administrandi circumstantiis, saltem succincte disseramus. Hic autem tres inprimis circumstantiæ notandæ veniunt, Persona, Tempus, & Nominis impositio, in circumcisione celebranda curari solitæ.

Primo, Persona: eam autem vel scioli norunt quemvis fuisse, ex Abrahami semine, non adulta, sed tenera ætate masculum. Ita Deus instituit, *Genes.* 17. Cujus instituti causam quo certius assequamur, conveniens est ut circumcisionis ipsius finis & scopus (quatenus res præsens postulat) paulo fusius explicentur. Monendum est itaque circumcisionem finem aut usum triplicem habuisse: nam,

(1.) Circumcisi omnes, ritu illo, tanquam annulo, vel signo visibili, Deo desponsari, in filiorum ejus ordinem asciri, & familiæ suæ conjungi, censebantur. Hoc e Josuæ c. 5. 9. non obscure colligendum: *& dixit Dominus ad Joshuam, hodie abstuli a vobis opprobrium Ægypti*: q. d. „ Diu in Aegypto vixistis, ubi mancipia & animalia ad onera & servitutem nata videbamini: „ & præputia hactenus, quasi servitutis „ illius probrosæ monumenta, circumgessistis. Jam vero, circumcisionis ritu, vos in filiorum meorum numerum cooptavi, & servitutis vestræ „ pristinæ, non molestiam tantum, sed „ & opprobrium & memoriam, pene „ omnem abolevi. " Hisce congruum est nomen illuv חתן *sponsus*, quo puer, ipso Circumcisionis die, apud Hebræos dicebatur: nempe, inquit (*b*) Schindlerus, *quia tum primum populo Dei conjungitur, & Deo quasi desponsatur*. Et ut hæc confirmet, citat Zipporæ verba, non ad Mosen (uti vulgus errat) sed filiorum dicta, חתן דמים (*c*) *sponsus sanguinum tu es mibi*. Quæ verba Targum hoc modo feliciter explicat, *per sanguinem circumcisionis istum, datus est sponsus nobis*: i. e. Ritu illo Deo & ecclesiæ nostræ, quasi conjugii fœdere, copulatus es. Eos itaque fugit veritas qui sentiunt Zipporam, e fervore quodam muliebri, & ut bilem suam in maritum evomeret, ea verba protulisse; quasi Moses in causa fuisset, quod ritu tam sanguineo tenerum filioli sui corpus mutilare cogeretur.

(2°.) Circumcisio signum erat personæ Deo separatæ, & sacris ejus solenniter initiatæ. Hunc usum præbebat, *ex parte Dei*, qui circumcisionem signum esse voluit fœderis sui cum Abrahamo fa-

(a) *Annot. ad l.* 1. *de V. R. C.* §. 16.
(b) *Lexic. Pentag. voc.* חתן.
(c) *Exod.* 4. 25.
(1) Vid. *Joseph.* contr. *Apion.* l. 2. p. 1374. ibi autem Josephus mendacii accusat Apionem, qui bene noverat circumcisionem apud Ægyptios omnes in usu esse.

facti, quo posteros suos, veluti thesaurum & peculium, ex hominum communitate, sibi ipsi posuit & segregavit. *Ex parte personæ* signum etiam erat, quo circumcisus Gentium nomina & sacra repudiabat, & se Dei solius servum, (illius insigni & quasi stigmate suscepto) profitebatur.

(3°.) Circuncisio solenne quoddam sacrum erat, quo Judæi liberos suos in ipso vitæ limine numini consecrabant, eosque utpote jam Dei nota & charactere signatos, clientelæ divinæ commendabant. Id propius est fidem, quod apud antiquas gentes (Syros, Græcos, Romanos, alios) in religionis parte habitum esset, infantes suos (quinto, septimo, octavo, vel nono post partum die) lustrare, & Deorum tutelæ ritu aliquo solenni consecrare: nam gentes vix quicquam votis calidioribus exoptarunt, quam ut prole sua diu superstite fruerentur.

Cum itaque circumcisio finibus quos diximus inserviret, consentaneum erat ut omnes e sancta gente prognati maturius hac nota signarentur.

Secunda ritus hujusce circumstantia, quam tacitus præterire nequeo, Tempus est, ei ex Lege præstitutum. Deus autem infantum carnes, cum lucem octavam vidissent, resecari (*a*) jussit. Mihi probabile sit Deum ita præcepisse, ut infantes in ejus quasi familia natos, quam primum per eorum infirmitatem licuit, præoccuparet; & caveret ne ceremonia aliqua superstitiosa tunc temporis usitata, Deo alicui falso in clientelam traderentur. Hæc conjectura firmamenti nonnihil a rationibus hisce (conjunctis) mutuari potest.

(1°.) Ab antiquitate remotissima sic ferebant ethnicorum mores, ut infantulos suos ceremonia aliqua superstitiosa dæmoniis & idolis dedicarent. Chaldæis & Ægyptiis antiquis in more fuit liberos ab utero recentes inusto stigmate vel (*b*) traductione per flammam *Molocho* vel genio alicui tutelari devovere. Antiqui illi idololatræ moris illius exemplum Græcis præbuisse videntur: iis enim solennia quædam erant, Ἀμφιδρόμια dicta, quinto post partum die celebrata, quo nomen imponere, infantem certis ceremoniis expiare, & Diis sacrum vovere, in more habitum est. Hunc diem γενέθλιον, *natalem* appellarunt, & illius lætitiam missis muneribus celebrarunt. Morem affinem apud Romanos *Terentius* memorat, his verbis in (1) *Phormione*,

—— Porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro alio autem ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt. ——

Ad quem locum hæc *Servius* annotavit: *solebant antiqui diem octavum pueri natalem constituere, & eo die singulis annis lætum convivium parare, sicut Judæi in die octava circumcidunt.* Hic ansa data (*c*) auctoris moderni verbis: hac *in re mira similitudo cum Hebræis & Gentilibus elucet, quorum illi octavo ab ortu die insitum naturæ crimen expiabant: hi septimo, octavo, nono aut decimo, certis piaculis lustrabantur.* Cum itaque mos ille apud idololatras antiquos invaluerit, haud absonum est rationi, Deum, ut ansam omnem superstitioni præriperet, infantem die octavo circumcidi & sibi dicari, voluisse.

(2°.) Certum est antiquos Hebræos præcisam illam temporis circumstantiam plurimi fecisse, & rigide exegisse. Hoc e verbis (*d*) *Origenis* eliciamus: λέγουσιν Ἰουδαῖοι τὴν μὲν ὀκταήμερον περιτομὴν εἶναι τὴν προηγουμένην, τὴν δὲ μὴ τοιαύτην ἐκ περιστάσεως· *Ajunt Judæi octavæ diei circumcisionem esse præcipuam, cæteras supervacaneas.* (*e*) Septuaginta, eadem forsan opinione ducti, mandato illi divino (*masculus cujus præputii caro non fuerit circumcisa, delebitur*) hæc verba suo ex ingenio addiderunt, τῇ ἡμέρᾳ (2) τῇ διατεταγμένῃ, *ipso illo die quo ego præcepi*: nihil enim hodie in Hebræo reperire datur, quod versioni huic materiam præbere potuisset. Ex eadem opinione profectum videtur, quod Apostolus, inter alia gloriæ argumenta, (*f*) se *die octavo circumcisum* memoret; quod scilicet ipse dies honorem & virtutum non levem Circumsioni suæ conciliare crederetur. Quid autem Judæi in circumcisione præstanda diem a nato infante octavum tam solenniter observarent, & circumcisionem die quovis alio peractam, vir-

(a) *Luc.* 2. 21. *Lev.* 12. 3.
(b) *Maimon. Mor. Neb.* P. 3. c. 37.
(c) *Joseph. Vice com. de antiq. baptis. rit.* v. 1. l. 2. c. 1. p. 103.
(d) *Cont. Cels.* l. 5. p. 263.
(e) *In Genes.* 17. 14. & 23.
(f) *Philip.* 3. 5.

[1] Act. 1. Scen. 1. v. 12.
(2) Τῇ διατεταγμένῃ neque apud codicem Vatican. neque Alexandrin. extant: apud Grotium quidem ad *Genes.* 17. 14. legere est; *male hic nescio a quo additum in Græco τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδοῇ quomodo sæpe citat Augustinus.*

virtute caſſam & pro nihilo habendam dicerent; niſi quod dies ille aliquid myſterii contineret, &, non minus quam ipſa circumciſio, infantem Deo (non Dæmoni alicui) conſecratum indicaret? Hoc autem circumciſionem adminiſtrandi tempus haud obſcure ſignificavit: cum enim infans die tantum octavo circumcideretur, neceſſe erat, ut ſeptem dies integros natus eſſet circumciſionem ſubiturus, & ut ſabbatum unum inter nativitatem & circumciſionem intercederet. Cum autem ſeptenarius numerus eſſet (ut ſtatim oſtendo) Deo ſupremo ſacratus, & ſabbatum dies Deo creatori dedicatus; ritus ille, die tantum octavo peractus, cum Dei veri nomine præſtitum, & infantem Deo ſupremo circumciſione ſacratum ſymbolice denotavit.

(3°.) Eo probabilius eſt, Deum infantes die octavo circumcidi voluiſſe, ut ſuperſtitioni alicui ſtatim poſt partum uſitatæ maturius occurreret; quod aliter nulla ratio ſatis ſolida reddi poſſit, cur Judæi ad circumciſionem, magis quam Chriſtiani ad Baptiſmum, die octavo celebrandam, lege ſpeciali aſtringerentur. Non ſum neſcius, viros doctos nunc ad naturales, nunc ad myſticas rationes confugere, ut temporis hujus tam præciſe definiti cauſam reddant. Animalia, inquiunt, omnia recens nata, quia incertum eſt adhuc an vita illis vitalis ſit, ante diem octavum vix in cenſu animantium æſtimantur: deinde, non diffluxit ſpurcities, quæ ex utero & partu credita eſt illis adhæreſcere: lege vero non ſemel cautum eſt, ne Judæi animalia nec perfectorum nec purorum numero collocanda Deo conſecrarent. Sed rationes illæ nimis exiles & longe arceſſitæ videntur: nec veriſimile eſt Deum (niſi gravior aliqua cauſa ſubeſſet) Judæos, ſub graviſſima (a) ἐξολοθρεύσεως pœna, ad maſculos ſuos die octavo circumcidendos obligare voluiſſe: cum præſertim infantum nonnullorum ſaluti magis conſultum fuiſſet, ſi vulneris illius acerbitatem die partu triceſimo (cum viribus eſſent magis firmatis) ſubire licuiſſet.

Tertia circumſtantia, nempe Nominis impoſitio, ſilentio minime prætereunda eſt. Hanc ὀνοματοθεσίαν indiviſum circumciſionis comitem fuiſſe, diſcere eſt ex hiſtoria *Johannis Baptiſtæ*, cui peracto circumciſionis opere, nomen indebatur; *Luc.* 1. 59. *Et factum eſt ut die octavo venirent ad circumcidendum puerulum, & vocarunt eum ex nomine patris ſui*. Et Domino noſtro nomen (*b*) *Jeſus* (ad morem gentis proculdubio) ipſo circumciſionis die imponebatur. Eſt autem trita & vulgaris opinio, hunc nomina imponendi morem ab Abrahami uſque temporibus ad Judæos citeriores perpetua traditione propagatum fuiſſe. Ita venerabilis *Beda* cogitavit, dicens, *ab Abrahamo exortum eſt, ut die Circumciſionis nomen parvulis aptaretur: quia & ipſe, cum teſtamentum*, id eſt fœdus *circumciſionis, a Deo acciperet, eadem prorſus die cum ſua conjuge, nominis augmentum promeruit*. (1) Bedæ hac in re conſentit *Grotius*, eo quod Abrahamus ipſe filio ſuo (*c*) ſub circumciſionis ſuæ tempus nomen dederit.

Ego, ſi magnis nominibus auderem repugnare, dicerem potius hunc nomina ſub ipſum circumciſionis tempus imponendi morem, a veteri gentium uſu originem traxiſſe; & inter Judæos, ſub Maccabæorum forſan tempora, primum inoleviſſe. Cum enim infantum luſtratio apud ethnicos (circumciſioni apud Judæos analoga) perficeretur, ſolenne erat infantes nomine aliquo inſignire. Inde profectum eſt, ut apud Romanos idem dies (*d*) *luſtricus* diceretur & nominalis. Apud Athenienſes etiam, decimo poſt partum die, peracta ſolenni luſtratione, nomen, ex more, infanti concedebatur. Nil opus eſt, ut rem cuivis e ſchola tyroni notam multis teſtimoniis confirmarem. Eſt autem facile creditu, Græcos & Romanos morem illum a gentibus antiquioribus accepiſſe, quibus ſacra alia non pauca debuere. Judæos etiam hac in re (per ſe licita ſatis & honeſta) ad affines gentium mores ſe conformaſſe, non ſine ratione me perſuaſum habeo. Ne conſtat enim e lege aliqua Abrahamo vel Moſi data, Deum diem octavum nominis impoſitione aſſignaſſe. Ad hoc: plurimi ex Abrahami poſteris, non die octavo, ſed ſtatim a partu nomen accepiſſe videntur: ex gr. (*e*) Jacob & Eſau, (*f*) Benjamin, Iſaac etiam, aliique, quibus caſus & affectus ſubitaneus, potius quam deliberatum octo dierum conſilium, nomina dediſſe credantur. Præterea: non eſt rationi conſentaneum, ethnicos hac in re Judæorum exempla ſibi ante oculos poſuiſſe, qui

(a) *V. LXX.* in *Geneſ.* 17. 14.
(b) *Luc.* 2. 21.
(c) *Geneſ.* 21. 3. 4.
(d) *V. Jo. Dought. Analect. ſacr.* P. 2. *Excurſ.*

(e) *Geneſ.* 25. 25.
(f) *Geneſ.* 35. 18.
(1) Vid. Tom. 5. col. 238.

qui mores eorum alios in liberis suis initiandis usitatos negligere solebant & aspernari. Argumenta quod attinet quæ Beda & Grotius ad sententiam contrariam firmandam afferunt, ea nervis destituta censeo: constat enim Deum eodem tempore *Saram* incircumcisam, & *Abrahamum* cui detractum præputium, nomine novo cohonestasse: nec ex textu illo (*a*) Genesis ostendi potest, an statim a partu, an jam peracta circumcisione, Isaaco nomen imponeretur. Huic itaque sententiæ non obsunt exempla quæ Beda & Grotius afferunt. Sed hæc omnia pro conjecturis tantum habenda sunt, quibus nec lectoris judicio, nec veritati, præscriptum velim.

SECTIO VI.

Circumcisionem adversus idololatriam plurimum valuisse.

EO me jam ducit ordinis & argumenti ratio, ut ostendam circumcisionem ad idololatriam coercendam plurimum virtutis habuisse. Hoc autem facili opera convinci potest: nam,

(1°.) Circumcisio signum erat uti dictum est ideo à Deo institutum ut hominem Deo fœdere conjunctum & ecclesiæ suæ desponsatum indicaret. Hunc esse ritus illius finem proprium & cum primis designatum, Deus his verbis Abrahamo significavit: (*b*) *statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno; ut sim Deus tuus, & semini tuo post te.* Et paulo post: (*c*) *hoc est pactum meum*, &c. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos* i. e. ut hæc nota carnibus vestris impressa, sit obedientiæ vestræ symbolum, & clare doceat vos fœdus mecum iniisse, & fidem mihi datam sanctam & inviolatam servare statuisse. Nec e scripturæ tantum verbis, se ethnicorum, Judæorum, & Christianorum veterum moribus, hunc esse ritus hujusce finem & scopum intelligatur: ethnici (*d*) *fœminas quæ circumcidebant filios suos trucidabant, & suspendebant pueros a cervicibus earum* per universas *domos*. Quid autem in eas imprimis fœminas & earum pueros sævitum est adeo, nisi quod scirent circumcisionem cultus divini tesseram esse, & ejurationem practicam ethnicismi? Judæi etiam antiqui, cum ad gentilium partes transirent, summis conatibus contenderunt, ut præputia reducerent, & omnia circumcisionis vestigia e corporibus abolerent. Nam historicus (*e*) apocryphus quosdam Judæos memorat, a Dei castris transfugas, qui (arte forsan medica) ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας. Aliorum etiam meminit [*f*] *Josephus*, qui τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπικαλύπτειν conabantur. Huic autem operi tam sedulo incubuere, quod circumcisio pacti divini & religionis Judaicæ professio practica crederetur. Christianos etiam antiquos a Judaismo nuper conversos idem existimasse pateat, quod artificio aliquo ad præputium reducendum uterentur. Hoc discere licet e monito illo Apostolico, [*g*] *circumcisus aliquis vocatus est*, μὴ ἐπισπάσθω, *ne protrahatur*, vel *præputietur*: cum autem, nisi quod circumcisio cultus & fidei Judaicæ tessera, hic autem ἐπισπασμὸς abdicationis indicium, haberetur? Cum itaque circumcisio fœderis tam sancti μνημόσυνον esset, & hominis in Dei verba jurati documentum, fieri vix potuit, ut Israelita quispiam illo charactere notatus a Dei sacris ad dæmonis ritus defectionem faceret. Nam character ille fœderis initi religionem, matura parentum vota, stemmatis sui dignitatem, & pœnas perjurio debitas, ad animum suum sæpe revocaret; eumque tacitis opprobriis non raro vexaret, si turpiter ad Gentilium castra prolaberetur.

[2.°] Ritus ille cum gentium antiquarum cultu, quasi ex adverso, pugnasse videatur. Nam cultus ethnicus ceremoniis plurimum obscœnis & impuris peragebatur, & in iis virilis circumgestatio primum dignitatis locum obtinebat. Hoc patres antiquos, tanquam pudendum & abominandum, gentibus objicientes sæpius inveniamus. Gentes autem, vel *Mosis* ævo, ritibus illis impuris Dæmonica peregisse, res per se credibilis est, & fœda *Peorem* colendi ratione, a Mose memorata, nimis confirmatur. Cum itaque Israelitæ partis obscœnæ mutilatione Dei legibus & sacris initiati essent, hoc ritu se impuros ethnicorum cultus detestari, & Deo illi qui caste pureque colitur se consecrare, tacite profitebantur.

(3°.)

(a) Cap. 21. 3. 4.
(b) *Gen.* 17. 7.
(c) V. 10. 11.
(d) 1. *Mac.* 1. 63. 64.
(e) 1. *Mac.* 1. 15.
(f) *Antiq.* lib. 12. c. 5. p. 532.
(g) 1. *Cor.* 7. 18.

[3°.] Circumcisio erat quasi murale ſepimentum quod Judæos & gentiles ab invicem ſeparavit. Noluerunt enim gentiles matrimonia cum Judæis contrahere, vel in unam gentem coaleſcere, eo quod acerrimum circumciſionis dolorem [communionis conditionem] ſubire perhorreſcerent. Judæi etiam, hoc peculiari ſignati charactere, facile intellexerunt ſe, cum aliis gentibus haud temere commiſceri, ſed eorum affinitatem & conſortium [qua licuit] averſari debuiſſe. Pateat enim e ſcriptis ſacris & Rabbinicis, eos, uxorem alienigenam ducere, fœdus cum peregrinis inire, vel conſuetudinem aut familiaritatem cum iis colere, pro illicito habuiſſe. Cum itaque Judæi ab alienigenæ cujuſvis affinitate ſimul & commercio ſejuncti viverent, nihil periculi erat ne malis moribus corrupti a Lege & virtute deſciſcerent, aut ad cultum ethnicum declinarent.

[2°.) Circumciſio character erat haud facile delendus, & ipſis oculis uſurpandus, adeo ut furtivos omnes in gentilium caſtra receſſus inhiberet. Prout enim pecora, inſigni aliquo notata, dominum produnt ad quem jure pertinent; ita & Judæi, pacti divini ſignum præferentes, verum ipſorum dominum cuivis indicarent, ſi forte a grege ſuo deflecterent aut aberrarent. Et fieri vix potuit, quin inter ethnicos tanquam exploratores, aut inter Judæos tanquam apoſtatæ, miſere perirent, & pœnas perſolverent levitati ſuæ debitas. Ut hoc argumentum bene deſinat, [a] S. *Chryſoſtomi* ſubjungam verba, qui de circumciſione loquens hæc habet: ὅρα σοφίαν δεσπότου, πῶς εἰδὼς τῶν μελλόντων ἔσεσθαι τὸ ἀτελὲς τῆς γνώμης, καθάπερ χαλινόν τινα ἐπιτιθεὶς, &c. *Vide ſapientiam Domini, quomodo cum ſciret imperfectas & pravas eorum* [Judæorum) *mentes futuras, ſignum circumciſionis quaſi frænum quoddam impoſuit ad indomitos eorum impetus cohibendos, ut ne gentibus commiſcerentur.* Καὶ καθάπερ τις ἀνὴρ σώφρων καὶ ἐπιεικὴς παιδίσκην ἔχων ἀκόλαστον, &c. *Et quemadmodum vir aliquis conſultus & lenis, ancillam habens petulantem, terminos & regulas illi dat, ne unquam extra veſtibula prodeat, neque cum prætereuntibus conveniat,* & *nonnunquam pedibus compedes addit; ita & benignus Dominus dedit eis leges & regulas, ultra quas iis tranſire non liceret, & circumciſionis ſignum carni eorum indidit,* καθάπερ δεσμὰ ποσὶν, *quaſi pedibus vinculum, ut in nullo cum gentibus ſe commiſcerent.*

(a) *Homil.* 39. in Cap. 17. *Geneſ.* T. 4. p. 400.

SA-

SALOMONIS DEYLINGII OBSERVATIO DE ORIGINE CIRCUMCISIONIS JUDAICÆ.

I. Fœda calumnia est *Celsi*, jurati Judæorum ac Christianorum hostis *Originem apud Lib.* I. *contra ipsum p.* 17. & *p.* 259. nec non *Juliani* Apostatæ apud *Cyrillum Libr.* x. *contra Julian. p.* 354. *B.* τὸ περιτέμνεσθαι τὰ αἰδοῖα ὑπὸ Ἰουδαίων γινόμενον ἀπὸ Αἰγυπτίων ἐληλυθέναι *circumcisionem pudendorum Judæis usurpatam, ab Ægyptiis provenisse*. Recte *Celsum* reprehendit Adamantius Pater, *quod Ægyptiis*, quæ gens *Flavio Vopisco* dicitur ventosa, fabulosa & mendax, suarum originum nescia, & superba suæ antiquitatis vendicatrix, *maluerit credere, quam Mosi, qui retulit, primum inter mortales Abrahamum fuisse circumcisum*, Genes. XVII.

II. Voluit *Deus* circumcisionem esse אות ברית *signum fœderis* cum Abrahamo initi Genes. XVII., 11. quod promissionem continebat gratiæ *Dei* salvificæ, perfectæ, ac coram *Deo* valituræ justitiæ, remissionis peccatorum, ὀθεσίας, regenerationis, glorificationis, omniumque beneficiorum, quæ per Jesum Christum impetranda erant, & augusto *circumcisionis signo* conferebantur fidelibus Vet. Test. & obsignabantur. Conferenda sunt loca Deut. x., 16. xxx., 6. Rom. II., 28. 29. Coll. II. 11. 16. & imprimis verba Genes. XVII. 7. 8. היתי להם לאלהים *ero iis in Deum* videlicet gratiosum. Exinde intelligitur ratio, cur circumcisiunis observatio sub pœna כרת *excidii* injungantur vers. 14. Quis autem credat, *Deum* sanctissimum Abrahamo in signum fœderis dictasse ritum Ægyptium a maledicta Chamitarum gente excogitatum, ejusdemque observantiam populo suo, in peculium, & sanctimoniæ studium, præ cunctis terræ gentibus electo, tam severe injunxisse sub gravissima כרת *excidii* pœna? de qua videatur *Lud.* de *Compiegne* de *Veil* in *Notis* ad *Maimonidis* Librum de *ædificio Templi Cap.* VII. §. XVIII. *p. m.* 65. 66.

III. Existimavit *Menardus in notis ad Barnabæ Epistolam p.* 151. a nemine Christianorum hoc assertum iri. Sed non defuerunt inter Christianos, qui fundamentis orthodoxæ Theologiæ, de gratia Christi sub Vet. Test., neglectis, rationem legum ceremonialium typicam, & sacramentalem circumcisionis significationem non agnoverunt, sed profanam illam *Herodoti*, *Strabonis*, *Diodori Siculi*, aliorumque gentilium opinionem de circumcisione ab Ægyptiis inventa, Mosis narrationi impie prætulerunt. In hac sententia fuit *Jo. Marshamus*, Eques Anglus, *in Canone Chronico Sect.* V. *p. m.* 74. & 75. quam prolixius defendit *Jo. Spencerus Lib.* I. *de Legib. Hebr. Ritual. Cap.* IV. *Sect.* IV. *p.* 47. Hunc enim in eodem luto cum *Marshamo* hærere, ratio instituti totiusque Disputationis series haut obscure declarat, etsi protestetur, se tantum utriusque sententiæ argumenta inter se contulisse, relicto Lectori judicio, cui parti subscribere velit. Nam multa argumenta, quibus adstrui solet, quod Ægyptii potius ab Hebræis, quam Hebræi ab Ægyptiis, ritum circumcisionis acceperint, *Spencerum* subdole omisisse *Ittigius* observavit in *Hist. Eccles.* primi seculi *Selectis Capitibus p. m.* 146. 147. Inter utramque sententiam more suo dubius hæret *Jo: Clericus* in *Comment. ad h. l. f. m.* 127. Fieri enim potuisse censet, ut consuetudinem dudum receptam apud Ægyptios, Deus etiam Abrahamo, sed alium in finem, observandam tradiderit, ita, ut neque Judæi Ægyptiis, nec Ægyptii Judæis eam debuerint, etiamsi Ægyptiaca consuetudo divino præcepto occasionem præbuisset.

IV. Ego tantæ audaciæ vix aliam caussam fuisse arbitror, quam errorem Socinianum de statu Patrum sub Vet. Testamento. Idem Viri Celeb. *Melch. Leidekkeri*, Theologi Ultrajectini, judicium est in Annotat. ad *Maimonidis* Tractatum

tum Latine ab eo versum de *Regibus Hebræorum cap.* x. §. VII. *p. m.* 162. Magna igitur laude in hoc errore refellendo præter *Ittigium* l. c. & *Leidekkerum de Rep. Hebr. Libr.* II. *cap.* IV. *f. m.* 70. 71. occupati fuerunt *Jo*: van der Waeyen *in Variis S. p.m.* 321. H. Witsius *in Ægyptiacis Libr.* III. *cap.* VI. *p. m.* 223. Jo. Henr. Heideggerus *in Corpore Theol. Christ. Loc.* XII. *f. m.* 450. §. LXXXI: *Samuel Basnagius Exercit. Hist. Crit. p.* 117. & nupperrime *Jacobus Basnagius Libr.* v. L'Histoire des Juifs *cap.* VIII. §. II. *p. m.* 601. aliique, quos brevitatis studio omitto.

V. Tantum abest, ut æquus harum rerum æstimator, & a partium studio alienus in *Marshemi* & *Spenceri* opinionem induci facile queat, ut potius existimem, haud difficulter probari posse, antiquiores Ægyptios ne circumcisos quidem fuisse, nedum ante Mosem & Abrahamum usurpasse, & Israelitis tradidisse illum ritum. Abrahamus, ante divinam circumcisionis institutionem, jam tum aliquamdiu in Ægypto commoratus erat, sed redit inde incircumcisus, secus ac Pythagoras. Filia Pharaonis Mosem puerulum ex flumine a se extractum vix aliunde, quam ex amputato præputio, circumcisionis signo, dignovit, puerum esse Hebræum, Exod. II., 4. quod fieri nequaquam potuisset, si Ægyptiorum pueri etiam fuissent circumcisi. Hoc argumento, quod *Spencerus* prætermisit silentio, usus est *Theodoretus Quæst.* III. *ad Exodum* & in Tract. de *Græc. affect. curatione serm.* I. *p.* 6. nec displicuit illud *Danhauero in Mysteriosophia p.* 194.

VI. Locus notatu & consideratione dignissimus occurrit apud *Jeremiam cap.* IX. *vers.* 24. *Ecce prope adsunt dies, cum animadvertam in omnes, qui circumcisi sunt cum præputio*. Addit *versus* 25. in quos animadversurus sit *Deus*: *In Ægyptios & in Judæos, in Edomitas, & in Ammonitas, Moabitasque*. Sunt qui cum *Spencero l. c. p. m.* 73. *n.* 6. ex hoc Jeremiæ loco, minus recte intellecto, probare conantur, Ægyptiis, inter gentes circumcisas, primum locum propterea tribui, quod circumcidendi mos antiquior fuerit apud Ægyptios, quam apud ceteras gentes, & ipsos etiam Judæos. Verum, si hæc argumentandi ratio valet, haud difficulter ostendi potest, *Colchis*, qui apud *Herodotum* Ægyptiis præponuntur, antiquiorem circumcidendi ritum adscribendum esse, quam reliquis gentibus. Vid. *Jo. Nicolai Notæ* ad *Cunæum* de *Rep. Hebr. p. m.* 433.

VII. Circumcisos cum præputio מול בערלה eos esse censet auctor libri *Aruch*, qui postquam circumcisi essent, præputium attraxere, quales Ægyptios fuisse vane nec ullo nisi indicio Scripturæ, tradit. Alias sententias vide apud M. *Leidkkerum de Rep. Heb. Libr.* II. *cap.* IV. *f.* 72. Nostro judicio verba פקדתי על כל מול בערלה verti debent: *visitabo super omnem circumcisum, & præputium*, hoc est, tam Judæos citcumcisos, quam gentes incircumcisas. Nam ערלה *præputium* h. l. sunt gentes, quæ præputium habent, qua phrasi etiam *Paullus* usus est, Rom. II., 26. III. 30. Hujus interpretationis meæ auctorem habeo ipsum Spiritum S. qui sub finem commatis XXV. subjungit: כי כל הגוים ערלים וכל בית ישראל ערלי לב *quia omnes gentes* sunt *præputiatæ, & universa domus Israel* (corpore quamvis circumcisi, tamen) *præputiati sunt corde*. In eumdem sensum R. *Salomo Ben Melech* interpretatus est על כל מול ועל כל אשר בערלה *super omnem, qui est circumcisus, & qui est in præputio, super Israelem & super gentes*. Recte. Distinguitur h. l. inter domum Juda, quæ circumciditur, & inter Ægyptios, Idumæos, Moabitas, aliasque gentes, in oraculo commemoratas, quæ circumcisionem spernebant, æque ac verum *Deum* Israelis. Cum igitur ἐμφατικῶς dicatur כל הגוים *omnes istas gentes*, proxime commemoratas, fuisse ערלים *præputiatas*, in certam indubiamque inducimur sententiam, *Aegyptios* tempore Jeremiæ & *Idumæos*, quos Hyrcanus demum ad circumcisionem adegit *Josepho* teste *Libr.* XIII. 17. *Antiquit. Jud.*, aliasque gentes l. c. descriptas, circumcisionis ritum non habuisse. Nam Ammonitarum Dux Achior conversus ad Judaismum, præputium circumcidisse legitur, Judith XIV. v. 6. Videatur *Jo. Harduinus in Chronol. Vet. Test. f. m.* 527. *Opp. Select.*

VIII. Falsissimum proinde est *Herodoti* testimonium, quo dissentientes præcipue nituntur: Μοῦνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι, καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες περιτέμνονται ἀπ᾽ ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ᾽ Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι κ. τ. λ. *Soli omnium Colchi, Ægyptii, & Æthiopes, a principio pudenda circumcidebant: Phœnices autem & Syri, qui Palæstinam incolunt*, i. e. Judæi *ipsi se consuetudinem illam ab Ægyptiis accepisse confitentur* Libr. II. cap. 104. *Spencerus*, circumcisionis initium Ægypto vindicaturus, hoc *Herodoti* testimonium in prima acie non tantum collocavit, sed hæc etiam

etiam verba ſubjecit *p. m.* 70. *Cur autem Herodotum hac in re, qua ſibi nec ferebatur, nec metuebatur, mentiri voluiſſe, crederemus?* Quia igitur hoc teſtimonium *Marshamo* ac *Spencero* decretorium videtur, quod aliorum gentilium grege Philoſophorum, & Hiſtoricorum ſuffragiis longe præferunt, operæ pretium facturi ſumus, ſi in illius vim & auctoritatem paullo diligentius inquiramus.

IX. Hoc certum eſt, *Herodotum* omnium, qui hodie exſtant, Græcorum hiſtoricorum vetuſtiſſimum eſſe. At Moſe tamen non eſt antiquior, ſed multis ſeculis eo recentior, quia demum ſub *Dario Hyſtaſpida*, *Xerxe*, *&* *Artaxerxe Longimano* circa annum Urbis conditæ trecenteſimum floruit. Quis vero, obſecro, a partium ſtudio ac cauſſæ præjudicio alienus, *Herodoto*, ſcriptori adeo recenti, magis credat, quam Moſi ſcriptori vetuſtiſſimo, divinituſque afflato, in quo multa indicia proſtant, ad profligandam diſſentientium opinionem, idonea? *Herodotus* veras Judæorum origines, hiſtoriamque Patriarcharum, qui longe ante conſtitutionem Reipublicæ Judaicæ vixerunt, profunde ignoravit. Neque ritus, & res Ægyptiorum, ante Abrahamum geſtas, deſcripſit, neque, ob defectum monumentorum, deſcribere potuit. Quæcumque de Ægyptiis habet hiſtoriarum Pater, ſequiorum temporum ſunt inſtituta, neque ex ultimæ antiquitatis tabulis, de quibus ipſe *Herodotus* ſilet, ſed ex incerta vanaque Ægyptiorum ſacerdotum traditione hauſta, quos in extollenda ſuorum rituum antiquitate, ac amplificanda gentis gloria, totos fuiſſe, conſtat. Propterea non ſolum *Joſephus* ſcriptor domeſticus, ex *Manethenone* collegit, πολλὰ Ἡρόδοτον τῶν Αἰγυπτιακῶν ὑπ' ἀγνοίας ἐψευσμένον, *Herodotum frequenter in Ægyptiacis ignoratione mentitum* Libr. I. contra *Apionem*, ſed *Diodorus* etiam Libr. I. Cap. LXIX. affirmavit, *Herodotum* portenta narrationum, pro veritate ſponte amplexum, & voluptatis gratia, fabulas commentum eſſe. Vid. *Jo. Alberti Fabricii* Vir. Cl. *Bibl. Græcæ L.* II. *Cap.* XX. *p. m.* 698. nec non *Jacobus Perizonius in Origin. Ægypt. Cap.* XI. *p. m.* 162. cujus judicium notatu digniſſimum huc adſcribam: *Teſtatur* Herodotus *ipſe, ſe pleraque ſoli Ægyptiorum ſacerdotum narrationi debere. Sed quis affirmabit,* Herodotum *in meliores & minus fabuloſos incidiſſe ſacerdotes, quam* Manetho *fuit, qui non modo fuit* Ἀρχιερεὺς, *ſed &* γεμματεὺς τῶν κατ' Αἴγυπτον ἱερον ἀδύτων, ſcriba ſacrorum penetralium in Ægypto, *ut ſe ipſe appellat in Epiſtola ad Regem Ægypti apud* Syncellum *p.* 40. *Quin & ſcripſit ille in Aegypto, & ad Regem Aegypti, & ex libris depoſitis* ἐν τοῖς ἀδύτοις τῶν ἱερῶν Αἰγύπτυ. *Et multa tamen habet fabuloſa, ut eruditi notarunt. Quam ergo fidem habebunt* Herodoti *narrationes ab incertis ſacerdotibus acceptæ? Accedit, quod hic ipſe* Manetho, *qui poſt* Herodotum *ſcripſit, eum, teſte* Joſepho *L.* I. *contra Apionem p.* 1039., *in multis arguat & confutet, ut deceptum rerum Aegyptiacarum ignorantia.* Hactenus Cl. *Perizonius. Suidas* auctor eſt, *Harpocrationem* quemdam *Aelium* librum ſcripſiſſe περὶ τῦ καταψεῦσθαι τὴν Ἡροδότυ ἱςορίαν, *de hiſtoria Herodoti mendacii arguenda*, quo inſtituto eum peregregie defunctum eſſe, aut defungi certe potuiſſe, tanto minus dubito, quod viri docti in unico hoc, ac perbrevi *Herodoti* loco, a nobis allegato, aliquot mendacia deprehenderunt. Primum mendacium eſt, quo *Colchos* circumciſionem ἀπ' ἀρχῆς *ab initio* habuiſſe finxit. Nam *Colchi* iidem ſunt, quos Moſes *Casluchæos* vocat, Ægyptiorum ἀπόγονοι, & Philiſtæorum πρόγονοι, ſicut multis argumentis probavit *Bochartus* in *Phaleg.* Libr. IV. Cap. XXXI. *Casluchæi* vero ex Ægypto migrarunt ante tempora Abrahami. Nam ex his orti Philiſtæi, pulſis *Avvæis* jam tum Palæſtinam tenebant, Geneſ. x. 14. cum quorum Regibus fœdera iniverunt Abrahamus & Iſaacus. Et ritum circumciſionis inter *Casluchæos* in uſu non fuiſſe illo tempore, quo ex illis exceſſerunt Philiſtæi, hoc mihi argumento eſt, quod Philiſtæi, eorum ἀπόγονοι non circumcidi ſolebant, quod manifeſtum eſt jud. XV., 18. 1. Sam. XIV., 6. XVII., 36. & XXXI., 4. ubi Iſraelitis circumciſis opponuntur. Porro hallucinatus eſt *Herodotus*, cum aſſeruit, Phœnices, a Syris, Palæſtinæ incolis, diſtinctos, per quos *Idumæos* intelligit *Ammonius de Verborum Differentiis*, circumciſionem ab Ægyptiis habere, cum certum nobis ſit, Idumæos non ab Ægyptiis, ſed ab *Edomo*, ſive *Eſavo*, circumciſionem, ſi habuerunt, ſuſcepiſſe. Tandem etiam mentitus eſt *Herodotus*, quando ſcripſit, *Syros, qui in Palaſtina ſunt*, hoc eſt, Judæos, quippe hi ſoli in Palæſtina t. 1. circumcidebantur, *fateri, ſe circumciſionem ab* Ægyptiis, *&* Colchis *habere*, quod ſecus eſt. Nam Judæi contendunt, Ægyptios eam didiciſſe a *Joſepho*. Et quamvis nonnulli recentioris ævi cum *Maimonide* quaſdam ſuæ religionis ceremonias a gente Chamitica arceſſant, nemo tamen Judæorum, quod ego ſciam, id de circumciſio-

sione asserere ausos est. Neque consentaneum mihi videtur, Judæos, qui Ægyptios, ut gentem profanam, ac superstitioso idolorum cultui præ ceteris addictam, oderant, *Herodoti* ætate sponte fuisse confessos, suos Patriarchas sanctissimum fœderis sacramentum ab iis accepisse. Legi de hoc argumento possunt cum fructu Melch. Leydekkerus *de Republ. Hebr. Lib.* II. *Cap.* IV. *f.* 70. 71. H. Witsius *in Aegypt. Libr.* III. *cap.* I. *p.* 196. & *car.* VI. *p.* 226. nec non Basnagius *in Histoire des Juifs Libr.* V. *Cap.* VIII. §. II. *p.* 601. & Willian. Nicholls *Collationis cum Theista* P. II. p. 257.

X. Investiganti mihi originem opinionis, & caussam, cur Græcorum plerique ac præter *Herodotum*, *Diodorus*, *Siculus*, *Celsus*, aliique crediderint, primos omnium fuisse Ægyptios, qui circumcidendi ritum observarint, aliisque gentibus tradiderint, nullam invenire licuit aliam, quæ animo satisfaceret quam hanc, quod vetustissima inter gentes traditio fuit, & extra omnem dubitationem posita, Judæos, ex Ægypto olim egressos, *ἀπογόνους* fuisse Ægyptiorum, iisdemque originem debere. Quando enim audiverunt, Mosem, cum ingenti multitudine ex Ægypto egressum, Judæis, jussu divino, legem dedisse, in qua mandatum de circumcidendis masculis continebatur, exinde collegerunt homines profani & rerum Judaicarum ignari, prout res, quæ peregrinos gentium mores concernunt, perverse plerumque exponi solent, circumcidendi ritum ab Ægyptiis ad Judæos dimanasse. In qua conjectura valde confirmatus sum, postquam aliquo abhinc tempore vidi, idem magni nominis Viros, Jo. van der Waeyen *in Variis Sacris p.* 455. Melch. Leydekkerum *de Rep. Hebr. Libr.* II. *cap.* V. *f. m.* 77. *n.* 7. & Jo. Harduinum *in Chronolog. Vet. Test. f. m.* 528. *Operum Selectorum*, quæ Amstelodami nuper prodierunt, suspicatos esse.

XI. Ægyptium Judæorum ortum nemo veterum clarius descripsit & tradidit, quam Strabo *Libr.* XVI. *Geograph. p. m.* 760. inquiens: Φημὴ Ἀιγυπτίους ἀποφαίνει τοὺς προγόνους τῶν νῦν Ἰουδαίων λεγομένων. ΜΩΣΗΣ γάρ τις τῶν Ἀιγυπτίων ἱερέων, ἔχωντι μέρος τῆς καλουμένης χώρας, ἀπῆρεν ἐκεῖσε ἐνθένδε δυσχεράνας τὰ καθεστῶτα, καὶ συνεξῆρον αὐτῷ πολλοὶ τιμῶντες τὸ Θεῖον *Fama perhibet, eos, qui nunc Judæi appellantur, ab Ægyptiis fuisse prognatos. Nam* Moses *unus ex Aegyptiis sacerdotibus, qui partem quandam regionis tenebat, cum quæ publice ibi constituta essent, ægre ferret, illinc migravit, & plurimi, qui Numen colebant, eum comitati sunt.* Conferatur *Diodorus Siculus Libr.* I. *Bibliob. Hist. Cap.* XXVIII.

XII. Quæ nugæ quo facilius *Straboni*, aliisque auctoribus, rerum Judaicarum imperitis, condonantur: eo gravius reprehenduntur in *Joanne Tolando*, qui istos Græcorum λήρους, & inficeta commenta ad labefactandam, evertendamque divinarum literarum fidem, ac Mosis imprimis auctoritatem, ex orco revocare, incrustare ac defendere non erubuit *in Originibus Judaicis, historia, breviter illustrata, p. m.* 142. §. XII. quæ cum altera ejus Dissertatione, cui titulus: *Adeisidæmon*, sive *Titus Livius a superstitione vindicatus*, prodiit Hagæ Comit. Anno MDCCIX in 8. Huic homini tanta inest impudentia & nequitia, ut non solum *Straboni* & *Diodoro Siculo* longe postponat Mosem, sed virum etiam divinissimum non alio habeat loco, quam quo *Minos*, *Lycurgus*, *Zamolxis*, & id genus homines callidi communiter habentur, qui commentis suis politicis, & legibus, aliquam honestatis, utilitatisque publicæ speciem præ se ferentibus, auctoritatem sibi conciliarunt, imperiumque firmarunt, religione, ceu instrumento dominandi, ad plebem, in obsequio, & fide continendam, abusi. Spretis igitur iis, quæ a Mose, vel Pentateuchi auctore, quem Mosen fuisse cum *Hobbesio*, *Spinoza* & *R. Simonio* pernegat, traduntur, *Strabonis* sequitur auctoritatem, ejusdemque fide nisus, nugatur, Hebræos origine ac gente Ægyptios fuisse, quibus alii infimæ sortis homines fuerint admixti. Bello autem servili in Ægypto orto, promiscuam istam variorum hominum colluviem bellum excitasse civile, & ductore Mose, sacerdote Ægyptio, armata manu ex Ægypto egressam, Palæstinam deinceps occupasse.

XIII. Sed videamus, quæ argumenta afferat *Tolandus* pro fulcienda *Strabonis* auctoritate, & evertenda *Mosis* fide, qui docet, Abrahamum, ex Semi posteritate descendentem, & Jacobum illius nepotem huic genti originem dedisse: *Vicini*, inquit, *Aegyptiis fuere Judæi, Ergo illorum ἀπόγονοι sunt, & ab illis prognati?* Hoc argumento Turcæ ab Hungaris, & Philistæi, Sidoniique a Judæis derivari possent, quos etiam vicinos fuisse constat. Porro *Mosem pro Aegyptio habitum fuisse* objicit, *cum in terram Madian profugeret?* En *Tolandi* acumen! Ergone revera Ægyptius fuit? Veri est simile, Mosen pro Ægyptio fuisse habitum, quod in Ægypto natus educatusque erat. Nec melius procedit argumentum

tum *a privilegiis* petitum, quibus Ægyptii in Hebræorum Republica præ reliquis gentibus gaudebant. Legimus equidem eorum liberis post tertiam generationem, facultatem a Mose concessam esse, intrandi in congregationem *Domini*, Deut. XXIII., 7. 8. sed de *jure civitatis & suffragii* perperam interpretatur illam *Tolandus*, quam *Moimonides*, aliique Hebræi *in hunc locum* exponunt *de jure connubii in populo Dei*, quod Idumæis æque ac Ægyptiis concessum fuit, unde tamen nemo facile colligat, Judæos esse ab Idumæis prognatos, æque ac ab Ægyptiis. Voluit *Deus*, ut duo hi populi mitius tractarentur, quam alii populi incircumcisi, qui Idumæi erant Judæorum cognati, & Ægyptii fuerant eorum heri ac hospites, erga quos gratum animum declarare decebat, quarum caussarum neutram nos ignorare sivit Moses, Deut. XXIII., 7. 8. Sed *Aegyptiorum tamen idola*, quæ nova est objectio *Tolandi coluerunt Israelitæ*? Non nego, eorum animos cum in Ægypto, tum in desertis, ac postea, stercoreis illorum Diis addictos fuisse. Sed quid inde? Coluerunt ante adventum in Ægyptum trans Euphratem, & in Canaan, *Deos alienos*, Genes. XXXV., 2. num idcirco ab Assyriis vel Cananæis originem ducunt? Tandem, ut numero potius, quam robore argumentorum pugnet *Tolandus*, *ordine*, inquit, *militari processisse ex Aegypto Hebræos, cum alter eos a tergo insequeretur exercitus: unde finitimas gentes non potuisse non in eam induci opinionem, seditionem aliquam in Aegypto exortam, ac bellum exarsisse civile*, prout Censor noster concludit sub finem §. XII. *p.* 145. Quasi vero historiæ veritas finitimorum populorum opinione, &, quid illi senserint de Israelitarum exitu ex Ægypto, nitatur! Ceterum origines Judaicas ab iniquis & malevolis *Tolandi* criminationibus prolixe & erudite asseruerunt *Jacobus Fayus in Defensione religionis, nec non Mosis, & gentis duas Dissertationes Jo. Tolandi*, Ultrajecti editas Anno MDCCIX. & Celeb. in Academia Jenensi Teologus *Joannes Franciscus Buddeus* in *Invitatione* ad Prælectiones, & Disputationem Inauguralem *Jo. Andreæ Danzii*, Philologi in illa Academia excellentissimi, Jenæ MDCCX. d. XXVI. Jan. edita.

JOH.

JOH. JACOBI QUANDT
DISSERTATIO
DE
CULTRIS CIRCUMCISORIIS
ET SECESPITIS HEBRÆORUM.

CUm nomina rerum ſoleant eſſe incunabula, & indagatis nominibus ad intimiora rerum penetralia aditus demum concedi, de cultris Hebræorum diſquiſituris ante omnia indagandum erit, quo nomine cultros ſuos inſignivetint Hebræi, quamque nominum horum ſuppeditare liceat derivationem. Hebræis culter שכין & Rabbinis סכין dicitur, grata literarum ejuſdem ordinis facta permutatione, qualis eſt in in משכיה Prov. xv. 19. Eſ. v. 5. & מסוכה Mich. vii. 4. יחש Neh. vii. 5. & Rabbinorum יחס ארש Deut. xx. 7. & ארס. Obſervavit hoc *R. Elias* in Sepher Thisbi f. lxi. col. 1. אף על פי שהוא נכתב בשין הוא כמו סכין בסמך כמו מלא כרשו כמו כרסו ומלין אחרים הכתובים שין במקום סמך ונמנין על פי המסורת: *Quamvis ſcriptam vocem legas per* ש *eadem tamen eſt cum* סכין *per* ס *uti &* כרשו (Jer. lii. 2.) *eſt pro* כרסו; *dantur & aliæ voces* ש *pro* ס *habentes & a Maſora enumerantur*. Conf. *R. Levi ben Gerſon* in 1. Reg. xviii. 27. & *R. David Kimchi* in Sepher Schoraſchim f. ccccxvii. Semel tantum occurrit in fonte Hebræo, nimirum Prov. xxiii. 2. ושמת שכין בלועך אם בעל נפש אתה *Sedens ad veſcendum cum principe, appone gutturi tuo cultrum, ſi vitæ tuæ conſultum velis*. Indeque iiſdemque litigiis agitata fuit eruditorum quibus ſubjecta ſunt reliqua ἅπαξ λεγόμενα quævis. *Marcus Marinus* Brixianus in Arca Noæ T. ii. p. 219. dubius hæret, e quonam fonte vox hæc derivanda ſit? & an plurale ſit an ſingulare, veroſimilius putans deduci שוך *ſepire vepribus & ſpinis* & eſſe plurale adjecta terminatione Chaldæo-Ebræa pro שכים *ſpinæ*: unde & verba Prov. xxiii. 2. exponit: *& pones ſpinas ad gulam tuam*. Hauſit hæc Marinus ex *R. Dav. Kimchii* Sepher Schoraſchim f. ccccvii. cum patre ſuo *R. Joſeph Kimchio* hic conſpirantis: ואדוני אבי ז״ל פירש מזה ושמת שכין בלעך והפתח מקים חירק וכמוהו רבים והנון והמם שוים כמו חיים וחיין ימים וימין ומשקל אחר התמלא בשכות עורו והדגש בהם תמורת הנח ברגש זפטורי צצים וענינם ידוע: *Parens meus p. m. exponit ex hac radice* שוך *vocem* שכין *Prov.* xxiii. 2. *ita ut Patach ſit loco Chireck; qualia plura dantur; ſive vero Mem ſive Nun adſit, perinde eſt, ita enim* חיים *&* חיין (Job. xxiv. 22.) *invenimus item* ימים *&* ימין (Dan. xii. 13.) *Pariter reperitur* (Job. xl. 31.) שכות *Impreſſum Dageſch vero cedit in locum quieſcentis, prout etiam* צצים (1. Reg. vi. 18.) *Significatus vocum eſt notiſſimus*. Approbat Kimchium *R. Salomo ben Melech* in Michal Jophi f. cxciv. col. 1. *R. Levi ben Gerſon* in h. l. *R. Iſaac Abendama* h. l. *Mart. de Roa* P. ii. Singular. L. ii. c. xii. p. 266. & *Franciſcus Vatablus* in notis ad h. l. T. iii. Crit. S. p. 4295. At vix conſultum videtur, unam vocem tot involvere anomaliis, in Hebraiſmo vel nunquam vel rarius obſervatis, cum שיכים quidem Num. xxxiii. 55. & שכות Job. xl. 31. nuſpiam vero שכין deprehendamus. Nec opus eſt hic effingere pluralem terminationis Chaldææ; unanimi enim ſuffragio Hebræi & vetuſtiores & recentiores edocent, שכין cultrum unicum denotare & ſingularem eſſe. Tendit eo interpres Chaldæus, dum T. O. verba Jud. xix. 29. ויקח את המאכלת vertit ונסיב ית סכינא & *accepit cultrum*, & Zach. xi. 17. verba חרב על זרועו ועל עין ימינו transfert: די הוא דמי לטבחא די סכיניה בידיה *Qui ſimilis eſt lanioni cultrum in manu geſtanti*, nec non in Prov. xxiii. 2. reddit ותשים סכינא בלועך אין מרא דנפשך את. Sequitur Chaldæum ex interpretibus Græcis Theodotion: Θήσεις μάχαιραν τῷ λάρυγγί σε. & Aquila. Θήσεις μάχαιραν ἐν καταπώσει σε. Eo inclinat *Vulgata*, *Luth.*, *Pagninus*, *Junius* & *Tremellius*, *Belgæ* & verſiones aliæ Judæis

dæis antiquioribus annumeratur Talmudis Babyl. *Gemara* Cod. *Chullin* c. I. f. VI. col. I. recentioribus *Sepher Jalkut Schimoni* in Mischlef f. CXLII. col. III. *R. Mose Ascheeb* in Sepher Thoras Ohla l. III. c. XXVI. f. XCIII. col. III. cultrum his describens verbis : סכין כלי המשחית ומהווה הדברים כי עיקר המלאכות נעשים ונפסדים על ידי הסכין . *instrumentum destruens & corrumpens, ac conficiens res; nam potiora opera conficiuntur & corrumpuntur cultro* : Suppetias ferunt huic expositioni voces abhinc derivatæ, inque lingua Arabica hodienum obviæ apud *Jac. Golium* in Lex. Arab. p. 604. 605. Neque differemus de recentiori & curiosa *D. Casp. Neumanni* hypotesi, qua literarum significatu Hieroglyphico observato סכין forte esset lamina expansa, ut colligere licet ex *D. Valer. Ern. Læscheri* Relat. nunc A. MDCCIV. p. 690. nondum enim ab omnibus Philologis comprobata mystica hæc lirerarum est observatio. Alii Philologorum huc revocare student Hebræorum סכן, *periclitatus est*. Ex Coh. x. 9. & *Beracos* c. l. Mischna III. eò quod ex abusu cultri magnum immineat homini periculum. Ita *R. Elias* in Thisbi f. LXI. col. I. יש מפרשים מזה ובוקע עצים יסכן בם פירוש יעשה עצמו בסכנה וכן אמרו בהמה מסכנת פי הנוטה למות ואולי סכנה יגזר מלשון סכון דלעיל וכן אומרים משל הדיוט סכין ביד שוטה סכנה: *Sunt, qui hinc deducunt* Coh. x. 9. *Fidens ligna* יסכן *i. e. seipsum in periculum precipitabit. Ita Rabbini bestiam* מסכנת *vocant bestiam morti vicinam. Forte & nomen* סכנה *derivari potest a* סכין *supra memorato. Unde est in proverbio : culter in manu inepti periculum est*. Subscribit *D. Martinus Geierus* in Prov. XXIII. 2. t. II. Oper. p. 419. At quis non videt, hæc non soli cultro, sed lignæ, acui & omnibus instrumentis applicari posse, quorum & usus datur & ex abusu incommodum resultat? Confugientibus ad Arabicam linguæ Hebreæ filiam matre ad pauperem redacta occurrit Arabum שחן *fricando* seu *poliendo levavit*. Huic enim derivationi obstare non putamus, eam depromtam esse ab accidenti aliquo nempe politura, quæ cultrum non efficit quidem, eum tamen elegantiorem reddit. Etenim instrumenta Hebræis usitata a politura summam sortita esse & elegantiam & nomen, vel Æthiopes ostendunt, quos ob artus levigatos & politos Propheta appellat גוי ממשך ומורט *Gentem politam & tersam* Esa. XVIII. 2. prout notat *Steph. le Moyne* in not. ad Varia sacra, p. 561. 562. Verum & hæc longius petita videntur, & dum ultro citroque exquisita Criticorum volvimus sententias, id unicum firmiter adstrui posse experimur, Radicem genuinam antiquitus receptam, at in hodiernis linguæ Ebrææ ruderibus non reperiri.

II. Evidentior paulo est vocis מחלפים, quos cultros sacrificales in fronte opellæ hujus denominavimus, derivatio. Vasis quippe a Cyro Israelitis restitutis accensentur Esr. I. 9. אגרטלי זהב שלשים אגרטלי כסף אלף מחלפים תשעה ועשרים *Pelves aureæ* XXX. *Pelves argenteæ M. Secespitæ* XXIX. Conspirant Judæi unanimique decidunt suffragio מחלפים cultros sacrificiales, seu secespitas fuisse. *R. Salomo* Comm. in h. l. מחלפים הם סכינים והוא לשון בית החלפות שעל כן שהיו נותנין פה הסכינין היתה נקראת לשכת בית החלפות *Cultri sunt, inde &* בית החלפות *appellatur locus in templo, quo reponebantur cultri, sacrificiis apti*. Auctor Libri *Ajialah Schucha* Comm. in Esr. l. 9. מחלפים הם סכינים ששוחטין בהם הקרבנות וכן קוראין לסכינים האלו חלף בלא רי שעכט מעסר *Cultri sunt quibus jugulare solent sacrificia, ita enim illi cultri appellantur* חלף *a Germanis die Scheth Messer*. Non inconcinna quidem longius tamen forte petita uteremur deductione vocis מחלפים, si huc accerseremus Arabum חלאף *fœdus iniit, & jurejurando sanxit*, unde & חליף *confœderatus* & Gen. XXIV. 8. *Liber eris* מן חליפתי *a jurejurando*. Non inconcinnam vocamus, cum sera nos edoceat antiquitas, sacrificiis fœdera veterum confirmata esse, conf. *Atheneus* L. II. Deipnos. p. 45. L. X. p. 425. *Samuel Bochartus* P. I. Hieroz. L. II. c. XXXIII. & *Fortun. Scacchus* in Eleochrism. S. Mirothec. III. c. LX. ut adeo dicere liceat, cultrum in sacrificiis fœderalibus usitatum hoc nomine primum appellatum postea quemvis cultrum sacrificalem denotasse. Propius tamen scopo accedere videtur *R. Abenesra* in h. l. simul fundamentum hujus denominationis suggerens, multoque concinnius eam derivans a Radice Hebræis sueta חלף *excidit, secavit* מחלפים סכינים והוא מענין כליל יחלוף בני כריתיה: *Sunt cultri* (*ita dicti a* חלף *incidendo, quo sensu vox occurrit* Es. II. 18. *Deastrorum quivis plene exscindetur* (*nec non* Prov. XXXI. 8.) *omnes filii excisionis*. Nec alienus est ab hac sententia *R. Salomo ben Melech* in Michlal Jophi f. CCVII. col. III. *R. David Kimchi* in Sepher Schoraschim f. CXLIX. & *R. Samuel Laniado* in Celi Paf. f. XIX. col. I. Insuetum non esse hujus Radicis significatum abunde exprimunt interpretationibus scripturæ Judæi. *R. David Kim-*

Kimchi in Eſ. 11. 18. ואז בימות המשיח כל האלילים יכרתו עד גמירא לפיכך אמר כליל וכן כליל תקטר ופירוש יחלוף יכרית כלומר האל יכרית אותם כולם וכן בעניז כריתה אם יחלוף ויסגיר וחלפה רקתו *Tunc vero Meſſiæ temporibus omnes exſcindentur Deaſtri penitus, propterea dicit* כליל *omni modo, uti* (Lev. vi. 15.) *penitus aboleatur. Enim vero* יחלוף *idem eſt quod exſcindetur, q. d. Deus eos omnes oxſcindet. Ita etiam occurrit* (Job. xi. 61.) *Numquid exſcindet & occludet, ut &* (Jud. v. 26.) *& exſcidit tempora ejus.* Conſpirat *R. Abeneſra* in Job. xiv. 14. עד בוא חליפתי ר״ל מיתתי מן והאלילים כליל יחלוף או הליכתי כמו חלף הלך לו כי הנולד יקרא בא והמת נקרא הולך כמו דור הולך ודור בא אנכי הולך בדרך כל הארץ: *R. Levi ben Gerſon* in Job. xiv. 14. חליפתי כריתתי & *R. Iſaac Abarbanel* in פירוש על נביאים אחרונים f. viii. col. iv. Quamvis hanc Job. xiv. 14. expoſitionem implicitam & contextui afferat repugnantem *Abrahamus Schultens* in Animadv. Phil. & Crit. in Pſ. p. 150. Abunde ex his patet non incommode Judæos מחלפים dictos memorare cultros ab incidendo proprio cultrorum munere. Clarius *Sepher Obel Moed f.* xcix. col. 2. מחלפים תשעה ועשרים הרצון בו הסכינים ובמשנה בית החליפות ר״ל בית הסכינים שלבית המקדש ואמרו שנקרא כן מפני שהם חולפים פירוש כורתים מן ומחצה וחלפה רקתו כליל יחלוף וידוע שאנו קורין לסכינים רחבי הלהב חלפי בלעז: *Innuit per* מחלפים *cultros, prout & in Miſchna* בית החליפות *eſt domus ſeceſpitarum in templo. Ferunt ita vocari ab exſcindendo ex Jud. v. 26. & Eſ. 11. 18. Notum enim eſt, cultros latiori armatos lamella vocari Arabibus Chalphe.* Nec eſt, ut exiſtimes, Eſr. 1. 9. innui per מחלפים poſſe veſtes mutatorias, ſeu שמלות חלפות Gen. xlv. 22. aut החליפות Jud. xiv. 19. Prout ſine cauſa ſuſpicio hæc enata eſt *Job. Clerico* Comm. in Eſdr. 1. 9. in Libb. Hiſt. V. T. p. 642. parum a Clerico alienis lxx. reddentibus παρηλλαγμένα, & Syro hic ſtolas fabricante. Nam non immerito profitetur Clericus ſemotum ſe ab hac ſententia per contextum, cum hic non recenſeantur veſtes ſacerdotales ſed vaſa templi, & quidem, quod nos addimus, vaſa ſacrificiis aptata, utpote pelves ſanguini excipiendo & crateres vino & libamini libando, deſtinata. Unde optime Vulgata *cultros* & Luth. *Meſſer* reddidit. Nec quicquam profecerit *R. Elias* in Sepher Thisbi f. xxxiii. col. ii. ſocios ſuos ob hanc derivationem refutans, dum ſcribit: יש מקומות שקורין למאכלת חלף מן מחלפים תשרים על שם שהם מחלפין הבהמה מחיים למיתה והרדק כתב על שם שהם כורתים והוא רחוק בעיני: *Quibuſdam in locis vocant cultros Chalaph ex Eſr. 1. 9. quia mutant pecora viva in mortua. R. Dav.* Kimchi *ſcribit, ita dici, quia diſſecant beſtias; at hoc mihi longius petitum videtur.* Etenim cum nullum diſſenſus ſui proferat fundamentum Elias, Aben-eſræ, mentem tamdiu ſervandam putamus, donec ſolidiorem novus produxerit Elias, maxime cum hanc derivationem hypotheſi Neumannianæ experiamur ex aſſe conformem. Conf. *Caſp. Neumanni* Clavis domus Eber p. 42.

III. Primum inter Palæſtinæ Orientiſque populos cultrorum inventorem non niſi conjecturis aſſequi licet; prout omnium fere artium inventores primos injurioſæ oblivionis ſipariis obvolutos ſera nobis exhibet antiquitas. Primam tamen ut polituræ ferri, ita & cultrorum inventionem defert Tubalcaino *D. Aug. Pfeifferus* in Panſophia Moſaica c. xiii. p. 537. 538. idque non ſine omni fundamento, cum de Tubal-Caino Gen. iv. 22. legamus: וצלה גם הוא ילדה את תובל קין לטש כל חרש נחשת וברזל *Zilla & ipſa peperit Tubalcainum, polientem omnia æris ferrique opificia.* De inventione ferri ejuſque politura verba Moſis exponit *R. Iſaac Abarbanel* in פירוש על התורה f. xxxvii. col. ii. תובל קין היה לוטש וחורש ר״ל היה מחדד כל נחשת וברזל כי הוא הנאמר בלשון לוטש והוא היה גם כן חורש ר״ל פועל אותם ומוציא מן הארץ הברזל והנחושת כי מפני גבורתו והיותו איש מלחמה בטבעו המציא כלי הזין ללוחמים: *Tubalcain acuebat æs & ferrum, id enim innuit* לוטש *ſed & fabricabatur illa, ac producebat de terra ferrum & æs; Nam cum robore præditus belloque eſſet aptus a natura, invenit arma pro pugnantibus.* Conf. *R. Bechai* in ביאור על התורה f. xvi. col. iv. & *R. Iſaac Kaaro* in Toledos Iizchak f. xi. col. iii. Quod ſi ergo poliendo ferro armiſque operam navavit Tubalcainus, procul dubio & cultris proliendis operam navaſſe dicendus eſt, mactationi expeditiori & ſacrificiis jugulandis multo aptioribus. Conſtabant autem cultri Veterum Hebræorum, more omnibus cultris recepto ex lamina & manubrio ligato nonnunquam ad capulum annulo ex auro, ære vel alio metalli genere. Ferrum equidem materiam laminæ ut plurimum, non vero perpetuo præbuit, ſed ſaxum aut alia metalli ſpecies. Manubria ænea formæ ac magnitudinis diverſæ reperiuntur, modernoque ævo cultri circumciſorii achate ornati ac gemmis exornati con-

conſpiciuntur. Vid. *Job. Buxtorffius* in Synag. Jud. c. VII. Refert *Job. Smetius* in Antiq. Neomagenſ. p. 120. manubria antiquiora quinque in cimelio ſuo Neomagii aſſervari, quorum ſummitates gemino ornatæ ſint capite, humano & canino, canino & aquilino præterea dari manubrium, Hermæ figura exornatum; Et *Laurent. Begerus* T. III. Theſ. Reg. & Elect. Brandenb. p. 421. manubria varia, apri, equi, fœminæque viro junctæ effigie delineat. Hebræorum vero antiquiorum manubria nec imagines ejuſmodi nec ejuſmodi ornatum affectant. Ornatum non permittit vetuſti ævi ſimplicitas & ſeculum ab omni ſplendoris affectatione ſemotum. Imagines vero vetat ex mente Judæorum divina lex Exod. XX. 4. vi cujus pleræque imagines a Judæis execrabiles ac devotæ habentur. *R. Moſes Kozenſis* in Sepher Mizvos Gadol Hilcos Avoda Sara f. IX. col. I. שלא לעשות צורה לנוי אף על פי שאינה עבורה זרה שנאמר לא תעשון אתי אלהי כסף ונגמר כלומר צורת אדם של כסף ושל זהב לנוי כדי שלא יטעו בהם הטועים וידמו שהם של עבודה זרה ואין אסור לנוי אלא צורת אדם בלבד והוא שתהא בולטת אבל משוקעת או צורת של סמנין מותר כדאיתא בפרק כל הצלמים: *Non licet exprimere imaginem ornatus ergo, quamvis non inſerviat cultui idololatrico, Q. D.* (Exod. XX. 20.) *non facietis mecum Deos aureos h. e. imaginem hominis auream vel argenteam ornatus gratia, ne ignari hallucinentur exiſtimantes, aptatas eas eſſe cultui idololatrico. Solam tamen hominis figuram probibitum eſt fieri ad ornatum, ſi fuerit protuberans, ſi vero inciſa fuerit aut depicta, licita eſt, ut eſt in Avoda Sara c.* III. f. XLIII. col. I. *R. Jacob ben Aſcher* in Arba Turim Tur Jore Dea c. CXLI. CXVIII. col. I. והא דאמרינן בצורת אדם ודרקון דווקא בצורה שלמה בכל איבריה אבל צורת ראש או גוף בלא ראש אין בה שום איסור לא במוצאו ולא בעושה: *Proibitæ tantum ſunt imagines hominis Draconiſque perfectæ cum omnibus membris; de capitis vero imagine aut corporis abſque capite probibitio nulla eſt, nec quantum ad inventionem, nec quantum ad effigiationem.* Conf. *R. Levi Barſellonita* in Sepher Chinnuch f. XXIII. col. I. Si quæras: an & beſtarum immundarum oſſa manubriis cultrorum apud Hebræos adhiberi queant, cum alias immunda animalia lege divina Hebræis interdicantur? Facile ſuccurret Judæorum pro affirmativa quæſtionis reſponſio, contendentium non uſui ſed eſui animalia immunda interdicta eſſe, & ratione ſaltem eſus immunda vocari. *R. Salomo* in Levit. XI. 8. ומבשרם לא תאכלו על בשרם באזהרה ולא על עצמות וגידים וקרנים וטלפים: *De carne ipſorum non comedetis; carnem vetat interdictio, non aotem oſſa, nervos, cornua & ungulas.* Unde ſi ex oſſibus animantium immundorum parentur manubria, non obſtat, quo minus .is uti poſſe Judæos ex propriis ipſorum dicamus hypotheſibus. Sicut vero manubria apud Hebræos, ita & cultros variaſſe certum eſt. Diſcrimen eorum erat (1) ratione magnitudinis. Nam in *Celim* c. XII. Miſchna VIII. minoris cultri fit mentio. Ad verba enim האולר והקולמוס טמאין dum diſceptant Rabbini, quid ſibi velint Talmudici per אולר? Reponit *Obadias de Bartenora* האולר כעין מספרים של מתכת שמתקנים בו הקולמוסין והקולמוס של נחושת וברזל או של כסף: *Formam habet novaculæ e metallo fuſæ, quæ adaptari ſolent calami; calamus autem vel æneus eſt vel ferreus vel argenteus. R. Moſes ben Maimon* vocat סכין קטן והוא כלי יחתכו בו קצהה קלמוס של מתכת וחרבה מבני אדם עושים קולמוסים מברזל ונחשת *cultellum calamis ſcriptoriis ex ære fuſo paratis acuendis aptum; multi enim e ferro aut ære calamos paratos habere ſolent.* Cultrorum majorum vero mentio fit in *Celim* c. XIII. Miſchna I. הסייף והסכין והפגיון והרומח מגל יד ומגל קציר והשחור וזוג של ספרים שנחלקו הרי אלו טמאים ר׳ יוסי אומר הסמוך ליד טמא והסמוך לראש טהור מספרת שנחלקה לשנים ר׳ יהודה מטמא וחכמים מטהרים *Gladius, culter, pugio, lancea, falx manuaria,* (diſſecandis lignis frangendiſque oſſibus apta) *& meſſoria* (dentata) *forficula, ſorfex tonſorum bifida, immunda ſunt. R. Joſe vicinum anſæ immundum pronunciat, at mucroni mundum. Novacula bipartita ex decreto Rabi Jebudæ immunda eſt; at ex decreto ſapientum munda.* Quod nos pugionem vocavimus, clare expreſſit *Rabi Obadias* סכין שיש לו שתי פיות קרוי פגיון *Culter duabus armatus aciebus pugio appellatur.* At *R. Moſes ben Maimon* in h. l. סכין מעוקם דומה למגל קטן ישתמשו בו התגרים והסופרים *eſt culter incurvus, falci parvæ ſimilis, quo mercatores & ſcribæ utuntur.* Id quod approbat *R. Joſeph Kaaro* ad Rabi Maimon Hilcos Celim c. XI. §. VIII. *R. David Coben de Lara* in Sepher Ir David p. 63. Vid. & *R. Jom Tobb* cum Jarchio in h. l. At vero מספרת *Rabi Obad.* & *Rabi Jom Tobb* exponunt de forſice mulierum טס של ברזל ארוך וכפוף לאמצעיתו ובשני ראשים כארך שני סכינים *Lamina ferrea longa & incurvata in medio, duplici inſtructa vertice, langitudine duorum cultrorum.* Figuram ſiſtit *R. Jom Tobb*

Tobb & *R. Kaphelius* in Sepher Omeck Halacha f. XL. (2) distinguebantur cultri usibus. Alii circumcisioni, alii jugulandis victimis, alii mactandis eduliis, alii tondendæ comæ &c. inserviebant, & fini suo ut essent aptati ac proportionati, vel recti erant vel inflexi, aut aliis formis ac figuris instructi; Usus cultrorum varios recenset *D. Adrianus Bejerus* Tract. de varii generis instrumentis maxime Opificum. c. VIII. §. XXIII. XXIV. Nos hac vice duos priores seligemus, eosdem oculis B. L. exposituri.

IV. Prodeat igitur ante omnes e vagina sua *Culter Circumcisorius*, hanc vel maxime ob causam, quod Circumcisio a Judæis primis religionis Judaicæ annumeretur fundamentis, in qua, ut loquitur *R. Levi Barsellonita* in Sepher Chinnunc fol. XIII. col. I. רצה הש״י לקבוע בעם אשר הבדיל להיות נקרא על שמו אות קבוע בגופם להבדילם משאר העמים בצורת גופם כמו שהיו מובדלים מהם בצורת נפשותם: *Deo B. placuit, imprimere populo quem elegit, ut de nomine Dei vocaretur characterem indelebilem in corpore, quo segregari posset a gentibus reliquis in corpore, quemadmodum ab iis divisus erat ratione animæ*. De excellentia & prærogativa legis hujus loquuntur *R. Jacob ben Ascher* in Sepher Arba Turim, Tur Iore Dea §. CCLX. *R. Moses ben Maimon* in Hilcos Mila cap. I. §. I. *R. Moses Mikkozi* in Sepher Mizuos Gadol Hilcos Mila fol. CXV. col. I. *R. Abraham Laniado* in מגן אברהם f. XII. col. II. seqq. & *R. Alpheles* in Sepher Hoil Mosche Venet. Edit. 1597. f. XC. seqq. Cultro circumcisionem susceptam, non omni solum ab antiquitate receptum, sed & ab omnibus Judæis ita confirmatum, ut a nemine usquam in dubium vocatum fuerit, existimamus; hoc saltem inquirendum, e quanam materia culter circumcisionis a Judæis paratus perhibeatur? Equidem in institutione circumcisionis a Deo Abrahamo injunctæ, ne verbo quidem instrumenti circumcisionis aut cultri mentio injecta deprehenditur. Ita quippe Gen. XVII. II. ונמלתם את בשר ערלתכם והיה לאות ברית ביני וביניכם. *Circumcideris carnem præputii vestri, ut sit in signaculum fœderis me inter & vos*, ut mirum sit, qua fronte *Thomæ Aquinatis P.* II. Summæ qu. LXX. Art. III. refelli queat opinio, negantis, cultellum lapideum præcepto divino ad circumcisionis instrumentum esse determinatum, & cum *Serario* adstrui, *totam lapideorum cultrorum inficiationem a* Judæis *inventam, ut pulcherrima de Christo vera circumcisionis petra allegoria Veterum PP. explicatione percelebris vel everteretur vel obscuraretur*. Aliunde enim Petram Christum evinci posse nec tam contortis opus esse allegoriis, dudum indicavit *Andr. Rivetus* in Exod. IV. 25. p. 128. In secunda tamen institutione circumcisionis solenni (quam propterea שנית factam vocat Sacra S.) materia, ex qua præparandum sit circumcisionis instrumentum Josuæ injungitur Jos. V. 2. 3. בעת ההיא אמר יהוה אל יהושע עשה לך חרבות צרים ושוב מל את בני ישראל שנית ויעש לו יהושע חרבות צרים וימל את בני ישראל אל גבעת הערלות: *Tempore illo dixit* Jehova *ad* Josuam, *fac tibi cultros* צרים & *circumcide filios Israel secundo: Fecitque sibi Josua cultros* צרים & *circumcidit filios Israel ad collem præputiorum*. Mira res visa est Judæis, qui factum, quod nec in institutione circumcisionis Abrahamo, nec temporibus sequioribus Mosi, sed Josuæ demum circumcisionis detectum fuerit instrumentum? Movet dubium, eique satisfacere conatur *R. Aharon Ben Chaiim* ספר לב אהרן seu Comment. in Proph. prior. Venet. MDCIX. edito fol. XXXVII. col. III. & fol. XXXVIII. col. II. ita in Jos. V. 2. commentatus: חספק הב' באומרו עשת לך חרבות צורים והוא שאחר שמצות מילה לא נתחדשה עתה כי כבר נתנה לאברהם ונתחדש בהר סיני למשה עם היותה שיהי' צריך לסכי' מיוחדים להמול לא היה צריך לצוות עתה שיעשה אותם אחר שידוע היה להם במה זה מלין כ״ש שהדין הוא שבכל מלין והאל ית' לא' צוה לאברהם ולא למשה במה זה ימול זולתי כל מצותו הי' שימולו בכל מה שירצו שכן הדין שבכל מלין ולמה א״כ הוצרך לומר ליהושע שיעשה חרבות צורים וגו' כי היה די שיאמר שוב מול והוא ימול כפי מה שהוא דין המילה הידוע כבר אמר עשה לך שכל מה שעשה יהושע עד עתה לא עשה אותו בעבור עצמו ואליו אלא מכוון לעשות מה שצוה משה רבו אמנם זה שנצטוה הוא בו בצואה עצמו הוא עושה ולזה אמר עשה לך והנה צוהו לעשות החרבות למול בהם אין הכונה להראות אליו במה זה ימול אותם אלא מפני שהדבר נחוץ כי זה ביום י'א לניסן וביום י'ד היו צריכים לשחוט הפסח והיה אם כן צריך שיהיו כלם נמולים באופן שצריך לימול אותם בזמן קצר והמלאכה מרובה ולזה צוהו האל יתברך לעשות חרבות צורים כדי שיהיו המוהלים רבים ולזה לא אמר חרב אלא חרבות כי הרבוי היא המצוה לא החרבות בעצמם: *Dubium Iidum de verbis: Præpara tibi cultros* צורים. *Cum enim præcepti circumcisionis non hic dedum facta sit instauratio, sed dudum tradita sit circumcisio Abrahamo & restaurata in monte Sinai a* Mo-

Mose ; hinc cum in circumcisione requirantur cultri proprii circumcisionis , non opus sane fuisset præcipi illorum præparationem, cum notum satis esset , quo instrumento circumcisio peragatur licitum quippe fuit quovis circumcidere instrumento ; Neque etiam Deus b. Abrahamo aut Mosi præcepit , quo instrumento suscipiendo sit circumcisio , nisi quod præceperit circumcidi, quocumque ipsis tandem lubitum fuerit instrumento . Quovis enim instrumento circumcidere mos erat , quid igitur opus erat injungere Josuæ parari cultros צורים *&c. Suffecisset sane si dixisset : Denuo circumcide , sic enim circumcidisset sueto circumcisionis instrumento . Resp. Dixit Deus Josuæ* עשה לך *Fac tibi . Quicquid enim hucusque fecerat Josua , non fecerat sui causa & ausu proprio , sed id exequebatur , quod ei præceperat Moses Doctor ejus , verum id , quod ipsi injungebatur præcepto speciali , ipsemet exequebatur . Hinc dicit :* עשה לך *. Præcipit autem ei præparare cultros , circumcisionis ergo . Intentio ejus non est , ostendendi circumcisionis instrumentum , sed cum negotium hoc subito esset expediendum (erat quippe dies* XI. *Nisan & die* XIV. *Pascha mactandum erat) hinc opus erat omnes esse circumcisos , idque tempore brevi intra quod magnum opus erat expediendum . Hinc præcipit Deus b. fieri cultros* צורים *ut indicarent circumcidentium requiri plures ; Non ergo* חרב *(cultrum) dicit in singulari , sed* חרבות *(cultros) ut innueret cultrorum multitudinem non circumcisionis instrumentum*. Conjecturam hanc suo roborat suffragio *R. Is. Abarbanel* in פירוש על נביאים ראשונים f. XI. col. III. & IV. אין ספק שיהושע בעצמו לא ימול כל העם הרב ההוא אבל צוהו שיעשה זה בצואתו אל העם שימולו כולם ולהיותו נעשה במצותו תלאו עליו הכתוב באומרו אותם מל יהושע ר״ל צוה למול וכן ויסול את בני ישראל בצווי כמו ויבן שלמה את הבית וכן הקים יהושע בגלגל שנעשה הכל במצותו והמפרשים אמרו שהוא היה מוהל ואחרים עמו ולכן נצטרך לחרבות צורים הרבה והיה זה לפי שירע האל יתברך שיריתו יכבש בנס ופלא ולא בכח אנושי ולזה צוה אותם שישתרלו במצות שהוא החרב והחנית אשר בו יכבשו האויבים וצוהו עוד על זה לפי שבא זמן הפסח והיה כפי הדין שכל ערל לא יאכל בו לכן הזהירם על הברית בעשרה לחדש ובאותם הארבעה ימים קודם הפסח ימולו ויטבלו ויכינו הפסח : *Nullum est dubium , quin Josua ipse non circumciderit tantam populi copiam , sed præceperit omnes circumcidi . Quia vero hæc ejus præcepto gerebantur , Josuæ circumcisionem adscribit scriptura q. d. jussit circumcidere . Ita & exponenda verba (v. 3.) & circumcidi filios Israel h. e. præcepit circumcidi , uti (1. Reg. VI. 14.) & ædificavit Salomo templum i. e. jussit ædificare itemque* (Jos. IV. 20.) *& erexit Josua seu jussit erigere in Gilgal ; Hæc enim omnia Josuæ jussu gerebantur . Interpretes dicunt Josuam circumcidisse aliosque cum eo , hinc opus fuisse cultris multis . Factum id (1) ut innueret Deus Jericho prodigioso & miraculoso modo expugnandam non autem virtute humana ; hinc præceptis divinis operam ipsos navare jubet , quæ futura sint gladius & hasta eorum , quibus hostes subacturi essent . Deinde (2) hoc eis præcepit , quia Pascha imminebat , statumque erat , ne quisquam præputiatus comederet de Paschate . Hinc commonefecit eos fœderis x. mensis die , ut illis 4. diebus ante Pascha circumciderentur , lavarentur & præpararent Pascha* . Paria habet *R. David Kimchi* Comm. in h. l. Rabbinicæ vero curiositatis index est, quod de vocibus עשה לך Judæi observant Josuæ insinuato, adjecta insuper materia , e qua cultri præparari jubentur . *Bereschis Rabba* fol. XXXII. col. IV. & ex eo *Sepher Jalkut Schimoni* P. II. in Jos. V. 2. fol. IV. col. I. meditata Judæorum ita pandunt : אמר ר׳ אמי בד׳ מקומות נאמר בלשון הזה עשה לך בשלשה נתפרש ובאחד לא נתפרש עשה לך תיבת עצי גופר נתפרש תיבותא דאעין דקדרינין עשה לך חרבות צורים נתפרש נלבין דטינרי עשה לך שתי חצוצרות כסף נתפרש עשה לך שרף לא נתפרש רבי יודן בשם רבי יוסי אמר ישמע חכם ויוסיף לקח זה משה שאמר הקב״ה לו למשה עשה לך שרף ולא פי׳ אמר אם אני עושה אותו של זהב אין הלשון הזה נופל על הלשון הזה אם אני עושה אותו של כסף אין הלשון הזה נופל על הלשון הזה הרי אני עושה אותו של נחושת למה שלשון הזה נופל על הלשון הזה שנאמר ויעש משה נחש נחשת מיכאן שניתנה תורה בלשון הקדש : *Dixit R. Ammai (alii R. Isai) quatuor sunt textus Scripturæ S. in quibus occurrunt voces :* עשה לך *In tribus expresse adjecta determinatur materia ex qua , unico saltem excepto , in quo non exprimitur . Ita (Gen.* VI. *14.) dicitur : Fac tibi arcam e lignis Gopher seu exponente Chaldeo : e lignis cedrinis . Porro (Jos. v. 2.) fac tibi cultros petrinos , s. ut vult Targum novaculas lapidis durissimi . Pariter (Num. x. 2.) fac tibi duas tubas ex argento . Expresse additur materia : ex argento . Tandem (Num.* XXI. *8.) fac tibi serpentem ; at ex qua materia ? non additur . Perhibet R. Judan nomine R. Jose : Audiat sapiens & multum ei accedet eruditionis . Hic revera Moses est . Nam dixit Deus bened. Mosi : fac tibi serpentem , neque vero determinaverat mate-*

te-

teriam. Secum ipſo pervolvens Moſes: ſi, ait, fecero ſerpentem aureum, res nomini ſuo non erit apta (nam נחש & זהב literis non conveniunt) *ſi ex argento, ne tum quidem nomini ſerpentis correſpondet* (נחש & כסף nulla gaudent Affinitate) *Agedum æneum parabo, quo nomen ſerpentis materiæ ejus reſpondeat* (נחש ſerpens & נחשת ſibi reſpondet.) *Hinc idem eſt acſi dicatur: & fecit Moſes* נחש *ſerpentem* (מנחשת) *ex ære. Quo ipſo evincimus, Lingua S. traditam fuiſſe legem.* Verba hæc ex *Cod. Sanhedrin* f. CVIII. col. I. & Talm. Hieroſ. *Roſcb Haſcbana* c. III. f. LIX. col. I. petita pleniori illuſtravit expoſitione *R. Abaron ben Chaiim* in Sepher Lebh Aharon fol. XXIX col. III. Nimis tamen ſubtilia hæc viſa ſunt aliis, unde *R. Samuel Japhe* in Jephe Toar f. CXCV. col. II. diſſenſum aliorum abunde prodit: ואיכא למרחו דה׳ אמר לו בפירוש שיעשנו של נחשת אף על פי שלא פירשו הכתוב דכמה מילי סתם הכתוב בספור המצוה למשה וכשמעם מספור מעשה משה או דבריו כמו ויקח משה חצי הדם שלא נכתב תחלה שמשה נצטוה כבך וכן רבות מהמצות שבמשנה תורה לכא שהרי בר׳ מקומות מצינו כלשון הזה וכיון דבכל הג׳ נתפרש בכתוב בספור מצות המעשה ולא סתם משמע שבזה שלא הגיד הכתוב הוא לפי שפירשו ה׳ למשה: *Sunt, qui illud rejiciunt dicentes: Deum juſſiſſe eum expreſſe ſerpentem parare ex ære, quamvis id juſſum non fuerit clare in ſcriptura detectum. Quot enim ſunt res abſolute in ſcriptura poſitæ quoad præcepta quoad circumſtantias tamen ex recenſione rei geſtæ Moſis aut verborum ejus innoteſcunt. v. g. ſcribitur de Moſe (Exod. IV. 6.) & accepit Moſes ſanguinis dimidium, tamen hoc in præcepto Moſi dato deprehenditur. Et hujus farinæ plurima occurrunt in repetita lege præcepta. Ecce ergo in 4. locis deprehendimus phraſin hanc; cumque in omnibus tribus expreſſe determinetur in recenſione præcepti rei geſtæ non autem abſolute, hinc concludere fas eſt in illis ubi materia non exprimitur, cauſam hanc ſubeſſe, quod Deus eam explicite indigitarit Moſi.* Sufficienter hinc patet certam inſtrumenti circumciſionis materiam a *Deo* Joſuæ fuiſſe inculcatam, abundeque hinc elici poſſe, licuiſſe quamvis cultro circumciſionis materiam Judæis veteribus pariter ac recentioribus aſſignare. Nam ſi ſaxeos aut ferreos circumciſioni cultros prima deſtinaſſet inſtitutio, quid opus fuiſſet eos Joſuæ denuo inculcari? Conf. *D. Seb. Schmidius* Comm. in Joſ. v. 2. p. 747.

V. Nondum tamen in materia cultri conſpirant Interpretum ingenia, quin dubiis & hanc merito annumerare liceat quæſtionem: Quænam tandem cultro circumciſionis inſervierat materia ferrumne an petra? Ad antiqua ſcripturæ provocantes monumenta duo protraxere loca, ex quibus tamen judicium formare indubitatum pro re deſperata habere non dubitarunt, cum uterque textus nondum ab omnibus liberatus ſit dubiis. Unumquemque ex illis ſeorſim expendemus, variaque Interpretum colligemus ſuffragia. Primus eſt de Circumciſione Zipporæ Exod. IV. 25. ותקח צפורה צור ותכרת את ערלת בנה ותגע לרגליו ותאמר כי חתן דמים אתה לי: *Tunc Zippora arrepto* צור *præputium filii ſui circumcidit, eoque ad pedes ejus projecto, Sponſus, dixit, ſanguinum es mihi.* At quid tandem Zippora arripuit filium ſuum circumciſura? Sunt (1) quidam ex Judæis, qui aciem ſeu inſtrumentum quodvis acutum Zipporam protraxiſſe volunt, materiam vero ejus expreſſe non determinari. *R. Abeneſra* in h. l. ותקח צפורה צור דבר חד כמו חרבות צורים שהם חרים וכמוהו אף תשיב צור חרבו: *Et arripuit Zippora* צור *id eſt rem acutam, uti (Joſ. V. 2.) dicitur* חרבות צורים *id eſt auti & (Pſal. LXXXIX. 44.) retudiſti* צור *aciem gladii ejus.* Collactea cum verbis Abeneſræ ſunt illa *R. Salomonis ben Meir* in h. l. צור כמו חרבות צורים תער מלוטש איזמל חריף וכן אף תשיב ציר חרבו נתעקס ונכפף חידוד חרבו ולכך לא הקמתו במלחמה: *Ut (Joſ. V. 2.) cultri* צורים *acuti; Ita (Pſ. LII. 4.) novacula polita Chaldæus vertit: ferrum acutum; & (Pſ. LXXXIX. 44.) retudiſti* צור *gladii ejus i. e. exciſa & corrupta eſt acies gladii ejus, & propterea non conſiſtet in bello.* Conſentit *R. Levi ben Gerſon* in פירוש על התורה fol. LVII. col. I. quanquam paulo obliquius צור הוא חרב לקחתו למול את בנה *Gladium acutum arripuit circumciſura filium ſuum.* Maximum, ut apparet, Rabbinorum horum præſidium eſt in adducto loco Pſ. LXXXIX. 44. ad quem mentem ſuum exponens denuo audiendus *R. Salomo Iſaacides* in (*Pſ. LXXIX.* 44.) אם תשיב צור חרבו השיבות אחור והפכת את חידור חרבו כמו חרבות צורים וכן כל כלי יוצר עליך: *Quin & retudiſti acumen gladii ejus, id eſt retroegiſti ac convertiſti aciem gladii ejus* צור *enim aciem notare patet ex* Joſ. v. 2. *nec non* Eſa. LIV. 17. *omne inſtrumentum* יוצר *acutum contra te.* Conf. *R. Abeneſra* ad Pſ. LXXXIX. 44. Idem *R. Salomo* ad Eſa. LIV. 17. כל כלי יוצר עליך כל כלי זיין אשר ילטשוהו ויחדדוהו בשבילך להלחם בך יוצר לשון חרבות צורים

:אף חשיב צור חרבו *Omne instrumentum contra te acutum id est omne instrumentum bellicum, quod polient & acuent tui causa contra te pugnaturi. Vocis* יוצר *vero significatus petendus est ex voce* צור *Jos. V. 2. & Ps. LXXXIX. 44. id est acutum est*. Paria profert R. *Jesaias* Comm. ad II. Sam. II. 16. חלקת הצורים תרגומו אחסנת קטיליא פירוש צורים כמו עשה לך חרבות צורים שתרגמו אזמלוון חריפין וכן ותקח צפורה צור וכן פרסות סוסיו כצר נחשבו ומעני' שנהרגו כולם בחרב נקראת חלקת הצורים כלומר חרוגים :בחרבות *Vocatur locus* חלקת הצורים *Chald. ager occisorum. Vox* צורים *sumitur pro acie gladii ut (Jos. V. 2.) Para tibi cultros acutos secundum Targum; item (Exod. IV. 25.) & accepit Zippora aciem, nec non (Esa. V. 28.) Ungulæ pedum ejus acutæ reputantur; quia enim omnes interfecti erant gladio, vocatur locus* חלקת הצורים *q. d. occisum gladiis*. Quanquam vero R. Salomo nimium pro significatu hoc vocis צור pugnet, quantum tamen ad Esa. LIV. 17. nec non 2. Sam. II. 16. & ultimum a R. Jesaia ex Jes. V. 28. productum litem ei movet melior forte *R. Dav. Kimchii* exposito qua יוצר non a צור sed יצר deducitur; alter vero locus ab eodem Kimchio longe feliciori exponitur vena ejusque expositio Raschianæ judice *D. Seb. Schmidio* Comm. in II. Sam. II. 16. p. 64. merito præferenda est. Ita vero *R. Dav. Kimchi* ad Esa. LIV. 17. כל כלי יוצר ענינו יפעל כמו שפירשנו ובמקבות יצרהו ושרשו יצר: *Omne instrumentum* יוצר *id est confectum, sicut exposuimus ad (Esa. XLIV. 12.) malleis format idolum. Radix est* יצר. Pariter ad II. Sam. II. 16. חלקת צורים ת' אחסנת קטיליא מן ותקח צפורה צר צור חרבו שעניינה חרב חדה ויש לפרש כמשמעו כמו והצורים נחצו ממנו ופירושו חלקת החזקים כי חזקים היו ובחזקה נלחמו שלא התגבר אחד על חבירו אלא כלם נהרגו :כאחד איש על יד אחיו *Dictus est locus* חלקת צורים *Jonathan transfert: ager occisorum ex sensu loci (Exod. IV. 25.) & accepit Zippora* צור *it. (Ps. LXXXIX. 44.) retulisti* צור *gladii, id est gladium acutum. Potest tamen etiam exponi secundum literam, prout (Nahum I. 6.) & petræ evertuntur ab illo; ut locus ille ager robustorum dicatur. Fortes enim erant, & forti marte dimicaverant, ne unus alteri privaleret, verum omnes interficerentur instar unius; unus per manus alterius*. Tandem in Esa. V. 28. *R. Salomo* Chaldæo subscribit טינרא petram vertenti & *R. Dav. Kimchi* rationem subdit: וכן פרסות סוסיו כמו הצור והוא האבן החזק נחשבו שלא יכאבו מן הדרך ולא וצטרכו להטיל להם :ברזלים *Ungulæ equorum ejus sunt petræ similes seu lapidi duro, quæ dolore ob viæ molestiam affici nequeunt, nec indigent ferro muniri*.

VI. Excipiunt hos (II.) illi, qui materiam circumcisionis instrumento a Zippora adhibito subministrasse saxum, petram, silicem, aut lapidem alium opinantur. Suppetias huic sententiæ fert (1) vocis צור significatus omnium consensu petram lapidemque notantis Deut. XXXII. 31. I. Sam. XXIV. 3. Job. XXVIII. 10. Ezech. 3. 9. Vix quisquam accuratius ex Judæis hanc vocem enodatam præsenti applicuit materiæ, quam *R. Moses Maimonides* in More Nevochim P. I. c. XVI. cujus de voce צור discursum adlucere non pigebit: צור שם משתתף הוא שם ההר והכירת בצור והוא שם אבן קשה חרבות צורים והוא שם המקור אשר יחצבו ממנו אבני המקורי' הביטו אל צור חוצבתם ואחר כן הושאל מזה העניין האחרון זה השם לשורש כל דבר והתחלתו ולזה אמר אחר אמה הביטו אל צור חוצבתם וכו' הביטו אל אברהם אביכם כאלו באר שהצור שחוצבתם ממנו הוא אברהם אביכם על כן לכו בדרכיו והאמינו בתורתו והתנהגו במדותיו כי טבע המקור ראוי שיהיה נמצא במה שיחצב ממנו ולפי זה העניין האחרון נקרא השם יתעלה צור כי הוא ההתחלה והסבה הפועלת לכל אשר :זולתו *Vox* צור *æquivoca est; & (1) quidem montis nomen est Exod. XVII. 6. (2) lapidis duri, ut Jos. V. 2. (3) notat venam e qua lapides cæduntur; ut (Es. LI. 1.) respicit* צור *venam e qua excisi estis. Transfertur hinc in sensu ultimo ad originem cujusque rei, ejusdemque principium, ideo verbis: Respicite petram, subjungii Propheta: Respicite Abrahamum patrem vestrum. Q. D. Petra e qua cæsi estis Abraham pater vester est, hinc ejus insistite vestigiis, doctrinæ, viis & moribus, venæ enim est deprehendi in re quæ ex ea est. Et hoc postremo sensu Deus supremus dicitur* צור, *quæ causa efficiens ac principium, se excepto, omnium rerum est*, id ipsum ex Deut. XXXII. 4. 18. 30. I. Sam. II. 2. Es. XXVI. 4. Exod. XXXIII. 21. comprobat Maimonides, plenius vero explanant *R. Sichen* & *R. Ephodæus* Comm. in h. l. f. XIV. col. III. & IV. (2) Consensus versionum potiorum petram hac voce notari evincentium. *Targum Onkelos*, Targum *Jonathan* ben Uziel & Targum *Hierosolymitanum* conspirant amice ונסיבת צפורה טינרא וגזרת ית עורלת ברה *Et protraxit Zippora petram, & circumcidit præputium filii sui*, (Gersonis filii Mosis primogeniti, ut addit Targum Jonathan, consentit Codex Hebræo-

bræo-Samaritanus, Syrus & Arabs vertentes perpetram seu silicem. LXX. ϗ λαβοῦσα Σεπφώρα ψῆφον *calculum*. Aquila vetustus Interpres diserte *πέτραν* habet. Vulgata: *tulit illico Sephora acutissimam petram* Luth.: *Danahm Zippora einen Stein.* Versio Hebræo-Germ. Amstel. 1677. edita: *Und. Zippora nahm einen Schiferstein.* Cum quibus conspirant Belgica, Anglica, Italica, Hispanica, & versiones aliæ quam plures sine numero. (3) Suffragia interpretum tam Judaicorum quam Christianorum magno numero. *R. Isaac Abarbanel in* פירוש על התורה f. cix. col. II. צור הוא שן סלע חודך שנזדמן לידה מפני שלא היה לה מאכלת ולא תער השכירה: Notat צור *aciem secantis petræ, quæ tum ei erat ad manus; destituebatur quippe cultro & novacula conductitia.* R. *Salomo ben Melech* in Michlal Jophi fol. XVII. col. II. צור ענינו סלע ובפירוש שמואל ב׳ פי׳ שענינו חרב חדה: *Hic notat petram, at* II. *Sam. II. 16. exponit Kimchii per gladium acutum.* Parile de cultris Josuæ tulere judicium Interpretes Judaici alii. Et si Christianos jungere Judæis placuerit, præsto est *Joh. Drusius* in Jos. V. 2. & *Theodoricus Hackspanius* in notis Philol. Theolog. Exod. IV. 24. T. I. p. 311. 312. His accedit (4) consensus Masoræ, cujus verba in Codice Basileensi leguntur ad Exod. IV. ב׳ חס׳ כטינרא *Vox* צר *bis defective scripta deprehenditur in Codice V. T. & lapidem notat*, nempe Exod. IV. 25. & Ezech. III. 9. ubi eadem nota Masoretica de novo repetita cernitur. Quanta vero veneratione notæ ejusmodi Masoreticæ ab eruditis scripturæ suscipiantur Interpretibus, ad controversiam de voce כארי ex Ps. XXII. 17. motam satis notarunt *Theod. Hackspanius* ad R. Lipman Nizzachon c. II. Sect. I. §. VII. p. 297. seqq. *Joh. Frischmuthus* Diss. de manuum pedumque Mess. perforat. ad Ps. XXII. 17. c. II. §. I. II. *D. August. Pfeifferus* Dub. vex Cent. III. Loc. IX. T. I. Opp. p. 309. ut & in Cruce Crit. §. XVI. XVII. (5) Confugere licet ad rationem probabilem, ex qua Zippora inter sacrum & saxum posita elegit petram præ cultro ferreo; cum enim metu perculsæ & festinanti de optimo circumcisionis instrumento cogitare, aut de commodiori dispicere haud liceret, neque iter suscipiens de instrumento circumcisioni aptato cogitasset, sine dubio secum allatum cultrum aut in Arabia petræa tale depromsit instrumentum, quod festinanti injunxit necessitas, nempe petram; cum petrarum uberiorem quam ferri copiam Arabia protrudat. Tandem (6) ne cuiquam petra facta circumcisio difficilis aut plane impossibilis videatur, observandum, Orientis incolas non petra solum secare res durissimas, & resecandis præputiis in circumcisione saxa adhibere. Memorat *Laur. Ramirez de Prado* c. IV. Pentecontarchi p. 29. occidentalis terræ incolas circumcisioni & venis secandis sanguinique eliciendo silices adhibuisse, testem producens Joh. Bapt. Lavannam, Equitem militiæ Christi & Archicosmographum Regium, qui utriusque generis cultrum, alterum circumcisioni, alterum venis secandis inservientem, utrumque duplici acumine præditum producit; hic cuspide acuta, ille obtusa, uterque vero facie altera convexa, altera concava gaudet; quoque res eo evaderet lectori evidentior, utrumque æri insculptum exprimi curavit. Idem Lavanna testis ocularis est gladiis siliceis Æthiopes uti in Capharia prope Capo de buena Esperanza. Americanos Brasileenses ex quo Christiani eos accessere tum mactatorum corpora tum animalia omnia reliquosque cibos cultris secasse, ante vero lapidibus peracutis ad eum usum accomodatis usos, comprobat *I. Lerius* Hist. Navig. in Brasil. c. XV. p. 189. Judæis insvetum non fuisse lapide seu silice mactare pecudes discimus ex *Gemara Chullin* f. XVI. col. II. & *R. Mose Maimon* in Hilcos Schechita c. I. §. XIV. Imo confirmat *Andr. Rivetus* Comm. in Exod. IV. p. 128. sibi talia fragmenta visa, quæ prudenter contrectanda acie sua vitri fragmentis fuerint secantiora. Paria producunt ex profanis Græcorum Romanorumque scriptoribus Eruditi, & vel ex sola testa Samia, apud Catullum, Juvenalem, Lucilium aliosque occurrente lapidibus circumcisionem factam haud judicant improbabile. Vid. *Ramirz de Prado* in Pentecontarcho c. IV. p. 29. seqq. cui sua debet *Mathias Zimmermannus* in Analect. Miscell. mense VIII. p. 413. seq. *Joh. Doughtæus* in Analect. V. T. Excurs. XXXIV. *Theod. Hackspanius* in Notis Theol. Philol. T. I. p. 311. 312. *Henr. Salmuth* in notis ad Guid. Pancir. L. II. Tit. I. p. 62. 63. *D. Joh. Andr. Quenstedius* c. III. Antiq. Biblic. n. V. §. VII. p. 264. 265. *D. Augustus Pfeifferus* in Dub. Vex. Cent. II. Loc. XLVI. Qu. III. T. I. Opp. p. 173. *Joh. Clericus* in Exod. IV. 25. p. 22. & cum his nuperrime *D. Joh. Georg. Abchit.* disp. de Cultris Saxeis ad Jos. V. 2. §. V. Nobis admodum placet Riveti decisio ad l. c. *Cum nomen illud* צור *frequentius reperiatur pro petra, talis autem possit esse petra, quæ in cultrum adaptari possit*, no-

nolim multum cum iis contendere, qui petram h. l. vertunt, si modo agnoscant, non fuisse instrumentum ex tali materia necessarium, & indifferens fuisse sive petra sive ferro, uti, prout ferret occasio & locorum commoditas, de hoc certe digladiari multum non puto debere quenquam.

VII. Et hactenus quidem eruditorum ad cultrum Zipporæ determinandum vidimus suffragia, quid vero de cultris circumcisionis Josuæ preceptis sentiendum sit, non minus ancipiti Matre dimicatur, inprimis cum hic non nuda vox צור sed חרבות צורים occurrat. Ita enim Jos. v. 2. עשה לך חרבות צורים & v. 3. ויעש לו יהושע חרבות צורים Enimvero (1) sunt, qui aciem gladiorum seu cultrorum intelligi aut gladios acutós putant, & ex versionibus quidem Jonathan Chaldæus, Pagninus, Vatablus, Junius & Tremellius, Piscator, Genevenses, Angli & Bened. Arias Montanus, ex Interpretibus a placitis Chaldaicæ paraphraseos ut plurimum ne latum quidem, (quod ajunt) unguem recedentes, *R. Ammai* in *Bereschis Rabba* fol. XXXII. col. IV. *R. Salomo* præprimis vero *R. Dav. Kimchi* Comment. in h. l. cujus verba hæc sunt: חרבות צורים כתרגומו איזמלין חריפין איזמלים חרים וכן אף תשיב צור חרבו ונסמך הסתואר אל התואר כמו מי המרים בני שלשים או יהיה צורים שם זולתי תאר ויהיה פירוש חרבות שיהיו להם חדודים: *Targum exponente* חרבות צורים *sunt cultri accuti ut* (*Ps. LXXXIX.* 44.) *Retudisti aciem gladii ejus. Construitur hic adjectivum substantivo uti* (*Num.* v. 18.) מי המרים *aquæ amaroris sive amaræ vel* (*Gen. L.* 23.) בני שלשים *filii tertiæ generationis aut* צורים *erit substantivum q. d. gladii acie instructi*. Et R. *Isaac Abarbanel* in פירוש על נביאים ראשונים f. XI. col. IV. חרבות צורים הם הסכינים החדים מאד והזהירו על זה ז"ל לתקנם ולחדדם לפי שלהיות הנימולים אנשים גדולים יצטרכו לכלים שלא יצערום בקבול הברית: *cultri acutissimi vocantur* הרבות צורים *Josua autem monitum de iis accepit præparandis & acuendis, eo quod circumcidendi essent viri ætate majores, & opus haberent instrumentis nullo dolore afficientibus in receptione fœderis*. Conf. *Sixt. ab Amama* L. II. Antibarb. Bibl. p. 285. His succedunt (2) alii, lapideos innui cultros existimantes. Luth. a Vulgata, Syro & Arabe, non abludens vertit: *Mache dir steinerne Messer* LXX. Ποίησον σεαυτῷ μαχαίρας ΠΕΤΡΙΝΑΣ ΕΚ ΠΕΤΡΑΣ ΑΚΡΟΤΟΜΟΥ καὶ καθίσας περίτεμε τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ ἐκ δευτέρου. καὶ ἐποίησεν Ἰησοῦς ΜΑΧΑΙΡΑΣ ΠΕΤΡΙΝΑΣ ΑΚΡΟΤΟΜΟΥΣ καὶ περιέτεμε τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ. Equidem variat hic codicis LXX. Interpretum lectio, & plurimis hæc de petra pro glossemate habentur; Editio Complutensis omittit verba: ἐκ πέτρας ἀκροτόμου at Codd. Theodoretii MSS. ad quos provocat *Flam. Nobilius* in not. ad h. l. nec non Editio Sixti V. mandato excusa A. MDLXXXVII. verba hæc e textu τῶν LXX. expungenda non esse judicant. Quin si judicio Cod. Alexandrini a *I. Ern Grabio* editi standum, omnino retineri debent, quippe qui hanc nobis exhibet Lectionem: Ποίησον σεαυτῷ μαχαίρας ἐκ πέτρας ἀκ, οτόμου. confirmatam ab *Andr. Masio* in append. Bibl. Polygl. Tract. XII. p. 112. Hoc solum notari meretur illos versionem τῶν LXX. minus dextre intellexisse, qui lapideos cultros interpretati sunt de cultris quam primum e cote sublatis, eo quod LXX. legant ποίησον μαχαίρας ἐκ πέτρας ἀκροτόμου. Refert hanc sententiam Viri cujusdam doctissimi sui ævi & antiquis præferendi calculo comprobari *Laur. Ramirez de Prado* in Pentecontarcho c. IV. p. 27. 28. at ipsemet addit sententiam hujus Viri sibi haud arridere. Forte huc liceret referre glossam marginalem Luth. cultros lapideos ita exponentis: *Scharff als am Stein gevvetzet*; dummodo indubie constaret, notam hanc marginalem a B. Viro ipsomet profectum esse, cum cetera constet, quasdam notas marginales non tam Luth. quam Georg. Rorario Amanuensi ejus deberi. Conf. *D. Job. Frid. Mayeri* Hist. Vers. Luth. c. IV. §. V. (3) Cultros non ex lapide & petra sed ferro, ære, aut chalybe confectos Josuæ hic injungi, ex Judæis sibi persuadet *R. Levi ben Gerson* חרבות צורים הרצון בו חרבות החדים והם הנעשים מהנחשת ואמנם צוהו כדי שישינם יהושע בזה המעט מהצער שאפשר בו: חרבות צורים *sunt gladii acuti e chalybe parati; Ideo autem hos illi præcepit, quo eos aliquo modo dolore liberaret, qui alias metuendus fuisset*. (4) Neutrum volunt Judæi recentiores in Comm. Hebræo Germanicis sed gladios hic innui διςόμους seu ancipites, dum vertunt: *Schvverdter mit zvvey Scharfen*. Præsidium sententiæ hujus partim in voce חרבות gladios partim in voce צורים non petram sed mucrones eosque geminos ob pluralem notante quærunt. Sed in utroque errant haud leviter. Nullum est ipsorum in voce חרב præsidium, cum nec circumcisionis ratio gladios permittat bellicos, truncando capiti quam præputio aptiores, nec Hebræum חרב gladios tantum, sed quamvis rem acutam, seu lapis seu ferrum fuerit, scis-

ſciſſioni aptam denotet. Nam & lingua Syriaca חרבא & Arabica חרבה ſtivam aratri vocat, ceu notavit *Samuel Bochartus* L. II. Hieroz. cap. XXIX. pag. 381. & in Hebraiſmo חרב non ſolum gladius eſt ut Gen. III. 24. Joſ. V. 13. verum & culter. Exod. XX. 22. Ezech. V. 1. 2. Unde exaſciate *R. Salomo ben Abraham* in Sepher Ohel Moed f. XXXI. col. II. אמרו המפרשים שלפעמים הושאל זה השם לכל דבר הכורת או ברזל או אבן חוקרה כגון אמרו חרבות צורים ר״ל חרודי הצורים וכן הושאל אל התער קח לך חרב חדה וכן הושאל גם כן אל המקבת שמסתתין בו האבנים כי חרבך הנפת עליה וכן אל כלי אחר המיוחד להפיל בו הבנינים וסגלתיך יתץ בחרבותיו *Perhibent Interpretes nonnunquam transferri nomen hoc ad quamvis rem ſecantem, ſeu ferrum fuerit, ſeu lapis durior, ut Joſ. V. 2. dicuntur* חרבות צורים *acies petrarum. Deinde notat novaculam, ut (Ezech. V. 2.) Accipe novaculam acutam, nec non ſcalptrum lapides aptans (Exod. XX. 22.) Si ſcalptrum in illud extuleris. Tandem unumquodque inſtrumentum deſtruendis ædificiis aptum, (Ezech. XXVI. 9.) Et turres tuas deſtruet ſecuribus.* Conf. *R. David Kimchi* in Sepher. Schoraſchin fol. CLXIII. Nec vox צורים pro gladio militat ancipiti: Scriptura enim cultrum acutum חרב חדה Pſal. LVII. 5. ancipitem autem חרב פיפיות Pſalm. CXLIX. 6. חרב שלה שני פיות Jud. III. 16. vel חרב פיות Prov. V. 4. appellare ſolet, nuſquam vero חרב צורים, ut probe obſervat *Theod. Hackſpanius* in not. h. l. p. 620. Imo pro duabus aciebus exprimendis non pluralis ſed dualis accerſendus fuiſſet. Rectius ergo noſtro quidem judicio, judicat *D. Sebaſt. Schmidius* de Circumciſ. c. III. p. 387. nec non Comm. in Joſ. V. 2. p. 748. cultros Joſuæ majuſculos fuiſſe & longiuſculos, non quidem monſtroſe magnos & gladiorum magnitudinem aut exæquantes aut ſuperantes, ſed circumciſioni perficiendæ commodos & decentes, idque ob adjectum חרבות cum חרב gladium bellicum innuat. Sane cum periculum eſſet in mora, de cultris meditandum fuerat citius & ſine dolore circumciſionem expedientibus, id autem commodius & uno quaſi ductu peragi non poterat niſi cultro longiuſculo & gladiolum referente. Quod ſi quis tandem quærat, cuinam nos ſubſcribendum ſatius ducamus ſententiæ? magis nobis arridere ſententiam illorum profitemur, qui lapidem durum eumque acutum materiam cultro & Zipporæ & Joſuæ præbuiſſe defendunt. Suadet enim id ipſum in utroque propius vocis צור ſignificatus, & quantum ad Joſuæ cultros oppido conſpirant cum vocibus, חרבות צורים phraſes plane ſimiles, ubi altera vox Materiam ex qua perpetuo exprimit utpote Gen. III. 21. VI. 14. Jud. VII. 13. Pſal. II. 9. Num. X. 2. Quin ſi conjecturæ concederetur locus non detrectaremus aſſerere, Zipporæ cultrum e lapide Æthiopico paratum fuiſſe, non quidem, quod Zipporam Æthiopiſſam faciamus, cum *R. Bechai* Com. in Num. XII. 1. f. CLXXVII. ſed quod Midianitis eſſet & Mulier Arabica, ut oſtendunt *Sam. Bochartus* L. IV. Phaleg. c. II. p. 237. & *Joh. Clericus* in Gen. X. 6. & 2. Reg. XIX. vel quod e regione Æthiopiæ contermina Zippora accederet & cultro Æthiopico munita ſecandis carnibus aliiſque ad victum neceſſariis ex communi gentis conſuetudine uteretur. Lapidem enim Æthiopicum exenterandis demortuorum cadaveribus & condiendis adhitum teſtis eſt *Herodotus* L. II. c. LXXXVI. πρῶτα μὲν σκολιῷ σιδήρῳ διὰ τῶν μυξωτήρων ἐξάγουσι τὸν ἐγκέφαλον τὰ μὲν αὐτοῦ οὕτω ἐξάγοντες τὰ δὲ φάρμακα ἐγχέοντες. μετὰ δὲ λίθῳ Αἰθιοπικῷ ὀξέϊ παραχίσαντες παρὰ τὴν λαπάρην ἐξ ὧν εἷλον τὴν κοιλίαν πᾶσαν. *Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quamque partem educentes, ita locum ejus medicamentis explentes. Dehinc Lapide Æthiopico acuto circa illa ſcindentes iliac totam alvum protrahunt.* Quidni ergo id, quod ſecando cadaveri inſerviebat, præputio reſecando aptum putaremus? in primis cum nec Chaldæi auctoritas nobis adverſetur, nec uſus vocis צור mucronem aut aciem notantis Pſ. LXXXIX. 44. 2. Sam. II. 16. commoda enim ſatis expoſitione & Chaldæi & ſcripturæ mentem ſublevari poſſe, nuperrime oſtendit *D. Joh. Georg. Abicht* Diſp. de Cultris Sax. ad Joſ. V. 2. §. VII.

VIII. Plura nihilominus ſunt, ex quibus inſtrumenta circumciſionis confici poſſe ipſimet Judæi concedunt; multo vero plura de hoc Circumciſionis inſtrumento Rabbinorum circumferuntur decreta *R. Moſes Maimonides* in Hilcos Mila c. II. §. I. בכל מלין ואפילו בצור ובזכוכית ובכל דבר שכורת ולא ימול בקרומית של קנה מפני הסכנה ומצוה מן המובחר למול בברזל בין בסכין בין במספרים ונהגו כל ישראל בסכין: *Quovis licitum eſt circumcidere inſtrumento, petra, vitro & quavis re ſecante; non autem licet circumcidere arundinis fruſto, ob periculi metum. Optimum eſt circumcidere ferreo ſeu cultro ſeu novacula; Mos tamen apud Judæos quosvis receptus eſt, cultro circumcidendi.* Conf. *Sepher Colbo* Hilcos Mila fol. LXXXIV. col. II.

II. Arundinem ab instrumentis circumcisionis removeri, ipsimet Talmudici confitentur, dum arundinem v. negotiis ineptam profitentur in *Chillim* fol. XVI. col. II. *Rabbos* fol. LXIII. col. I. & *Talmud Hierosol.* Cod. Schabbas c. VIII. f. XI. col. III. חמשה דברים נאמרו בקרומית של קנה אין שוחטין בה ואין מלין בה ואין מחתכין בה בשר ואין מחצצין בה שינים ואין מקנחין בה מפני שרוח רעה שוכנת עליו : *Dicit R. Jose: Quinque momenta perhibentur de frusto cannæ; non mactant illo, nec circumcidunt, nec scindunt carnem, nec purgant dentes, nec detergunt (manus) quia* (ut addit Rabbos, cui tamen subscribere æquum non duxit *R. Sam. Japhe* in Jephe Toar fol. CCCXXXIV. col. IV.) *genius malus ei incumbit*. Causam rei adjecit R. *Salomo* in h. l. משום שכשרוחקין אותם קיסמים ניתזין ממנה ואיכא סכנתא במילה שלא תנקוב הגיד ומשוי ליה כרות שפכה וגבי שחיטה דלמא מנקבא להו לסימנים וכן לגבי קינוח דילמא מנקבא לכרכשי : *Cum enim urgent illa, fragmenta disperguntur; hinc metuendum in circumcisione, ne qua perforetur nervus, & proli reddatur ineptus, in mactatione, ne qua perforentur signa, in detersione, ne qua perforentur fibræ*. Ferrum vero sive chalybs cum aptissimum præbeat circumcisionis instrumentum, hodienum a Judæis communiter adhiberi solet, vel quod hodierno tempore ars cultros saxeos fabricandi inter deperditas referri mereatur, vel quod commodius ferrei comparari queant cultri ac expeditiori inserviant circumcisioni. Fabulam enim sapit, quod Judæi ferunt in *Zenorenna* f. LVI. col. III. cultris primum saxeis usos Judæos, at fronte Goliathi lapide tacta Angelum ferro præfectum ex pacto quodam sibi cultros ferreos ab angelo lapidibus præfecto in circumcisione vindicasse. In usu vero est culter anceps ut plurimum; lamina nonnunquam plana, nonnunquam facie utraque tumulo gemino instructa, affabre parato manubrio, ex achate, succino, ferro &c. Asservarunt cultros tales circumcisorios & ex Christianis Antiquitatum Hebræarum admiratores, licuitque nobis eosdem in rarioribus D. Wagenseilii Altdorfii ut & in supellectile Synagogæ Judaicæ D. Joh. Frid. Mayeri Gryphisvvaldiæ pluribusque aliis Rabbinorum thecis synagogarumque cimeliis contueri; Potioribus vero, quos contuitos nos esse meminimus, accensendus culter D. Aug. Pfeifferi egregius, mucrone ancipiti & manubrio affabre ex Achate parato instructus, cujus, ut & vasculi argentei pulveri styptico recenti Apellæ vulneri inspergendo destinati meminere *Nov. Liter. Mar. Balth.* An. MDCXVIII. p. 29. Fieri vero poterat, ut circumcisor cultri immemor circumcisionem sabbatho suscipiendam irritam redderet; hinc enata quæstio: an in sabbatho culter queat asportari? Negat non abnuente *R. Mose Mikkozi* in Sepher Mizuos Gadol Hilcos Mila f. CXV. col. II. *R. Moses Maimonides* in Hilcos Mila cap. II. §. VI. עושין כל צרכי מילה בשבת מלין ופורעין ומוצצין וחוזר על ציצין המעכבין אף על פי שפירש ועל ציצין שאין מעכבין כל זמן שלא פירש ונותן עליה אספלנית אבל מכשירי מילה אינן דוחין את השבת כיצד הרי שלא מצאו סכין אין עושין סכין בשבת ולא מביאין אותו ממקום למקום ואפילו שבוי שאינו מעורב אין מביאין אותו מחצר לחצר ואין עירוב מדבריהם נדחה מפני הבאת הסכין הואיל ואיפשר להביאו מערב שבת : *Necessaria circumcisionis peraguntur in Sabbatho; fit circumcisio, unguesectio, & exsuctio; denuoque amputantur fila impedientia, licet a circumcisione* (Circumcisor) *cessaverit; sed ad fila non impedientia* (vid. de his *R. Moses Koz.* Hilcos Mila f. CXV. col. II.) *non redit, nisi cum nondum a circumcisione cessaverit. Imponere etiam licet circumciso emplastrum; Ea vero quæ non faciunt ad ipsum circumcisionis actum, sabbato non licent. Quo casu tandem? si præsto non fuerit culter circumcisionis, culter in sabbatho non paratur, nec asportatur de loco in locum, nec ex introitu mixturæ Sabb. experte, nec asportant eum ex atrio uno in alterum. Quamvis enim commixtio non agnoscat originem aliam quam sapientum decisa, non solvitur tamen ob asportationem cultri, cum asportari potuisset vespera sabbathi*. Conferri hic meretur dissensus R. Elieseris & R. Akibæ e Gemara adductus a *R. Joseph Kaaro* in Ceseph Mischne ad h. l. Quodsi vero circumcisor cultri sui fuisset oblitus, aut eum casu quondam perdidisset, quid hic consilii edocet *R. Moses Maimonides* in Hilcos Mila c. II. §. IX. שכחו ולא הביאו סכין מערב שבת אומר לגוי להביא סכין בשבת ובלבד דלא יביא אותו דרך רשות הרבים כללו של דבר כל דבר שעשייתו בשבת אסורה עלינו משום שבות מותר לנו לומר לגוי לעשות אותן כדי לעשות מצוה בזמנה ודבר שעשייתו אסורה עלינו משום מלאכה אסור לנו לומר לגוי לעשותו בשבת : *Si obliti fuerint asportare cultrum vespera sabbathi, jubeat gentilem asportare cultrum in sabbatho, dummodo illum non adducat per viam publicam. Regula quippe* pro-

proſtat hanc in rem : Quicquid Sabbato facere vetitum eſt, id fieri a gentili juſſu injungere licet, quo unumquodque præceptum debito alligetur tempori. Res vero, cujus confectio prohibita eſt propterea, quod opus ſit, eam vetitum eſt jubere gentilem ut in Sabbatho paretur. Conf. *Talmud Babylon. Erubbin.* fol. LXVIII. col. I. *Sepher Colbo* fol. LXXXIV. col. III. *R. Moſes Mikkozi* in Sepher Mizuos Gadol. f. cxv. coll. III. hanc legem exponentes pluribus. Peracta circumciſione in Sabbato culter abjicitur a circumciſore inque arena reconditur; id enim lex de Sabbato circumciſionis ſolum gratia manu geſtari cultrum concedens inferre videtur; unde *R. Jacob Levita* in Maharil f. LXXXVI. col. I. תכף אחר המילה יסירו מידם כל צורכי המילה דחשובים מוקצה להלאה שאין צורך בהן עוד וגם המוהל לא יחזור ליטול האיזמל מן החול שהטיל שם עם הערלה בהיותו בחול על הפריעה: *Facta circumciſione ſubito removent e manibus ſuis omnia circumciſioni inſervientia; reputantur quippe pro re illicita ſi ſerventur diutius, cum iis haud opus ſit. Neque circumciſor denuo extrahit cultrum ex arena, quem eo cum præputio abjecerat, quamdiu Periah urgenda eſt.* Denique nec hoc negligendum, quod certo in caſu Judæi quidam duos cultros circumciſori præſto eſſe jubeant. Arcanum hoc detexit *R. Jacob Levita* in Maharil f. LXXXVI. col. II. אמהריסגל שמנהג היה באושטריך שכל מוהל היו בו שני איזמלין מוכנים ביד המחזיק צירכי המילה משום דלפעמים ימצא הגיד מכוס' בשני ערלות וכי ישליך מידו האיזמל עם הערלה הראשונה ואחר כך מרגיש בערלה שנייה וטרם שיטהר האיזמל הראשון לחתוך [בו שנית פן ח״ו יסתכן הילד לפיכך יהא מוכן לו השני ואמר שראה מעשה כן: *Dicit Maharil moris eſſe in Synagogis Auſtriacis, ut unicuique circumciſori præſto ſit culter geminus, in manu ejus, qui neceſſaria circumciſioni ſubminiſtret; ſæpe enim nervus duobus deprehenditur tectus præputiis. Cumque e manu ſua projecerit cultrum cum præputio priori & ſenſerit præputium novum, priusquam purgetur culter prior, quo ſecari queat ſecundum; Hinc ne qua (quo Dii probibeant) periculo exponatur infans, præſto eſſe alterum neceſſe eſt; addirque ſe rem hoc modo geſtam ſuiſmet intuitum eſſe oculis.* Vivos hæc equidem reſpicerent, ac ſuperſtitio Judæorum mortuos quoque cultro Anatomico rectius ſubjiciendos cultro ſubjici jubet circumciſionis *R. Joſeph Kaaro* in Schilchan Aruch Tur Jore Deah. c. CCLXIII. §. v. f. CCXXXVI. col. I. תינוק שמת קודם שיגיע להיות בן ח' מלין אותו על קברו בצור או בקנה ואין מברכין על המולה אבל משימים לו שם לזכר שירחמוהו מן השמים ויחיה בתחיית המתים: *Infantulum mortuum ante elapſum diem octavum circumcidunt ſuper ſepulchro ſilice aut arundine Benedictionem tamen circumcidere non addunt; non vero indunt memoriæ ergo, ut miſericordia a Deo afficiatur & vivat in reſurrectione mortuorum.* Alio reſpicit *Sepher Colbo* f. LXXXIV. col. IV. נהגו למול בן שמת קודם שיגיע להיות בן שמנה בצור ובקנה בבית הקברות להסיר חרפתו ממנו שלא יקבר בערלתו כי חרפה היא לו: *Infantem mortuum die octava nondum exorta circumcidere mos eſt ſilice aut calamo in loco ſepulturæ opprobrii ab eo removendi cauſa, ne cum præputio ſepeliatur, quod ipſi cedit in opprobrium.* Auctor vero *Haggaos Maimoniios* e *Bereſchis Rabba* obſervat ad Maim. Hilcos Mila c. I. §. XV. שהקב״ה מעביר את הערלה מן הקטנים שמתו ולא מלו: *Deum ipſum removere præputium a parvulis mortuis & incircumciſis.* At ſi quicquam aliud, hoc revera ſuperſtitioni Judaicæ adjudicandum, cum ne veſtigium quidem horum ex V. T. & veterum placitis produci queat. Quid ergo mirum, ſi in re tam inſueta inſueto etiam utantur inſtrumento, nec ferrum ſed petram aut calamum præſcribant recutiti?

IX. Sed cur cultro utendum putant Judæi in circumcidendis parvulis? Vix quicquam licet ad hanc quæſtionem deprehendere in deciſionibus Rabbinorum, niſi quod in *Bereſchi Rabba* f. XXV. col. I. velint, cultro circumciſionem fieri, ut ſtrictus Cherubi Paradiſi cuſtodis gladius cultro haberetur, & noviter circumciſo facilis in Paradiſum via paretur. מקודה לגן עדן נבראת גהינם גהינם בב' וגן עדן בג' ואת להט החרב המתהפכת על האדם ומלהטתו מעל ראשו ועד רגליו ומרגליו ועד ראשו אמר אדם מי מציל את בני מאש לוהטת זו ר' הונה בשם ר' אנא אמר חרב מילה שנ' עשה לך חרבות צורים רבנין אמרו חרב תורה שנ' וחרב פיפיות בידם: *Dicitur* מקדם *Nam ante Paradiſum condita eſt gehenna, Gehenna die ſecundo, Paradiſus die tertio. Et adſtitit angelus flamma gladii verſatilis, quem vertebat in Adamum eumque inflammabat de capite ad calcem & a calce ad caput. Dixit ergo Adam: Quis eripiet filios meos ex igne hoc flammante? R. Hunna nomine R. Ana reponit:* חרב *culter circumciſionis, quia dicitur (Joſ. V. 2.) fac tibi* חרבות *cultros petrinos. Alii legem dicunt, Q. D. (Pſ.* CXLIX. *6.) Et gladius anceps in manu eorum* Conf. pluribus hæc exponentem *R. Sam. Japhe* in Jephe

Toar f. CXLVIII. col. IV. Tandem ex dictis abunde colligitur, in quantum a circumcisione discrepet פריעה, dum circumcisor circumcisione peracta semotoque cultro præputioque, membranam inferiorem dilacerat. Uti enim circumcisio cultro, ita פריעה ungue circumsoris suscipitur, adeo ut מוהל seu circumcisor apud Judæos ex unguibus prælongis in utroque pollice velut ex ungue Leo agnoscatur. De ea *R. Moses ben Maimon* in Hilcos Mila c. II. §. II. ואחר פורעין את הקרום הרך שלמטה מן העור בצפורן: *Peracta circumcisione denudant membranam tenuem, quæ est sub pellicula ungue.* Conf. *R. Moses Kozensis* in Sepher Mizuos Gadol Hilcos Mila f. CXV. col. II. *Sepher Colbo* Hilcos Mila f. LXXXIV. col. II. Hinc orta decisio circumcisoris ungues obligans in *R. Jacob Levita* מהריל f. LXXXV. col. II. תוך ל' יום מותר לתקן צפורניו קודם הפריעה משום דמצוות פריעה דאורייתא ותספוחת דרבנן: *Intra XXX. dies licet præparare ungues ante Periah, quoniam lex de Periah in lege, rasura vero a Rabbinis determinata est.* Quanquam autem Judæi quidam manifesto confiteantur, ungue sectionem non esse Abrahamo inculcatam, ut & *R. Salomo* Comm. in Jos. V. 2. cum Talmudicis in *Jevammos* f. LXXI. col. II. confiteatur: רבותינו אמרו שנית זו פריעת מילה שלא נתנה לאברהם אבינו: *Dicunt DD. nostri, circumcisionem hanc vocari secundum* (Jos. V. 2.) *ob Periah, quæ tamen non est injuncta Abramo patri nostro,* & alii idem sentiant apud *R. Dav. Kimchi* in h. l. quidquid etiam pro excusandis Talmudicis in Jevammos moveat *R. Aaron ben Chaiim* in Sepher Lebh Aaron f. XXXVIII. col. I. tantam tamen unguibus suis adscribunt virtutem Judæi, quantam ne cultro quidem circumcisionis adsignarunt. Sine unguibus enim irritam pronunciant circumcisionem *R. Moses ben Maimon* in Hilcos Mila c. II. §. IV. מל ולא פרע את המילה כאילו לא מל: *Qui circumcidit non autem ungue secat circumcisum, reputatur acsi non circumcidisset,* quæ depromta sunt e Talmud Babylon. *Chillin* c. VI. Mischna 1. f. CXXXVII. col. II. Et ne memoremus a Judæis Josuæ circumcisionem שנית Jos. V. 2. dici, ob circumcisionem secundam seu Periah, eo quod prior cultro, altera unguibus peracta sit, notante *Buxtorfio* Synag. Jud. c. IV. p. 102. & *Guil. Henr. Vorstio* in Observ. ad Pirke R. Eliezer p. 198. seq. Hac vice id solum lubet adducere, quod unguibus Zipporæ adscribunt recutiti, nimirum angelum Mosis deglutitiorem a Mose destitisse, eo quod ungue secuisset Zippora filium suum peracta ante circumcisione. Nimirum cum Exod. IV. 25. prima vice & v. 26. altera vice Zippora Mosen חתן דמים sponsum sanguinum appellaret; R. Salomo hanc moverat quæstionem: Quare cum v. 26. dicatur destitisse Angelus, Moses altera vice sponsus sanguinum vocetur? Nodum hunc operose solvit *R. Nathan* in Sepher Imre Schepher ad Exod. IV. fol. XCIV. col. I. dum adducta conciliatione R. Eliæ Orientalis, Raschii mentem expositurus ait: אני אומר שטענה זו איננה טענה כלל מפני שיש לומר שמלת המילה שהזכיר כאן רשׁי בדבריו אין פירושו כמלת המילה שהזכיר למעלה אלא מה שאמר למעלה הבינה צפורה שעל המילה הוא היינו לומר על המילה ממש ומה שאמר כאן אז הבינה שעל המילה בא להורגו היינו לומר על הפריעה לפי שהפריעה גם כן נקראת מילה כאמרם ז״ל המל ולא פרע כאילו לא מל ומעתה ניכל לומר שכוונת רשׁי הוא לומר שבעת שהיה בולעו מראשו ועד יריכיו וחזר ובולעו מראשו ועד אותו מקום הבינה ציפורה מיד שבשביל המילה הוא ולכן ותקח ציפורה צור וגו׳ וגם הבינה שבשבילה בא להרגו ולכן אמרה על בנה קודם שהרף המלאך ממנו הורג אישי אתה לי אלה לאחר שכרתה את ערלת בנה רמז לה המלאך שעדיין לא נשלמה המצוה ואז הבינה שעל הפריעה בא להרגו והשלימה המצוה ועשתה לו פריעה ומה שהמלאך בא להרגו אחר שכרתה את ערלת בנה בשביל הפריעה זה נרמז בלשון וירף ממנו דאלב היה לו לומר וילך מאתו אלא הזכיר הכתוב בלשון וירף ממנו שכן מצינו לשון זה במלאך כמו שנ׳ בדברי הימים ויאמר למלאך המשחים רב עתה הרף ידך: *Dico ergo hanc rationem esse nullam, dicendum quippe est, vocem* מילה *cujus hic meminit R. Salomo non esse de eadem circumcisione intelligendam, cujus supra injecerat mentionem; supra enim quando Zipporam intellexisse ait, angelum deglutiisse Mosen, hoc factum est ob circumcisionem proprie talem, hic autem quando dicit ob circumcisionem accessisse angelum interfecturum Mosen, loquitur de unguesectione, quia & unguesectio circumcisio dicitur. Inde DD. ajunt: Circumcisio sine unguesectione pro circumcisione non reputatur. Hinc discimus, mentem R. Salomonis esse, quod ab illo tempore, quo Mosen deglutire conabatur Angelus a capite usque ad femora, & denuo a capite usque ad eundem locum, subito intellexerit Zippora, id ob circumcisionem factum esse; hinc arrepto silice circumcidit filium. Quin & intellexit, quod ob eandem accesserit eum interfecturus, & propterea dicit ad filium, antequam angelus destitisset*

set ab eo : occisor mariti mei es tu. Verum postquam resecasset præputium, innuit ipsi angelus, nondum absolutum esse præceptum, & nunc intellexit demum, angelum interfectorem accessisse denuo ob unguesectionem. Tunc præceptum absolutura ungue secuit. Et hic ipse secundus angeli adventus innuitur verbis : וירף ממנו *Et destitit ab eo ; ita enim deprehendimus phrasin hanc de angelo (1. Chron. XXI. 15.) Et dixit ad angelum eversorem : satis est, remitte manum tuam.* Unde vero Periah suam probent, & quam ficulnee illam ex lege Divina extorqueant, fusius exponunt illud quidem ex Judæis *R. Bechai* in ביאור על התורה ad Exod. IV. 25. f. LXXII. col. IV. hoc vero ex Christianis *D. Seb. Schmidius* Tr. de circumcisione P. III. c. V. p. 398. seqq. *D. Joh. Frischmuth* Disp. de Circumcis. Zipporæ c. II. §. VIII. & X. *D. Aug. Pfeifferus* in Dub. vex. Cent. II. Loc. XLVI. Q. I. T. I. Opp. p. 172.

X. Nec hoc negligendum, tanti cultros circumcisionis a Josua confectos æstimari a Judæis, ut in sepulchro Josuæ cultros petrinos memorent repositos. Exstat totidem fere verbis expressa hæc historia in versione των LXX. Josuæ XXIV. 30. Καὶ ἔθαψαν αὐτὸν πρὸς τοῖς ὁρίοις τȣ͂ κλήρȣ αὐτȣ͂ ἐν Θαμνασαχὰρ ἐν τῷ ὄρει τῷ Εφραὶμ ἀπὸ τȣ͂ βοῤῥᾶ τȣ͂ ὄρȣς τȣ͂ Γαλαάδ. Ἐκεῖ ἔθηκαν μετ᾽ αὐτȣ͂ εἰς τὸ μνῆμα εἰς ὃ ἔθαψαν αὐτὸν ἐκεῖ, ΤΑΣ ΜΑΧΑΙΡΑΣ ΤΑΣ ΠΕΤΡΙΝΑΣ, ἐν αἷς περιέτεμε τȣ̀ς υἱȣ̀ς Ισραὴλ ἐν Γαλγάλοις ὅτε ἐξήγαγεν αὐτȣ̀ς ἐξ Αἰγύπτου κατὰ συνέταξεν αὐτοῖς κύριος. Καὶ ἐκεῖ εἰσιν ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. *Et sepeliverunt eum ad terminos sortis ejus in Tamnasachar in monte Ephraim ad Aquilonem montiis Galaad. Ibi posuerunt cum eo in monte Ephraim ad Aquilonem montis Galaad. Ibi posuerunt cum eo in monumento sepulturæ ejus cultros petrinos, quibus circumcidit filios Israel Galgalis, cum eduxisset eos ex Ægypto, prout jusserat eos Dominus ; Ibique sunt in hodiernum usque diem.* Græcum hunc τῶν LXX. Interpretum fontem secutus est *D. Augustinus*, dum Quæst. in Josuam q. XXX. Tom. III. Opp. edit. Antu. p. 443. mysticum quid sub cultris sepulchro impositis subesse suspicatus : *Petra*, inquit, *erat Christus. Unde & cultellis petrinis populum circumcidit ille Doctor egregius: Qui cultri petrini cum illo etiam sepulti sunt, ut profundum mysterium demonstrarent posteris etiam profuturum.* Ex versionibus autem nulla fere excepta Arabica cultrorum injicit mentionem. At si ipsum inspicimus V. T. fontem, de cultris petrinis sepulcro Josuæ illatis ne γρῦ quidem deprehendere licet ; hinc minime inanis oritur quæstio : undenam tale assumentum in LXX. Interpretum versionem irrepserit ? Judicium suum hic suspendit nec temere quicquam judicare cupit *Andr. Masius* Comm. in Jos. XXIV. T. I. Crit. S. Anglic. f. 1971. *LXXII. Interpretes*, ait, *hoc loco memorant illos gladiolos saxeos, quibus Josua post transmissum per Jordanem populum circumciderat, una cum ipsius funere humatos esse. Nam ante ab illo asservatos fuisse in Thimnat Sera dixerant. Apparet ergo permagni momenti gladiolos illos fuisse existimasse istos interpretes. Sed an illa ita esse illi a majoribus proditum acceperint, aut qua tandem freti auctoritate dixerint, nescio.* Revera enim ex textu Hebræo non excidisse & e talibus Versiones inter & T. O. Hebræum dissidiis cum Ludov. Capello nec textum hunc vellicari nec demonstrari posse, e textu Hebræo hæc deperdita fuisse, invicta nos asserere jubet veritas, qua novimus, ne unius quidem deperditi commatis textum hodiernum Hebræum convictum esse, prout hanc veritatem contra hostes propugnarunt & quidem contra Lud. Capellum *Joh. Buxtorfius* in Anticritica, contra Brianum Waltonum & Vossium *Matthias Wasmuthus* in Vindic. S. Hebr. Script. Kilon. 1664. contra Paulum Pezronum Abbatem de Charmoys & Theologum Sorbonicum D. *Brand. Henr Gebhardi* in Vindic. LL. textus Hebræi. Gryphisvv. 1705. Unde certa nos fulcit persuasio, recensionem hanc e glossemate marginali diligentis cujusdam cod. LXX. lectoris successu temporis irrepsisse in textum, indeque factum, ut cum hic Codex Manuscriptus præ reliquis majori ἀκριβίᾳ esset exaratus, multa ex eo Codice MS. orirentur exemplaria, usque dum sucessu temporis in plures & tandem detritis prioribus in omnes historiæ hæc deveniret. Fata ejusmodi interpretationem τῶν LXX. mansisse, ne multa cumulemus, solus ostendit Ps. XCVI. 10. textui quippe Hebræo יי מלך *Dominus regnavit* addiderunt LXX. ἀπὸ τȣ͂ ξύλȣ, *A ligno.* Vult equidem *Jac. Pamelius* annot. ad Tertull. L. adv. Jud. c. X. p. 186. *Jacobus Pinto* de Christo crucif. L. IV. tit. V. cum aliis verba hæc a Judæis crucis Christi hostibus abrasa & expuncta e Cod. Hebræo fuisse ; acute vero reponit Genebrardo idem urgenti *Sixt. ab Amama* in Antibarb. bibl. L. III. p. 532. latratum hunc insuper habuisse correctores Romanos ipsosque Pontifices Sixtum V. & Clementem VIII. qui verba ἀπὸ τȣ͂ ξύλȣ omittentes crucem Christi hu-

hujusmodi non indigere fulcro existimarunt. Conf. *Andr. Schotanus* diatr. de auctoritate Vers. Græcæ contra Joh. Vossium p. 187. *D. Brand Henr. Gebhardi* contra Pezronium p. 44. Alii ex versione Theodotionis & Symmachi deprompta opinantur; alii cum *Sam. Petito* c. XXVIII. Lect. Var. ad ξυλοφόρια stabilienda adducta putant; alii cum *Steph. le Moyne* in Not. ad Var. Sacr. p. 489. vocem מעץ sollicitant, eamque in antiquis Codd. pro מאן lectam suspicantur. Nescio tamen, qua amœnitate se commendet illorum sententia, qui voces ἀπὸ τῦ ξύλυ nequaquam e textu Hebræo expunctas sed e margine in textum quarumdam Editionum translatas aut intra textum parenthesi inclusas opinantur. Vid. *Nic. Fullerus* L. III. Miscell. c. XIII. Hic erudite & exasciate *D. Thomas Ittigius* Diss. ad Ps. XCVI. 10. Lips. 1702. edita §. XXVI. *Certe nobis admodum probabile videtur, quod Fullerus asserit, nempe, quod primum pius quidam lector verba: a ligno, in ora libri sui e regione veluti ἐξηγητικὰ apposuerit, postea hanc annotatiunculam, cum pluribus arrideret, in ipsum contextum translatum fuisse.* Simile quid accidisse putat loco Deut. XXVIII. *66.* Et revera non hic solum sed & in multo pluribus textibus LXX. viralis versionis idem observare licet; ut taceamus N. T. textui interspersa, ne ei quidem neganda, qui vel limis Joh. Millii curas variantibus N. T. lectionibus impensas inspexerit oculis. Vid. *Christ. Matth. Pfaffius* de genuinis libb. N. T. Lect. c. X. §. 1. p. 182. Sed undenam tandem, quæres, propullulavit tam grande τῶν LXX. assumentum, qui factum, ut LXX. versioni suæ aut lector sedulus margini exemplaris sui τῶν LXX. hæc inspergere potuerint? Sane vel e Codice Samaritano, vel quod certiori videntur niti fundamento, e veteri quadam Hebræorum Rabbinorumque traditione id haustum probabilitate sua non caret. Dubius quidem non sine causa hæret *Joh. Ligtfootus* in Hor. Hebr. & Talmud. N. T. in Chorograph. Luc. cap. IV. Tom. II. Opp. p. 481. dum in trivio quasi constitutus quærit: *Num hæc olim in textu Hebræo & exciderunt? aut annon sapiunt potius glossema Samaritanum, aut traditionem Judaicam?* Attamen si potior eligenda esset sententia & veritati proprior, ultimam arripiendam non sine quadam veri putaremus specie; inprimis si cum *R. Asaria* P. I. Meor Enaim c. IX. ex textu non Hebræo sed Chaldaica quadam versione vel cum aliis ex Samaritana translatam LXX. versionem defendamus. Facile enim huic interspergi potuit translationi historia de cultris petrinis monumento Josuæ illatis, quam non res ipsa sed duorum locorum Scripturæ Sacræ conciliatio peperisse videtur. Imo vix ovum ovo similius est, quam hæc recensio illis Judæorum fabulis, quibus Josuæ sepulcrum exornare conantur. Adducamus unicam de imagine solis stantis, sepulcro Josuæ affixa fabulam (cum forte Thimnat Cheres nomen suum a culta illic a Cananæis Solis imagine trahat Deuteron. IV. 19.) quam refert *R. Salomo* ad verba Jos. XXIV. 30. ויקברו אותו בגבול נחלתו בתמנת סרח scribens: כך שמה ובמקום אחר הוא קורא אות׳ תמנת חרס על שם שהעמידו תמונת החמה על קברו לומר זה הוא שהעמיד החמה וכל העובר עליה אומר חבל על זה שעשה דבר גדול כזה ומת וי״א תמנת חרס שמה ולמה נקרא שמה תמנת סרח על שם שפירותיה מסריחין מרוב שמנן: *Thimnat Serach vocatur locus hic, qui alibi Thimnat Cheres, eo quod Solis imaginem impositam gereret sepulcrum Josuæ, q. d. hic ille est qui solis motum retardavit, & quicumque transibat, dicebat: Eheu mortuus est, qui rem patravit tam stupendam. At quæso, cur locis hic Thimnat Serach vocatur? Resp. propterea, quia fructus ejus ob pinguedinem putredine afficiebantur.* Eadem habet *R. Salomo* in Jud. II. *9. R. Dav. Kimchi* ad Jos. XXIV. 30. & *R. Isaac Abarbanel* in Perusch al Neviim Risch. f. XLIII. col. II. Neque tamen propterea improbamus *D. Seb. Schmidii* conjecturam Comment. in Jos. V. 2. p. 752. propositam, qua cultros Josuæ in hunc actum circumcisionis singulari mandato electos nulli alii negotio adhibitos opinatur, sed cum præputiis in terra defossos. Dici enim locum circumcisionis גבעת הערלות *collem præputiorum* Jos. V. 3. non tam, quod præputia ibidem præcisa, ut putat *R. Dav. Kimchi* in Jos. V. 3. sed potius quod illic fuerint sepulta. Nec prolixe disputabimus, an, ut in Editione Bibliorum Complutensi factum, historia de cultris Josuæ sepultis plane eliminanda ex Editionibus sit, an vero quod placet *Andr. Masio* in Jos. XXIV. T. 1. Crit. S. p. 1980. tota obeliscis jugulanda & signanda, nequaquam vero omittenda, cum eam Augustinus aliique Veterum legerint in libris Græcis; hoc solum ponderandum relinquimus quantum profundis Augustini tribuendum sit de petra mysteriis, tam fallaci superstructis fundamento, ad quæ tamen inclinare videas *Anton. Cregutum* Revel. Arcan.

Orac.

Orac. x. p. 445. Conf. *Sixt. ab Amama* L. II. Antibarb. Bibl. p. 285.

XI. Egregiam nobis ſuppeditant ventilata hactenus anſam meditandi cum nonnullis de loco quodam N. T. & diſquirendi : annon in eodem cultri circumciſionis quædam deprehendere liceat veſtigia ? Angelo Eccleſiæ Pergamenſis ita Spir. S. Apoc. II. 17. Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ Μάννα τοῦ κεκρυμμένου, καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς ἔγνω εἰ μὴ λαμβάνων. *Vincenti edendum dabo Manna abſconditum, daboque ipſi calculum album, calculoque huic nomen novum inſcriptum, quod nemini notum erit niſi accipienti*. Riſu dignum eſt anile deliramentum Chymici cujuſdam, qui hic non *den Weiſſen* verum *den Weiſen-Stein* lapidem Philoſopborum, tincturam auri, Chymicorum corculum ſe inveniſſe ratus eſt, merito depexus a *Cl. Dilbero* L. III. Elect. c. XXI. p. 537. ſeqq. *Georg. Michaelis* in notis ad Gaffarellum p. 11. 12. & *Guilb. Seldeno* L. I. Otiorum Theol. Exerc. VIII. §. XII. p. 182. 183. Non hic lapidem quærimus, ſed ritum in monumentis antiquariis ſub velo latentem cum tota interpretum cohorte. Variarum rerum Calculi apud vetres σύμβολον erant; in judicio abſolutionis & condemnationis, in bello victoriæ, in comitiis electi magiſtratus, in numuliſtica debitorum ac ſolutorum, ceu breviter at erudite notat *Joh. Biermannus* in Clavi Apoc. Proph. p. 102. Quem vero in his autiquitatis Romanæ Græcæ aut Ebrææ ritum intendat ſcriptor ſacer, ancipiti inter Criticos dimicatur Marte. Enimvero (1) *Thomas Goodvvin* in Moſe & Aarone L. V. c. III. §. X. *Stephanus le Moine* in Not. ad Var. Sacr. p. 681. *Joh. Biermannus* in Clavi Apoc. Proph. p. 103. & *Jac, Lydius* in Agoniſt. S. c. IV. p. 144. ad veterum Romanorum Græcorumque in judiciis ſuetum morem oculos dirigunt, quo accuſati albo lapillo abſolvebantur, nigro autem condemnati lethalis declarabantur ſupplicii. Conf. *Plutarchus* in Apophtegm. Reg. Tom. II. Opp. p. 186. & *Ælianus* L. XIII. Var. Hiſt. c. XXXVIII. Idem ergo hic velle Spiritum S. dicunt, quod : Abſolvam eum ſententia lata, lapilloque niveo ſignificabo, non eſſe eum periturum, verum omni abſolutum crimine, e numero Damnatorum exemtum, a morte tranſiiſſe ad immortalitatem. Alii (2) cum *Sixto Senenſi* L. II. Bibl. S. p. 55. antiquo Romanorum ritui innituntur, quo victoriarum dies publicis faſtorum tabulis inſculpebantur & candido ſeverant prænotari lapillo diem hanc a cæteris infauſtis diſcernente diebus. Non placent hæc doctiorum divortia aliis, unde (3) *Martinus Mauritius* de Sortit. Vet. Hebræor. c. XI. §. VII. p. 145. non ad unum tantum calculorum ritum alludi, ſed ad geminum ſtatuit, inprimis cum duæ phraſes in textu reperiantur, geminam eamque diverſam urgentes antiquitatem. Δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν. & : ἐπὶ τὴν ψῆφον δώσω αὐτῷ ὄνομα καινὸν γεγραμμένον. His poſitis, ad calculos Romanorum approbatorios & abſolutorios in prioribus verbis, in ſequentibus ad lapillos urnæ injectos & nomine Candidatorum magiſtratus inſignitos in ſignum ſuffragii eligendorum magiſtratum alludi vult, cum calculis abſolutoriis nomina nunquam inſcripta leguntur a Romanis. Conſpirat cum hac ſententia Mauritiana *D. Joh. Henr. Maius* diſs. de Calculo Albo Giſſæ 1705. hab. Sect. II. c. II. §. V. *D. Brand. Henr. Gebbardi* Iſagoge in Apoc. Joh. Apoſt. p. 52. Inprimis, cum *Joh. Biermannus* Clav. Apoc. Proph. 103. morem fuiſſe in judiciis nonnullis obſervet, ut inſcriberentur eorum nomina, qui in judicium veniebant, quæ nomina, ſi inſontes judicarentur, in nova & eximia mutabantur, reis vice verſa nomen ſuum retinentibus. Multo minus (4) illorum mentem putaremus nimium exagitandam, qui cum his de lapillo albo lapidem conferunt nigrum in templo Martis Smyrnæ cultum, ut eſt apud *Appollonium Rhodium* Argonaut II. templum Martis ita deſcribentem:

ἔσω δὲ ΜΕΛΑΣ ΛΙΘΟΣ ἠρήρειστο
Ἱερὸς, ᾧ ποτὲ πᾶσαι Ἀμαζόνες εὐχετόωντο.

Erat autem intus niger defixus lapis ſacer, ad quem omnes aliquando Amazones vota nuncupabant. Ut Smyrnæ lapis niger lapidi albo, a Domino promiſſo opponatur. Sed altiora petentes contueamur, qui (5) ex Hebraica antiquitate nobis ſiſtunt lapidem fundationis, a Judæis tantopere laudatum & nomine Tetagrammato inſignitum. *Hanc alluſionem melius quadrare* opinatur *Alex. Morus* in not. ad quædam loca N. T. p. 217. Ferunt enim Judæi, lapidem fuiſſe in Sancto Sanctorum, tribus circiter digitis e terra prominentem, huic arcam impoſitam, antequam templum deſtrueretur. Ita Talmud Babylonicum *Joma* c. V. Miſchna II. משניטל הארון אבן היתה שם מימות נביאים ראשונים ושתייה היתה נקראת גבוהה מן הארץ שלש אצבאות ועליה היתה נותן: *Ex quo abducta eſt arca, lapis erat (in adyto) a diebus priorum Prophetarum, quem lapidem fundatio-*

tionis vocarunt. Prominebat e terra tribus digitis & ſuper ipſo collocabat (Sacerdos ſummus thuribulum.) R. *Bechai* in ביאור על התורה ad Exod. XXVI. 33. fol. CXIII. col. II. verba : והבדילה הפרוכת לכם בין הקדש ובין קדש הקדשים : *Et ſegregabit vobis velum Sanctum a Sancto Sanctorum* ait : היה לפנים מן הפרוכת הארון והכפורת עם כרוביו מונח על אבן שתיה שהיתה במערבו של קדש הקדשים ולפני הארון צנצנת המן וצלוחית שמן המשחה ומקלו של אהרן שקדיה ופרחיה ובגדיו של כהן גדול: *Intra velum intimum erat arca & propitiatorium cum Cherubis ſuis impoſita lapidi fundationis ad occidentem Adyti poſito, & ante arcam Mannæ urna, ampulla olei unctionis, virga Aaronis cum amygdalis floribuſque ejus nec non veſtes Sacerdotis Maximi*. Sub hoc fundationis lapide vetus perhibet traditio cryptam fuiſſe, ſub qua arca abſcondita eſt templo a Chaldæis deſtructo. R. *Moſes Maimonides* in Hilcos Bes Habbechira cap. IV. §. I. אבן היתה בקדש הקדשים במערבו שעליה היה הארון מונח ולפניו צנצנת המן ומטה אהרון ובעת שבנה שלמה את הבית וידע שסופו ליחרב בנה בו מקום לגנוז בו הארון למטה במטמוניות עמוקות ועקלקלות ויאשיהו המלך צוה וגנזו במקום שבנה שלמה שנאמר ויאמר ללוים המבינים לכל ישראל הקדשים לי״ תנו את ארון הקדש בבית אשר בנה שלמה בן דוד מלך ישראל אין לכם משא בכתף עתה עבדו את י״י אלהיכם וכו׳ וגנזו עמו מטה אהרון והצנצנת ושמן המשחה וכל אלו לא חזרו בבית שני: *Lapis fuit in Sancto Sanctorum ad latus occidentale poſitus, cui arca fuit impoſita, ac ante eam urna Mannæ cum virga Aaronis; Cum enim exſtrueret templum Salomo, illudque tandem delendum præſciret, ædificavit locum quendam pro occultanda arca in locis abditis, profundis & tortuoſis. Præcepit itaque Joſias Rex occultari arcam in loco a Salomone ædificato Q. D. & dixit Levitis ſapientioribus præ Iſraelitis Deoque devotis: reponite arcam fœderis in locum exſtructum a Salomone Davidis filio Rege Iſraelis. Non incumbat collo veſtro onus; Servite Deo veſtro. Et abſcondita eſt una cum Arca, Virga Aaronis, Urna Mannæ & oleum unctionis. Nullum autem horum rediit in templo ſecundo.* Conf. *R. Dav. Kimchi* Comm. in 2. Chron. XXXV. 3. *R. Elieſer* in Pirke f. XXII. *Sepher En Iſrael* P. I. f. CLXVIII. col. I. & *R. Iſaac Abarbanel* in Maine Jeſchuah ad Dan. IX. 24. quinque de lapide hoc plures coacervarunt Rabbinorum traditiones, *Rob. Seringham* in Joma c. V. Miſchna §. II. p. 54. 55. *Joh. Buxtorffius* de arca fœderis c. XXII. p. 186. & *D. Joh. Bened. Carpzovius* diſp. Quonam arca fœderis pervenerit? c. II. §. XI. XII. Annotabimus ſolum, unanimi fere comprobari Rabbinorum ſententia, lapidi huic inſcriptum fuiſſe nomen יהוה, occallataſque Judæorum mentes lapis hic adeo decepit, ut in odium Nazarenorum finxerunt, Jeſum Nazarenum Sanctum Sanctorum ingreſſum nomen Tetagrammaton illic didiciſſe, membranæ inſcripſiſſe virtuteque ejus miracula patraſſe. Conſ. *Targum Jonathan* ad Exod. XXVIII. 30. *D. Joh. Chriſt. Wagenſeil* in Confut. Lib. Toledos Jeſchu p. 6. *D. Aug. Pfeifferus* Exerc. V. Matæolog. Jud. §. VIII. p. 220. Hæc ſi exactiori mentis penſitemus trutina, non inanis illorum videri poſſet conjectura, qui ad lapidem hunc collimare Spiritum S. volunt, cum & in aliis ad hunc lapidem digitum intendere videatur locis, utpote 2. Tim. II. 19. vid. *Steph. le Moyne* in notis ad Var. ſacra p. 565. 569.

XII. Veremur autem, ne palmam ob amœnam curioſitatem pleriſque ſententiis hactenus allatis præripiat, minimum dubias reddat nova *Alexandri Mori* in notis ad quædam N. T. loca p. 217. meditatio, qua ad cultrum circumciſionis alludi non ſine omni veri ſpecie auguratur, ita tamen, ut mentem ſuam non niſi dubitanter, ac quaſi Apelles poſt tabulam proponat: *An reſpexerit*, inquit, *ad lapidem, quo circumciſio peragebatur?* Nec deſunt conjecturæ huic fundamina. Enimvro (1) ΨΗΦΟΣ non calculum tantum ſortibus deſtinatum, verum & cultrum petrinum circumciſioni inſervientem notat. Iidem quippe cultri, qui Joſ. V. 2. LXX. *μαχαίραι πετρίναι ἐκ πέτρας ἀκροτόμȣ* Exod. IV. 25. de Zippora circumcidente *ψῆφος* vocantur. Καὶ *λαβȣ̃σα Σεπφώρα* ΨΗΦΟΝ. Quamvis enim vetus Aquilæ verſio pro *ψῆφον* ſubſtiterit *πέτραν* magis textui originali inhærens quam linguæ genio, ſufficit tamen ipſi Hieronymo צור *calculum* verti, quam vocem in hoc noſtro loco pleræque verſiones Latinæ ſervant. Accedit (2) ſtylus Johanni non inſuetus, aquam & ſanguinem, baptiſmum & euchariſtiam conjungenti, ut patet ex I. Joh. V. 8. Quare cum vincenti dandum dicat Manna abſconditum & calculum novum, quid vetat, quo minus Manna ad Euchariſtiam, lapis vero albus ad Baptiſmum circumciſionem novam & *ἀχειροποίητον* Col. II. 11. referatur? Palmarium eſt, quod (3) vi hujus conjecturæ expedita ſuppeditari queut ratio, ob quam immediate ſubnectatur mentio novi nominis, calculo huic addendi. ὃ

ἐπὶ

ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινόν. *Addam calculo huic nomen novum*. Sive enim cum *Alex. Moro* ad ritum in baptiſmo receptum nomina infantibus baptizatis imponendi hic intelligamus alludi, ſive, quod melius videtur, ad morem nomina imponendi cultro circumciſionis ſubjectis, perinde fuerit, nec res ſatis manifeſta fuſiori videtur indigere expoſitione. Quacunque vero tandem ſpecie eruditis ſe approbarit hæc Alexandri Mori conjectura, inſurrexit tamen adverſus eandem *Guilh. Saldenus* L. I. Otiorum Theolog. Exerc. VIII. §. VIII. p. 151. 152. acrem huic ſententiæ confutandæ præmittens anteambulonem. *Quæ de ψήφῳ hac λευκῇ habet Alexander Morus, inſolentiora & frigidiora ſunt, quam ut temere adoptari debeant*. Probabilitate profecto majori gaudere fatemur quaſdam ante adductarum tam ex Græcæ quam ex Hebrææ antiquitatis monumentis ſententiarum; attamen juſto acerbius exagitat Morum Saldenus huncque preſſo ſequens pede tecto nomine *Theophilus Amelius in der Erorterung der dunckelſten Schrifft-Stellen N. T. Januar.* p. 15. ut & *M. Chr. Dav. Funccius* Diſſ. de ΨΗΦΩ ΛΕΥΚΗ c. IV. §. X. Ut enim mittamus de baptiſmo a Saldeno ventilata, quæ ad Theologorum pertinent ſacraria, Philologicas ſaltem Saldeni rationes non omni ex parte apodixi gaudere oſtendemus. Dubitat Saldenus de hac expoſitione, eo quod (1) Novum nomen τὴν ψῆφον inſcriptum perhibeatur. *Si calculus hic albus ad baptiſmum referendus ſit, quodnam erit novum illud nomen baptiſmati illi inſcriptum, vel inſcribendum? Eritne nomen Chriſtiani? Hoc vero non baptiſmus ſed baptizati olim inſigniebantur*. At vero (α) non abſurdum eſt, aſſerere nomen illud cultro inſcriptum; non quod mos eſſet apud Judæos receptus cultro circumciſorio inſcribendi vel inſculpendi nomina circumciſorum, ſed *quod inſolita inſcriptio nominis Candidati cœleſtis in petra circumciſionis nota eſſet inanditi in terris & incogniti honoris*, quod ad objectiones ſuæ ſententiæ intentatas reponit *Mauritius* de ſortit. vet. Hebr. c. XI. §. VII. p. 147. (β) non dicit Morus, cultro inſcribendum nomen, verum hoc ſaltem vult, quod præter illud nomen (und noch dazu) in circumciſione nova novum nomen recepturus ſit non culter ſed ὁ νικῶν is qui victurus eſſet. Vide hanc vocis ἐπὶ emphaſin in voce ἐπιούσιος evincentem *Claud. Salmaſius* de fœn. Trapez. p. 800. & *Balth. Stolberg.* Diſp. de pane ἐπιουσίῳ c. II. §. IV. & VI. Nec (2) juvat Saldenum exceptio, male adduci Exod. IV. *An forſan, inquit, non ſpectavit huc Morus, ſed ad cultrum ſaltem lapideum, quo Sephora filium ſuum circumcidit, eo quod LXX. per ΨΗΦΟΝ eum interpretentur, quæ vox hic etiam occurrit. Sed ſumuntur hæc a Viro Docto non probantur. Extrema præputii Filii Moſis circumciſio cultello facta eſt, qui a LXX. per ΨΗΦΟΝ vertitur. E. Chriſtus hic loquens de lapide albo ψήφῳ λευκῇ ad ſpiritualem cordis circumciſionem digitum intendit. Quænam Conſequentia hæc a Circumciſione externa ad internam?* Nam ſive Morus reſpexerit ad circumciſionem ſpiritualem cordis, ſive ad cultrum circumciſionis, ſufficit, evictum ſatis ψῆφον confitentibus LXX. notare cultrum circumciſioni petrinum, & quamvis hoc cultro externa ſaltem præputii facta ſit amputatio, nihil obſtat tamen, quo minus ad internam ἀχειροποίητον in utroque fieri poſſet alluſio? Dicit (3) ΨΗΦΟΣ e verſione τῶν LXX. ex Exodo adducitur, at hic textus N. T. eſt. *Quænam conſequentia a voce ab ipſo dictata Spiritu, ad vocem mero & fallibili hominum arbitrio ab Interpretibus uſurpatam? Certe ſi tales nectere conſequentias par ſit, quænam non fingere in promptu erit?* Quaſi vero Sp. S. in N. T. aliis & Græcitati plane ignotis res ipſas exprimere voluerit vocibus, quas ſane ſi non ex conſueto loquendi more depromſiſſet, ne a Græcis quidem Græce loquens intelligi potuiſſet. Imo ſi ex profanis Scriptoribus collatio cum ſtylo N. T. inſtitui poteſt, prout vel ipſe Saldenus ſæpius eo in Exerc. ſuis dilabitur, & Gatakerus, Pfochenius, Keuchenius, aliique ſubinde monuerunt, quidni in adminiculum LXX. poſſent accerſi exemplo Dan. Heinſii aliorumque Criticorum magno molimine Helleniſticam ſuam in N. T. introducentium? Dicit tandem (3) vocem צור per ψῆφον verti opus non eſſe: *Præterquam, inquit, cum vocabulum צר quod Exod. IV. 25. occurrit per ψῆφον vertere ſimpliciter opus non ſit Coccejus per mucronem interpretatur, Vatablus in genere per acutum, additque: ſubaudivit Interpres ex Joſ. V. 3. ſubſtantivum gladius, ubi Dominus præcepit: fac tibi* חרבות צורים *cultros acutos*. Sed quid opus eſt inquirere in Interpretationibus quid opus fuerit? & ita voces quaſi Interpretibus præſcribere. Non dijudicandi Interpretes ex noſtro ingenio, ſed ex illorum, qui verſiones iſtas adornarunt ipſiuſque Linguæ, interpretibus ſuis notæ, genio. Sufficit LXX. vocem צור per ψῆφον vertiſſe & ſenſum vocis illius exhauſiſſe; an de cætero

tero per πέτρου an per aliam vocem Hebræum illud exprimere potuerint commodus, noſtra expiſcari parum refert.

XIII. Sed tempus monet cultro circumciſionis ſepoſito promere *Seceſpitas* Hebræorum, ſeu cultros Sacrificiis mactandis deſtinatos. Sacrificia Hebræorum non unius erant generis, ſed ratione materiæ aliarumque circumſtantiarum variabant. Si materiam quæramus ſpecies recenſet *R. Moſes Maimonides* in Hilcos Maaſc Hakkorbanos cap. I. §. I. כל הקרבנות של מיני נפש היה באין מחמשה מינין בלבד מן הבקר ומן הכבשים ומן העזים ומן התורים ומן בני היונה: *Oblationes animantium depromebantur e quinque Speciebus tantum, nempe ex bobus, agnis, hircis, turturibus, & pullis columbarum*. Si inquiramus, an omnes hæ animantium ſpecies cultris immolatæ ac jugulatæ fuerint? ipſa edocuit Judæos lex Divina, ſeligendas fuiſſe quaſdam animantium ſpecies, quæ cultris cædendæ non erant; Factum hinc, ut præter שחיטה ſeu mactationem in animantis jugulo per ductum reductumque cultrum peractam, in quibuſdam obtineret decollatio, in aliis ungue ſectio. Decollatio vi legis divinæ in vitula præſcribebatur ut eſſet victima piacularis cædis ab homicida incerto patratæ Deut. XXI. 4. והורידו זקני העיר ההוא את העגלה אל נחל איתן אשר לא יעבד בו ולא יזרע וערפו שם את העגלה בנחל: *Deinde ſeniores urbis vitulam ducant in vallem aſperam* (alii ad flumen rapidum) *quæ neque culta neque ſemine conſperſa ſit, ibique vitulæ cervicem frangant in valle*. Si quæras Judæos, quo inſtrumento facta fuerit vitulæ decollatio? reponunt factam non cultro victimario vulgari, verum בקופיץ *R. Moſes Maimonides* in Hilcos Rozeach Uſchemiras Nepheſch cap. IX. §. II. III. proceſſum ita delineat: בית דין של אותה העיר מביאין עגלת בקר משל אנשי אותה העיר ומורידים אותה אל נחל ששוטף בחזקה וזהו איתן האמור בתורה ועורפין אותה שם בקופיץ מאחריה ובית דין של אותה העיר עם כל זקניה אפילו הם מאה כולן רוחצין את ידיהן שם במקום עריפתה: *Synedrium illius urbis* (ad quam deprehenſus eſt in agro occiſus) *adducebat vitulam de armento virorum illius loci. Eam deducebat ad torrentem rapidum, id quippe reſpicit vox* איתן *in lege occurrens* (*Deut. XXI.* 4.) *& decervicabant eam ibi ſecuri a tergo. Synedrium autem una cum ſenioribus omnibus licet C eſſent, lavabant manus ſuas in loco cervicis fractæ*. Reperiuntur hæc in Talmudis Babylonici *Sota* c. IX. Miſchna V. conf. etiam R. *Levi Barſellonita* in Sepher Chinnuch præc. DV. f. CXCIV. col. I. ſuæque mentis interpres abunde eſt, ipſemet *Maimonides*, exponens, quid per קופיץ innuatur in Comm. ad h. l. Miſchnæ: קופיץ הוא סכין הגדול והרחב שמחתכין בו הבשר הנקרא בערבי סאטור *Vox* קופיץ *notat cultrum magnum latumque, quo caro ſcinditur in ſegmenta, Arabes* סאטור *cultrum hunc vocitant*. Conſpirantem habet Maimonides R. *Obad de Bartenora* in h. l. qui vocat סכין גדול *cultrum magnum*, ut & Chaldæum in Pſ. XXIV. 6. Hebræum כשיל *ſecuris* per קופיץ transferentem; quin & Græcis ΚΟΠΙΣ gladius curtus ac latior, leviterque falcatus eſt, apud Xen*oph.* in Pædia Cyri Lib. II. p. 27. & Lib. VI. p. 109. ac *Plutarchum* in Alexandro T. I. Opp. p. 673. Cultrum ejuſmodi majuſculum inſerviiſſe diſſecandis carnibus oſſibuſque confrigendis pandit R. *Salomo* in Peſachin f. LXX. col. I. קופיץ סכין גדול הוא ורוכן אינן לשחיטה אלא לחיתוך בשר ולשבירת עצמות: *Culter grandis eſt, qui ut plurimum non mactationi ſed diſſecandis carnibus oſſibuſque confringendis inſervit*. Conf. *Schekalin* c. VIII. Miſchna III. *Peſachin* f. LXX. col. I. & f. LXXXV. col. II. *Beza* f. XXVIII. col. I. & *Sepher Aruch* ſub voce קופיץ. Unde non incommode *M. Frid. Wilh Bierling* Diſp. de Vit. Decoll. Ritibus c. II. §. III. vocem hanc per Fleiſchbeil reddidit, cultrum carnibus ſcindendis & oſſibus confringendis inſervientem, cum eundem quoque ſignificatum Arabum סאטור obtineat a Maimonide adductum, ut obſervat *Edmundus Caſtellus* in Lex. Heptaglot. f. MMDXIV. & *Anton. Giggejus* Tom. II. Lex. Arab. p. 821. Hujuſcemodi inſtrumento uſos etiam Judæos in decollando primogenito aſini quem redimere nolebat Paterfamilias probabile eſt, juxta decretum divinum: Exod. XIII. 13. & XXXIV. 20. ואם לא תפדה וערפתו *ſi nolueris redimere, decervicabis eum*. Nam & hoc בקופיץ factum aſſerit cum R. *Salomone Iſaacide* ad Exod. XXXIV. 20. R. *Levi Barſellonita* in Sepher Chinnuch fol. XV. col. II. Deinde exceptæ a cultris ſacrificalibus erant aves, non ſeceſpita ſed ungue ſecandæ, vi Legis Divinæ Lev. I. 14. 15. ואם מן העוף עולה קרבנו ליהוה והקריב מן התורים או מן בני היונה קרבנו והקריבו הכהן אל המזבח ומלק את ראשו והקטיר המזבחה ונמצה דמו על קיר המזבח: *Si ex volatilibus fiat oblatio ejus Jehovæ, adducat ex turturibus aut pullis columbinis oblationem ſuam, admovenſque eam ſacerdos altari ungue elidet caput ejus, adolebitque in altari, cum ſparſus fuerit ſanguis ejus ad parietem altaris*.

ris. Apte ſatis Judæi e voce מלק ungue ſecandas a ſacerdotibus aves augurati ſunt, veſtigia eorum legente verſione Belgica: *Ende deſſelven Hooft met ſynen Nagel ſplyten*. Quamvis enim *Jac. Bonfrerius* in Pent. Moſis Comm. Illuſtr. p. 581. col. I. neget, מלק ſignificare ungue ſectionem, quia nulla fiat in textu unguis mentio, in eo tamen nimium errat; Nam alias nec שחט eſſet *cultro mactare*, cum nulla cultri in textu fiat mentio. Rectius e Judæis ſentit R. *Obadias* in *Chullin* cap. I. Miſchna IV. מלק בצפורן וחתך בשר ומפרקת עד שהגיע לסימנים מליקתו כשרה דזו היא מצות מליקתו לכתחילה: *Si* מלק *id eſt ungue eliſerit & ſecarit carnem ac cervicem, uſque dum pervenerit ad indicia puritatis ejus, ungue ſectio legitima eſt. Hoc enim primo intendit præceptum de ungueſectione*. Proceſſum cum ave vix quiſquam nobis dilucidius expoſuit quam R. *Moſes Maimonides* in Hilcos Maaſe Hakkorbanos c. VI. §. XX. ſeqq. עולת העוף כיצד היתה נעשית עולה לכבש ופנה לסובב ובא לו לקרן דרומית מזרחית והיה מולק שם את ראשה ממול ערפה ומבדיל ואם לא הבדיל פסולה וממצה דם הראש ודם הגוף על קיר המזבח לשעלה מן החוט שבאמצע המזבח ונוטל את הראש ומקיף בית מליקתו למזבח וסופגו במלח וזורקו על גבי האישים ובא לו לגוף והסיר את המראה והעור שעליה בידו עם הנוצה ואת בני מעים היוצאין עמה ומשליכן לבית הדשן ושסע אותו בכנפיו בידו בלא סכין ואינו צריך להבדיל שנאמר לא יבדיל ואם הבדיל כשר וסופגו במלח וזורקו על גבי האישים כיצד מולקין קוצץ ויורד בצפירן ממול עורף אם רצה להוליך ולהביא מוליך ומביא ואם רצה להיות דורס ויורד בצפורן דורס ואם נעקרו הסימנים אינו חושש וחותך שדרה ומפרקת בלא רוב בשר שאם חתך רוב בשר הרי זו כמתה קודם שיגיע לסימנין וצריך לחתוך שני הסימנים בעולה כשהוא יורד והמולק בסכין או מן הצדדים אינה מליקה אלא כמי שחנק או נחר וכל העורף כשר למליקה: *Holocauſta ex avibus quomodo offerebantur? Reſp. Aſcendebat (ſacerdos) clivum & deflectens in ambitum Altaris accedenſque ad cornu Euro Auſtrale ungue elidebat caput ejus e regione cervicis & ſegregabat; ſi non ſegregaſſet, irritum erat ſacrificium. Deinde exprimebat ſanguinem e capite & corpore ad parietem altaris ſupra filum rubrum in medio altaris. Tunc ſemoto capite partem, ubi ungue facta erat ſectio, obvertebat altari, abſterſoque ſale injiciebat igni. Tunc ad corpus tendens, removebat ingluviem, cutemque adhærentem manu ſua una cum plumis & inteſtinis una extractis & projiciebat eas in locum cineris, diſſciditque avem cum alis manu ſua ſine cultro. Separare autem neceſſe non eſt. Q. D. (Lev. I. 17.) non ſeparabit; ſi tamen ſeparaſſet, ratum erat, & aſpergebat ſale illumque injiciebat igni. Quomodo ungue ſecare ſolent? Scindit Sacerdos & infigit digitum e regione cervicis; ſi antro retroque ducere velit, ducat & reducat, quodſi autem uno elidere placuerit ictu, digito collum elidat; quodſi vero ſigna (œſophagus & arteria aſperſa) evulſa fuerint, nihil ſollicitus ea de, re ſecet etiam ſpinam dorſi & colli at ſine carne multa. Nam ſi diſſecaſſet carnis multum, avis emori videretur, antequam attingantur ſigna: Hinc opus eſt duo rumpere ſigna in holocauſto, dum digitum imprimit. Si autem cultro collum elidit aut a latere, non* מליקה *eſt, ſed ſtrangulanti, aut cultro nares incidenti æquiparatur, tota autem cervix ungueſectioni apta eſt*. Sectionem avis ungue peractam clare inculcat R. *Levi Barſellonita* in Sepher Chinnuch f. LIII. col. II. מצות לא תעשה שלא יפריך הכהן מן חעוף הבא לקרבן והוא הנקרא חטאת העוף הראשמן הגוף כשימלוק אותו שנ׳ ומלק את ראשו ממול ערפו ולא יבדיל ופי׳ מליקה הוא שנועץ הכהן צפורניו ממול ערפו דהיינו עצם הנקרא עצם דמפרקת וחותך העצם בצפרנו עד שמגיע לסימנים וחותך בם חסימנים בצפרנו או רובו של אחד מהם וזאת היא שחיטתו של חטאת העוף וצריך שיכוון שלא יחתוך הכל לגמרי עד שיהא נפרד הראש מן הגוף ועל זה נאמר ולא יבדיל: *Præceptum negativum eſt, ne ſacerdos ſegreget ab ave oblata in victimam (quæ vocatur hoſtia piacularis ex avibus) caput a corpore, cum illam ungue eliſerit. Q. D. (Lev. V. 8.) ungue elidat caput ejus e regione cervicis ejus, non autem ſegreget. Eſt autem* מליקה *cum ſacerdos unguem infigit e regione cervicis id eſt oſſi, quod appellatur os cervicis & ungue ſecat os, donec perveniat ad ſigna, quin & ſigna ungue rumpit aut unum ex illis. Et hæc eſt mactatio avis pro peccato oblatæ. Opus vero eſt, ut cautus ſit, ne omnia plene diſcerpat adeo ut caput ſegregetur a corpore. Propterea injungit Lex: ne dividat*. Ungue ergo æquum erat elidi collum avis in victimam oblatæ ſed nec hoc ſolum, verum irrita penitus ſectio avis habebatur, cultro ſuſcepta. R. *Moſes ben Maimon* in Hilcos Peſule Hammukdaſchin cap. VII. §. III. לפיכך המולק ונמצאת טריפה או שמלק בסכין או שמלק חולין בפנים וקרשים בחוץ הרי זו נבלה לכל דבר שאין המליקה מתרת ומטהרה אלא דבר שהוא כשר למזבח: *Propterea ſi quis ungue ſecaſſet & deprehendiſſet corruptum, aut qui mactaſſet cultro, aut qui extus*

velut profanum intus velut ſacrum mactaſſet, penitus ineptum reputatur; Neque enim מליקה *aptam & puram declarat, niſi rem altari aptam*. Cauſam rei ſuppeditant Judæi, aliquanto licet frigidam, ex qua ungue non cultro ſectio avis ſuſcepta fuerit. *R. Levi Barſellonita* in Sepher Chinnuch f. LIII. col. II. imbecillitatem ingenii ſui in explorandis hujus præcepti circumſtantiis ante exponens, addit: אולי בדבר המליקה הנעשית ביד הכהן בחטאת העוף שהוא קרבן של עני רמז שיטהר כל אדם בתכלית הטהירות צרכו של עני ועל כן אינו צריך קרבנו שחיטה שלא יצטרך הכהן לחזר אחר סכין ולבודקו ויתבטל העני שם ממלאכתו בנתים גם להפליג המהירות אמרנו שיתחיל ממול ערפו כי הוא המוכן אל ידו ולא יצטרך להפך הצואר אל צד הסימנים: *Forte Melikah manu ſacerdotis in holocauſto avium ſuſcepta, utpote victima a pauperibus oblata, indicium fuit, unicuique quanta potis eſt promptitudine neceſſaria exhibenda egeno. Et propterea hoſtia ejus non habebat opus mactatione, ne opus eſſet a ſacerdote adduci cultrum, ejuſque aptitudinem anxie explorari, interea vero pauperem a negotiis ſuis detineri. Quin & ob ſummam celeritatem diximus incipiendum ei fuiſſe e regione cervicis, cum hæc manui ſecantis aptior ne opus eſſet convertere collum in latus ſignorum*. Conf. de ungue ſecta ave *Talmud Babyl. Chullin.* cap. I. Miſchna IV. *R. Salomo* Comm. ad Lev. I. 14. & ad Cap. V. 8. *Siphra* f. VI. col. I. II. *Korban Aharon* f. LXVII. LXVIII. *Joh. Henr. Hottingerus* de Jur. Hebr. Leg. CXXVIII. p. 170. *Guilh. Outramus* de Sacrificiis L. I. c. VI. §. VII. *Joh. Henr. Hottingerus* Antiq. Jud. Prof. Marpurgenſis Diſſ. de Sacrificiis Avium habita Marp. 1706. §. XII. & *Theod. Daſſovius* diſp. de ave ungue ſecta edit. Witteb. 1697. §. IV. ſeqq. qui tamen annotat §. XII. in ave ungue ſecanda circulum circa ingluviem cultro formatum, ut eo facilius manu ſacerdotis extrahi poſſet, quem & in figura ænea lit. f. expreſſum exhibet.

XIV. Quamvis quædam ſacrificia ſeceſpitis jugulari prohibeantur, partim ex avibus partim e grege, reliquas tamen mactatas & jugulatas idem confirmat *R. Moſes ben Maimon* in Hilcos Maaſe Hakkorbanos c. IX. §. VII. כל הזבחים אין שוחטין אותן לכתחילה אלא בסכין מכלי שרת ואם שחט בכל דבר ששוחטין בו החולין אפילו בקרומית של קנה כשרים: *Nulla victima primo mactatur niſi cultro e vaſis ſanctis depromto, ſi quis vero mactarit ulla alia re profana, in ſpecie vero ſegmento cannæ legitima tamen eſt mactatio*. Cauſam cultro mactandæ victimæ e ſcriptura protrahit cum *Gemara Menachos* f. LXXXII. col. II. *R. Joſeph Kaaro* in Ceſeph Miſchne ad h. l. ומייתי לה מדכתיב ויקח את המאכלת והתם עולה הואי דכתיב ויעלהו לעולה תחת בנו: *Concluditur hoc ex eo, quod ſcriptum eſt (Gen. XXII. 6.) Et accepit Abrahamus cultrum. Nam hic holocauſtum obtuliſſe Abrahamum patet ex verbis: (v. 13.) Et obtulit Abraham arietem in holocauſtum loco filii ſui*. Imo hoſpes ſit in hiſtoria ſacra, qui ignoret, vetuſtiſſimum fuiſſe morem cultro petendi victimarum eaſque mactandi. Nam ne memoremus bovem primum ab Adamo oblatum ex fabuloſa Judæorum antiquitate in *Gemara* Cod. *Avoda Sara* c. I. Miſchna III. nec Abelis & Caini ſacrificia Gen. IV. 4. nec Abrahami victimas in ſegmenta ſine omni dubio cultro diviſas Gen. XV. 10. hoc ſaltem dicimus, in populo Dei tam uſitatas fuiſſe ſeceſpitas, ut ab illo earum uſus ad ſacrificia Gentilium quoque antiquiſſimis jam temporibus dimanarit. Sacrificulos enim Baalis in Sacris cultris victimas ſecaſſe, patet ex I. Reg. XVIII. 28. ויקראו בקול גדול ויתגדדו כמשפטם בחרבות וברמחים עד שפך דם עליהם: *Et exclamarunt voce magna ſeque pro more ſuo gladiis & cultris incidebant, donec ſanguis in eos effunderetur*, ita vertit *Joh. Clericus*. Luth.: *Und ritzeten ſich mit Meſſern und Pfriemen*, cum Dietenbergero & Belgis. *D. Mart. Gejerus* L. de Luctu Hebræorum cap. X. §. II. *cultellis & lanceolis*. Equidem *R. Iſaac Abarbanel* in פירוש על נביאים ראשונים f. CCLVI. col. II. mavult cultros Baalitarum lanceas æneas fuiſſe igni excitando deſtinatas, melius tamen ſubſcribi judicat Talmudiſtarum in *Maccos* f. XXI. col. I. opinioni, fuiſſe hunc olim ritum in cultu Baalis contendentium, ut ſeceſpitis cultriſque ſacrificalibus Popæ ſe lancinarent. Et merito quidem poſteriorem a Talmude comprobatam ſententiam ſuo comprobant reliqui ſuffragio, conf. *Maimon* in Hilc. Avoda Sara cap. XII. §. XIII. cum gladiolis cultriſque carnem ſuam incidiſſe ſacerdotes in Sacris, non Baalis tantum, ſed & Iſidis, Bellonæ, Deæ Syriæ, a gentilibus celebratis Hiſtoriæ oſtendant. Vid. poſt Jer. XLI. 5. *Dion. Voſſius* ad Maim. de Idololatr. p. 171. 172. I. *Cunr. Dietericus* in Antiq. Bibl. V. T. p. 375. *D. Martinus Gejerus* de Luctu Hebr. c. X. 9. II. & *Joh. Clericus* Comm. in Libb. Hiſt. V. T. p. 425. Quid obſtat igitur, quo minus adſtruamus, clamoſos Baalis ſacerdotes ſeceſpitis ſe incidiſſe mactandis victimis deſtina-

natis vel mœrorem ex impatientia ortum vel zelum in Baalem ſuum teſtaturi, cum ſanguine humano placari Numina opinarentur. Præter Baalitarum ſeceſpitas commode huc reduci poſſent ex ſanctis templi Salomonei ſpoliis מזמרות II. Reg. XXV. 14. col. II. Chron. IV. 22. & Jer. LII. 18. quæ Luth. ubique vertit *die Meſſer* cultros in miniſterio ſacro uſitatos h. e. ſacrificales, niſi alii hæc non de cultris ſed de inſtrumentis potius muſicis exponerent. *Q. Iſaac Abarbanel* in Peruſch al Neviim Riſch. ad I. Reg. VII. 50. f. CCXXV. col. II. המזמרות הם כלי זמר שהיו עשויים מזהב: *Sunt inſtrumenta muſica ex auro parata*. Conf. & Jer. LIII. 18. R. *David Kimchi* in I. Reg. VII. 50. Interim Ἐξαγώνιον manet cultros victimis & antiquis & ſequioribus temporibus conficiendis adhibitos. Sed & materia e qua paratæ ſunt Hebræorum ſeceſpitæ cum genuinis antiquitatis Hebrææ indagatoribus inquirendum erit. *Jac. Bonfrerius* Comm. in Exod. XX. 25. e cupro paratas opinatur; at vix produxerit vir alias eruditus ullum teſtem ex Judæis antiquis ſuo ſuffragio ſententiam hanc invicte comprobantem. Sabinos antiquos cultros ex ære paratos habuiſſe obſervat *Cœlius Rhodiginus* L. XXIX. Lect. antiq. c. VI. quas tamen non in jugulandis victimis ſed in tondendis ſacerdotibus memorat receptas. Romanos ſacerdotes æreis cultris uſos ad Nonium Marcellum ſe obſervaſſe memorat *Hieron. Magius* de tintinnabulis c. XIV. p. 65. & ſecures ſacerdotum in ſacrificiis æneas ex Lubino obſervat *Joh. Rhodius* de Acia c. XIV. p. 189. Nimirum juxta *Heſiodum* Opp. & dier. v. 151. χαλκῷ δ' εἰργάζοντο μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος, *Ære utebantur: nigro nondum exiſtente ferro* quanquam cultrarios & victimarios Romanorum cultro victimam diſſecaſſe, Haruſpicem vero, Flamen aut ſacerdotem cultro ferreo viſcera rimatum eſſe demonſtret *Alexander ab Alex.* L. IV. Genial. Dier. cap. XVI. *Joh. Roſinus* L. III. Antiq. Roman. c. XXXIX. p. 322. Unde R. *Iſaac Abarbanel* l. c. מנחשת *ex ære* paratos Baalitarum cultros docet, æneaſque Hebræorum ſeceſpitas fuiſſe, improbabile non videtur; & quod partim jugulandis partim excoriandis ac diſſecandis victimis multo videbatur commodius, e ferro aut chalybe ſeceſpitas paraſſe; Conf. *Andr. Maſius* ad Joſ. VIII. 30. 31. & cum eo *Joh. Lundius* L. II. Antiq. Jud. c. XII. p. 298. Si quis ſaxeas ſeceſpitas Hebræorum antiquis Hebræis fuiſſe velit familiares ei multum non refragabimur, cum & apud Rom. porcum Feciaalis ſexo ſeu ſilice percutere & dejicere ſueverit. Vid. *Joh. Saubertus* de Sacrif. Vet. c. XVII. p. 391.

XV. Inſerviebant Hebræorum ſeceſpitæ victimis Deo oblatis jugulandis, excoriandis & diſſecandis ritu tamen non eodem ſed vario obſervato. Priuſquam ſuſciperetur victimæ mactatio, ſeceſpitam lavandam fuiſſe, ex agni Paſchalis cultro colligere licet. Cum enim Talmudiſtæ in *Schekalim* c. VIII. Miſchna III. & *Peſachin* f. LXX. col. I. hanc decreviſſent legem: סכין שנמצאת בי״ד שוחט בה מיד בשלשה עשר שונה ומטביל וקופיץ בין בזה ובין בזה שונה ומטביל חל ארבעה עשר להיות בשבת שוחט בה מיד בט״ו שוחט בה מיד נמצאת קשורה לסכין הרי זו כסכין: *Seceſpita* XIV. *menſis Niſan inventa ſtatim mactare licet; Inventa die* XIII. *denuo abluitur. Securis ſeu* XIII. *ſeu* XIV. *inventa denuo abluenda eſt. Si dies* XIV. *in Sabbathum inciderit, jugulare illico licet. Si die* XV. *illico mactare licet; ſi deprehendatur alligata ſeceſpitæ eodem jure gaudet, quo ſeceſpita.* Dubium enatum eſt: qui ſeceſpita XIV. die inventa mactare liceat, cum immundities ſeceſpitæ haud ſimplici de cauſa metuenda eſſet? Reſpondent Judæi cauſam hanc eſſe, quod ſeceſpita pridie polluta a poſſeſſore juſto lota ſit, indeque nova lotione non indigeat. Ita *R. Moſes ben Maimon* ad h. l. Miſchnæ: יום י״ד מניסן הוא יום שחיטת הפסח וחוקת כל הסכינים שטהרו לשחיטה ולפיכך שוחט בה מיד ואם מצאו יום שלשה עשר מזה עליה מי נדה ומטביל יתשאר עד הערב השמש ושוחט כי אפשר שהוציאוהו לטהר והסכין הוא צריך לשחיטת הפסח על כל פנים כי שחיטת הפסח צריכה בהכרח בין בטומאה בין בטהרה והקופיץ אינו צריך אלא לחתוך הבשר והעצמות ואינו ראוי אלא לחגיגה ארבע עשר שמותר בו שבירת העצם: *Die* XIV. *menſis Niſan mactant ſacrificium Paſchale, cunctæque ſeceſpitæ pro lotis & aptis jugulationi reputantur, hinc ſtatim mactare licet. Si vero reperta fuerit die* XIII. *aſpergenda aqua, abluenda & ſeponenda eſt, ad Solis occaſum, & tunc demum mactare ſeceſpita licet. Metuendum enim, ne forte ad purificandum protracta fuerit — ſeceſpita vero ſumme neceſſaria eſt mactando ſacrificio paſchali; cum mactatio ſacrificii Paſchalis omnino neceſſaria ſit, ſive in puritate ſive ſine puritate ſuſcepta. Securi autem opus non eſt niſi diſſecandæ carni & diffringendis oſſibus inſerviebatque tantum ſacrificio feſti* XIV. *quo licebat oſſa frangere* (nam in agno paſcha-

chali ossa frangere lege Divina vetitum erat Exod. XII. 46.) tradit *R. Salomo Isaacides* in Pesoch. f. LXX. *R. Obad. de Bartenora & R. Moses ben Maimon in* Hilcos Korban Pesach. c. I. §. XIX. Parata explorataque secespita mactaturis præsto erant mensæ duæ , una marmorea argentea altera , illa proficiis imponendis , donec eveherentur in altare a sacerdotibus , hæc ut instrumentis vasisque victimalibus inserviens, ita & secespitis destinata. *R. Moses ben Maimon* in Hilcos Bes Habbechira cap. II. §. XV. e Cod. Schekalim cap. VI. Mischna IV. שני שולחנות חיו במערב הכבש אחד של שיש שנותנין עליו את האיברים ואחד של כסף שנותנין עליו כלי השרת: *Duæ erant mensæ ad occidentom clivi* (per quem ad altare patebat aditus) *altera marmorea, cui imponebantur proficiæ , altera argentea , cui imponebantur vasa ministerii* . Locus harum mensarum determinatus est in *Middos* cap. V. Mischna I. Conf. *R. Abraham* in Schilte Haggibborim f. XXI. col. IV. Interea annulis ad boreale aræ latus pavimento infixis victimarum colla indebantur, ut vult *R. Obad. de Bartenora* ad *Middos* c. III. Mischna V. vel pedes adstringebantur, ut placet *Maimonidi* in h. l. & his quoque ad jugulationem præparamenta omnia adsolvebantur. Actus oblationis omnes distincte recensent *R. Moses Mikkozi* in Sepher Mizvos Gadol f. CCXIV. *R. Moses ben Maimon* in Hilcos Maase Hakkorbanos cap. VI. §. I. & post hos *R. Levi Barsellonita* in Sepher Chinnuch f. MLVII. col. II. Nos filum Maimonidem sequemur : מצות עשה לעשות העולה כמשפטה הכתובה בתורה וכיצר מעשה העולה שוחט וזורק הרם ומפשיט ומנחח ומקטיר כל הנתחים על גבי המזבח שנאמר והקטיר הכהן את הכל המזבח: *Præceptum affimativum est, holocausta fieri ad normam in lege præscriptam ; quomodo autem holocaustum offerebatur ? Victimam mactabat sacerdos , sanguinem spargebat , excoriabat , dissecabat , adolebatque omnes proficias in ara Q. D.* (Levit. I. 9.) *& adolebit Sacerdos cuncta in altari*. Nullum est dubium, quin plerique jugulationis actus secespita suscepti fuerint . Mactationem cultro gulæ supposito factam delineat R. *Mose ben Maimon* in Hilcos Maase Hakkorbanos c. IV. §. VIII. IX. ex Talm. *Sevachim* c. II. f. XXVII. כיצר הוא עושה אוחז הסימנים בידו ומוציאן עם הוורידים המזרק ושוחט שנים או רוב שנים כרי שיתקבל הרם כולו בכלי ומגביה הסכין למעלה כרי שלא ירד הרם מעליה אלא מן הצואר ורם שבסכין מקנחו בשפת המזרק: *Victimarius quomodo rem exequebatur ? Prensabat signa duo & extrahens cum venulis colli pateræ medio admovebat , posthæc incidens duas aut plures , quo sanguinem omnem exciperet in vase . Dehinc cultrum elevabat in altum ne deflueret sanguis nisi ex collo . Sanguinem in cultro residuum in limbo pateræ abstergebat*. Observandum tamen mactationem hanc irritam reputari, nisi culter ductus reductusque fuisset , per הלכה & הבאה , duplicique ictu cultro prorsum retrorsumque acto gula, arteria aspera & venæ jugulares, si non omnes pleræque saltem secarentur . Cavendum enim erat , ne qua victimis lentius cæsis sanguis intra venas revocaretur ibique sisteretur , & mactatio in suffocationem converteretur . Vid. *Maimon.* Hilcos Schechita c. II. §. IX. Sanguinis exceptionem in vase victimæ jugulo supposito factam , sequebatur aspersio. Memorabile hic est, quod recensent de vacca Rufa Judæi , cujus sanguinem unum eumdemque sacerdotem manu sinistra excepisse, secespita tamen e dextra seposita ferunt. *R. Moses ben Maimon.* in Hilcos Para Aduma c. III. §. II. וכופתין את הפרה בחבל של מגג ונותנין אותה על גבי המערכה ראשה לדרום ופניה למערב והכהן עומד במזרח ופניו למערב שוחט בימינו ומקבל הרם בשמאלו ומזה באצבעו הימנית מן הרם שבכפו השמאלית שבע פעמים כנגר בית קרשי הקרשים: *Alligabant juvencam fune junceo, imponebantque illam strui, capite meridiei, facie occidenti obversa. Sacerdos stabat ad orientem facie occidenti obversa manuque dextra jugulum petebat , sinistra sanguinem excipiebat, & spargebat digito dextræ sanguinem in vola sinistra septies versus Sanctum Sanctorum. E Josephos* in h. l. memoranda adducit *R. Jom Tobh* in Tosephes ad Cod. Talmudicum Para c. III. §. IX. ר' יהורה אומר בימינו היה מקבל ובתספתא הביאה ר"א בימינו היה שוחט ונותן הסכין לפניו או לזה שעמו בצרו ומקבל בימינו *R. Juda ait : dextra sua excepit sanguinem. In Tosiphta scribunt : R. Juda ait: dextra sua mactabat , ponebatque ante se cultrum , aut ei tradebat , qui ipsi aderat a latere, sanguinemque dextra excipiebat*. Maimonidem tamen hic oppugnatum sistit *R. Abraham ben David* , & defensum *R. Isaac Kaaro* in Ceseph Mischne ad h. l. qui consulantur . Aspersionem excipiebat pellis detractio, ad columnas lapideas transtris interjectis instructas , & tribus uncinorum ferreorum seriebus distinctas, quo maximæ de supremis, minores de mediis , minimæ de infimis suspensæ victimæ commode pelle nu-

nudari possent. Vid. Talm. Babyl. *Middos* c. III. Mischna V. *Bartenorius* ad h. l. & *R. Moses Maimonides* in Hilc. Bes Habbechira cap. V. §. XIV. Excoriationem tandem sequebatur divisio in segmenta seu prosicias; Capite enim abscisso secabantur crura, tum cor expresso sanguine & pedes anteriores resecabantur, mox tollebatur pes dexter posterior, tum adeps cum intestinis, pulmo, jecur, pectus, latus dextrum, guttur &c. Prolixe hæc recenset sæpius laudatus *Maimonides* in Hilcos Maas. Hakkorb. c. VI. §. V. & VI. Similem in segmenta dividendi ritum in antiquissimis sacrificiis obtinuisse patet ex Gen. XV. 10. & Jer. XXXIV. 18. quibus illustrandis suppetias fert *Joach. Kuhnius* Qq. Phil. Pent. II. Q. II. p. 15. seqq. In his vero recensitis immolationis ritibus non unius generis secespitas attribuisse Hebræos persuasissimi sumus, cum eadem secespita & carne secante & ossa diffrigente vix commode ob fissuras inductas plures victimæ mactari potuissent. Unde Romanorum Poparum more cultellos quidem victimis parvis mactandis, præter hos vero & secures ac dolabras victimis dissecandis aptas Hebræis in usu fuisse, par est, ut adstruamus; Sed quid tandem fuit secespita? quid securis? quis utrarumque finis? quæ figura? *Secespita*, inquit Antistius Labeo apud Festum L. XVII. *est culter ferreus, oblongus, manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum auro, argentoque fixo clavis æneis, ære Cyprio, quo Flamines, Flaminicæ Virgines, Pontificesque ad sacra utebantur, dictaque secespita a secando*. Conf. *Alex. ab Alex.* L. IV. Genial. Dier. c. XVI. & *Lud. Nonnius* Comm. in Jul. Cæs. Numismata ab Huberto Goltzio edita Tab. XIV. p. 47. Figuras secespitarum Romanarum e quibus facile ad Hebræas collectio fieri potest, nobis dederunt ex antiquitate viri eruditi; ac primam quidem *Michael Angelus de la Chausse* de Insignibus Pont. M. & Instrum. sacrif. Tab. VII. T. V. Thes. Antiq. Rom. Græv. p. 316. in omnibus cum secespita a Festo delineata concordantem, relictis saltem clavorum foraminibus, qui ebur manubrii ob vetustatem consumti, connectebant; Aliam exhibet *Petrus Lambecius* L. I. Comm. de Bibl. Vindob. p. 83. 84. in sarcophago pervetusto gentili Vindebonæ repertam, quam urnæ injectam fuisse in sacerdotii symbolum judicat, numisque P. Cornelii Lentuli Spintheris & Papyrii Carbonis ex Fulvio Ursino & Jacobo Strada illustrat. Novam *Laur. Begerus* T. III. Thes. Elect. Brand. p. 398. delineat in paucis saltem a secespita Chaussæi deviantem, quamvis illas discrepantias ut eo firmius secespitam probaret, tollere conatus sit ipsemet Be-gerus. Veterum Cimbrorum secespitam Runicis literis exornatam in iconismo proponunt *Nov. Lit. Mar. Balth.* Anno MDCC. p. 336. Securis vero, aliis dolabra grandior culter erat, victimis malleo percussis & secespita jugulatis dissecandis inserviens; Figuram ejus e columna Trajana exhibet *Grævius* in not. ad L. IV. Flori c. X. & in numo Julii Cæsaris *Laur. Begerus* T. II. Thes. Elect. Brand. p. 601. & T. III. p. 397. nec non *Joh. Rhosinus* L. III. Antiq. Rom. cap. XXXVIII. p. 320. Conf. ex numis Lepidi & Augusti hæc illustrans *Jac. Gutherius* de Vet. Jure Pontif. L. IV. c. XXIV. T. V. Thes. Græv. p. 222. cui associandi sunt *Joh. Guilh. Stuckius* de Sacrif. Gentil. p. 109. 110. *Cl. Burch Gotthelf. Struvius* Syntagm. Antiq. Rom. c. X. p. 474. 497. Et *D. Matth. Zimermannus* Florileg. Philolog. Hist. P. I. p. 303. 304.

XVI. Recondendis asservandisque Hebræorum secespitis certa olim assignata fuisse in templo conclavia, Talmudici memorant in *Middos* c. IV. Mischna VII. his verbis: האולם עודף עליו המש עשרה אמה מן הצפין וחמש עשרה אמה מן הדרום והוא היה נקרא בית החליפות ששם גונזים את הסכינים: *Pronaon templo latius erat, XV. cubitis a parte Septentrionali & XV. cubb. a parte Australi, nomen loci erat secespitarum reconditorium illic enim secespitæ recondebantur*. Moventur nonnulla a Judæis de hoc secespitarum conclavi, quæ a nobis occasione data negligi nequeunt. Hoc equidem confitentur omnes בית החליפות fuisse repositorium, in quo cultri asservabantur victimis jugulandis inservientes; Quando enim in Gemara Babylon: *Joma* c. III. מן החליפות ולפנים הכל מודים שפסול *A secespitarum reconditorio & ultra omnes unanimi consensu decernunt locum* (pro collocando illic juvenco) *esse profanum*. Diserte satis in hæc commentatur *R. Salomo Isaacides* קרוי בית החליפות שהיו כהן עשרים וארבע חלונות חלון לכל משמר ששם גינזין סכיני' של קדש וסכין קרוי חילוף בלשון ערבי: *quia ibi erant* XXIV. *risei, pro numero* XXIV. *stationum sacerdotalium; reponebantur huc secespitæ seu cultri victimarum sacri; Nam culter Arabibus* חילוף *nuncupatur*. Nec discrepat a R. Salomone *R. Obadias* in h. l. nisi quod hoc nomen linguæ Romanæ deberi afferat, id

id tamen an errori auctoris Editionis hujus adſcribendum ſit, an alius lapſui, merito ambigitur: בית החליפות על שם הסכינים שנגנז׳ שם קרוי בית החליפות שכן בלשון רומו קורין לסכינין הגדולים חלפים: *Reconditorium ſeceſpitarum vocatur locus, ubi reponebant ſceſpitas; Ita quippe lingua Romana vocantur cultri majores* חלפים Sollicitat Arabicam hanc etymologiam *Conſtant. l' Empereur de Oppick* in notis ad Cod. Middos c. IV. Miſchna VII. p. 168. & velut coactam affictamque traducit, meliuſque dici repoſitorium hoc בית החליפות opinatur ab Arabum חלף *poſt ſe reliquit*, cum conclave ſeceſpitarum locus fuerit poſt quadratam ſtructuram Templi jam completam ad latera additus ſeponendiſque ſeceſpitis deſtinatus. At ipſummet Virum Clar. ancipitem quaſi tenet nomen a Judæis conclavi huic non ex eo, quod reliquis templi partibus eſſet latius, ſed quod ſeceſpitas ſervaret, inditum. Inde *R. Joſephus* ad Eſræ l. 9. מחלפים הם סכינים גדולים לצירך שחיטה הפשט וניתוח אשר היה נקרא הבית אשר שם היו מצניעים אותם בית החליפות: *Seceſpitæ cultri magni ſunt, mactandis, excoriandis & diſſecandis victimis aptati, unde conclave templi, ubi reponebantur, locus ſeceſpitarum vocabatur*. Plura diſſeruimus hac de re ſupra §. II. Situm conclave pro recondendis ſeceſpitis, ubi fuerit? dubitatur. Anſam dedit diſſenſui inter Judæos Miſchna adducta. Queſtio enim mota eſt: an atrium ab uno ſaltem latere, an vero ab utroque verſus ſeptentrionem ac meridiem ultra atrium productum fuerit, an a patre ſaltem templi antica, itemque an in uno, an vero in utroque pronai brachio ſeceſpitæ fuerint ſervatæ. Res adeo quibuſdam perplexa viſa fuit, ut *R. Obadias* in h. l. צר מאחוריו לצר מערב ורחב שלפניו לצר מזרח ולא אתפרש לי היאך שהרי מאה על מאה היה בשוה: *Templum ædificatum dicit Miſchna hæc a poſtica verſus occidentem anguſtius, & in antica verſus Orientem amplius, quod quomodo fieri queat mihi quidem non conſtat; nam 100. addita 100. cubitis menſuram ſiſtunt æqualem*. Vix quiſquam dilucidius dubium hoc explanavit quam *R. Abraham* Medicus in Schilte Gibborim f. XXII. col. I. ſeq. Oſtendit ante omnia, locum horum cultrorum fuiſſe in atrio a tergo aræ exterioris, tum duo brachia pronai fuiſſe docet, quæ ultra fani latitudinem extendebantur, ita ille: האולם היה עורף על ההיקל חמש עשרה אמה מן הצפון וחמש עשרה אמה מן הדרום ושם היו שתי לשכות אחת מצר זה והאחרת מצר זה שנקראו בית החליפות ובצפונית היו שומרים הסכינים לשחיטה לפי קצרת מהחכמים ובדרומית מצורף לסכינים שהיו שומרים שם לשחיטה לפי דעתם היו גם כן נונזים הסכינים שנפגמו ושנפסלו לשחיטה ואני כתבתי שהיו גם כן שם כל חלונות הבגדי׳ שהיו צריכין לכל הכ״ד משמר׳ מזה ומזה למקום שקורף האולם על ההיכל: *Pronaton amplius erat templo XV. cubitis a ſeptentrione, & XV. cubitis a meridie, ibique fuerunt conclavia duo, alterum a latere hoc, alterum, a latere altero, & vocabantur Reconditoria Seceſpitarum. In ſeptentrione enim aſſervabant ſeceſpitas mactationi aptas, ad mentem nonnullorum Doctorum, in auſtrali huic ſocio & ſeceſpitis mactationi aptis aſſervandis deſtinato, ex mente illorum reconditerunt etiam ſeceſpitas detritas & jugulandis victimis ineptas. Ego autem exiſtimarim, ibi etiam fuiſſe omnia veſtium armaria, uſui omnium XXIV. ephemeriarum inſervientium ab utroque latere in loco exedræ porticus templi*. Litem propterea movet R. Obadiæ Bartenorio ut *R. Moſi Maimonidi* huncque defendenti *R. Abrahamo ben David*, aſſecla Obadiæ haud vulgaris *R. Jom Tobb* in Toſephos ad Middos c. IV. Miſchna VII. Mentem vero Miſchnæ cum antiquitate & ſitu templi ad harmoniam reducturis ſufficiant ea, quæ apta diſtinctione vocis היכל protraxit in lucem nobiſque ſuppeditavit *R. Abraham* in Schilte Gibborim f. XX. col. III. ita fatus: ההיכל היה צר מאחריו ורחב מלפניו ודומה לארי שנ׳ הוי אריאל אריאל קרית חנה דוד מה ארי זה רחב מלפניו וצר מאחריו אף ההיכל צר מאחריו ורחב מלפיו ואתה הקורא דע כי רבותינו הקדושים פעמים קוראים היכל החלק ההוא מהבית שהוא ארבעים אמה בארך ועשרים אמה ברוחב שחוצה לו מצד המזרח יש שם האולם הארוך אחד עשרה אמות והעודף ברחב על ההיכל חמש עשרה אמות מצד דרום וחמש עשרה אמות מצד צפון ושלהלאה ממנו מצד מערב יש שם בית קדש הקדשים שהוא עשרי׳ על עשרים אמה וזה באמת הוא ההיכל העצמי לא זולת אמנם לפעמים קראו רבותינו ז״ל היכל בשתוף כל המקובץ מהשלש׳ חלקים האמורים גם יחד על כן כשאמרו שההיכל היה צר מאחריו ורחב מלפניו האמנתי שרצו בהיכל השם המשותף ולא העצמי ובאופן הזה הוא רחב לצד המזרח וצר מצד מערב כי ההיכל היה רחבו מן הצפון אל הדרום שבעים אמה והאולם שלפניו לצר מזרח היה מתפשט להלן מצדי ההיכל חמש עשרה אמה לצד צפון וחמש עשרה אמה לצד דרום ונקרא בית החליפות ואינו נמשך מן המזרח למערב אלא כנגד האולם בלבד נמצא שההיכל בכללו היה רחב לצד מזרח מאה אמה

מחמת

מחמת בית החליפות אשר שם והוא צר מאחריו שאינו רחב שם אלא שבעים אמה ושם היו הכהנים גונזים סכיניהם ולכל משמר היה חלון אחד שבו גונזין סכיניהם והיו ארבעה ועשרים חלונות לארבעה ועשרים משמרות ונראה שהיו מהם שנים עשר חלונות בבית החליפות שמצד צפון ושנים עשר חלונות בבית החליפות שמצד דרום ואמרו חז״ל סכין שנשמט מן הנצב או שנפגם אין מחזירין אותו ואין משחיזין אותו אלא גונזין אותו בצד ההיכל בין הקדש והאולם לצד דרום ועושין סכינים אחרים שאין עניות במקום עשירות ומה שהיו גונזין אותם בדרום הוא כדי להתרחק מן התקלה כדי שלא יבואו בשוגג להשתמש בסכין פסול בהיות ששחיטת קדשים היא על הרוב בצד צפון כאשר ידענו :

Templum anguſtius fuit a parte poſtica, & latius a parte antica ſimileque fuit leoni q. d. (Eſ. XXIX. i.) Væ Ariel Ariel, civitati habitationis David. Quomodo ſe habet ארי *leo? a parte antica latior eſt quam a parte poſtica. Hinc concludo etiam templum a parte poſtica anguſtius, a patre antica fuiſſe latius. Obſerva vero B. L. DD. noſtros nonnunquam* היכל *appellare partem illam templi, quæ 40. cubitorum longa & 20. lata eſt ab extra a latere orientali; ubi atrium eſt longum 11. cubb. & redundantia latitudinis templi 15. cubitorum a lstere meridionali & 15. a latere ſeptentrionali, & poſt illud a latere occidentali eſt ſanctum ſanctarum quadratum 20. cubb. quæ eſt templi ſolius menſura. Nonnunquam autem eppellant DD. noſtri p. m.* היכל *tres partes memoratas conjunctim acceptas. Propterea, quando dicunt templum fuiſſe a parte poſtica anguſtius & antica latius, exiſtimarim loqui eos de templo toto non vero tantum de parte. Et hoc pacto latius eſt a latere orientali & anguſtius a latere occidentali; quia templi latitudo fuit a ſeptentrione ad meridiem LXX. cubitorum. Pronaon vero a latere orientali protenſum fuit ultra latera templi XV. cubb. a latere ſeptentrionali & XV. cubb. a latere meridionali, vocaturque* בית החליפות *extenſum vero non fuit ab oriente in occidentem niſi e regione porticus tantum. Unde fluit, templum totum fuiſſe latum a plaga orientali 100. cubitorum, ob conclave ſeceſpitarum illic exſtructarum, fuitque a poſtica ſui parte anguſtius nec latius niſi LXX. cubitorum. Ibi ſacerdotes recondebant ſeceſpitas; Unicuique ephemeriæ fuit riſcus unus in quo condebat ſeceſpitas ſuas, & ſic XXIV. riſci pro numero XXIV. ephemeriarum; Videntur etiam ex illis XII. riſci fuiſſe in conclavi ſeceſpitarum a latere ſeptentrionali & XII. riſci in conclavi ſeceſpitarum a latere meridionali. Perhibent enim DD. noſtri p. m. cultrum qui excidiſſet de manubrio, qui fiſſuras contraxiſſet, non reſtitui nec poliri, ſed recondi in latere templi ſanctum inter & atrium ad meridiem, alios vero confici cultros, cum locum non habeat paupertas in æde divitiarum. Ratio vero, ob quam abſcondiderint illos in meridie erat, ut removerentur a ſcandalo, ne quis per errorem uteretur cultro inepto, cum mactatio rerum ſacrarum ut plurimum in latere ſeptentrionali perficeretur, prout ſatis nobis perſpectum eſt.* Quæ porro diſputat R. Abraham, multo ſunt prolixiora, menſuramque diſſertationis noſtræ excedere videntur, unde in recepta ab aliis & Miſchnicis Doctoribus conciliandis faciliori manebimus ſententia, dicendo: duas in atrio brachiorum geminorum more prominuiſſe exedras in frontiſpicio pronai exſtructas, quarum altera auſtrum reſpiciens receptaculum fuerit ſeceſpitarum detritarum uſibuſque ſacris ineptarum, altera ad ſeptentrionem extenſa ſeceſpitas receperit uſibus ſacris aptas. Eo nos ducit *R. Moſes Maimonides* in Hilcos Kele Hammikdaſch cap. I. §. XIV. XV. כלי הקדש שנקבו או שנסדקו אין סותמין אותם אלא מתיכין אותן ועושין אותן חדשים סכין שנשמט מן הניצב או שנפגם אין מחזירין אותו ואין משחיזין אותו אלא גונזין אותו בצד ההיכל בין הקודש והאולם לדרום ועושין אחרים שאין עניות במקום עשירות:

Vaſa ſanctuarii perforata aut fiſſa non obturari ſolent, ſed conflari & de novo parari. Seceſpita quæ excidit e manubrio aut fiſſuras contraxit, non innovatur nec acuitur, ſed reconditur ad latus templi inter ſanctum & pronaum a latere auſtrali aliæque parantur. Non enim permittuntur ejuſmodi paupertatis indicia in loco divitiarum. Conf. idem *Maimonides* ad Sevachim c. IX. Miſchna VII. Ne ergo confuſe ſeceſpitæ inter ſe commiſcerentur, non tantum cautum eſt, ut detritæ ab aptis diſcernerentur, ſed &, ut pro numero XXIV. ephemeriarum ſacerdotalium armaria XXIV. conſtituerentur, quorum unumquodque nomen claſſis ſine dubio inſcriptum gerebar, & ab ea aperiendum erat caterva, quæ miniſterio hebdomadario fungebatur, eum in modum, quem in armariis veſtimentorum obſervatum refert *Maimonides* in Hilcos KeleHammikdaſch c. VIII. §. VIII. Num vero aſſerendum ſit, ſeceſpitas ſolas his armariis ac conclavibus incluſas, an alia hic quoque aſſervata eſſe, dubius hæret *Job. Lightfootus* in Deſcript. Templi Hieroſolym. c. XIII. Sect. III. T. I. Opp. p. 580. cum & Maimonides locum

cum illorum non expresserit; opinatur tamen circa atria fuisse ædificia, in quibus armaria ista esse potuerint; at quo in loco collocanda sint, nondum satis liquere. Forte tamen qui in superioribus contignationibus vestes in inferioribus cultros reconditos adstrueret, sententiam foveret non adeo ineptam. Prolixissimo filo hæc omnia exequitur *R. Abraham* in Schilte Haggiborim f. xx. col. II. qui hic præ cæteris omnibus consulendus est. *R. Moses ben R. Gerson Chaphez* in Sepher Canuchas Habbais Venet. *1696.* edit. in A. E. L. *1697.* p. 452. *R. Jehuda Leo* Lib. II. de Templo Hierosf. p. 126. & *Joh. Saubertus* in notis ad R. Jehuda p. 127.

XVII. Plura paulo occasione ferente, de secespita Abrahami meditanda sunt, hanc inprimis ob causam, quod cultro huic nimium intentos Judæorum cernamus animos. Cultro Abrahamum necis instrumento armatum fuisse, cum mactandus sub manibus ligatusque jaceret Isaacus clarum est ex Gen. XXII. *6.* ויקח אברהם את עצי העולה וישם על יצחק בנו ויקח בידו את האש ואת המאכלת וילכו שניהם יחדו: *Et sumsit Abraham ligna holocausti & imposuit ea Isaaco Accepit insuper in manum suam ignem & cultrum; sicque iverunt ambo una.* Arrepto hoc cultro mactantem nobis sistit Abrahamum v. 10. וישלח אברהם את ידו ויקח את המאכלת לשחט את בנו: *Extendens manum suam Abrahamus accepit cultrum, ut mactaret filium suum.* Præ cæteris inquirendum videbatur eruditis, an gladio an cultro usus fuerit in filio immolando Abrahamus? Pro gladio militare videtur partim integra picturarum cohors, gladio stricto Abrahamum jugulum filii petentem repræsentans, partim Vulgata vertens: *Ipse vero portabat in manibus ignem & gladium* & v. 10. *Extenditque manum & arripuit gladium*, sine dubio voci Μάχαιρα τῶ LXX. innixa, quam gladium communiter cultrum rarius notare, infra notabimus. Eodem tendunt Pagninus, Vatablus & Luc. Osiander, ut & sequentes vulgatam Bibl. editiones picturis exornatæ, qualem picturam sistit versio Germanica Noriberg. A. 1442. ad ductum vulgatæ adornata: *Und (Abraham) vvischt sein Schvverdt, das er vorschlug und opffert*, ut & Biblia Ann. 1560. Eandem picturam habent Biblia Lubec. 1494. quæ reddunt: *Und he droc sulvem dat Svverd und dat Vur.* Pro cultro vero pugnant (1) Versiones insigni numero. Chaldæus habet: ונסיב בידיה ית אשתא וית סכינא ואזלו תרויהון כחדא ואושיט אברהם ית ידיה ונסיב ית סכינא למיכס ית בריה: Syrus סכינא Arabs סכין Samaritanus, Junius & Tremellius, Belgæ, Seb. Castalio, Versio Anglica, Italica Diodati, Genevenses, Piscator & Luth. (2) Ostendit id apparatus ad victimas mactandas requisitus; aderant ligna holocausto aptata, altare, ignis holocausti accendendus, victima Isaacus, cultrarius Abrahamus, facta insuper mentione vocis שחט, quæ quoties in Scriptura S. holocausto jungitur, toties cultrum victimarium supponere animadvertitur. (3) Accedit probabilis conjectura, ex qua non insulse concludi potest, eodem instrumento mactatum in victimam arietem, quo filium. Victimas vero cultris jugulatas & Judæorum & Ethnicorum nobis ostendunt ritus. (4) Suffragatur Commentatorum autoritas. Luth. Comm. in Gen. XXII. *Non fuit gladius, neque recte imago illa Abrahæ mactaturi filium vulgo pingitur. Fuit culter quo sacerdotes uti solebant.* Eadem inculcat *D. Joh. Gerhardus* Comm. in h. l. *D. Aug. Pfeifferus* in Spec. Passion. Conc. III. p. 59. ex recentioribus *Joh. Clericus* Comm. in Gen. fol. 173. *D. Joh. Frischmuth* de ligatione Isaaci Disp. II. c. II. §. XIII. *Joh. Mercerus* Prælect. in Genesin f. 395. *396.* Pictores ut in medium contra hanc produci queant sententiam tantum abest, ut potius vel ob hoc ipsum hæc sententia rejicibilis videatur, quod nimio pictorum applausu excepta fuerit. Similes enim pictorum errores adnotavit *Rich. Montacutius* P. I. Orig. Eccl. p. 162. *Thomas Bartholinus* de Latere C. aperto p. 49. *M. Philipp Rohr* in Pictore errant. in Hist. Sacr. c. II. p. 12. 13. & *D. Cor. Mel* in Antiquario S. Scripturæ Sect. III. p. 59. Magis vero hoc condonandum pictoribus vetustioribus, qui autoritate versionis Vulgatę premebantur, quam hodiernis, qui Luth. non solum versione sed & alii tam evidenter cultrum Abrahami manibus extortum hactenus restituentibus, innituntur. Unde excusari nequeunt splendida licet ac nitida Belgarum Biblia A. MDCC. magnis sumptibus edita, dum Abrahamum p. 32. in icone gladio armatum sistunt, inquæ historia addunt: *Abraham leggende dat Zvvaerd. dat gereed vvas om Isaacs Bloed te vergieten aan de Zyde vant' Altaar neer:* perinde eti Edit. Bibl. Luth. Witt. 1532. quæ legit *das Messer* in iconismo tamen adjecto Abrahamum ingenti gladio jugulum filii petentem appingit. Nimirum multum interest inter pictores vulgares & eruditos. Sed quid hoc sibi vult, quod Abrahamus cultrum hunc in ma-

manibus geſtaverit, una cum igne; Id ipſum ſane alienum a mactantium ritu videtur, qui nec ignem portare nec ſeceſpitas manibus gerere ſed lumbis potius alligare ſueverunt? Quæſtionem hanc movet deciſumque fert *R. Iſaac Abarbanel* in Peruſch al Hattora fol. LXII. col. I. ואמנם אמרו ויקח בידו את האש ואת המאכלת יקשה ב׳ דברים הא׳ שבידוע שהאש יוליכנה בידו לא יתננה בחקו ולא בבגדיו הב׳ המאכלת למה יוליכנה בידו ואין דרך בני אדם להוליך מאכלת בידו אבל לתלותה על מתניו אלא ההיה אברהם עושה כל זה למען ירגיש יצחק בדבר בראותו האש בידו והמאכלת ג״כ גלויה ומפורסמת כדי שידע בודאי שהם הולכים לעשות קרבן אחר שהיו מוליכין סכין יפה מוכן לשחוט ובידיו כמזרמן לשחיטה ולכן שאל יצחק לאביו הנה האש והעצים ואיה השה לעולה ולכן יקשה כיון שאבי רוצה להעלות עולה איך יתרשל מהעקר שהוא השה וישתדל במה שאינו עקר שהם העצים והנה לא הקשה ג״כ יצחק מהמאכלת כמו שהקשה מהאש והעצים לפי שדרך בני אדם להוליך בדרך הרב או מאכלת מפני האויבים או מפני החיות הרעות ומפני זה לא הקשה יצחק מהמאכלת: *Dum vero ait Scriptor Sacer: Et accepit Abrahamus in manum ſuam cultrum una cum igne; dubium oritur geminum:* (1) *Cum notum ſit ignem manibus portari, non autem ſinu recondi, aut ſub veſtibus occultari, quare tamen aſſerat, ignem manu geſtaſſe Abrahamum?* (2) *Quare geſtarit in manu ſua cultrum, cum tamen mos non ſit manu geſtare cultrum ſed e lumbis ſuſpenſum. Reſp. Fecit hoc Abrahamus, ut Iſaacus viſo igne cultroque certo cognoſceret, ire ſe mactatum victimam, cum adduceret cultrum pulcrum mactationique aptum illorum more, qui ſe accingunt ad jugulandum; Propterea patri ſuo dicebat Iſaacus: En adſunt ignis & ligna, ubinam vero eſt victima? -- Dubium vero ſuboriebatur Iſaaco; cur, ait, Pater meus oblaturus victimam tam incurius fuit de primaria holocauſti parte, nempe victima, ſolicitus vero de non neceſſario ad victimam requiſito nempe ligno -- De cultro vero Iſaaco dubium non ſuboriebatur, quale quidem de igne & lignis, quia mos eſt ſuetus, in via geſtare gladium cultrumve hoſtium aut ferarum ergo; & ob id dubium nullum Iſaaco de cultro oriebatur.* Cum ligna impoſuiſſet Iſaaco Abrahamus, ſeceſpitam autem & ignem ſolus portaret, quæſtio enata, qua de cauſa onus hoc non fuerit Abrahamum inter & Iſaacum æqualiter diviſum? Reponit vero *R. Iſaac ben Arama* iſi Akedas Iizchack f. LII. col. III. & LIII. col. II. הספק הה׳ בשומו עצי העולה על יצחק בנו ולוקחו בידו את האש ואת המאכלה מהראוי שהיה לו לחלוק המשא בשוה ויקח אברהם את עצי העולה מעל החמור וישם על יצחק בנו להעמיסו בהם שמא יברח כשירגיש ויתכן שחזק עליו המשא בקשר אמיץ ויקח בידו את האש ואת המאכלת לשמור האש שלא תכבה והסכין שלא תפגם וכל זה מרוב אונים: *Dubium Utum: Quare* (Abrahamus) *impoſuerit ligna holocauſti Iſaaco filio ſuo, inque manu ſua geſtarit ignem cultrumque cum æquius videretur, dividi hæc in portiones æquales? Reſp. Accepit Abrahamus ligna holocauſti de Aſino, impoſuit Iſaac filio ſuo, oneravitque eum, ne fugeret, cum rem ſentiret. Æquum etiam erat, ut ei durius & gravius incumberet onus, hinc accepit ignem & cultrum; ignem ne exſtingueretur, cultrum, ne fiſſuras contraheret, idque ex mœrore intenſiſſimo.* Seceſpitam hanc cum paratam haberet Abrahamus cumque Iſaaco ad montem Moria tenderet, tandem vero elapſo triduo in monte Iſaacum ligaret, ſtrictam mactantium & victimariorum more evaginabat Abrahamus ſeceſpitam. *Bereſchis Rabba* f. LXIII. col. I. א״ר יצחק בשעה שבקש אברהם לעקוד יצחק בנו אמר לו אבא בחור אני והוששני שמא יזרעזע גופי מפחדה של סכין ואצערך ושמא תפסל השחיטה ולא תעלה לך לקרבן אלא כפתני יפה מיד ויעקוד את יצחק וישלח אברהם את ידו הוא שולח יד ליטול אם הסכין ועיניו מורידות דמעות ונופלות דמעות לעיניו של יצחק מרחמנותו של אבא: *Dixit R. Iſaac, cum Abrahamus anniteretur ligare filium ſuum, dixit Iſaacus: Pater mi, juvenis ſum, anxius ſum, ne qua commoveatur corpus meum ob cultri tremorem anguſtia te afficiam; & ſic irrita reddatur mactatio, tuque voto oblationis excidas. Alligato ergo me probe; E veſtigio ligavit Iaacum. Et extendit Abrahamus manum ſuam extracturus cultrum; oculi autem ejus madebant lacrymis in Iſaacum decidentibus, ob impenſum, quo in eum Pater ferebatur amorem.* Non inanis vero eſt conjectura, quam hic inſpergunt Judæi, manu ſiniſtra collo inſcii de intentione Patris Iſaaci admota, Abrahamum dextra ſeceſpitam e vagina extraxiſſe. Ita conjicit *R. Iſaac Abarbanel* in Peruſch al Hattora fol. LXII. col. III. כאשר שלח אברהם את ידו אל המאכלת לשחוט את בנו ר״ל ששם ידו השמאלית על צואר יצחק להכין הסימנים לשחיטה בדרך שוחטי הבהמות וישלח ידו הימנית לקחת את המאכלת לשוחטו אז הרגיש יצחק בכוונת אביו באמת ומפני זה נתיחס פעל העקידה כלו לאברהם לא ליצחק: *Cum extenderet Abrahamus manum ſuam ad cultrum, mactaturus filium ſuum; hoc eſt poſtquam impoſuiſſet lævam collo Iſaaci, aptaturus indicia mactationis, more mactantibus pecudes ſueto, extendiſſetque dextram extra*ctu-

ctурus e vagina secespitam mactandi causa tunc Patris sui mentem sensit Isaacus ; indeque totum ligationis negotium Abrahamo adscribitur non Isaaco .

XVIII. Sed vocant nos Judæi', ut in hac Abrahami secespita rem omni ævo stupendam admiremur. Ferunt enim angelos non solum pro Isaaco intercessisse coram throno gloriæ divinæ ,' prout referunt in *Sepher Hajaschar* fol. XXI. col. I. sed & strictum Abrahami cultrum lacrymis demissis irrigasse, eidemque crenas fissurasque induxisse, sicque cultrum victimæ reddidisse ineptum : Vix aptius hæc quam ex ore Judæorum haurire licebit. Ita vero illi in *Bereschis Rabba* fol. LXIII. col. I. ויאמר אל תשלח ידך וסכין היכן היה נשרו שלש דמעות ממלאכי השרת ושחת הסכין אמר לו אחנקנו אמר לו אל תשלח ידך אל הנער אמר לו אוציא ממנו טפת דם אמרו לו אל תעש לו מאומה אל תעש לו מומה: *Et dixit ne extendas manum tuam . Culter vero Abrahæ qualis fuit ? Destillarunt tres lacrimæ ab angelis ministrantibus , & culter victimæ ineptus redditus est . Dixit ergo Abrahamus :* (cum cultro nequeam, manu) *spiritus vitales ei intercludam . Respondit Deus ne immittas manum tuam in puerum. Dixit Deo Abrahamus* (cum manum extendere fas non sit) *eliciam ex eo unicam sanguinis guttulam . Responsum tulit : ne facias ei quicquam* מאומה *Q. D. ne infligas ei* מומה *maculam .* Conf. *R. Tobias Hallevi* in Sepher Chen Tobh f. LVII. col. III. & *R. Salomo* Comm. in h. l. Verum commento hæc similiora videntur, quam vere gestis, neque ex scriptura satis colligi potest hujus afferti veritas, quæ hoc solum vult , Deum , dum Isaaco ne quicquam mali inferri præcepit eo majori cum severitate necem Isaaco ab Abrahamo inferri vetuisse. Omni nisu tamen Judæi Medraschicorum suorum pronunciata cum veri regula componere gestiunt pluribusque ea exponit *R. Samuel Japhe* in Jephe Toar fol. CCCXXXV. col. I. II. Et in hanc veterum traditionem digitum intendit *R. Isaac Abarbanel* in Peruſch al Hattora fol. LXII. col. IV. Præterea mirum visum est ,' cur non duarum sed trium lacrymarum angelicarum injiciatur mentio a Judæis . Solvit dubium hoc *R. Sam. Japhe* in Jephe fol. CCCXXXV. col. II. ג' דמעות כי אלו היתה פגימה א' או ב' היה אפשר לשחוט בנשאר ממנו שלם או מספר הג' לשון רבוי כמו שישמש מספר זה לפעמים: *Tres lacrymæ memorantur ,* (quarum unaquæque fissuram secespiræ induxit) *si enim una aut duæ fuissent in cultro fissura potuisset residuo cultri perfici mactatio ; aut dici potest , numerum ternarium indicare pluralitatem , sicuti numerus hic ut plurimum ita usurpari suevit .* At nec hic omnes superatos crediderint Judæi mæandros, quin duo moveant Judæi hanc fictionem defensuri . Quærunt (1) Qui fieri potuerit , ut culter lacrymis aspersis reddi potuerit mactationi ineptus ? Intercedit vero hic *R. Samuel Japhe* loc. cit. col. II. ita scribens : אין מטבע הדמעה לפגום הסכין ויראה שהכוונה בדמעה כנוי אל הצער אצלם ויראה שלהצטערם בדבר הזה סבבו לשיפגם הסכין אולי ביני ביני יראה ה' ורע בעיניו ואינם בזה משנים הכוונה האלהית כי בזה הם במבקשי פני' יתברך לבטל הגזרה ואולי אחר ששולח המלאך להשיב אחור אברהם מהמעשה הנה המלאכים לרוב רחמיהם על יצחק מהרו לפגום הסכין פן ימהר יחישה מעשהו ולפי של שנ' במעות במספר ג' בחינות צערם אם מפאת אברהם ואם מפאת יצחק ואם מפאת שרה: *Lacrymis fissuræ cultro induci nequeunt. Videntur ergo lacrymæ innuere dolorem ipsorum , & angustiam , qua se ob rem hanc affectos ostenderent , & operam dederunt reddere cultrum fissura vitiatum ,' secum reputantes : Forte utrumque visurus est Dominus ; & malum ipsi videbitur . Neque in hoc mutarunt decretum divinum; licet essent similes Deum supplices rogantibus , ut irritum reddat decretum . Forte vero etiam postquam emisisset Angelum reducturum Abrahamum a proposito, angeli ob impensum amorem erga Isaacum concitato cursu fissuras induxerunt cultro , ne nimium acceleraret opus suum. Hinc dici potest , tres lacrymas exprimere tres anxietatis causas, ratione Abrahami, Isaaci & Saræ.* (2) Mirum visum Judæis, Angelis lacrymas adscribi , omnium judicio tam longe a lacrymis separatis, & ab omni materia alienis. Nihilominus mirari merito desines , si perpenderis , Deo ipsi lacrymas assignari, quarum duas Deum b. in mare demittere ajunt , dum destructionem templi Hierosolymitani intuetur in *Berachos* fol. LIX. Et quanquam hæc fabulis vulgo accenseantur , attamen sicut pleræque fabulæ Judaicæ sub cortice propositæ nucleum verum exhibent putamine fracto ; ita nec hanc historiam quoad literam accipiendam , verum de subtracto influxu prophetico in utraque templi destructione prolixo , ut amat , at eleganti filo exponit , Autor libri כפתור ופרח Basil. edit. 1581. f. XXX. col. I. II. Qnantum vero ad lacrymas Angelorum secespitam Abrahami corrumpentes accuratius multo-

to *Medraschicam* meditationem pleniusque enucleat Autor Libri מראות הצובאות f. XLVIII. col. IV. cujus verba cum sententiam Veterum in Bereschis Rabba exhauriant, ac commode satis explicent, illorum inprimis in gratiam, qui a Judæis sub ejusmodi historiis non nisi fabulas obtrudi putant, adducere placet. Ita vero ille. ראוי לשים לב איך הם דמעות המלאכים כי לא בשר המה ומה בכי נערוך למו ועו' איך ע"י כן נפגם הסכין ענין הדמע' האמור' בו ית או בשרפי קדש משוללו בשר הוא כי הנה גדר דמעה הוא הוציא לחוץ הוראת יגון הפנימי כי כן באדם הדמעה תורה יגון הלב ועל כן בעשות הוא ית' או מלאך הורא' לחוץ על מה שדואג עליו דמעה תקרא והוא כי הנה אמרו רז"ל כששלח אברהם את ידו לשחוט את בנו בכו מלאכי השרת כי בדאגת לבם הזכירו שלש זכיות זכות אברהם זכות שרה וזכות יצחק והנה בשלש זכיות שהזכירו הורו דאגת לבם שבפנים על כן יתייחסו לשלש דמעות שנדרן הוא הוראות דאגות שבפנים ועל כן ידי שלש זכיות אלו שהזכירו נשחת הסכין ולא יכול לשלוט ביצחק והוא מה שכתבנו מרז"ל שהשלי' הקב"ה הסכין ליצחק והנה בראות כן אברהם אמר החנקנו וגו' ואמר לו לבלתי ישחט לעולה על ידי ברזל על כן אמר אחנקנו כלומר אם קהה הברזל על קדושת יצחק בכל עבודת בית המקדש וכבנין המזבח הלא מאז צויתני ידעת כן ועם כל זה צוית להעלותו לעולה ועל כן אין ספק כי היתה הכוונה שיהי' על ידי כח קדוש ולא על ידי ברזל לכן אהנקנו אמר לו אל תשלח ידך אוציא ממנו דם ליחשב כשחוט אמר ליה ואל תעש לו מאומה: *Æquum est explorari, quomodo angelis lacrimæ adscribantur, cum nec carne gaudeant nec fletu? Deinde quo tandem pacto hinc fissuras contrahere potuerit culter? Resp. Quando Deus aut angeli sancti carne destituti lacrimas fundere perhibentur, lacrymæ non sunt nisi indicia interioris anxietatis, prout & in hominibus lacrymæ sunt indicia interioris angustiæ. Sic ergo, quando Deus B. aut angelus exterius prodit interiorem animi angustiam, lacrymare dicitur. Etenim perhibent Dd. nostri, cum extendisset Abrahamus manum suam mactaturus filium suum, flevisse angelos ministratorios. Et dum hoc premuntur angore in memoriam revocant sibi tria merita Abrahæ, Saræ, Isaaci; eoque ostendunt interiorem animi sui anxietatem; propterea adscribuntur tribus lacrymis tria indicia anxietatis interioris. Et per hanc meritorum memoriam vitiatus est culter, ne Isaacum jugulare posset; Et hoc est quod scripsimus e DD. nostris p. m. quod Deus B. removerit cultrum ab Isaaco. Cum autem cerneret hæc Abrahamus, dixit: fauces ei intercludam &c.*

XIX. Secespitam Abrahami excipit Machæra Petri, quæ servi Pontificalis aurem amputasse Petrum scriptores Sacri perhibent. Ita quippe Matthæus c. XXVI. 51. Καὶ ἰδὲ εἷς τῶν μετὰ Ἰησȣ̃, ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἀπέσπασε τὴν ΜΑΧΑΙΡΑΝ αὐτȣ̃. Καὶ πατάξας τὸν δȣ̃λον τȣ̃ Ἀρχιερέως ἀφεῖλεν αὐτȣ̃ τὸ ὠτίον. Marc. XIV. 47. Εἷς δέ τις τῶν παρεστηκότων σπασάμενος ΤΗΝ ΜΑΧΑΙΡΑΝ. Luc. XXII. 49. 50. quærunt discipuli: Κύριε, εἰ πατάξομεν ΕΝ ΜΑΧΑΙΡΑ. κ. λ. Joh. XVIII. 10. Σίμων ȣ̃ν Πέτρος ἔχων ΜΑΧΑΙΡΑΝ, εἵλκυσεν αὐτὴν καὶ ἔπαισε τὸν τȣ̃ Ἀρχιερέως δȣ̃λον. Εἶπεν ȣ̃ν ὁ Ἰησȣ̃ς τῷ Πέτρῳ. Βάλε τὴν μάχαιραν σȣ εἰς τὴν θήκην. Nimirum solide adstruere se posse opinati sunt quidam, Μάχαιραν Petri cultrum fuisse Paschalibus victimis adhibitum non vero, ut vulgo putant, gladium cædendis hominibus inservientem. Arrisisse hanc de cultro Petri sententiam ex antiquioribus videas *Chrysostomo* in c. XXVII. Matth. T. II. Opp. p. 616. Ἀλλὰ πόθεν ἦσαν ἐκεῖ μάχαιραι, ἀπὸ δείπνȣ ἦσαν καὶ τραπέζης ἐξεληλυθότες εἰκὸς ȣ̃ν καὶ μαχαίρας εἶναι ἐκεῖ διὰ τὸ ἀρνίον. *Unde autem Petrus habebat gladium? Nimirum a cœna atque mensa tunc jam exierant. Verisimile enim est, & cultros illic fuisse propter agnum* Consesitit *Theophylactus* inter alia in Joh. XVII. 10. ita commentatus: Εἰ δὲ ζητεῖς, πῶς ὁ κελευθεὶς μὴ πήραν ἔχειν μηδὲ δύο χιτῶνας μάχαιραν ἔχει; μάνθανε, ὅτι διὰ τὸ ἀρνίον ταύτης ἔχρῃζε καὶ ἐβάστασεν αὐτὴν καὶ μετὰ τὸ δεῖπνον ἢ καὶ δεδοικὼς τὴν ἐπίθεσιν παρεσκευάσατο πάλαι εἰς τȣ̃το. *Quodsi quæras, quomodo is, qui jussus est non portare peram, neque duas tunicas gladium haberet? Disce, quod portaverit illum in usum agni Paschalis etiam post cœnam, vel quod timens insidias olim in hoc se præparaverit.* Conf. eundem in Matth. XXVI. 51. fol. CLXII. & in Luc. XXII. 49. 50. f. 523. *Nicolaus de Lyra in* Matth. 26. 51. quidem de cultro paschali Μάχαιραν Petri exponit. *Habebant*, ait, *duos gladios ut habetur Luc.* XXII. *quos credo fuisse duos cultellos magnos, quibus usi fuerint in decisione agni paschalis*; At Comm. in Joh. XVIII. 10. Macheram Petri vel cultrum magnum fuisse, quo Apostoli piscatores in retibus cum paxillis affigendis, usi fuerint, vel cultrum secandis cibariis adhibitum, opinatur. Nec deesse videntur rationes, quæ non gladio sed cultro aut secespita armatum Petrum sistere videntur. (1) Enim non repugnat vox Μάχαιρα omnibus Evangelistis recepta cum te-

testibus Scriptor. Græcis Μάχαιρα non gladium tantum, sed & cultrum notet, quo sacerdotes uti sueverunt victimas jugulantes; Hinc Homerus victimarium Agamenonis cultrum μάχαιραν vocat & LXX. secespitam Abrahami hoc nomine insigniunt. Gen. XXII. *6.* (2) Quodsi Christus ne baculum quidem voluit discipulos portare Matth. X. *9.* *10.* Μὴ κτήσησθε χρυσὸν μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. Nonne Petrus Magistri sui neglexisse mandatum dicendus esset, si non baculum, sed gladium quoque lateri gestasset appensum? (3) Gladius nec piscationi Petri inserviebat, in qua nulla omnino gladii utilitas, nec in ornamentum cedebat Apostoli, cum multo magis Apostolum deceret ense spirituali quam armatura militari armari. (4) Maximum sententia de cultro robur ex eo accipit, quod secespitam hanc in hunc usque diem in cimeliis Patriarchalem Marci ecclesiam Venetiis exornantibus asservari testentur Historici fide digni, variaque memorent cultri hujus eaque insignia ornamenta ex argento confecta illique apposite inserta. Refert hoc *Aloysius Novarinus* L. X. Sched. Sacro-Prof. c. XXVIII. Imo *Vincentius Blancus* peculiari Tract. ejus figuram delineavit, hujusque cultri ornamenta fusiori stylo exposuit, & characterum significationem elucidavit. Magnitudinem & longitudinem ejus colliges ex sexta parte expressa a *Jac. Lydio* in Florum sparsione ad Hist. Pass. I. C. p. 52. Quanquam vero non omni conjectura destitutam experiamur illorum sententiam, qui propugnant, secespita usum Petrum, has tamen adductas rationes adeo non esse prægnantes, quin prægnantiores pro gladio moveri queant in contrarium nulli dubitamus; cum non solum plerique eo tendant vetustiores recentioresque Interpretes, sed & integra fere pro gladio militet Patrum reliquorum pugnet concio. Et quidem (1) inficias ire haud licet, vocem Μάχαιραν ob ambiguitatem suam multis controversiis inter Criticos ansam dedisse. Vetustior est illorum sententia qui cum *R. Eliefer* in Pirke c. XXXVIII. *Tanchuma* fol. XXIII. col. I. & *R. Salomone* statuunt, Jacobum violentiam Simeonis & Levi græca voce in Hebream inflexa מכרותיהם Gen. XIX. 5. detestatum esse, & Græce quasi loquentem μάχαιρας αὐτῶν dixisse. Hæc enim dudum *Barth. Mayerus* in Phil. S. p. 167. *Guilh. Henr. Vorstius* in Animadvers. ad Pirke Eliefer p. 222. & *D. Aug. Pfeifferus* in Dub. Vex. Cent. I. Loc. LXXIX. T. I. Opp. p. 105. abunde jugularunt. Recentiori ævo novam disquirendi materiam Μάχαιρας vox suppeditavit Claudio Salmasio & Dan. Heinsio. Cum enim λογχὴν Lanceam latus Domini referantem Nonnus paraphrasi in Joh. XIX. 34. Μάχαιραν salutasset, *Daniel Heinsius* vero c. XV. Aristarchi S. p. *954.* nimium propterea Nonnum traduxisset, cum novacula aut ense breviori Domini latus in cruce suspensi referare non potuisset Centurio; Salse ei reposuit *Claud. Salmasius* de Cruce ad Thom. Bartholinum p. 335. evincens, Μάχαιραν Nonno dici ferrum hastæ latum & planum, utrinque more machæræ acutum, & plenius ei acerbe tamen vocis hujus exposuit emphasin, Conf. & *Thom. Bartholinus* de latere C. aperto c. VI. p. 57. seq. Semotis his Criticorum eruditorum controversiis, hoc tamen ab ipsis extra dubium fere positum est Μάχαιραν non gladium tantum sed & cultrum notare ac secespitam. Et LXX. quidem voce hac modo pro מאכלת Genes. XXII. *6.* modo pro כרזל. Esa. X. 34. modo pro חנית 2. Chron. XXIII. *9.* modo pro חרב Lev. XXVI. 8. utuntur. E Scriptoribus Græcis producitur ab Heinsio Arist. S. c. XIII. p. 395. Homerus Agamemnonis secespitam Μάχαιραν appellans, cui jungendus *Athenæus* L. XIV. Deipnos. fol. *648.* Clearchum Solensem in Lib. περὶ γρίφων adducens, Μάχαιραν utensilibus accensentem. σκεύη κελεύοντα λέγειν ὅμοια εἰπεῖν, τρίπους, χύτρα, λυχνεῖον, ἀκταία, βάθρον, σπόγγος, λέβης, σκαφεῖον, ὅλμος, λήκυθος, σπυρὶς, Μ\ΧΑΙΡΑ, τρυβλίον, κρατὴρ, ῥαφίς. *Jussus aliquis utensilia similia nominare hæc dixit: Tripus, olla, lucerna, actæa, scamnum, spongia, lebes, lasanum, trulla, ollaria, sporta, Culter, catinus, calix, acus.* Et plura ex Platone, Aristophane, Plutarcho, & Polybio in medium protrahit *Henr. Stephanus* T. II. Thes. L. Gr. f. DCCCXII. *Hesychius* in voce Μάχαιρα, *Joh. Meursius* Gloss. Græc. Barb. p. 336. *Jul. Pollux* Lib. VI. Onomast. cap. XIII. Lib. X. cap. XXIII. & XXXI. & *Carolus du Fresne* in Gloss. Med. & Inf. Græc. T. I. p. 892. Quo ipso patet, ex sola μαχαίρας voce pro gladio, nec pro secespita invictam inferri posse decisionem, sed videndum potius esse, quamnam præferendam suadeat contextus. Quam facilis enim hic lapsus sit, alio nos edocuit exemplo *Dan. Heinsius* Exerc. Sacr. p. 129. 130. dum explicat quid μάχαιραι sibi velint, quibus arma-

ti

ti Christum in horto accesserint milites Marc. XIV. 43. & concludit, *gladiolos fuisse, aut pugiones femori alligatos*, cum μάχαιρα nonnunquam Græcis sica sit. Risum vero extorsit Salmasio Ep. CIX. *Quasi* inquit, *illi venerint cum fustibus & brevibus gladiolis, & non cum gladiis & machæris longis potius?* Vid. *Anton. Bynæus* L. II. de Morte Christ. c. III. §. VIII. p. 165. quin cum μάχαιρα sæpius usurpetur de gladio quam de cultro, ceu usitatiorem servandam facile inferre licet, & gladio militari armatum fuisse Petrum; quod ipsum etiam mandatum Christi non de novo agno paschali mactando sed periculo machæra depellendo soliciti innuit, nec obscure colligi idem posse ex Luc. XXII. 36. 38. 49. putat *Jac. Lydius* in Sparf. florum. p. 55. Non obstat: gladium cum addito alibi vocari μάχαιραν μεγάλην, ut Apoc. VI. 4. ita vero gladium Petri non dici; Quis enim negaret, μάχαιραν Rom. XIII. 4. Magistratui a Deo insinuatam non cultrum esse sed gladium, quamvis μάχαιρα μεγάλη non nuncupetur? Nec (2) mandatum Christi discipulis suis baculum gestare interdicentis quicquam roboris si speciem externam excipias, habere videtur. Opponi enim ei potest Luc. XXII. 36. 38. ubi Christus gladium pro veste emendum monet, Petrusque confitetur, duos adesse gladios. Et quamvis duo hæc commata fronte adversa primo intuitu secum pugnare videantur, contradictio tamen hæc ab aliis felici marte soluta est. (3) Lubentes largimur, nec arti piscatoriæ nec Apostolico gladium inserviisse muneri, nec forte Petrum gladios illos sub scamno abditos cumque ferrugine certantes obtusosque ei in domo epuli Paschalis invenisse, eosque Christo obtulisse. Genuina causa ob quam gladio armatus incedebat Petrus, erat turbata viarum securitas, ac publica ferarum hominumque latrocinia, qualia fata Jerichunte tendens versus Hierosolymam & semimortuus a latronibus relictus experiebatur Luc. x. 30. Latrocinia enim in populo Judaico non fuisse inusitata, refert *Josephus* L. XX. Antiq. Jud. c. VI. adeo, ut ob hanc latrocinandi insaniam Essenos, ob sanctitatem vitæ præ reliquis celebres διὰ τὺς λῃστὰς ἐνόπλυς *ob latrones gladio armatos* processisse memoret L. II. de B. I. cap. VII. Conf. *Cyrillus Alex.* L. XI. Comm. in Joh. T. IV. Opp. p. 10. 18. & *Hugo Grotius* in Luc. XXII. 38. Quin si Galilæus erat Petrus, bellatrix Galilæorum indoles gladium Petri lateri adstringebat, cum idem *Josephus* L. III. de B. I. c. II. p. 833. Galilæos nationem pugnacem vocet ab infantia. Μάχιμοί τε γὰρ ἐκ νηπίων καὶ πολλοὶ πάντοτε Γαλιλαῖοι, καὶ ὔτε δειλία ποτὲ τὺς ἄνδρας, ὔτε λειπανδρία τὴν χώραν κατέσχεν. Ad (4) facilis est responsio, non omnia Romæ Venetiisque sanctissima licet fide asservata genuinam sapere antiquitatem. Baculum S. Pauli cui innixus Romam ingressus fuerit, Romæ in templo Pauli se vidisse, singulisque annis Festo Conversionis Pauli omnium exponi oculis memorat *Cornelius a Lapide* in Esa. LII. 7. p. 428. sed gestasse baculum Paulum evinci non posse a Cornelio, nec Romæ integrum servari, cum alios particulam saltem baculi Paulini Romæ ostendi confiteantur, ostendit *Georg. Weissius* disp. de pedibus Evangel. c. I. §. XXX. Notum etiam abunde est, quantum ejusmodi reliquiis tribuendum sit, cum dentes S. Apolloniæ jussu Edvvardi Regis Angliæ e toto Imperio coacervatæ aliquot magnas tonnas adimpleverint. Conf. *D. Joh. Geardus* Conf. Cathol. Lib. II. P. II. Art. V. c. III. p. 1035. Videant inanes hi reliquiarum ærufcatores, ne & in cultro Petri nubem captent pro Junone, nec se porro deridendos præbeant viris eruditis satis ostendentibus, Reliquias ab ipsis jactatas commenta, & spuriæ antiquitatis esse rudera. Vid. *Gisb. Voetius* disp. de SS. Chimæricis T. III. Select. disp. p. 510. & 1002. D. *I. A Scherzerus* in Antibellarm. Disp. VIII. p. 457. D. *Georg. Heinr. Gotzius* de Reliq. Patriarch. §. III. seqq. D. *Joh. Andr. Schmdius* in Hist. Sec. I. Fabul. p. 9. & *M. Paul. Christ. Hilscherus* de reliquiis Adami, insertus a *D. Joh. Alb. Fabricio*, Cod. Pseudep. V. T. p. 63. & p. 93. Nec est, ut hæc Petri fuisse dicant, & Romæ majori cum studio asservari potuisse profiteantur. Etenim nec omnia pro Petri reliquiis venditata Petri unquam fuisse certissimi sumus. Catenas Petri Romæ servatas catenis tenebrarum manciparunt & Cathedram Petri a *Baronio* ad A. C. XLV. n. II. tantis exstructam elogiis dudum destruxerunt eruditi. Conf. *D. Joach. Hildedebrandus* de diebus festis p. 62. 63. D. *Christ. Kortholtus* Disquif. Anti-Baron. VIII. §. XIX. seqq. de Barba Petri, multa patrante in pago Parisiaco miracula suaviter nugari Baronium animadvertit idem *Kortholtus* Hist. Eccles. Sec. X. Sect. II. c. I. §. V. Scilicet quis crederet, Petrum cultro tam magnifico ad pompamque parato usum, qui a Vincentio Blanco integro erat illustrandus

Com-

Commentario? ſane tantam pompam & ſeculi illius reſpuit ſimplicitas, & manubrii ornatum characterеſque impreſſos poſt Apoſtolorum tempora adjectos ſagacibus antiquitatum indagatoribus exploratum videtur. Vid. *Jac. Lydius* in Sparſ. florum ad Hiſt. Paſſ. C. p. 55. Tandem ſi cultri Petrini defenſoribus ex cultro Romæ aſſervato concludere licet, μάχαιραν Petri cultrum fuiſſe aut ſeceſpitam; pari jure nobis pro gladio Petri pugnantibus ad gladium Petri Pariſiis aſſervatum provocare liceat, & hinc gladio armatum Petrum demonſtrare. Facile ex his apparet, illis potius accedendum, qui gladium Petro adjudicant, non cultrum aut ſeceſpitam, aut ad minimum dicendum, cultrum fuiſſe μάχαιραν Petri rationes non perſuadere hactenus allatas. Conf. *Ant. Bynæus* L. II. de morte I. C. c. III. §. XXV. p. 183. 184. & *D. Joh. Fecthius* diſp. de Petro gladio accincto Roſtoch. A. MDCCVI. ed. §. XV. p. 24. 25.

XX. Majori vero jure de ſeceſpita, quam quidem communiter hactenus factum ab Interpretibus, exponenda putamus illa Apoſtoli Rom. VIII. 35. Τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ χριστοῦ; Θλίψις ἢ στενοχωρία, ἢ διωγμὸς ἢ λιμὸς, ἢ γυμνότης, ἢ κίνδυνος, ἢ ΜΑΧΑΙΡΑ. *Quis nos ſeparabit ab amore Chriſti? Numquid Tribulatio aut anguſtia? numquid perſecutio, aut fames? numquid nuditas, aut periculum, aut Machæra?* Per ΜΑΧΑΙΡΑΝ quid velit Paulus inquirendum? Non deſunt, qui gladium volunt. Ita Luth.: *oder Schvverdt* nec non Syrus & Vulg. *Hugo Grotius* Obſervat. in h. l. & *Philipp. a Limborch* Comm. in Epiſt. ad Rom. p. 389. gladium hunc expoſituri, mortem cruentam gladio civilis poteſtatis illatam intelligunt, ut Rom. XIII. 4. Quamvis enim nondum ad mortem Romæ in Chriſtianos ſævitia ſua proceſſiſſent Græci, attamen cum Johannes Matth. XIV. 10. & Jacobus in Judæa Act. XII. 2. gladio eſſent interfecti, augurari poterat Paulus, idem & reliquis Chriſtianis obvenire poſſe. Senſu tamen ſtyli Apoſtolici intimius perſpecto non immerito adſtruimus, Apoſtolum per μάχαιραν alludere ad ſeceſpitas cultroſque ſacrificales. Nam (1) Μάχαιρα cultrum ſacrificalem ſeu ſeceſpitam notat extra controverſiam. Parum enim exaſciata eſt obſervatio *Eduardi Leigh* in Crit. S. N. T. p. 203. μάχαιραν nuſpiam in N. T. aliter quam pro gladio uſurpari ſtatuentis; intercedit enim pro nobis præter hunc noſtrum locus Hebr. IV. 12. λόγος Θεοῦ τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον, *Verbum Dei quavis ſeceſpita ancipiti ſecantius eſt.* Debemus hanc expoſitionem *Joh. Braunio* in Com. ad Ebr. IV. 12. Conf. *Gisb. Cuperus* L. I. Obſerv. Sacr. c. XII. p. 85. ſeqq. (2) Maximum ſententiæ noſtræ de ſeceſpita conciliat robur συναφεία. Paulus quipe v. 36. ſubjungit dictum Pſalm. XLIV. 23. Καθὼς γέγραπται. ὅτι ἕνεκά σου θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς Numquid vero victimæ ovium jugulabantur gladio? Nonne ſeceſpitis eas mactatas eſſe comprobat antiquitas? Unde cum fideles ſiſtat nobis velut πρόβατα σφαγῆς ſeu oves victimales ad aram ductas Apoſtolus, victimarios reſpicit cultros iiſque ſe ſuoſque mactatum iri prædicit, velut oves victimales ad aram ductas. His accedit (3) Apoſtolum non nominare ſe omneſque horrendæ perſecutioni ſubjectos πρόβατα θυσίας ſed προβατα ΣΦΑΓΗΣ. Obſervante enim *Dionyſio Halicarnaſſeo* L. VII. Antiq. Rom. in ſacrificiis θύειν eſt enecare ſeu occidere ſacrificia, acta in tempora victimæ vecte, at cadentem victimam ſuppoſitis cultris (σφάγια appellarunt eos Veteres) excipere σφαγὴν vocat, quam ſecuta ſit excoriatio; Vid. *Joh. Guilh. Stukius* de Sacrif. Gentil. p. 108. (4) Suppetias fert noſtræ ſententiæ Textus Hbræus Pſal. XLIV. 23. ab Apoſtolo citatus כי עליך הורגנו כל היום נחשבנו כצאן טבחה *Tui cauſa occidimur quotidie, reputati ſicut grex mactationis.* Nimirum Hebræis טבח eſt mactare, victimas hoſtiaſque jugulare, & coincincidit cum voce זבח prout edocet *R. Dan. Kimchi* in Seph. Schoraſchim f. CLXXXIV. Tandem (5) ſi vetuſtiorum Delphorum ritus Pauli tempore inſueti non fuerunt, quibus mos erat eodem, quo victimas mactabant, cultro ſupplicium ſumere de nocentibus prout referunt *Alexander ab Alex.* Lib. IV. Genial. Dier. c. XVI. *Lilius Greg. Gyraldus* Syntagm. XVII. de Diis Gentil. p. 724. *Joh. Saubertus* de Sacrificiis c. XIX. p. 469. diceremus Paulum ampliorem anſam nactum ad ſeceſpitas Veterum alludendi, cum & in templo ſacrificia & fideles velut ſacrificia iiſdem mactari noſſet ſeceſpitis. Et hæc de Cultris Circumciſoriis ac Seceſpitis Hebræorum dicta ſufficiant, cum totam DE CULTRIS HEBRÆORUM materiam unius includere diſſertationis terminis, nimis diffuſam nobis ſapere videretur prolixitatem. Patriendis nobis labor erat, ac culter Hebræorum mactatorius, culter cibariis aptus, culter angeli Mortis &c. una cum reliquis Quæ-

Tal-

ſtionibus Judæorum ad loca complura Talmudis expendenda commodiori, ſi Deo viſum fuerit, reſervandi erant tempori. Opportune memores interea ſumus Judæorum proverbii, de verbis per ſegmenta diviſis uſitati in *Halicos Olam* c. III f. CXCII. כבינא חריפה מסקינהו לקראי quod Cl. Conſtant. L'Empereur ita expreſſit: *Culter acutus diſſecat paragraphos*.

HERM. BERNH. GEDÆI
DISSERTATIO
DE
INSTRUMENTO CIRCUMCISIONIS
A ZIPPORA, ET JOSUA ADHIBITO.

PROOEMIUM.

NIhil fere eſt, quod, licet ſuum cuique placeat, varietate non delectetur. Μονῳδία enim (aſſerente Plutarco in Libello de inſtitutione puerorum) ἐν ἅπασιν, ἐστι πλήσμιόν τε καὶ πρόσαντες, ἡ δὲ ποικιλία τέρπνον. Hinc & ſummum apud Romanos Oratorem Ciceronem *ſimilitudinem Matrem ſatietatis* agnoviſſe legimus (lib. I. de Invent. Cap. XLII. Et certe naturam ipſam intentis ſi contemplemur oculis, gratam & iſta ſibi eſſe viciſſitudinem in operibus ſuis oſtendit. *Annus temporum Pater* (*Caſſiodoro Lib. II. Epiſt. III. dicente*) *quadrifaria ſe diverſitate componit, nec deſiderium caperet, ſi novitatis gratiam non haberet*. Nobis quoque amicam ſuavitatem temporum varietates afferunt atque

Vicibus variis alternis volvimur annis,
Et mutata magis tempora grata nobis.

canente Cornelio Gallo Eleg. IV. ſic ager diverſis mutatiſque ſeminibus cultus novam quaſi voluptatem capit ad uberes proferendos fructus, noſque varietate eorum, quos progerminare jubet, recreat atque reficit. Ac ut cætera, quæ longa ſerie ex univerſo orbe recenſeri poſſent, ſicco prætereamus pede, eos tantum huc referre placet, quibus literæ arteſque curæ ſunt, quique iis ſe totos dederunt. Hi dum indefeſſo ſtudio atque labore id, in quo ſibi deſudandum per vitæ tempus propoſuerunt, nocturnaque manu verſant, verſantque diurna, iſtius tamen tandem faſtidio capti, aliud quaſi agendo animum recreare honeſteque feriari monentur. Otia inde literaria ſatis cognita maxima ex parte originem traxerunt, in quibus curis atque laboribus ſuetis ſoluti imo vero alieni ab iiſdem, ubi animus ex labore ac curis reficiatur, tractare, ſicque nonnihil nobis horularum ad obeunda, quæ memoravimus, otia ſuccidere diſcimus. Et licet *nulla laſſitudo* (communi ut ajunt proverbio) *officium fidemque impedire debeat*, honeſtam tamen ab unis iiſdemque negotiis ceſſationem delectationemque ex varietate hauriendam eo minime prohiberi exiſtimamus. Ipſæ ſacræ Literæ, quæ regulas vitæ, quæ morum præcepta tradunt, queis ad æternam ſalutem homines in hac miſeria viatores conſtituti ducantur, varietate delectant, lectoriſque animum inſperſione variarum rerum recreant, ejuſdemque ita ſatietati occurrunt, neque hoc in Theologicis ſolum ſed & in Philoſophicis. Logica hinc varias haurit Concluſiones arguroſque argumentandi nervos. Ethica virtutum, quæ ſerio ac ſæpiſſime urgentur, exercitum ibi deprehendit. Phyſicus variam & admirandam rerum naturalium ſtructuram ex iis obſervat; Aſtronomus de cœli ſtellarumque motu ex hoc ſaluberrimo ſanctiſſimoque volumine diſſerere, rationeſque varias inde petere poteſt. Maxime vero Philologia varia hic invenit, in quibus vires ſuas exercete poteſt.

teſt. E quorum largiſſima ſegete nobis hac vice ſeligere viſum fuit Thema quoddam Philologicum de Inſtrumento Circumciſionis a Zippora & Joſua adhibito (ex Exod. IV. & Joſ. V. cum in his imprimis locis ejus mentio fiat) quod placido Eruditorum Examini ſubjiciamus. Quod ſi vero minus accurate B. Lector Thema hoc noſtrum pertractatum deprehenderit, partim librorum inopia, qui ad Thema noſtrum excutiendum requirerentur, partim ingenii noſtri imbecillitate, quod argumento huic accurate enodando impar adhuc eſt, id ipſum factum eſſe ſibi perſuadeat. Interim tamen eundem etiam rogatum volumus, ut has, qualeſcunque cernit, lineolas rudi admodum Minerva elaboratas non totas rejicere, ſed favore ſuo decus huic fœtui addere benevole velit.

Ne vero ἀμεθόδως Thema noſtrum tractare videamur, Theſes noſtras tribus includemus ſectionibus, quarum prima vocis צור, quæ in Textu ſacro habetur, & per quam in locis dictis Inſtrumentum Circumciſionis a Zippora & Joſua uſurpatum deſcribitur, primam propriam & formalem ſignificationem exponet, ſecunda noſtram de Inſtrumento Circumciſionis e Textu Sacro allegato ſententiam aperiet; tertia vero tale Inſtrumentum, quo Zippora & Joſua uſi fuerunt, in Circumciſione non ſemper neceſſario adhiberi debuiſſe, ſed Judæis hac in hac re libertatem fuiſſe conceſſam oſtendet. Faxit Deus itaque felicitet!

SECTIO PRIMA.

De prima propria ac formali vocis צור *ſignificatione.*

I. VArias varia nomina in ſinu ſuo fovere ſolent ſignificationes, quarum tamen prima & princeps ea ſemper creditur, quæ maxime propria ac communi uſu approbata, ſic ut Celſo judice) *non ex opinionibus ſingulorum ſed ex communi uſu nomina exaudienda ſint*. Haud inepte ergo Plutarchum (*de Iſide & Oſiride*) monere exiſtimamus, ubi diſſerit: Ἄριστα λέγεται παρὰ τοῖς φιλοσόφοις, τὸ τοὺς μὴ μανθάνοντας ὀρθῶς ἀκούειν ὀνομάτων, κακῶς χρῆσθαι τοῖς πράγμασιν. Noſtro enim hoc tempore ſæpiſſime uſu venire videmus ut ii, qui propriam vocum emphaſin negligunt, ac ad alienam deflectunt, de re ipſa judicium minus æquum ferant. Quare ne nos quoque in enodanda ſententia vera a dextra ad ſiniſtram abeamus viam, ante de prima τȣ̃ צור ſignificatione, quam rem ipſam aggrediamur, diſpiciendum erit, quo opinio noſtra ad veritatem poſtea propius accedat.

II. Dum vero promiſſis noſtris ſtare, lectoriſque deſideriis ſatisfacere laboramus, prima ſtatim fronte negligendum exiſtimamus Samuelis Bohlii Profeſſoris olim Roſtochienſis aſſertum, qui Deum ſpiritualem eſſe probaturus, עינים, אזנים, אצבע, ידים, אף, & ſimilia, quæ Deo in Scripturis tribuuntur, ipſi πρώτως ſive primario, creaturis vero δευτέρως ſive analogice competere contendit, ita quidem, ut cujuſque vocis ſignificationem e Radice ſua, a qua oritur, fluere, atque per עינים non oculos ſed adhabitationem, adeſſentiam, per אזנים non aures ſed attentionem, & ſic in reliquis innui affirmet, & hac ratione proprie aliud qui vocabula in ſenſu ſuo repræſentare, quam communis loquendi uſus tradat. Quam ſententiam perſpicue B. D. Danhauerus in Hodoſ. p. 207. proponit, judicioque ſuo annexo omnem ei vim reſecare videtur, cujus verba, ut de ea pluribus conſtare poſſit, huc apponere lubet: *Explodenda*, ait, *hic opinio muſtea Samuelis Bohlii, qui per abſtractionem Grammaticæ potius alluſionis quam derivationis contendit obtinere, nomina membrorum de* Deo *proprie accipi, exempli gratia*, τὸ עין *exiſtimat formaliter ſignificare adhabitationem, ac in* Deo *nihil aliud, quam præſentiam* Dei, *item* צרוע *primo notare robur ſeu exertorium roboris*: אף *primo ſignificare animadverſionem*, אצבע *Spiritum S. notare quæ omnia ut* Deo *indigna non ſint, ita proprie de eo dici; ſic ille in Tractatu de iis, quæ proprie imo propriiſſime competunt p. 3. 20. 22. Confundit ſcilicet abſtractiones Grammaticas cum Logicis, & vocis originem Grammaticam cum uſu recepto. Sane ut animal (origine Grammatica) omne id eſt, quod animam habet, etiam planta; ita uſu, quem penes & vis eſt, & norma loquendi, obtinuit ſolum illud animal dici, quod ſenſum habet.* Hæc Danhauerus. Hanc formationem ſi indueret noſtrum τὸ צור, prima certe ejus

ejus acceptio petenda foret a Radice צור, a qua derivatur, quæ exponitur per coarctare, comprimere, atque sic determinare posset tale quid, ubi corpus comprimitur. Et eo tendere videtur Piscator (referente Gerh. LL. Theol. Tom. IV. Loc. de Circumcis. §. 12. p. 197.) qui vocem Hebræam צור *videri primo significare aciem, deinde petram sive rupem per Metonymiam Adjuncti* statuit. *Nam acumen est*, inquit, *ubi corpus in angustum abit*. צור *autem verbum est angustare, & sic gladiolus aciei phrasi Hebræa idem est quod gladiolus acutus*. Verum Piscator hæc pronuncians, quo se vertat, ipse nescit, animoque suo id, quod edisserit, videri, sicque eum in ambiguo adhuc hærere fatetur: Nullo ergo fundamento dicta ejus inniti apparet. Dein temere perhibet, a צור derivandam esse τῦ צור interpretationem, qui tamen modus scrutandi proprium nominis sensum adhuc obscurus est, neque quemquam facile fore existimamus, qui eidem subscriberet. Et ponamus, suam his jam constare veritatem, eo tamen nondum iste solvetur nodus, undenam sensus Scripturæ Veteris Testamenti petendus sit? omnes enim voces Hebrææ linguæ si suas proprias significationes formaliter Radicibus suis a quibus descendunt, deberent, quæ quæso tenebræ offunderentur splendori sensus Sacri Codicis? Nonne perverse pleraque explicanda forent, si a communi usu loquendi recederetur, & quisque alieno modulo ac pede ea metiretur? Tandem, si & nostræ vocis צור significatio proficisceretur a Radice צור, ob eandem rationem, vi cujus per aciem explicatur, lapidem indicare posset. Nonne petra quoque sive lapis pariter est tale quid, ubi corpus in angustum abit? (dantur enim lapides instar ferri, chalybis aut aciei secantes, quos infra suis locis notabimus) Speciem itaque suam huic nos opinioni relinquimus, nullam autem ex his rationem nos movere sentimus, ut persuasum habeamus, τὸ צור Radici suæ se submittere, sensumque, eidem soli acceptum ferre debere.

His itaque missis reliquas improprias significationes ad unum omnes, quæ maxime a scopo nostro alienæ quasque Spiritus S. in Verbo suo expressit, & nobis notandas reliquit, deferendas esse, quando scilicet τὸ צור partim de arcibus munitis, ubi petræ dantur inexpugnabiles ob soliditatem, altitudinem, dejectus & præcipitia, difficilemque aditum, partim de Deo, apud quem tutissimum nobis perfugium, certissimum præsidium ac invictissimum auxilium paratum est, usurpatur, (de quibus Flacius in Clavi scripturæ sub vocibus petræ, lapidis) & istum vocis sensum, qui a proprietate & communi usu loquendi minime est diversus, advertendum esse censemus.

IV. Hunc ex ipso sacro fonte ejusque Interpretibus haurire licebit, quorum tantum non omnes unanimi consensu perhibent, τὸ צור proprie ac primario inferre lapidem, petram, rupem, a quo sensu formali improprias acceptiones derivari sibi persuadent: Hinc Luth. in Versione sua Germanica toties fere, quoties hanc vocem in Hebræo Codice observavit, per Felsen / Stein / & similia, exposuit, licet interdum in Commentationibus & Explicationibus suis alia via incedere, sensumque alium exhibere visum ipsi fuerit: Inprimis facem huic asserto accendere videtur Dei denominatio, cum κατ' ἐξοχὴν τὸ צור appellatur. Jam vero nobis non monentibus constabit, Summum Numen minus proprie ita dici, sed hoc prædicato insigniri ob robur, fortitudinem, præsidium, quod omnibus hominibus, inprimis vero fidelibus suis miseria ac calamitatibus pressis præstat, inde ergo concludi necesse est, quod significatio petræ, quæ Deo tantum analogice tribuitur, τῷ צור proprie ac formaliter competat, cum improprius loquendi usus proprietati vocis se accommodare atque analogiam quandam cum ea habere debeat: Alias enim sermo confusus nec non ab omni eleganti dicendi genere alienus futurus esset.

V. Huic accedit, quod plurima loca, quæ e Scripturis, ubi nostrum צור expressum, petuntur, de petra, rupe, lapide explicari queant, sive sit sensus proprius sive improprius.

VI. Nec diffitemur, quod varia contrariæ sententiæ assertoribus favere videantur, ex quibus opinioni suæ vigorem conciliare, contendunt, quæ primo intuitu id offerant, quod nobis maxime adversum apparet: Verum accuratiori si conspiciantur oculo, satis patebit, singula, quæ objiciuntur, sponte sua corruere, fundamentumque, quo innituntur, collabi. Neve gratis hoc nos dixisse quis existimet, duo præcipua, quæ proponi solent, loca, magnamque præ se speciem ferunt, adducemus, eaque, num robur eis innatum sit, videbimus. Primum petunt ex Ps. LXXXIX. 44. in quo se reperisse putant, quo nostram Thesin evertere possint, dum sibi persuadent, vocabulum צור exponendum ibi esse per aciem, ut verba אף תשיב צור חרבו

חרבו vertenda sint: Tunc avertes gladii ejus aciem. Verum quid causæ subest, ut ad hoc asylum confugiamus, a quo nullum refugium datum? Quid quæso est, quod nos inducere valeat, ut impropriam longiuscule aliquantum petitam significationem assumamus, ac ab ea, qua scripturæ ipsæ delectantur, recedamus? Satius certe esse credimus, ut, quia sæpissimæ צור roboris denominationem accipit, metaphora a petra robustissima hausta, hic etiam determinemus, vires ac robur innui, mentem hujus propositionis hanc exhibendo: Tunc avertes robur gladii ejus. Pari ratione alter locus e. 2. Sam. II. *16.* ductus se habet, ubi ager, in quo aliquot viri fortes, duodecim ex unaquaque hostium parte, ceciderant, dicitur חלקת הצרים, quod per agrum gladiorum exponere quidam contendunt. Verum neque hic opus esse arbitramur, ut τῷ צור novam affingamus significationem, cum ante dicta ratio Textum satis perspicuum reddere queat. Antecedentia enim si respiciamus, haud obscure sensus e cohærentia Textus fluet, ubi innuitur, singulos se ipsos invicem magna vi aggressos fuisse ac prostravisse, sic ut omnes una ceciderint. Ex quo commode liquet, cum agro huic, in quo duellum istud fuit cummissum, a re ipsa nomen imponatur, hoc per agrum roboris sive fortium, non vero per agrum gladiorum explicandum esse. Et cum τὸ צור in plurali positum sit, inde colligitur, vim fuisse maximam, qua alter alterum succumbere fecerit. *Spiritus enim S. sæpissime pluralem numerum pro singulari ponit ad denotandam magnitudinem & excellentiam rei, de qua dicitur*, referente & exemplis illustrante B. Glassio Philol. Sacr. Lib. III. Tract. I. Canon XXIV. p. 80.

VII. Johannes Buxtorfius in Lexico suo Hebræo-Chaldaico p. m. *644.* τῷ צור, cum quo τὸ צור convenit, rupis ac petræ primam ac propriam significationem ponit. Huic Viro in linguis Orientalibus alias versatissimo si non satis constitisset de hujus vocis sensu formali, certe ei sensui, quem modo innuimus, primum locum assignare erubuisset, & potius lectorem dubium reliquisset. Idem quoque Masius in Expositione Cap. V. Josuæ citantibus Criticis Sacris Tom. I. p. 1504. asserit: *Quin ego*, ait, *affirmare ausim*, צור *nusquam in sacris literis aciem significare, sed silicem aut saxum ubique: Nam ut dem in illo Davidis versu* אף תשיב צור חרבו *aciem esse*, צור *tamen dicam id translatitia significatione a silicis duritie non ex vi ejus verbi propria intelligi, neque vero Græci & Syri aciem ibi sunt interpretati cum Judæis, sed auxilium, saxum enim & rupem sive silicem sæpe dicunt Sacræ Literæ propugnaculum & auxilium.* Huic sententiæ Magnificus noster Dn. D. Carpzovius, quem Deus in seros usque annos Ecclesiæ suæ & Reipublicæ prælucere sinat) in publicis suis Prælectionibus æstivis in Esa. Cap. XLIV. *6.* 7. 8. album addit calculum, dum τὸ צור petram ac rupem designare affirmat. Munsterus itidem in Jos. Cap. V. & Ravanellus Bibliothec. Sacr. T. I. Lit. C. p. m. 451. b. *vocem* צור *proprie petram significare* probant. Plura testimonia ut taceamus, quorum ingens numerus allegari posset. Neque fere quemquam fore credimus e Rabbinis, Lexicographis ac Interpretibus, & reliquis, a quibus, quid voces in recessu habeant, hodie petendum, qui Thesi nostræ hactenus adstructæ subscribere recusare velit.

VIII. Nihil itaque reliquum est, quam ut rem omnem brevibus absolvamus, atque ex hactenus dictis colligamus, τὸ צור proprie, primario ac formaliter petræ, rupis, lapidis, significatione gaudere. Ne vero Lectori ulterius hæc deducendo molesti simus, tædiumque afferamus, omnia mittimus, quæ modo cumque obicem nobis ponere videri possunt, atque id potissimum aggredi laboramus, quod Instituti nostri ratio exigit. Scopus enim noster, quem nobis præfiximus, alias in Præliminaribus absconderetur, si prolixitati studere anniteremur. Quapropter nostram de Instrumento Circumcisionis a Zippora & Josua usurpato mentem in medium afferemus, eamque rationibus confirmabimus. Sit ergo

SECTIO II.

De vocis צור *in locis Exodi & Josuæ significatione.*

I. Discursis atque, qua fieri potuit brevitate expositis iis, quæ ad eruendum primum τῷ צור sensum faciunt, facilem jam aditum patere arbitramur ad verum sensum nostrorum locorum ex Exodo & Josua desumtorum de Instrumento Circumcisionis, utpote in quibus duo exempla extraordinariæ Circumcisionis, alterius pro Zipporam filium suum, cui Deus in itinere, quia nondum circumcisus, & sic a fœdere ejus adhuc exclusus erat, mortem minabatur, alterius vero per Josuam populum Israeliticum, qui Jordanem transierat, circumcidentes factæ, memoriæ prodita leguntur.

tur. Et quidem utrobique legimus, peculiari Iostrumento ad resecandum præputium Zipporam & Josuam usos fuisse. Quod quale fuerit, sequentia docebunt.

II. Licet itaque Interpretes solliciti de vera expositione istius in varias abire consueverint sententias, sic, ut utri horum accedas, haud bene dijudicare possis; per tot enim ambages, per tot discrimina sententiarum huc illuc volvimur, ut, quæ sententia maxime veritati congrua & probabilis sit, non dignosci possit. Emergere autem ex Labyrintho hoc poterimus, siquidem τὸ צור, quod in utroque loco Instrumentum, de quo sermo est, notat, propriam ac primam significationem eandemque solam retineamus, quo facto huic obscuritati haud parum lucis conciliabitur.

III. Quare repetendo ex prioribus, τὸ צור primario indicare lapidem, rupem &c. omnibus hæc legentibus jam ante constabit, quæ sit futura nostra mens in determinando Organo Circumcisionis, quod Zippora & Josua usurparunt. His nempe sententia nostra absolvetur, ut statuamus, lapides fuisse, qui instar acuti ferri rem, cui admoti, dissecuerint.

IV. Hanc nostram Thesin, ne absque ratione eadem efficta videatur, communis ac omnibus cognita Hermeneutices Regula confirmat, quæ tradit: *Quod sensus Scripturæ literalis proprius arcte tenendus, nisi primo quidem in fidei articulos aut charitatis præcepta palam aut vere incurrat; deinde & simul evidenter ex eodem vel aliis locis figuratus sermo detegatur ac probetur.* Veluti Luth. Tom. III. Jenens. de servo arbitrio hunc Canonem proponit: *Sic sentiamus, neque tropum in ullo Scripturæ loco admittendum esse, nisi id cogat circumstantia verborum evidens, & absurditas rei manifeste in aliquem fidei articulum peccans, sed ubique inhærendum est simplici puræque & naturali verborum significationi, quam Grammatica & usus loquendi habet.* Vide de hoc plura apud Glass. Philol. Sacr. Lib. II. Part. I. Artic. IV. Canon. I. p. m. 284. Applicando igitur hoc axioma ad nostra loca, nihil sane apparet, quod, ut a sensu literali recederemus, nos movere posset. Nullum enim fidei articulum, si vestigia τοῦ ῥητοῦ firmiter premamus, evertimus, aut ullo modo labefactamus. Neque Tropus, qui sermoni nitorem afferet, e Textus nostri evidentia quæri, neque ex aliis Sacrarum literarum apicibus peti & probari poterit. Licet adversæ opinionis Fautores varia conquirant, quibus pondus verbis suis addere conantur, ea tamen, uti constat, maxime aliena & peregrina, neque homogenea sive parallela, quæ de eadem, de qua differitur, agant materia, existunt, quod in evolutione tropi requiritur, notante eodem Glassio loc. cit. p. 285. Deinde etsi poneremus, quod unum atque alterum exemplum utcunque simile proferri posset, adhuc incertum foret, num noster quoque Textus istum inferret sensum. *Hoc esset argumentari a particulari ad universale. Pro declaratione forte hoc satis esset, at pro evidente demonstratione nequaquam. Quare necessariæ probationes tropi adducendæ essent, probandumque esset, quod in nostris locis Scriptura tali tropo, quem eis tribuunt, usa sit*, atque eo modo nostra vox צור necessario accipi debeat. (ut mutatis aliquantum Illyrici verbis uti liceat, quæ habentur in Clav. Script. Part. II. p. m. 167.) Qua de causa *non absurde*, ut Glassius refert, *a quibusdam monetur, quod a communi & usitatissima vocis significatione non sit ob quædam exempla particularia recedendum, nisi ipsa Textus evidentia nos cogat recedere.* Quod consilium nos secuti, sensum literalem in exponendis locis citatis retinemus, eaque, uti verba fluunt, relinquimus, concedentes τῷ צור, in quo cardo rei vertitur, primam propriamque suam significationem. In quo nos munit D. Gerhardi effatum, qui Tom. V. de Cœna docet, quod, *qui in communi vocum notione in intelligendo aliquo scripto vel sermone consistit; is velut in communi via ac velut in sua possessione consistat, ut, si quis eum inde præsertim in controversia ac lite depellere velit, eum valde bonis ac evidentibus rationibus instructum esse oporteat.*

V. Posito jam fundamento, quo nitimur, facile opus ipsum superstrui poterit, sic, ut utriusque Textus secundum sensum literalem vocumque significatum proprium expositionem hunc in modum evolvamus, & quidem prioris: ex Exod. IV. 25. ותקח צפורה צר ותכרת את-ערלת בנה: *Tunc sumsit Zippora (scil. in manus) lapidem (sive cultrum lapideum) & præscidit præputium filii sui.* Posterioris ex Jos. V. 2. בעת ההיא אמר יהוה אל-יהשיע עשה לך חרבות צרים: *Tempore illo (sc. cum transiisset populus Israeliticus Jordanem) dixit Dominus ad Josuam, fac tibi cultros petrarum (s. lapideos).* Inde nulla nascitur obscuritas, nullumque dubium; singula enim verba ordine cohærentia plenam, planam ac perspicuam mentem ob oculos ponunt, ut adeo tropi nulla habenda sit ratio.

VI. Idem cum & Interpretes viderint,

rint, factum est, ut magnum eorum numerum nobis in hac versione ὁμόψηφον habeamus. Et quidem respiciendo locum Exodi Chaldæus τὸ צור per טינרא (silicem) LXX. per ψῆφον (lapillum) Luth. in versione sua Germanica per Stein/ reddiderunt. Cui accedit R. Abarbanel in Commentario in hunc locum. הוא שן סלע חותך שנזדמן לידה מפני שלא לה מאכלת ולא תער השבירה: *Notat* (interprete Domino Frischmuthio in disp. de Circumcis. Zipporæ Cap. II.) (*scilicet* τὸ צור) *dentem scindentis silicis, in quem incidit* (*Zippora*) *cum cultro destitueretur & novacula conductitia*. Hic quoqoe ab hac sententia haud abire dissferit Masoram parvam, quippe cujus hæc nota legatur in Codice Basileensi בחס בטינרא Vox צור bis defective scribitur, ubi de lapide accipitur nempe hic & Ezech. III. 9. Rabbi Salomo Ben Melech in Tractatu מכלל יופי hanc exhibet notam nostræ expositioni exacte respondentem צר עננו סלע: Vox צר denotat petram. Rivetus in Commentario in h. l. ita concludit: *Nihil absurdi aut plane insueti est, si Zippora usa sit silice acuto in circumcisione Filii sui, fortasse quod in diversis illis locis alia non haberet instrumenta parata*. Quid itaque opus est, ut propriam deseramus viam, sinistramque eligamus? Minus etiam probabile videtur, metonymice aut synecdochice petram pro cultro acuto positam esse, *cum minus commode ferrum saxum diceretur, ideo quia cote acueretur*, [*nisi propter materiam conveniens esset*, judicante Quensted. Theol. Did. Polem. Tom. IV. Loc. IV. Sect. I. Thes. VI. p. m. 90.

VIII. Probantes contrarium confugiunt quidem ad locum Josuæ, præsidiumque suum ibi latere confidunt, verum & hic nulla necessitas nos urget, ut proprietatem vocum & literæ negligamus, cum omnia satis pure fluant. Interpretes hic nobis quoque consurgunt: LXX. τὸ חרבות צרים verterunt per μαχαίρας πετρίνας, & in quibusdam Codicibus adhuc additur ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, Masius per gladiolos saxeos interpretatur, qui observat, quod Veteres novaculas saxeas dicendum esse putaverint in eo Commentario, qui Genesis magna est appellatus. Idem videtur asserere R. Salomo Ben-Melech in מכלל יופי in hunc locum: חרבות צרים רוצה לומר חרורי הצרים והוא שם כלל כי כל דבר הכורת יקרא חרבות τὸ חרב או ברזל או אבן החחדה: צרים *idem est, ac si diceret Deus, acumina petrarum, s. petras acutas, & est regula generalis, quod omnis res secans vocetur gladius sive sit ferrum sive lapis acutus*. Summus apud Judæos Doctor R. Maimonides (citante Dn. Frischmuth. in dissert. cit.) satis usitatum fuisse Judæis ait hunc morem, quo Circumcisio per lapidem peracta: scribit בכל מלין ואפילו בצור וזכוכית ובכל דבר כורת ולא ימול בקרומות של קנה מפני הסכנה: *Qualibet re circumcidunt, silice, vitro, & omni re, quæ scindit, minime vero fragmento cannæ ob periculum*. E nostris B. D. Seb. Schmidius in Notis ad octo priora Capita Josuæ annexis Commentario in Esaiam p. m. 746. cum Serrarium cultros saxeos itidem intelligendos esse referentem adduxisset, subjicit: *Ipsum negotium Circumcisionis, quo sanctius simulque periculosius fuit, requisivit Instrumentum commodissimum & aptissimum, ut expeditius peragi posset. Ubi dispiciendum fuit, quod quovis tempore commodissimum inveniri poterat, ex iis, quæ usitata ad Sectiones erant; Ubi commodissimum haberi non poterat, sumendum erat, quod tempus & necessitatis casus sufficiens admittebat. Fieri autem potuit, ut aliquo tempore cultri ferrei, alio saxei usitatiores essent, alio itidem alterutri soli obtinerent: Sic tempore Zipporæ & ipsius adhuc Josuæ lapidei in usu præcipue fuisse videntur. Certe Zippora cum in itinere esset, de singulari ad circumcisionem præparato cultro nunquam cogitavit, cum tamen necessitas urgeret, sumsit, quem in quosvis quotidianos usus secum habuit, qui vocatur* צר, *adeoque saxeus fuit*. Annuit quoque Calov. in Bibl. Illustr. in Cap. V. Jos. p. m. 663. *Quia vox* צר, *ait, petram significat, nec aliter facile accipitur, & a Zippora in Circumcisione Filii petra adhibita est, uti Cald. & Pagnin. exponunt, ac lapides, testas Samias atque silices olim adhiberi consuevisse vd castrationem, imo ad acuendos calamos e Catullo, Plinio & Græcorum Epigrammatibus docet Bonfrer. cultrorumque lapideorum usus etiam apud Americanos inventus est, recte LXX. Vulgat. August. Theodor. Masius & alii lapideos cultros interpretantur, qui adhibiti, tum, quod eo loci petrarum copia fuerit, non ferri aut chalybis circa Arabiam, tum quia adumbratum, per Christum, qui spiritualis petra est, non quidem carnem a præputio, sed mentem a vitiis circumcidi*. Nec dissentit Ravanellus Biblioth. Sacr. Tom. I. Lit. Cap. p. 551. 6. hæc scibendo: *Cultri s. lapides acuti adhibiti sunt in amputando præputio, cum circumcisio facta est a Josua, nempe, quia, ut Theodoretus observat, verisimile est eos, qui vixerunt in deserto, tantum temporis paucos habuisse cultros ferreos, ita, ut eorum defectu usi sint*

ſint lapidibus acutis, *alioqui cultri ferrei in Circumciſione adhiberi ſolebant ad amputandum præputium*, *ut obſervat Juſtinus in Dialogo cum Tryphone*. Huc referre poſſemus Druſii aliorumque teſtimonia haud diſſona; verum, ut brevitati ſtudeamus, ea tantum addere placet, quæ Theſin noſtram aliqua ex parte illuſtrare videntur.

IX. Judæorum traditiones & Conſtitutiones ſi perluſtramus, hanc regulam illis inſertam legimus, quod omnis generis Inſtrumento circumcidant, atque adeo ſaxo aut vitro & quacunque re ſecante, uti apparet ex D. Seb. Schmidii Tractatu de Circumciſ. p. m. 244. ſeqq. qui eaſdem collegit. Cum igitur liberum fuerit omni re ſcindente circumcidere, quid opus eſt, dum lapis in noſtris locis vices Inſtrumenti explet, ut ad aliud confugiamus, tropum quæramus, voceſque alieni quid repræſentare aſſeramus? Certe ne unicum quidem datur veſtigium, quod nobis ſuadeat, peregrinum vocabulorum uſum ſequi. Inde D. Seb. Seb. Schmidius loco ſupra allegato p. 362. hunc in modum colligit, noſtramque ſententiam aliquo modo confirmat: *Nobis videtur*, inquit, *admodum probabile*, *quod populi Orientales olim cultellos ex aliquo ſaxi duriſſimi genere fecerint*. *Tantum non plane perſuadet nobis iſtud locus Exodi*. *Certe ex circumſtantiis Textus jam alibi indicavimus*, *quod caſus neceſſitatis fuerit*, *in quo Zippora non potuit diu circumſpicere*, *aut ad circumciſionem ſe præparare*; *Sumſit itaque ſecandi Inſtrumentum*, *quod alias ſecum habuit in uſus quoſcunque & communes*: *Id nonne recte dicemus cultrum*, *quo cibos ſecare ſolita eſt*? *Mulier quoque*, *quæ cum indignatione Circumciſionis actum ſuſcepit*, *vix de alio Inſtrumento ſollicita fuiſſet*, *ſi vel maxime res moram paſſa fuiſſet*. *Atqui Moſes iſtum cultrum vocat* צר, *quæ vox alias petram*, *ſaxum denotat*: *Cultrum autem ſaxum dici*, *niſi propter materiam*, *vix conveniens eſt*. *Ut verum fateamur*, *certe nobis non videtur probabilis ſententia*, *quæ cultrum ſic vocari putat*, *quia in ſaxo ſeu cote acuatur*. *Sed ut plura non dicamus*, *exiſtimamus*, *olim cultros ex ſaxis factos*, *& inde per Metonymiam obtinuiſſe*, *ut cultri* צרים *ſaxa appellentur*.

IX. Neque abſurditatis arguenda erit opinio noſtra, ac ſi lapis minus aptus ad ſecandum ſit, cum, ut alii ferunt, variæ gentes lapidibus cultrorum loco uſæ ſint: Schindlerus in Lexico ſuo Pentaglotto ſub voce ציר perhibet, *quod olim in defectu ferri uſi ſint lapidibus acutis*. *Hodie*, pergit, *Judæi utuntur novaculis chalybeis*, *quarum tamen capuli ſunt lapidei*. *Ante octavum diem mortuos aut abortivos maſculos circumcidunt lapide fiſſili* mit einem Schieſſerſtein/ *& ſepeliunt ſeorſim prope januam cœmiterii*. D. Pfeifferus in dubiis vexatis Centuria II. Loco XLVI. p. 327. ex J. Lerii Navig. Braſil. Cap. XV. p. 189. adducit, *Americanos Braſileenſes ad mactationem præacutis lapidibus uſos*. Item tradit, *Judæos in Oriente cultris lapideis adhuc hodie uti ad circumciſionem*. *Imo*, notante eodem, *in Talmud Tractat. Schabbat dicitur pecudes petra mactari poſſe*. Cui & fidem faciunt Poetæ, qui non tantum præputia, ſed & tota virilia ſilice amputata narrant. Sic Catullus in carmine de Berecynthia matre & Aty:

Super alta vectus Atys celeritate maria,
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adiitque opaca ſylvis redimita loca Deæ,
Stimulatus ubi furenti rabie vagus animi,
Devellit ille acuto ſibi pondera ſilice,
Itaque ut relicta ſenſit ſibi membra ſine viro,
Etiam recente terra ſola ſanguine maculans,
Niveis citata cepit manibus leve tympanum.

Item Juvenalis Satyra VI. p. 53.

Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta.

Nec deſunt alii, qui multa de reſectione per lapidem facta recenſent: Plutarchus in Nicia aſſerente Polo in Synopſi Criticorum ſacr. in Joſ. c. V. Volum. I. p. 853. *quempiam ſibi genitalia ſilice deſecuiſſe* refert. Ut & Plinius Hiſtor. Natur. Lib. XXXV. Cap. XII. de Gallis Sacerdotibus Cybeles: *Samia teſta*, ait, *Matris Deum Sacerdotes*, *qui Galli vocantur*, *virilitatem amputant*, *nec aliter citra perniciem*, *ſi M. Cœlio credamus*, *qui linguam ſic amputandam objecit gravi probro*, *tanquam & ipſe jam nunc eidem Vitellio malediceret*. *Adhibitos etiam lapides fuiſſe ad calamos acuendos* teſtis eſt Julianus Epigram. Lib. VI. referente eodem Polo loco citato. Quid igitur impedit, quo minus aſſertum noſtrum veritati conveniens videatur? Vidimus enim in ſacris literis, ſi non urgeat neceſ-

ceſſitas, a littera non eſſe recedendum, quæ, cur in noſtris locis deſerenda foret, nondum conſtitit, inprimis cum e Conſtitutionibus Judæorum libertatem, num ſectio per lapidem, num per ferrum peragatur, notaverimus, atque ex abundanti ex aliis Autoribus ſatis commode lapide genitalia præſcindi poſſe oſtenderimus.

X. Fruſtra itaque Junius & Tremellius Piſcator, Munſterus atque plures Interpretum Metonymiam aut alium quendam tropum in utroque Textu deſignant, idque abſque fundamento aſſerunt, quod maxime probandum. Et licet ad Pſalmi aliaque ſcripturæ loca provocent, ea tamen ſic ſe habent, ut nondum vere conſtet, an ſecundum eorum judicium, prout illi ſuadent, ſint exponenda. Et ſi daretur, hunc ſenſum in iis exhiberi, minime evictum foret, quod idem quoque in noſtris obtineat, cum argumentum, de quo hic alibique agitur, plane ſit diverſum.

XI. Breviter jam traditis iis, quæ theſi noſtræ lucem addere poſſent, tantum huc apponere animus eſt, antequam finem huic ſectioni imponamus, quid vox חרבות in loco Joſuæ deſignet. Hoc quam optime exponit B. D. Seb. Schmidius in citatis notis ad octo priora Capita Joſuæ, cujus verba ita fluunt: *Cultri hi quemadmodum ratione materiæ vocantur ſaxei, ita ratione formæ* חרבות *gladii dicuntur. Ubi Serarius dicit, vel ex ipſius rei natura intelligi, quod gladii minutiores fuerint, quo vero nondum redditur ratio, quare gladii vocentur. Quare dicendum videtur, partim a forma, qualis gladii bellici tum fuit, partim a magnitudine, qua longiuſculi & majuſculi vulgaribus cultris fuerint, ut uno ictu facile totum præputium abſcindi potuerit, eſſe appellatos. Interim quod non intelligendi ſint gladii bellici, vel ex addita materia ſaxi colligitur, cum gladii majores & bellici ex ſaxis non fuerint fabricati.* Quod idem B. Schmidius in Tractatu de Circumciſ. Part. III. Cap. III. p. 363. repetit: חרב, ait, *gladium bellicum proprie ſignificare, & derivatio a* חרב *deſolatus eſt, & frequentiſſimus uſus Scripturæ probat: Latiſſime ſumi, & quodcunque ſectionis Inſtrumentum etiam cultrum ſignificare, meminimus etiam a Lexicographis tradi. Sed quod de cultro dicunt, videntur ex noſtro loco Joſuæ ſumſiſſe. Nos vero putamus, hic non notare proprie cultros, aut ſimpliciter, ſed per improprietatem aliquam cultrum majuſculum. Ideo opus fuiſſe, ut altera vox adderetur, quæ cultros denotat, ut diximus. Vertendum videtur: Fac tibi gladiolos cultrorum, hoc eſt, cultros majuſculos, qui ſint quaſi quidam gladioli, ubi tamen de magnitudine decente recogitandum eſt, non monſtroſa.* Cui quoque Druſius ſuffragatur allegatus in Critic. Sacr. Tom. I. p. 1530. חרב, inquit, *tam cultrum quam gladium ſignificat. Nam gladiis uſos fuiſſe, non eſt credibile. Ideo Vir doctus emendat glandiolos, quaſi parvos gladios dicas, qui nihil aliud ſunt, quam cultri, quibus utimur ad ſecandum aliquid. Auctor Libri, qui vocatur Ohoel Moed, ſcribit, transferri ad omnem rem, quæ ſcindit, ſive ferrum fuerit, ſive lapis durus, unde etiam de novacula dicitur & de malleo, quo lapides cæduntur, quam* כשיל *vocant:* Sicque ſatis intelligimus, quod terminus חרב late ſumatur, ut quamvis rem ſecantem comprehendat, atque hinc etiam cultri ſignificationem obtinere poſſit. Interim minus neceſſarium eſſe opinamur, ut determinetur certa quantitas ac dimenſio hujus Inſtrumenti, cum ſcriptura ſacra tacente, nos quoque, apice nullo relicto, ex quo probabilis ſententia hauriri poſſit, ſilere cogamur.

XII. Solliciti hic quoque quidam eſſe ſolent de quæſtione, unde Joſua tot ſaxa ad faciendos cultros ſumſerit? Verum ea videtur nimis ſupervacanea quæſtio. Deus enim, qui juſſit, ut Circumciſio lapideis cultris peragеretur, tot quoque lapides ad Jordanem ſitos Joſuæ procul dubio monſtravit, ut ex eis Inſtrumenta Circumciſionis confici potuerint.

XIII. Alii itidem Problematis: Num Judæis liberum fuerit, Inſtrumento Circumſionis, quod ipſis libuerit, uti, num vero certum a Deo in Inſtitutione ſacramenti aut alibi conſtitutum fuerit? reſolutionem e noſtris locis petendam eſſe aſſerunt; Cum igitur aliqua iſtius deciſio e modo dictis fluat, paucis eam exhibebimus. Delineabit ergo

SECTIO III.

Libertatem Judæis in determinando inſtrumento Circumciſionis relictam.

I. MUlti pro neceſſitate cultri lapidei pugnantes arietem in Exodi & Joſuæ locis quærunt, colligentes, ideo, quia Circumciſionis Inſtrumentum eo tempore fuit culter petrinus, vel ſilex acutus, Judæos quoque in actu Sacramenti perpetuo tali uſos fuiſſe, multos enim tradere dicunt, in Oriente reperiri lapides, qui novaculæ inſtar

ſtar ſcindant, cui rei Adamas fidem facere poſſet. Verum a ſtatu extraordinario ad ordinarium minus recte concludi certum eſt. Zippora enim apparitione Dei mortem filio nondum in fœdus ſacrum recepto minantis perterrita opus maturare incipiebat, ideoque quod modo ipſi ad manus erat, Inſtrumentum recipiebat, *cui matri feſtinanti ſilex ſive lapis primus obveniebat, quo natum circumcidebat (imprimis cum hæc circa Arabiam petræam, ubi eſt Sina & Madian, contigerent, in qua major petrarum quam ferri eſt copia & uſus, unde & petras iſti exarcuunt inſtar ferri ex eiſque cultros efficiunt acutiſſimos)* vid. Gerh. Loc. de Circumc. p. 197. ex quo certe conjectura aſſequi nemo poteſt, Zipporam conſueto ad circumcidendum Organo uſam. Deinde Joſua Iſraelitas adhuc in itinere conſtitutos, ac nondum circumciſos e mandato Dei cum ipſo colloquentis ſingulos circumcidebat, ad quem actum, quia ſingularis atque ſolennis erat, Deus abſque dubio ſingulare Inſtrumentum ſc. ſaxeum determinabat, ne vel alio omnium uſui inſerviente profanus redderetur. Quis inde a ſingulari ad univerſale colligere vellet, quod, quia Joſua ſaxeo circumciſionis Inſtrumento uſus, ordinarium quoque ſaxeum fuerit. *Si vero ordinarie ex prima Inſtitutione conſtitiſſet ſaxeos eſſe debere cultros circumciſioni faciundæ, quid opus fuiſſet hic denuo exprimi? Niſi quod liberum fuerit exprimere aliquam materiam vel non exprimere, & cum exprimere Dominus voluit, expreſſit materiam communiorem, ut meliorem non probiberet. Forte enim Dominus, licet multos Joſua & populus cultros ſecum haberent huic actui circumciſionis ſingulari ſingulares etiam cultros elegit, qui poſthac nullam ad rem aliam uſurparentur, ſed cum præputiis ipſis defoderentur. Ubi ſaxei ſufficientes erant, nec opus nobiliori materia. Quomodo nihilominus in aliis Circumciſionis actibus liberum manſit, cujuſcunque materiæ cultros adhibere* (quæ ſunt verba B. D. Seb. Schmidii in Notis ad Joſuam p. m. 746.

II. Cum igitur nulla neceſſitas cultri lapidei reſecando e noſtris locis erui poſſit, veriorem ſententiam eſſe exiſtimamus, qua ſtatuitur, libertatem Judæis hac in re relictam. Eam quoque confirmare poſſumus quodammodo e ſilentio mandati divini, quod de circumciſione Abrahamo poſteriſque ejus datum, ubi nulla Inſtrumenti mentio facta. Unde, tacente ipſo, augurari licet, Judæos omni Inſtrumento circumcidere potuiſſe, ſi modo ita comparatum, ut omnis metus periculi ſublatus. Quod eodem fere modo B. Danhauerus de ſacramentis colligit, dum ait: *Inſtrumentum non fuit neceſſario ſilicum. Certe in prima hujus ſaeramentalis ritus inſtitutione non determinatum eſt certum Inſtrumentum ſ. ratione materiæ ſ. ratione formæ, ſed libertas Eccleſiæ Dei relicta eſt, ut uteretur Inſtrumento ad circumcidendum apto quo vellet.* Denique ne ullo apice in Sacro Codice tangitur, abſoluta neceſſitate Circumciſionem Inſtrumento lapideo perfici debuiſſe. E quibus libertatem Judæis in determinando Organo circumciſorio conceſſam fuiſſe concludimus.

GA-

GABRIEL. GRODDECKII DISSERTATIO DE JUDÆIS PRÆPUTIUM ATTRAHENTIBUS.

PRÆFAMEN.

AB eo tempore, quo primarium religionis Judaicæ Sacramentum Circumcisionem per Patrem Circumcisionis, Deus populo suo tradi, ac velut signum esse voluit fœderis cui cum Abrahamo facti, quo ipsius posteri paternæ fidei se consortes indicarent, ac tanquam notabili indice a reliquis gentibus segregarentur; hunc insignem gratiæ Divinæ characterem, quamvis cum acerrimo dolore conjunctum, tantum abest, ut electa illa summi Numinis progenies unquam e corpore suo abolere, quin potius in hodiernum recens natos summo cum rigore illum propagare ac conservare studuerit. Quod diversis testimoniis comprobare facillime liceret, nisi res in propatulo esset, ac obcoecata gens, avitis legibus pertinaciter inhærens omnium oculis obversaretur. Sane hodierni etiam Judæi non tantum excidii pœnam illis, qui non circumcisi sunt, Divino asserto tribuunt, verum etiam infantes, si, antequam circumcisi essent, morerentur, mortuos quoque eo charactere signari volunt, ac præterea *incircumcisi* ac *præputiati* nomine ad probrum & convicium utuntur. Atque hinc etiam, ut major huic Mosaicæ sanctioni auctoritas accederet, nonnulli, qui seculo nugatorum feracissimo vixerunt, Adamum, Sethum, Noam, aliosque qui ante Abrahamum extiterunt, circumcisos natos fuisse, finxerunt, uti legere est in *Schalschelеth hakkab. f. 6. b.* quamvis de Adamo contrarium extet R. Jehudæ dictum ארם הראשון משוך בערלתו היה *Adam primus attractum habuit præputium*, in *Sanhedrin c. 4. f.* 48. & in *Jalkut ad Hos. VI. 7. f.* 125. *a. edit. Ligurn.* Tantum quippe dignitatis circumcisioni deferebant Judæi, quos etiam Arabes imitati sunt, usque adeo, ut in *Theologia Mahommedis cap. ult.* legatur, Gabrielem angelum Adamum circumcidisse teste *Hackspanio c. 7. tr. de scriptorum Judaic. in Theologia usu, p.* 475. quod miror *Marraccium* in nupera *Alcorani refutatione* nullibi attigisse, qui relquas orientalium de Adamo fabulas sedulo collegit. Uti vero Judæi, quamdiu genti suæ adhærebant, maximi eam faciebant ita e contra illi, qui a Judaismo desciverant, una cum reliquis cæremoniis Judaicis hanc imprimis labem e corporibus suis delere sedulo allaborabant, partim ne amplius gentibus ludibrio essent, partim ne cum Judæis ultra aliquod commercium habere censerentur. Quam in rem arte quadam medica retractum superinducebant præputium, quamvis aliqui ex ipsis quoque Judæis meræ voluptatis gratia eadem arte sibi præputium restituerent. Tales a Judæis משוכים sive *repræputiati* aut *recutiti* appellati, ac pro hæreticis, id est talibus, qui juxta Maimonidem *nullam habent partem in seculo futuro*, agniti fuerunt, quos denuo quoque circumcidi debere illi sanciverunt. De quibus cum multa passim in Hebræorum scriptis alibique legantur, quæ non parum faciant ad illustrationem loci cujusdam in Novo Testamento, argumentum dignum existimavimus, cui aliquam diligentiam impenderemus. Tu vero L. B. conatibus nostris fave, ac si quibusdam verbis offenderis, ea in hoc argumento vix prætermitti potuisse cogita, memor illius *Augustini de Civit. Dei lib. 4. cap.* 23. Quisquis ad has literas impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam, facta denotet suæ torpitudinis, non verba nostræ necessitatis, in quibus mihi facillime pudicus & religiosus lector & auditor ignoscet.

I. An-

I. Ntequam vero ad rem ipſam accedamus, rationem vocis משוכים prius eaponere operæ pretium erit. Deſcendit illa a Rad. משך quod ſignificat *trahere*, *attrahere*, *protrahere*, quo ſenſu in Scripturis frequentiſſime occurrit, vide Judic. IV. 6. I. Reg. XXII. 34. Job. XXIV. 22. Hoſ. VII. 5. Improprie ad alias quoque interdum res transfertur: uti ad *miſericordiam* Jer. XXXI. 3. Pſ. CIX. 12. ad *iniquitatem* Eſ. V. 18. ad *ſonitum cornu* Ex. XIX. 13. Joſ. VI. 5. &c. Exempla abunde reperiuntur in *Pagnini Theſ. Ling. S. Merceri*, *Cavallerii & Bertrami* ſtudiis aucto *p.* 1460. *ſeqq. edit. Lugd.* 1575. Inde nomen משך pro *re pretioſa* ac *e longinquis terris advecta*, nec non *protractione* uſurpatur, quo referas Pſ. CXX. 5. *heu mihi*, *quia inhabitavi* משך, quod aliqui de gente Tuſciæ vel Moſcoviæ exponunt, rectius veto *cum Bochartho in Phaleg.* III. 12. de longo temporis tractu accipitur, *peregrinatus ſum diu* vel *longo tempore*, ut *Aquila* προσηλύτευσα ἐν μακρισμῷ, *Symmachus* παροικῶν παρέλδυσα, LXX. ἡ παροικία μου ἐμακρύνθη, quos ſequuntur *Vulgatus*, *Syrus* & *Arabs*. Ab hac ſignificatione Rabbini porro vocem משיכות *attractio*, *protractio*, & משוך plur. משוכים *attracti*, metonymice ad *illum actum*, *quo cutis genitalibus attrahitur*, taleſque *attractos* ſive *attractum præputium habentes* retulerunt, quo ſolum fere ſenſu voces משך, משוך & משיכות perpetuo in eorum ſcriptis uſurpatæ leguntur. Apud Græcos vocabula ἐπισπᾶσθαι, & ἐπισπαστικοὶ idem ſignificant, quo ſenſu Gentium Apoſtolus adhibuit I. Cor. VII. 18. περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω. Quod ſi latinis vocabulis commode reddi deberet, voces *attrahere*, *retrahere*, *inducere*, *adſciſcere* &c. *præputium*, itemque *attrahentes*, *inducentes*, *adſciſcentes ſibi præputium*, nec non *attracti*, id eſt qui attractum præputium habent, aut *repræputiati* Hebraicarum vocum משוכים & משך emphaſin optime explerent. Forte quoque *Martialis lib.* 7. *epigr.* 29. *in Celiam*, per *recutitos* tales, quibus circumciſis cutis ſuccrevit, intellexit, uti ad h. l. animadvertit *Th. Farnabius*, quod ſane ſi hoc ſenſu admitti deberet, aptiſſimum foret Hebraicæ dictioni vocabulum.

II. Ab Etymologia vocis ad definitionem pergimus, quam breviter quidem optime tamen tradit *R. Salomo in Gloſſis ad c.* 8. *Tr. Talmud. Jevammoth f.* 72. *a.* מהול שנמשכה ערלתו משוך id eſt וכסתה את העטרה: *circumciſus*, *cujus attractum eſt præputium ita ut cooperiat coronam membri* i.e. caput ſive glandem membri iſtius. Clarius rem exprimit *R. Niſſim comm. in Jevammoth R. Alphes f.* 428. *b.* משוך שאחר שנמהל נמשכה ערלתו בין על ידי אדם בין ע׳ חולי: *Interpretatio vocis* משוך (ἐπισπασθεὶς) *hæc eſt*, *ſi poſtquam circumciſus fuerat*, *retrahitur præputium vel per homines* (id eſt arte quadam) *val per aliquam ægritudinem* (id eſt ſi per naturam recrevit). Nimirum hoc duplici imprimis modo fieri potuiſſe Judæi obſervant. Aliis enim, etſi a ſuis parentibus fuiſſent in tenella ætate rite circumciſi, poſtquam adoleviſſent, ex ſingulari naturæ vigore præputium iterum ſuccreſcebat, quales Iſraelitas, quos Joſua ſecunda vice circumcidere a Deo jubebatur, Joſ. V. I. fuiſſe nonnulli exiſtimant: alii vero arte quadam medica, ſubducta atque diſtenta pellicula, novum ſibi præputium comparaverant, glandemque eo iterum contexerant. Idque vel voluptatis gratia promiſcue, vel propter pudorem, elegantiæ ergo ab iis factum, qui Jodaica religione deſerta ad gentes ſe converterant, ut nulla amplius Judaici ritus veſtigia in corporibus eorum ſupereſſent.

III. Ac quod illos primum attinet, qui libidinis ac voluptatis ergo ſibi hanc jacturam reſarciebant, ratio, quæ iſtos cupidineos ad tam nefandum ſcelus pellexit, iſta forte reddi poteſt, quod majori ſtimulo carnis deſideria impleri poſſe ſibi imaginarentur, ſi pellicula iſta inſtructi eſſent, ac præterea ſcortis quoque aut puellulis ſuis delicatiſſimis ſe melius placituros crederent, quæ majorem voluptatem deprædicant, ſi cum homine concubuerint, cui vel nunquam præputium defuit, vel arte reſarcitum eſt. Notum quippe iſtis impudicis erat, circumciſionem ad membri & concupiſcentiæ debilitatem plurimum conferre, cui hac ratione remedium afferre geſtiebant. Certe propter hanc imprimis rationem Circumciſionem a Deo inſtitutam fuiſſe, ut libido hominum diminuatur, & membrum hoc, quantum fieri poteſt, ad actum iſtum debilitetur, fatetur expreſſe *Maimonides Part.* 3. *lib. more Nevuchim. cap.* 49. *f.* 168. *b. edit. Salonic.* quæ verba digna ſunt, ut integre huc tranſcribantur וכן המילה אצלי אחר מטעמים למעט המשגל ולהחליש זה האבר כפי היכולת עד שימעט במעשה הזה. וכבר חשבו שזאת המילה היא השלמת חסרון יצירה ומצא כל חולק מקום לחלוק. ולומר איך יהיו הדברים הטבעיים חסרי׳ עד שוצטרכו להשלמה מחוץ עם מה שהתבאר מתועלת העור ההוא לאבר ההוא ולא נתנה מצוה זה להשלים חסרון הבריאה רק

להשלים חסרון המדות והנזק ההוא הגופני המניע לאבר ההוא הוא המכוון אשר לא יפסד בו דבר מן הפעולות שבהם עמידת האיש ולא תבטל בעבורה ההולדה אבל תחסר בו התאוה היתרה על הצורך והיות המילה מחלשת כח הקשו ופעמים שתחסר ההנאה הוא דבר שאין ספק בו כי האבר כשיתפוך דמו ויוסר מחסהו מתחלת בריאתו יחלש בלי ספק ובבאור אמרו החכמי׳ ז״ל הנבעלת לערל קשה לפרוש ממנו זהו החזק בטעמי המילה אצלי ומי היה מתחיל הזה המעשה רק אברהם אבינו עליו השלום אשר נודע מוראת חטאו מה שזכרו ז״ל באמרו הנה נא ידעתי כי אשה יפת מראה:, id est ex versione *Buxtorfii fil. p.* 505. *Porro Circumcisio etiam, meo judicio, propter hanc rationem instituta est, ut libido hominum diminuatur, & membrum hoc, quantum fieri potest, ad actum illum debilitetur. Quidam existimarunt, Circumcisionem istam esse perfectionem defectus nativitatis; prout quilibet contradicendi avidus facillime materiam invenire potest. Dicendum autem illis, qua ratione res naturales ita imperfectæ esse possint, ut exterius perfici opus habeant? præter id quod afferri potest de utilitate, quam pellicula illa membro isti affert. Præceptum itaque istud non est datum ad supplendum defectum Creationis, sed ad corrigendum defectum morum. Damnum enim illud, quod membro isti infertur, est illud ipsum, quod intenditur, quo nulla actio corrumpitur, in quo essentia Viri consistit, neque etiam facultas generandi adimitur, sed superfluus tantum appetitus coeundi diminuitur. Quod autem Circumcisio virtutem intensivam membri illius voluptatemque debilitet, id extra omnem dubitationem est. Nam cum membrum illud statim in ipsa nativitate sanguinem suum effundit, tegumentumque amittit, sine omni dubio exinde debilitatur. Hinc dixerunt sapientes nostri p. m. mulierem cum Viro incircumciso matrimonio junctam difficulter ab ipso posse abstrahi. Atque hæc est principalis ratio meo quidem judicio, in Circumcisione. Quis autem alius opus hoc incepit, quam Abraham pater noster? de quo notum est quantopere peccatum pertimuerit, sicuti Sapientes nostri commemorarunt super illud quod* (Gen. xx. 11.) *scriptum est* Ecce, nunc novi, quod mulier pulchra aspectu sis. Hoc jam ante Maimonidem *Philo Judæus* observaverat, qui *lib. de Circumcis. p.* 811. scribit: *Ejus membri circumcisio* σύμβολον ἡδονῶν ἐκτομῆς, αἳ καταγοητεύουσι διάνοιαν, *symbolum erat excisionis voluptatum, quæ mentem fascinant, & quia inter voluptatum illecebras principatum tenent, quæ partem illam titillant & afficiunt, idcirco Legislatores partem eam mutilari jusserunt, ut significarent, voluptates superfluas resecandas esse.* Et alibi *lib. de migrat. Abrahami p.* 402. Τὸ περιτέμνεσθαι inquit, ἡδονῶν καὶ παθῶν πάντων ἐκτομὴν, καὶ δόξης ἀναίρεσιν ἀσεβοῦς ἐμφαίνει, *circumcisio notat voluptatum affectumque omnium excisionem & opinionum insuper impiarum*. Hinc factum forsan quod S. Jacobus I, 21. ad vitam Ethnicam & impuram abnegandam hortetur verbis, quibus allusum videtur ad pelliculæ illius superfluæ rejectionem circumcisione factam. Jungimus *S. Chrysostomi* verba huc apprime facientia ex *Homil.* 39. *in Genes. p.* 567. ὅρα σοφίαν Δεσπότου, πῶς εἰδὼς τῶν μελλόντων ἔσεσθαι, τὸ ἀτελὲς τῆς γνώμης, καθάπερ χαλινόν τινα ἐπιθείς. *Vide sapientiam Domini, quomodo cum sciret imperfectas & pravas eorum* (Judæorum) *mentes futuras, signum Circumcisionis quasi frenum quoddam imposuit ad indomitos eorum impetus cohibendos, ut ne gentibus commiscerentur*. Utrum vero hæc vera circumcisionis a Deo institutæ causa fuerit, & anne per illam hoc, quod ipsi Maimonides tribuit, efficiatur, cum *Episcopio Inst. Theol. lib.* 2. *c.* 10. *p.* 45. aut *Frischmuto diss. de Circumcisione Zipporæ c.* 2. §. 4. qui contra hoc disputant, inquirere nolumus, cum non in alium finem hæc a nobis allata sint, quam ut constaret, pervulgatam inter Judæos ac reliquas Gentes opinionem fuisse, circumcisionem carnis fomitus extinguere, ac propterea libidinosos quosdam tam suave naturæ donum in integrum sibi restituisse, ut Veneri cupidius indulgere possent.

IV. Ex horum forte numero, si Judæis credimus, *Achan* fuit, cujus fit in Scriptura mentio Jos. VII. de quo in *Tr. Sanhedrin f.* 44. *a.* R. Jehuda bar Misparta prodidit, ipsum fuisse משוך בערלתו, *attracti præputii*, ad quæ verba R. Salomo ita scribit, משך את אמתו תמיד עד שנתרבבה וכיסתה את ראש הגיד כדי שלא יראה מהול: *attraxit pelliculam membri sui jugiter donec augeretur, obtegeretque caput membri istius, ut non appareret circumcisus esse*. Ejusdem criminis Judæi *Jehojakimum* impium Jehudæ Regem insimulant, ut in libro *Tanchuma f.* 9. *col.* 4. *edit. Bomberg. A.* 305. legi potest, ubi hæc inter alia annotata sunt: ואף מלכי בית דוד בטלו את המילה שהרי יהויקים משך לו ערלה שנ׳ ויתר דברי יהויקים וכל תועבותיו אשר עשה והנמצא עליו . מה נמצא עליו שמשך לו ערלה: id est, *non minus Reges e stirpe Davidis prævaricati sunt adversus præceptum de circumcisione, nam ecce Jehojakim*

kim sibi ipsi præputium induxit sicut scriptum est (2. Chron. XXXVI. 8.) & reliquæ res Jojakimi & abominationes ejus, & quod de eo invenitur. *Quid invenitur de eo? nempe, quod adsciverit sibi præputium*. Quod si *Joh. Drusio* Viro doctissimo *not. in* 1. *Cor.* VII. 18. assentiri deberemus, ad hanc classem illi quoque referri possent, quos Jer. IX. 25. Deus visitare velle minatur מולים בערלה *circumcisos in præputio*, aut ut ille exponit *præputio* sive *præputium habentes*, hoc est omnem, qui, cum circumcisus fuit, postea præputium attraxit. Illi sequenti v. 20. recensentur, *Ægyptus*, *Juda*, *Edom*, *filii Amon*, *Moab*, *& omnes commorantes in extremo angulo mundi qui habitant in deserto*; quos omnes partim libidinis partim decoris ergo isto scelere se contaminasse, ex ipsis Judæis etiam nonnulli asseruerunt. Ita enim ad h. l. in *Jalkut f.* 105. *a. edit. Ligurn.* legimus, quod ex libro *Jelammedenu* exceptum est, ac præterea in *Aruch* extat. ופקרתי על כל מול בערלה. מהו מול שהיו מולים ומשכו להם ערלה וכלהו בענין א' שנא' על מצרים ועל יהודה על אדום ועל בני עמון ועל קצוצי פאה. על מצרים שהיו מולין בימי יוסף וכשמרת יוסף משכו להם ערלה שנא' כי בנים זרים ילדו ועל יהודה זה יהויקים מלך יהודה. ועל אדום זה עשו. ועל בני עמון אלו שילדו בנו' לוט ועל כל קצוצי פאה אלו הישמעלים: id est scriptum est. Et animadvertam in omnem circumcisum cum præputio. *Quid hæc verba sibi volunt? fuerunt quippe ex circumcisis, qui sibi attraxerunt præputium, & summatim hic recensentur, nempe* Ægyptii, Jehuda, Edom, filii Ammon, & commorantes in extremo angulo. *Per* Ægyptios *intelliguntur illi, qui circumcisi erant in diebus Joseph, eoque mortuo præputium sibi attraxerant, quemadmodum scriptum extat* (Hos. v. 7.) quia filios extraneos pepererunt. *Per* Judam *denotatur* Jehojakim *Rex Judæ*. Edom *id est Esau*. Filii Ammon, *illi scilicet, quos pepererunt filiæ Loth. Denique* commorantes in extremo angulo *sunt Ismalitæ*. Hanc tamen verborum Jeremiæ interpretationem rejicit *Cunæus lib.* 3. *de Republ. Hebr. c.* 5.

V. Hæc de illis, qui libidinis voluptatis gratia præputium attraxerunt, dixisse sufficiat, quorum quidem inter ipsos Judæos, quamdiu ceremoniis Mosaicis addicti erant, paucissimos extitisse, ob severam circumcisionis legem, cui subjacebant, credibile est; inter illos vero, qui cum gentibus se commiscuerant, plures forte istam voluptatis particulam sibi restituisse, dubitare nos sinunt, quæ de variis gentium pollutionibus, quas isti verpi minine aversabantur, ubivis annotata legimus.

VI. Enimvero multo major fuit illorum numerus, qui, postquam Judaica religione abjurata ad Christianos aut alias gentes se converterant, vel ex odio Judaismi vel ex superstitione aliqua præputium sibi iterum adsciverant, alii vero, cum Romani rerum in Judæa potirentur, hostium injuriis exagitati & vexati, eadem illa ratione religionis suæ professionem dissimulaverant. Tales quidem ferme Apostoli Pauli ætate plurimos extitisse, dubitari nequit, qui ex Judaismo ad Christianismum conversi, sibi probrosam in Christianismo circumcisionem esse credebant, ac propterea præputium reducebant, quod vetat fieri Apostolus 1. Cor. VII. 18. *περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω. ἐν ἀκροβυστίᾳ τις ἐκλήθη; μὴ περιτεμνέσθω*, *circumcisus aliquis vocatus est?* (אל ימשוך) *ne attrahat præputium: in præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur*. Conf. Gal. VI. 15. Quæ quidem verba non tantum mystice ita exponi debent, ut *attrahere præputium idem sit, quod optare mente, & quantum fieri potest, adlaborare, ne excisum præputium videatur, sive ita te gerere ac si præputiatus non sis*, quemadmodum *Episcopius Instit. Theol. lib.* 2. *c.* 10. *p.* 44. *b.* interptetatur, verum ad literam de ipso illo more tum inter Judæos & Pharisæos (quorum sectæ etiam Paulus in Judaismo addictus fuerat) satis noto, & a multis temporibus inter eos usurpato intelligenda sunt. Hoc scilicet Apostolus vetat, ne Judæi credentes in Christum, idem facerent, quod cæteri consueverant, cum ad Gentes deficerent; neve gentiles in Christum credentes id agerent, quod alii ad Judæorum religionem transeuntes & inter proselytos se profitentes, (quos quidem circumcidere opus erat) soliti erant facere. Id enim amplius nemini obesse. Vid. *Baron. Annal. Tom. I. ad A. C.* 57. *n.* 72. *p.* 467. *edit. Plantin.* nec non Interpres N. T. ad l. c. imprimis *Hammondum p.* 533. itemque *Buxtorf. in Lex. Talmud. d.* 1277. & in *Epistola ad Bauhinum ap. Th. Bartholinum de morbis Bibl. c.* 26.

VII. Vigebat ergo tum temporis apud Judæos ista malis artibus excogitata perfidia, ut ad libitum, cum vellent a patriis legibus ad gentiles deficere, hanc pelliculam iterum inducerent, sicque se Judæos amplius esse negarent. Quod etiam paucis post Apostoli obitum annis a Menelao & Tobiæ filiis cum inter illum ac Jasonem fratrem simultates or-

tæ essent, atque isti ad Antiochum Apostatam Judæorum Regem, qui ferme Græcanicam religionem adsciverat, secesserant, factum fuisse, *Josephus* memorat *lib.* 12. *Antiquit. Jud. c. 6. Concitata autem per fratrem contra novum Pontificem Menelaum seditione & populo in partes scisso, Tobiæ filii steterunt a Menelai partibus; major autem populi pars factionem Jasonis sequebatur. Quorum vim non sustinentes Menelaus & Tobiæ filii, secesserunt ad Antiochum*, δηλȣ̃ντες αὐτῷ ὅτι βȣ́λονται τȣ̀ς πατρίȣς νόμȣς καταλιπόντες, καὶ τὴν κατ' αὐτȣ̀ς πολιτείαν, ἕπεσθαι τοῖς βασιλικοῖς καὶ τὴν ἑλληνικὴν πολιτείαν ἔχειν. Παρεκάλεσαν ȣ̃ν αὐτὸν ἐπιτρέψαι αὐτοῖς, οἰκοδομῆσαι γυμνάσιον ἐν Ἱεροσολύμοις. συγχωρήσαντος δὲ καὶ τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπεκάλυψαν, ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν ἕλληνες, *dicentes se velle, relictis patriis institutis ac legibus, religionem Regis & Græcanicos ritus assumere: rogaveruntque eum, ut sibi permitteret, Gymnasium Hierosolymis extruere, quo impetrato*, adduxerunt sibi præputia, *ut nudi quoque non essent Græcis dissimiles*. Idem refertur 1. Macc. 1. 15. 16. pro illis τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπεκάλυψαν, simpliciter ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας, *fecerunt sibi præputia*.

VIII. Inter illos quoque, qui a Romanorum partibus ad *Bencozibam* sive *Bar Cocab* Pseudomessiam Judæorum defecerant, ejusdemque sacra iterum amplexi fuerant, multos attractum præputium habuisse, quos ille denuo circumcidi jussit, Judæi annotarunt. Sic enim ad *Tr. Jevammoth c.* 8. in utroque *Talmude*, *Babylonico f.* 72. a. & *Hierosolymitano f. 9. a.* legimus, הרבה משוכים היו בימי בן כוזיבא וכולן מלו וחיו והולידו בנים ובנות: *multi cum attracto præputio fuerunt in diebus Bencosibæ, qui omnes denuo circumcisi sunt, vixeruntque & etiam filios filiasque postea genuerunt*. Hos quidem invitos a Romanis ad id coactos fuisse probe annotat *Masius ad Jos. V.* 2. uti etiam *R. Salomo* & *R. Nissim ad Jevammoth f.* 428. b. *per vim ipsis præputium retractum fuisse* asserunt; ast prævaluit Bencosiba, occupataque urbe *Bitther* sive *Betar* omnes iterum circumcidi jussit. Postmodum tamen ab Ælio Hadriano urbs recuperata fuit, interemptis cum impostore quadragies centenis Hebræorum millibus, quo tempore absque dubio illi qui superstites ex clade remanserant, pristinum iterum præputium sibi induxerunt. De hac revolutione ac ingenti strage Judæorum hujus miseri turbis excitata omnino legi merentur *Tillemontius Tr. de Revoltes des Juifs art.* 3. *seqq. T.* 2. *Hist. des Empereurs p.* 494. seqq. nec non *Joh. a Lendt. de Judæorum Pseudomessis cap.* 1.

IX. Eundem morem apud Samaritanos quoque olim obtinuisse, *Epiphanius* Constantiæ Episcopus memorat, qui *lib. de mensuris & ponder. p. m.* 172. affirmat, quisquis Judæorum ad Samaritanos deficeret, cum novo præputio comparato nova circumcisione initiari solere, quemadmodum vicissim, qui ad Judæos a Samaritanis confugiunt, novam propterea circumcisionem suscipiant: idque Symmacho quoque cujus inter Græcos S. historiæ interpretes celebre nomen est, inter alios accidisse, ait, Imperante Severo, cum ob affectatum regnum ille apud suos Samaritanos odio maximo laborans, se ad Judæos contulisset, atque his nomen dare constituisset. Equidem hoc quod Epiphanius de mutua illa iterata circumcisione tradit, dubium alicui movere posset, quandoquidem contrarium S. *Augustinus* asserat *Lib. I. cont. Crescon. c.* 31. *Nunquid apud Samaritanos circumcisus, si fieri tunc vellet Judæus, posset iterum circumcidi? Nonne illius hominis error corrigeretur, signaculum autem fidei agnitum probaretur? Et nunc sunt quidam Hæretici, qui se Nazarenos vocant, a nonnullis autem* Symmachiani *appellantur, & circumcisionem habent Judæorum, & baptismum Christianorum, ac per hoc, quemadmodum siquis eorum ad Judæos venerit, non potest iterum circumcidi, sic cum ad nos venerit, non debet iterum baptizari*. Ideoque eo magis mirum videtur, quod circumcisionem solis olim Judæis veterum Imperatorum legibus permissam fuisse, cæteris interdictam legimus, etiam Samaritanis, quibus contrafacientibus, castrantis pœna irrogatur. Qua de re insignis *Origenis* locus annotari meretur *lib.* 2. *cont. Celsum p.* 68. *edit. Spencer*: Ἀλλὰ φήσει τις ὅτι καὶ Σαμαρεῖς διὰ τὴν ἑαυτῶν θεοσέβειαν διώκονται. Πρὸς ὃν τοιαῦτα ἐροῦμεν οἱ σικάριοι διὰ τὴν περιτομὴν, ὡς ἀκρωτηριάζοντες παρὰ τȣ̀ς καθεστῶτας νόμȣς καὶ τὰ Ἰȣδαίοις συγκεχωρημένα μόνοις, ἀναιρȣ̃νται. *Sed dicet aliquis etiam Samaritas persecutionem pati propter suam religionem. Ei respondebimus, sicarios propter circumcisionem occidi, quod seipsos mutilent, contra præscripta legum, quæ solis Judæis id permittunt*. Plura vide ap. *Petavium Animadvers. in Epiphan. c. l. p.* 400. Quod Judæos attinet, horum quidem religio cum circumcisionis jugo tam arcte conjuncta erat, ut neminem in eam adoptare liceret, antequam prius circumcisus esset, uti patet ex Exod. XII. 48.

Num.

Num. xv. 15. Conf. præterea *Gemara Babyl. Tr.* Jevammoth *c.* 4. *f.* 46. *a. Cerithut. c.* 2. *f.* 8. 9. *Maimon. bilch. Issure Biach. c.* 13. 14. *Semag. præc. negat. n.* 116. Jore *Dea c.* 268. *add. Seldenus de success. in bona defunct. c.* 26. *&* *de* J. *N. G. II.* 2. Imo vero illos etiam, qui præputium attraxerant, iterum circumcidi opus habuisse ex iis, quæ postea dicentur, constabit.

X. Sequitur apud Epiphanium, τέχνῃ τινὶ ἰατρικῇ διὰ τοῦ καλουμένου σπαθιστῆρος (alii legunt σπασθητῆρος) τὴν τῶν μελῶν ὑποδερματίδα ὑποσπαθισθέντες, ῥαφέντες τε, καὶ κολλητικοῖς περιοδευθέντες, ἀκροβυστίαν αὖθις αὐτὴν ἀποτελοῦσιν, *medica quadam arte, eoque quem* spatistherem *vocant* (instrumento) *glandis cuticulam attrahentes consuunt, ac glutino circum adstringunt, atque ita præputium recuperant.* Ac tandem subjicit, ταύτην δὲ τὴν παράδοσιν τῆς κακοδαίμονος ἐννοίας φασὶ τὸν Ἠσαῦ τὸν ἀδελφὸν τοῦ Ἰακὼβ εὑρηκέναι πρὸς ἀπαρνητισθεῖαν καὶ πρὸς ἀφανισμὸν τοῦ τῶν πατέρων αὐτοῦ χαρακτῆρος, *Quod nefarium ac detestandum artificium ab Esau* Jacobi *fratre repertum memorant, ut eo facilius ejurare Deum & acceptam a majoribus notam abolere possent. Unde natam illam Dei vocem existimant*, Esau odio habui, Jacob autem dilexi (Mal. I. 2.) Id quod unde Epiphanius habuerit, mirum videtur Cl. *Buxtorfio Lex. Thalmud. p.* 1276. sq. qui hactenus se de eo in Hebræorum libris nihil observasse fatetur. Ast supra §. 4. ex libro Jelamedenu, quo antiquissimæ Judæorum traditiones atque expositiones, Epiphanii ævo ferme pervulgatæ, continentur, locum adduximus, ex quo apparet, Esauum quoque inter illos numerari, qui præputium attraxerunt, quamvis pro Authore aut Inventore istius criminis minime habeatur.

XI. Observari autem meretur, quod de isto instrumento attractorio, cujus ope præputium induci possit Epiphanius memorat. Ac fortassis, quod magis receptum est, ἐπισπαστὴρ potius legendum, quam *Spathister*, ut sit Attractor, sive instrumentum, quo aliquid attrahitur ab 'πισπάω vel ἐπισπάομαι. Quod quale instrumentum fuerit *Henr. Stephanus in Thes.* annotavit, pro quo aliud interdum instrumentum Σμίλη, & Σπάθιον i. e. *scalpellum*, (chirurgicum) ut *A. Cornelius Celsus de medic. lib.* 7. *c.* 25. habet, adhibitum fuisse, nonnulli produnt. Prius confirmat *Lucianus apolog. pro merced. cood. p.* 485. ubi per locum medicinas adornari postulat: καὶ τὴν σμίλην, καὶ τὸ καυτήριον διάπυρον *scalpellum & cauterium candens*: posterius apud *Æginetam* & in *Hippiatr.* reperitur. Vid. etiam *Corn. a Lapide comm. in c. l. Apostoli*, qui eam medendi rationem, quam scalpello factam prodit Celsus, ab ea, quam Epipbanius tradit, nihil diversam fuisse existimat. Ipsa vero Cornelii Celsi verba huc transcribenda sunt, cum ad institutum nostrum faciant: *In cole* inquit, *si glans nuda est, vultque aliquis eam decoris causa tegere, fieri potest: sed expeditius in puero quam in viro; in eo, cui id naturale est, quam in eo, qui quarundam gentium more circumcisus est; in eo cui glans parva juxtaque eam cutis spatiosior, brevis ipse coles est, quam in quo contraria his sunt. Curatio autem eorum, quibus id naturale est, ejusmodi est. Cutis circa glandem prehenditur & extenditur, donec illam ipsam condat, ibique deligatur..... At in eo, qui circumcisus est sub circulo glandis scalpello diducenda cutis ab interiore cole est.* &c.

XII. Fieri ergo etiam a circumcisis poterat, ut quemadmodum *Theophilactus in* 1. *Epist. ad Corinth. c.* 7. scribit, *multi quos desectæ pelliculæ puduisset, medicamento apposito, & hanc niterentur iterato sancire, & obscænum illud concisum in pristinum statum redigere.* Ast vix aliter quam ejusmodi instrumento illud factu possibile fuisse credibile est, quamvis alias iis qui natura curti, aut quibus casu disrupta præputia fuerunt, succis quoque ac emplastris eadem restitui potuisse constet. Sic enim de melle *Dioscorides lib.* 2. *c.* 101. asserit, λεπτοδέρμους τε τοὺς μὴ ἐκ περιτομῆς ἀποκαθίστησι, μαλασσομένης τῆς πόσθης τῷ μέλιτι, μάλιστα ἀπὸ βαλανείου ἐφ' ἡμέρας λ'. *Verpis seu curtis glandem, quæ circa circumcisionem nudata sit, in integrum restituit, si melle præputium a balneo potissimum ad dies triginta emolliatur.* Eandem virtutem Thapsiæ succo adscribit *lib.* 4. *c.* 137. χρησιμεύει δὲ καὶ πρὸς ἐπαγώγια ἐπὶ τῶν μὴ ἐκ περιτομῆς λειποδέρμων, οἴδημα ἐγείρων ὑπερκαταντλώμενον καὶ τοῖς λιπάσμασι μαλασσόμενον, τὸ ἐλλειπὲς τῆς πόσθης ἐκπληροῖ. *Valet & ad integendam colis glandem, si modo alia ex causa quam circumcisione nudata fuerit. Tumorem enim excitat, qui & fotibus & pinguibus adhibitis emollitus, præputii jacturam resarcit.* Quibus verbis hæc Judæis circumcisis prodesse posse, aperte negat. Et ratio reddi potest, quia cum Judæi tenellos infantes circumcidunt, omnem cutem, quæ operit colis glandem, præcidunt, usque dum integre denudata fuerit. Illud vocatur פריעה, cujus tanta apud ipsos est necessitas, ut glande non integre nudata Circumcisionem irritam

ac

ac iterandam pronuncient : quo ipſo etiam illorum circumciſio a Turcarum circumciſione differt, qui pellem ſimplici tantum inciſione dividunt, non præcidunt. Vid. *Maimon. Hilch. mila c.* 2. *n.* 2. 3. *ſeqq.* סמג *præc. aff. c.* 28. *Joredea n.* 260. Quam ob cauſam illis, qui hoc modo rite circumciſi fuerunt, talibus emplaſtris præputium reſarcire impoſſibile fuit, nec alio remedio quam hujuſmodi ſpathiſtere aut ſcalpello hoc diſſectum præputium integrum reſtitui potuit, quale etiam tantum iſtis verpis adhibitum fuiſſe, ex iis, quæ hactenus in medium allata ſunt, abunde confici poteſt.

XIII. Hæc cum ita ſint, non ſatis mirari poſſum, quid aliquibus in mentem venerit, ut tale quid unquam factum fuiſſe, aut fieri potuiſſe in dubium vocarint. Sic enim *Origenes lib.* 4. περὶ ἀρχῶν, nullo modo revocari poſſe ſemel amputatum præputium, prodidit: Et S. *Hieronymus* quoque Judaicarum rerum non omnino expers, *lib.* 1. *adv. Jovinianum T.* 2. *p.* 19. *b. num*, inquit, *qui ſemel amputatum habet præputium, poteſt ſi velit rurſus illud adducere?* ubi etiam illa Apoſtoli verba, *circumciſus aliquis vocatus eſt, ne adducat præputium*, pag. ſq. myſtice de celibatu exponit: *eo tempore quo vocatus es & credidiſti in Chriſtum, ſi circumciſus vocatus es ab uxore, & cœlebs eras, noli ducere uxorem : hoc eſt noli adducere præputium, ne circumciſionis & pudicitiæ libertatem oneres ſarcina nuptiarum. Rurſum, ſi in præputio quis vocatus eſt, ne circumcidatur : habebas uxorem cum credidiſti, noli fidem Chriſti putare cauſam diſſidii* &c. Eadem fere repetit *comm. in Eſ. LII. T.* 5. *p.* 161. *a. mihi videtur aliis verbis dicere*, (nempe Apoſtolus in illo loco 1. Cor. VII. 18.) *abſque uxore vocatus eſt & credidit, non ducat uxorem, vel e contrario; habens uxorem in Chriſtum credidit, nequam divortium faciat. Neque enim poteſtatis noſtræ eſt præputium adducere poſt circumciſionem juxta eos qui in Maccabæorum libro* (c. 1. v. 16.) *dicuntur ſibi feciſſe præputia, quod de naſcentibus filiis, & non de patribus dicitur.* Alia teſtimonia adduxit *Cl. Rhodius in diſſ. de Acia c.* 6. *p.* 91. *ſeqq.* ubi mire ſe torquet, ut evidentem hujus rei veritatem infirmet ac ex medicis principiis ejus falſitatem arguat : quam ob rem non modo myſticum & ſymbolicum in citatis Apoſtoli verbis Interpretum ſenſum adprobat, verum etiam ex loco illo 1. Macc. 1. 16. & apud Joſephum Antiq. Jud. XII. 6. nihil aliud conſtare aſſerit, quam Judæos, impetrato Hieroſolymis apud Antiochum a Menelao & filiis Tobiæ Gymnaſio, circumciſionem ſuam occultaſſe, ut Græcis in denudatione non apparerent ſimiles. Atque hanc ſententiam Rabbinis ſuis illic a ſe conſultis probari ſcribit, qui negant apud majores ſuos talis artificii memoriam deprehendi. Præterea ad Celſi & Epiphanii teſtimonia quædam regerens, illud firmo talo minime niti, hoc vero vulgari famæ deberi affirmat, tandemque alia teſtimonia Medicorum, qui id factu impoſſibile eſſe judicaruut, pro ſtabilienda ſententia ſua adducit, ac pro lubitu interpretatur.

XIV. Enimvero quam lubrica hæc ſint, vel primo intuitu apparet. Nam quod primo Origenem & S. Hieronymum attinet, eorum ſane auctoritas minime tanta nobis eſſe poteſt, ut hoc ſimpliciter negantibus, nos contrarium edocti fidem præbeamus, quibus etiam aliorum SS. Patrum auctoritas majori numero opponi poteſt. Neque etiam illi expoſitioni verborum Apoſtoli, quam Hieronymus privatæ hypotheſeos ſtabiliendæ ergo excogitavit, quicquam roboris ineſt, quod vel integer contextus, ac ſcopus Apoſtoli manifeſto arguit. Unde vero Hieronymus probare poteſt, hoc, quod in Maccabæorum libro de iis, qui præputium ſibi fecerant, aſſeritur, de naſcentibus filiis, & non de patribus ſive adultis dici? Certe Menelaus & Tobiæ filii adulti erant, quos tale crimen commiſiſſe Joſephus memorat, cujus verba cum ſcriptore libri Maccabæorum conferri debent. Quod etiam ſi perpendiſſet doctiſſimus Rhodius, facillime animadvertere potuiſſet, Joſephi verba τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπεκάλυψαν, nullum alium ſenſum admittere, quam illm quem Maccabæus ſcriptor expreſſit ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας, id eſt ſenſu Judaico pervulgato משכו להם ערלתם. Equidem negat celeberrimus medicus, extare in Judæorum ſcriptis hujur artis veſtigia, uti ex aliorum fama accepit, aſt ex iis ſaltem quæ adduximus, ac mox ſubjiciemus, liquebit, Rabbinos illos, quos ipſe contulit, rerum ſuarum imperitiſſimos fuiſſe, contra extare etiam in antiquiſſimis Judæorum libris haud pauca teſtimonia, quæ tale quid fieri potuiſſe & factum fuiſſe innuunt. An autem medice iſtud fieri potuerit, diſputare nolumus. Sane Epiphanii & Celſi autoritas nobis ſufficit, ut aliorum Medicorum exceptionibus opponatur, quanquam alii quoque allegari poſſint, qui qua ratione præputium reſarciatur demon-

monſtrarunt, quos allegatos vide ap. *Th. Bartholinum in miſcellan. medic. de morbis Biblicis c. 26.*

XV. Reſtat ut Judæorum placita afferamus, quæ circa illos, qui præputium attraxerant, ſanciverunt. Talis ergo, ſi ad Hebræorum legem denuo reverti voluit, ex præſcripto Rabbinorum, neceſſe habuit, ut iterum circumcidatur. Ac quanquam R. Juda ſemel circumciſum non amplius circumcidendum eſſe dixerit מפני הסכנה *propter periculum* nempe ſterilitatis vel vitæ, reliqui tamen uno ore omnes determinarunt, talem iterum circumcidendum eſſe אפילו מאה פעמים: *etiam centies ſi opus fuerit*, neque aliquod periculum metuendum eſſe, quia tempore ben Cuzibæ quoque ii, qui ſibi præputium adſciverant, iterum fuerunt circumciſi, quod tamen illis minime nocuit, ſed incolumes vixerunt, filioſque ac filias procrearunt. Extat de hac re unicus in Talmude locus *in Gemar: Babyl. Tr. Jevamoth. a. 8. f. 72.* quem huc tranſcribemus: משוך צריך שימול מדרבנן ודקארי לה מאי קארי לה הא צריך קתני קטעי בסיפא ר׳ יהודה אומר לא ימול מפני שסכנה היא לו אמרו לו והלא הרבה מלו בימי בן כוזיבה והולידו בנים ובנות שנ׳ המול ימול אפילו מאה פעמים ואומר את בריתי הפר לרבות את המשוך: *Attractus præputio neceſſe habet ut iterum circumcidatur ex decreto Rabbinorum, & ut decerpant ei* (præputium). *Quomodo decerpunt? opus eſt, ut abſcindant limen ſeu labium ipſius. R. Juda dicit: non circumcidetur, quia periculum eſt ei. Dixerunt illi: nonne plurimi circumciſi denuo ſunt in diebus Ben Cuziba, & genuerunt filios & filias?* (ergo ſi illis nihil nocuit, quid de aliis metu opus eſt?) *Præterea ſcriptum eſt* (Gen. XVII. 13.) circumcidendo circumcidetur (nempe per iterationem, adeo) *ut ſi opus ſit, etiam centum vicibus* (id fiat): *ſubjungit quippe* (ſcriptura v. 14.) fœdus meum irritum fecit, *ut etiam includat Attractum*, (taliſque perinde habeatur, ac ſi fœdus Dei de circumciſione irritum reddidiſſet ac profanaſſet.) Vide etiam *Bereſchith rabba ſect. 46. f. 52. a.* ejuſdem que libri commentarium *Jephe Toar f. 273. 3. 4.* Adde *Bartolocc. Bibl. magn. Rabbin. Part. 1. p. 292. & part. III. p. 470.*

XVI. Exdem Thalmudis loco, de משוכים ſive attractum præputium habentibus ſancitum legimus, eos non comedere poſſe de תרומות ſive primitiis ſacerdotum, contradicente licet R. Hona. Sic enim legimus: אמר רב הונא דבר תורה משוך אוכל בתרומה ומדבריה׳ גזרו עליו מפני שנראה כערל: *Rabbi Hona bar Torach dixit, attractum comedere de primitiis: at ex verbis eorum* (Rabbinorum) *vetuerunt illud, propterea quod ſimilis præputiato ſit*. De præputiato vero præceſſerat generale Miſnæ ſtatutum הערל וכל הטמאים לא יאכלו בתרומה: *præputiatus & omnes polluti non comedant de primitiis*.

XVII. Ex quibus colligi facile poteſt, quam ſevere in illos animadverterint majores Judæorum, qui divinum circumciſionis fœdus, quod & gratiæ Divinæ & religionis ſuæ ſignum eſſe debuit, quo a reliquis gentibus ſecernerentur, irritum reddiderant, iſthocque crimine ſe contaminarant. Quare etiam pro hæreticis tales attractos habuere, ac futuri ſæculi partem illis denegarunt. Sic enim expreſſe *Maimonides hilch. Mila c. 3. n. 8.* כל המפר בריתו של אברהם אבינו והניח ערלתו או משכה אף על פי שיש בו תורה ומעשים טובים אין לו חלק לעולם הבא: *quicunque irritum reddit fœdus Abrahami patris noſtri, relinquitque præputium ſuum, aut denuo illud attrahit, quantumvis legis ac pietatis alias obſervantiſſimus ſit, non habet partem in futuro ſeculo.* Adde *hilch. Teſchuva c. 3. n. 6.* Imo inter pœnas quoque, quibus Deus impios afficit, præputii reſtitutionem numerant, uti conſtat ex *Jelammedenu f. 9. col. 3.* אבל המינים והמשמדים ופושעי ישראל שכפרו בהקב״ה והלכו בחקת הגוים והן מולין הקב״ה מושך להן ערלה ונופלין לגיהנם שנאמר שלח ידיו בש לומיו חלל ברתו: *Verum hæreticis, & apoſtatis, & qui deficientes ab Iſrael abnegarunt Deum ſanctum benedictum, ac incedunt juxta morem gentium, cum tamen circumciſi ſint; ipſis Deus præputium reducet, ac in gehennam properabunt, ſicut dictum extat* (Pſ. LV. 21.) extendit manus ſuas in colentes pacem ſecum, profanat fœdus ſuum.

JE-

JEREMIÆ LOSSII
DISSERTATIO
DE
EPISPASMO JUDAICO.

CAPUT PRIMUM.

Introitus. Epipasmi derivatio. Character græcanicus, descriptio. Ἐπισπαςικοὶ *&* משוך. *Recutiti & recutita Sabbata ex Persio. Artificium fuit: apud Judæos quidem, quod probant Rabbini.* מול. *Testimonia Talmud. Maimonid. Probatur ex Bibliis. Dictum Paulo* 1. *Cor.* 7. *varie explicatum. Hieronymus & Salmero negant epispamum.* ἐπίκριτις. *Probatur tamen ulterius ex Josepho. Epiphanio, Frischmuthio, Baronio. In loco Josuæ quid* שנית. *Ægyptii circumcisi. Cynocephalus. De Æthiopum circumcisione error vulgaris. An iis in usu epispasmus?*

I. NE suspensum diu benevolum Lectorem detineamus, noluimus longis præfaminibus perituram onerare chartam; sed illico quid *Epispasmus* sit declarabimus. Ne inusitato hoc vocabulo præstigiatorem nos fortean putet aliquis sibique adeo *μεταμόρφωσιν* quandam imminere. Prius tamen illud inclamandum erit: *ἑκὰς ἑκὰς ἐςε βέβηλοι!* (*a*) Dum enim multis in locis scapham scapham adpellare debuimus, cavendum est, ne offendatur aliquis, neve existumet nos clathros pudicitiæ transiliisse. *Jesu, ut nobis succuras, devote precamur!*

II. Dicitur ergo *Epispasmus* ἀπὸ τοῦ ἐπισπᾶσθαι attrahere vel accersere. Subintelligenda vox πόσθη vel ἀκροβυςία *præputium*; quia præputium attrahitur & magno labore accersitur. *Menochius* (*b*) hac utitur voce; alias non adeo meminime legere. Videtur autem desumtum esse hoc nomen ex *loco Pauli*, infra §. 11. citato, ubi dicitur: μὴ ἐπισπάσθω, scil. τὴν ἀκροβυςίαν, *ne adducat præputium*.

III. Vocatur alias *Character grecanicus*, teste *Saliano*. (*c*) Haud dubie quod signum esset & character gentilismi. *Græcanicum* enim idem ac *gentilem* esse existimo; quia cum *Græci Judæis* opponuntur, per *Græcos* ut plurimum intelliguntur omnes alii populi, vel homines qui non Judæi. (*d*) Idque *Martinius* (*e*) etiam exinde probat, quod *Syrus Interpres* in T. pro *Græcis* sæpe ponat *Ammæos*.

IV. *Est* autem Epispasmus *artificium*, *quo Judæi circumcisi præputium iterum supra glandem attrahebant, cum a religione deficerent*.

V. Unde illi qui *præputium adducebant* vel patiebantur, ut arte quadam attraheretur, ἐπισπαςικοὶ adpellantur. Rabbinis dicitur משוך qui attractum præputium habet. Ita enim *Glossa* in *Jevammoth* scribit משוך id est: מהול שנמשכה ערלתו: *Circumcisus cujus attractum est præputium*.

VI. A nonnullis tales vocantur etiam *Recutiti*, quasi iterum cute tecti. Ita Interpres *Persii* (*f*) dicit *recutitos dici, quibus nova cutis restituta est*. *Menochius* (*g*) adducit quoque *Baronium*, eumque carpit quod ita derivet; in quo tamen nihil reperire potuimus, nisi quod alibi (*h*) adducat *Interpretem Martialis*, qui ad hunc locum: (*i*)

> *Nec recutitorum fugis inguina Judæorum*,

dicat: *quoniam Judæorum pueris cutis inguinis rescindebatur, postea cum cutis succresceret, dicebantur recutiti, quasi nova cute tecti*. Alias bene novimus, quod re-

(a) *V. Taubmam ad Virgil. l. VI. Æneid. v.* 258.
(b) *Joh. Steph. Menoch. de Repub. Hebræor. l.* 3. *c.* 17. §. 16.
(c) *Salian. Anal. Eccl. ad annum M.* 3879.
(d) *Vid. Rom.* 1. 17. *cap.* 3. 9. *c.* 10. 12. *Gal.* 4. 28. *Col.* 3. 11. *Act.* 14. 1.
(e) *Martin. Lexic. Philolog.*
(f) *Joan. Britannicus ad Persii sat.* 5. *vers.* 148.
(g) *Loc. cit. adducit Baron. Anal.* 34.
(h) *Baron. c. l. A. C.* 57. §. 70.
(i) *L.* 7. *epigr. in Cœliam.*

recutitus communiter pro quovis Judæo apud Auctores usurpetur. Unde *Glossæ* veteres: *Recutiti* ἀποσεσορμένοι, περίτομοι; & *Martinius* (*a*) ita putat dictum, quasi *cui cutis retroversa*. Quid *recutita Sabbatha* sint, vide *Lubin.* (*b*) ad illud *Persi*: (*c*)

Labra moves tacitus recutitaque Sabbata palles.

Recutita putat dici *ob Judæos Apellas*, *circumcisos*, *recutitos & præputiatos*. Ubi *recutitos* & *præputiatos* conjungit, & statim addit ? *id est recutitorum & circumcisorum Judæorum*.

VII. Artificium audit ratione operationis, quod τέχνῃ τῇ ἰατρικῇ ἀκρόβυστοι γίνονται, *arte quadam medica præputiati fiunt*. Singulari enim artificio nec sine difficultate attrahitur. Non immerito tamen in loco infra citato §. 18. *mala ars & a pravis hominibus excogitata* dicitur, quoniam hoc artificio abusi fuerunt Judæi.

VIII. Quod in *usu fuerit Judæis epispasmus*, varie probant *Rabbini*, dicta Scripturæ sacræ adducentes etiam, ex quibus tamen minus commode sensus sequitur. Quemadmodum plura adducit *Buxtorfius*. (*d*) Inter alia ex *Jeremia* (*e*) probant, ubi dicitur, quod Deus visitare velit super omnem מול ערלה *circucisum cum præputio*. Ad quem locum in *Jalkut Prophetarum* (*f*) legitur מהו מול *quid est* מול ? & additur שהיו מולים ומשכו להם ערלה: *Indicat*, *quod fuerint circumcisi*, *& attraxerint sibi præputium*. Ubi notandum quod etiam *Drusius*, (*g*) Vir doctissimus, eodem loco ad probandum *epispasmum* utatur. Adducens quoque *Auctorem Lexici*, quod *Aruch* vocatur: in quo quinque recensentur populi, contra quos locutus sit *Propheta*. Vide tamen more suo, h. e. erudite hac de re differentem, & modeste a *Drusio* dissentientem *P. Cunæum*. (*h*)

IX. De *Achan* refert *Gemara ad Thalmudis* Codicem סנהדרין (*i*) quod attractum habuerit præputium. Auctoritatem Rabbinorum adducens, dum ait: וא׳ר אלעאי משום ר׳ יהודה בר מספרתא עכן מושך בערלתו: *Ait item R. Aleai verbis R.*

Jehudæ: *Achan præputium sibi fecisse*.

X. Ita etiam affirmant, quod vel ob hoc unicum factum a vita æterna excludantur ejusmodi *recutiti*. Quemadmodum *R. Mose Maimonides* (*k*) scribit כל המפר בריתו של אברהם אבינו והניח ערלתו או משכה אף על פי שישנו תורה ומעשים טובים אין לו חלק לאולם הבא: *Quicunque irritum facit fœdus Abrahami Patris nostri, & reliquit præputium, aut* attrahit, *etiamsi legem recipiat, ac bonis operibus abundet, non habet partem in seculo æterno.*

XI. Nos ex ipso *sacro Codice* illud probare connitemur. Ibi enim Amanuensis ille Spiritus Sancti ad *Corinthios* (*l*) scribit: περιτετμημένος τις ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω, *circumcisus aliquis vocatus est, ne reducat præputium*. *Luth.* vertit: Ist Jemand beschnitten der zeuge keine Vorhaut. A qua prohibitione fortasse abstinuisset, nisi res frequenter facta fuisset. Imo locus perspicuus satis legitur in *libro Maccabæorum*. (*m*) Ubi inter impios mores & scelerata Judæorum flagitia refertur, quod ubi a *Deo* defecerint, etiam præputia sibi fecerint. καὶ ᾠκοδόμησαν γυμνάσια ἐν Ἱεροσολύμοις κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐθνῶν, καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας, καὶ ἀπέστησαν ἀπὸ διαθήκης ἁγίας. *Et ædificarunt gymnasia Hierosolymis secundum leges gentium. Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt a testamento sancto.*

XII. In quibus locis exponendis Interpretes equidem variant. *Augustus Marloratus* (*n*) in priori dicto per *præputium* metonymice intelligit mores & ritus gentiles. Quo etiam collimare videtur *Dionysius Carthusianus* (*o*) qui ita explicat: non adducat præputium, id est, *non compellat ritum gentilem assumere, seu gentiliter se habere*. *Pareus* (*p*) vult ac si mens Apostoli sit, *quod nemo laborare debeat de attractione præputii*. Ut adeo quivis teneatur in quocumque statu vocatus permanere, ἐπειδὴ εἰς σημεῖον ἦν δεδομένη, ἀλλ᾽ οὐ δικαιοπραξίας ἔργον; *siquidem circumcisio in signum data erat, non in opus justitiæ*, uti *Justinus* (*q*) alias de circumcisione loquitur. Aliter adhuc B. *Hieronymus* (*r*) interpretatur; de *Cœlibatu* sci-

Ffff li-

(a) *Martin. in Lexic. Philol.*
(b) *Lubin. in Comm. ad Pers. p.* 835.
(c) *Pers. sat.* 5. *v.* 148.
(d) *Buxtorf. Lex. Talmud. Rabbin. p.* 1275.
(e) *Jer.* 9. 25.
(f) *Jalkut. fol.* 63. *col.* 1. *ex libro* Jelammedenu.
(g) *Drusius Preter. lib.* 6. *p.* 222.
(h) *P. Cunæus de Repub. Hebræor. l.* 3. *c.* 5. *p.* 315.

(i) *Gemar. ad Cod. Sanhedrin c.* 6. §. 2. *in Excerpt. Cocce Ip.* 246.
(k) *Maimon. Hilkot* מילה *c.* 3. §. 3.
(l) 1. *Cor.* 7. 18.
(m) 1. *Maccab.* 1. 15.
(n) *Marlorat. Exposit. Eccles. p.* 135.
(o) *Carthus. Com. in loc. Paul.*
(p) *Pareus Com. in h. l. p.* 418.
(q) *Just. colloq. c. Tryphone.*
(r) *Hieron. in Esa. c.* 52.

licet; cum enim omnibus cœlibatum vellet persuadere, varia Scripturæ loca adduxit. Hinc ita: scribit: *Eo tempore quo vocatus es & credidisti, si circumcisus, h. e. cœlebs eras, noli ducere uxorem, id est, noli adducere præputium, ne circumcisionis & pudicitiæ libertatem oneres sarcina nuptiarum.*

XIII. Unde & locum Maccabæorum aliter explicat: *Potestatis nostræ*, inquiens, *non est præputium adducere post circumcisionem, juxta eos, qui in Maccabæorum libro dicuntur sibi fecisse præputia, quod de nascentibus filiis & non de patribus dicitur.* Quod intelligendum *Alfonsus Salmero Toletanus* (*a*) censet, si perseverent circumcidendo filios. Nam *in parentibus*, inquit, *jam circumcisis impossibile erat adsciscere preputium*. Ubi etiam adducit *Originem*. (*b*)

XIV. Verum cur a litera recedere, & vel metaphoricum vel metonymicum sensum extorquere velimus, non video. Miratur etiam valde supra laudatus *Cunæus*, (*c*) quonam modo fugerit *Hieronymum* sententia *Paulli*. Præsertim cum aliis adhuc Auctoritatibus confirmari possit. Et explicant quoque nobiscum h. ll. *de vera attractione præputii*, *Bellarminus*, (*d*) *Cornelius a Lapide*, (*e*) *Spondanus*; (*f*) alii. Difficilis quidem fuit operatio, sed non impossibilis. Et fortasse a nemine nisi in Medicina versato rite explicari poterit.

XV. Confirmat autem ulterius locum posteriorem optimus Judaicarum antiquitatum Promus condus. (*g*) Ubi de iisdem Judæis & ipse refert: Παρεκάλεσαν αὐτον ἐπιτρέψαι αὐτοῖς, οἰκοδομῆσαι γυμνάσιον ἐν ἱεροσολύμοις συγχωρήσαντος δὲ, καὶ τὴν τῶν αἰδοίων περίτομὴν ἐπεκάλυψαν. *Rogaverunt* Antiochum, *ut sibi permitteret gymnasium Hierosolymis extruere. Quo impetrato adduxerunt præputia*. In quem locum vide sis Clar. *Drusium*, (*h*) quem hac vice propter temporis angustiam impetrare non potuimus.

XVI. His accedit, quod *Epiphanius* (*i*) clarissime de hoc *epispasmo* loquatur, ubi de Symmacho quodam bis circumciso verba faciens, inquit: τὸ δὲ ἔτι τούτων χαλεπώτερον, ὅτι καὶ ἀπὸ περίτομῆς ἀκροβυστοι γίνονται τέχνῃ τῇ ἰατρικῇ, hoc vero adhuc gravius est, *quod etiam a circumcisione recutiti fiant, arte quadam medica*. Subjungit quoque modum & instrumentum adducendi, quæ ad cap. 2. reservavimus.

XVII. Unde Amplissimus atque Excellentissimus Dn. *Joh. Frismuth. Lingu. Sacr. Prof. Publ. celeberrimus*, *Patronus & Promotor noster singularis*, (*k*) oppido probabile esse arbitratur פריעה *denudationem* idcirco introductam esse, ne circumcisi facile attraherent præputium.

XVIII. Nec diffitetur *Baronius* epispasmum apud Judæos viguisse: dicit enim: (*l*) *Sane quidem apud Judæos a pravis hominibus ea vigebat malis artibus excogitata perfidia, ut ad lubitum, cum vellent a patriis legibus ad gentiles deficere, præputium super circumcisionem inducerent, sicque se Judæos esse negarent.*

XIX. An huc etiam locus Josuæ (*m*) trahendus, ubi dicitur: *Facito Tibi gladiolos acutos & iterando circumcidito filios Israel* שנית *secundo*, in medio relinquimus. Posset aliquis inde hoc elicere, quod attraxerint, vel præputium שנמשכה מאליה *attractum fuerit a seipso*, dum secundo circumcidendi. Verum communiter illam circumcisionem de פריעה id est *denudatione* explicant Judæi v. *Buxtorf.* (*n*) *Cunæus* (*o*) existimat, quod iterata circumcisio ad eos pertineat, qui circumcisi nondum fuere, quia nati in deserto. *Repetita circumcisio dicitur*, inquit, *quia revocabatur mos, qui in desuetudinem abierat.*

XX. His ita probatis quærere posset aliquis an etiam alii, qui non Judæi & tamen circumcisi epispasmo fuerint usi? Nam certum est, quod etiam *Ægyptii* se circumciderint. Unde *Cynocephalum* quoque religiose colebant, quia is circumcisus gignitur, teste *Oro pro Apolline Niliaco* (*p*) *Æthiopes* quoque etiamnum hodie circumciduntur: de quibus tamen notandum, quod non propterea se circumcidant, ac si per id vitam æternam mereantur; sed ut testentur, se filios Abrahami esse. Alias ipsi consitentur, quod in Christo Jesu nec circumcisio aliquid valeat, nec præputium: uti eorum refert declarationem *Damian. a Goes.* (*q*) Ipse quoque *Claudius Rex Æthiop.*

(a) *Salm. tom.* 14. *disp.* 14. *p.* 98.
(b) *Origin. comm. ad Rom.* 10. 2.
(c) *Cun. l.* 5. *c. p.* 316. & 317.
(d) *Bellar.* 2. *de N. D. c.* 5.
(e) *Corn. a Lap. comm. sup. h. l. Pauli.*
(f) *Spondan. an. C.* 57. §. 21. *p.* 82.
(g) *Joseph. l.* 12. *c.* 6.
(h) *Drus. de Hasmon. p.* 6.
(i) *Epiphan. de mens. & pond. p.* 538.

(k) *Disp. de circumcis. Zipporæ c.* 2.
(l) *Baron. l. c.*
(m) *Jos.* 5. 2.
(n) *Buxtorf. Synag. Jud. c.* 4. *p.* 102.
(o) *Cunæus lib. cit. p.* 320.
(p) *In Hierogyph. v. it. Pier. in Hieroglyph.*
(q) *Damian. a Goes de Æthiop. moribus in Hisp. Illustr. com.* 2. *p.* 1307.

thiop. (*a*) protestatur, quod eam circumcisionem non habeant Judæi. *Verum circumcisio*, inquit, *est apud nos secundum consuetudinem regionis; sicut incisio faciei in Æthiopia & Nubia, & sicut perforatio auris apud Indos. Id quod facimus, non (fit) ad observandas leges Mosaicas; sed tantum propter morem humanum.* Imo *Magnific. Ludolphus* (*b*) circumcisionem, apud eos ritum sacrum non esse, probat inde, quod a muliercula arbitris remotis perficiatur. Hic si quid dicendum, dicimus non dubitare nos quod etiam alii hoc epispasmo uti potuerint; voluisse tamen potissimum de Judaico sermonem hic facere.

CAPUT II.

Ο'ΜΑΔΟ'Ν.

Connexio. πόσθη & ἀκροπόσθιον quomodo differant quid glans. ἀκροπόσθιον abscinditur; Ægyptiis nimis excrescit. Modus circumcidendi & denudandi. Cultelli circumcisionis an lapidei? Modus adducendi duplex. 1. Sola attractione manuum, vel instrumenti simul. 2. etiam sutura, ex Epiphanio. Quomodo sutura fiat quid σπαθιστὴρ & σπαστὴρ. Quomodo attrahatur, ex Galeno & Fallopio declaratur. Objectio solvitur. Auctor Epispasmi, an Esau! an Adam? Causa impulsiva Apostasia. Aliæ quoque in Ephebiis, Prostibulis. συνουσιασμῷ.

I. Vidimus apud Veteres *epispasmum* in usu fuisse. Itaque non immerito modus adducendi exponendus venit, quem pro impossibili nonnulli habuerunt. Neque sine causa quandoquidem aliqua pars abscissa, & reliqua corrugata magno labore attrahitur.

II. Ut autem res eo melius declarari possit, prius, quid sit præputium, & modus circumcidendi venit, perpendendus. *Præputium* ergo, utpote *materia epispasmi*, est *cutis qua obtegitur penis*. Ita enim Latini totam illam cutem, tum quæ glandem, tum quæ cotem tegit, *præputium* vocant. Græci tamen distinguunt inter πόσθην, ἀκροβυστίαν & ἀκροποσθίαν. Per πόσθην proprie intelligunt *totam cutim*, per ἀκροποσθίαν. autem & ἀκροβυστίαν *eminentiam & summitatem præputii*; quæ supra glandem pendet & prominet. Unde *Pollux* (*c*) ait: τὸ δ' ἐπ' αὐτῇ (βαλάνῳ) δέρμα πόσθη, ὡς ἀκροποσθία καὶ ἀκροπόσθιον τὸ τοσθῆς πρῦχον. *Glandis ipsius cutis, præputium, sicut præputii eminentia*, ἀκροποσθία *&* ἀδροπόσθιον *vocatur*. Quid autem *glans* sit, notum erit; scilicet τὸ ἄκρον σαρκῶδες καὶ λεῖον, ὡς εἰπεῖν, ἴσον. καλεῖται βάλανος; *summum* (scil. penis) *carne constans levi &, ut ita dicam, æquali vocatur, glans*, ut inquit *Aristoteles*. (*d*) seu ut Pollux: (*e*) βάλανος τὸ τοῦ καυλοῦ ἄκρον, *extremitas penis glans dicitur*.

III. Hoc ἀκροπόσθιον vel ἀκροβυστία, ita enim vertitur Hebræorum ערלה) in Judæis abscindebatur. Unde & *Lindanus*, (*f*) *præputatur*, inquit, τὸ πρῦχον *tantum, hoc est, eminentior illa supra glandem pars, quæ in rugas multas complicata cernitur*. In *Ægyptiorum Arabumque* puerulis adeo immodice excrescit, plurimumque crescendo attenuatur, ut non minus ob periphymosis metum, quam ex religionis præscripto, partem ejus abscindere cogantur, teste *Veslingio*. (*g*)

IV. Ut modus circumcidendi prius declaretur, sciendum quod veteres ita procedebant. Circumcisores nudi pueri pene contrectantes, ante omnia manibus, ut glans recederet, cogebant; ne forte aliquid de glande præcidatur. Et ita simul præputium super glandem producebant. Postea particulam illam (quam ne doleat fricare prius solebant) supra glandem productam cultello præscindebant, ut glans nudata permaneat. Qui actus erat essentialis. Posteriores autem addiderunt deinceps פריעה seu Denudationem. *Schmidius* (*h*) existimat cum Christianis eam incepisse, ne possent amplius adducere præputium Judæi Christiani facti. Disrumpebant autem membranam tenuem, quæ est infra pelliculam, ungue, & retrorsum præputium trahebant, ut caput membri penitus denudetur. Ubi necessum est, ut alia ad pubem secesserit.

V. Plura de Circumcisione non addam, quia hæc ad scopum meum sufficiunt, vide fusius *Buxtorfium*. (*i*) Unicum tamen non possum quin ὡς ἐν παρόδῳ attingam. *De cultello* scilicet *circumcisionis* lis est inter Eruditos *an lapideus fuerit nec ne?* Multi in loco *Josuæ*, supra (*k*) ad-

(a) *Claud. in Confess. fidei edita a Michael. Wanclebio cum Lexic. Arabico Ludolphi.*
(b) *Ludolph. in Not. ad Confession. Claud.*
(c) *Pollux. l. 2.* ὀνομ. *c. 4. t. 36.*
(d) *Arist. 1. hist. anim. cap. 13.*
(e) *Loc. cit.*
(f) *Lindan. in Medic. Physiolog. c. VII. p. 289.*
(g) *Vesling. Syntagm. Anatom. p. 66.*
(h) *Schmid. de circumcis. part. 3. c. 5. p. 377.*
(i) *Buxtorf. in Synag. Judaic. p. 101. c. 4.*
(k) *Joh. 5. 2.*

adducto, *gladiolos saxeos*, exponunt per *acutos*. Alii tamen vertunt per *acutam petram*. Qui de silicibus & lapidibus intelligendum putant, eo suam palliare possunt sententiam, quod lapides cum primis in amputandis testibus & pene adhibebantur, quia salubris hæc amputatio. Nam quod *Plinius* (*a*) de *Samia testa* dicit, quod *aliter circa perniciem*, quam cum illa, *virilia non amputentur*, id de omnibus lapidibus intelligi quoque potest. Quod enim lapides propter refrigerandi atque abstergendi virtutes, non modo non exasperent, verum leniant & summopere mitigent, testis est *Galenus*. (*b*) Imoque quod magis est, tales cultelli e silice expolito ad circumcisionem ab incolis terræ occidentalis facti, olim inter *D. Johann. Baptistæ Lavannæ* antiquitatum monumenta servabantur. Quos descripsit & depinxit *Laurent. Ramirez de Prado*. (*c*) Qui & ex eodem *Lavanna* aliisque scriptoribus refert, in regione Caphraria juxta Caput Bonæ Spei esse Æthiopes qui gladiis siliceis se circumcidant. Vide sis omnino, quæ ille prolixe hac de re disputat.

VI. His ita declaratis expeditius de *modo adducendi* differere poterimus. Quandoquidem enim propter partem præputii abscissam glans fuit denudata, necesse fuit ut iterum tegatur. Atque pro duplici intentione dupliciter potuit induci. Vel per *solam attractionem*; vel etiam *adhibitis suturis*.

VII. Qui propter *decorem* saltim, & ut modo glans obtegatur, ne ludibrio sint Græcis, si forte nudi conspicerentur, (de quo §. 19.) *epispasmum* adhibuerunt, *sola fere & sæpe repetita præputii attractione* oportunam magnitudinem sibi potuerunt comparare. Cumprimis apud veteres Judæos, ubi nondum Denudatio adhibebatur. Quemadmodum nonnullis etiam sine attractione præputium iterum recurrebat ultra glandem. Qui autem studio attrahebant, faciebant vel *manibus* adjuti saltim, quod ex verbis *R. Salomonis*, (*d*) quamvis non ita clare, quodammodo tamen aliquis suspicari posset: Dicit enim: משך ארת עיר אמתו תמיר עד שנישתרבבה וכיסתה ארת ראש הגיר שלא יראה מהול: *Frequenter attrahendo cutim pudendi effecerat, ut promineret & glandem cooperiret, atque incircumciso similis esset*. Uti apud *Coccejum* (*e*) vertitur.

VIII. Vel *instrumento* quodam, quemadmodum *Galenus* (*f*) curationem instituit. Πολλάκις μόνῃ τῇ τάσει, inquit, τὸ δέον ἐργασάμην, ἵνα χάρτε μαλακὴν καὶ εὔτονον ἐν κύκλῳ περιελίττων ὑποκεχεισμένῳ τῷ δέρματι κόμεως. *Sæpe sola tensione debitum modum* præputio *reddidi*, *membranulam mollem firmamque cuti gummi illitæ*, *circumvolvens*. Id quod etiamsi de naturali brevitate præputii dicatur, nihilominus tamen etiam in iis usurpari poterit, quibus propter amputationem deficit. Queadmodum etiam *Vidus Vidii* (*g*) *solam attractionem adhibebat*, *si aliqua pars vel ob putredinem vel naturæ vitium desiderabatur*. Ubi tamen notandum, quod facilius perficiatur operatio, si nondum confirmata fuerit ætas. Quomodo autem hoc instrumento attrahatur, infra §. 13. manifestabitur.

IX. Vere excelsus Auctor, *A. Cornelius Celsus* (*h*) de glande colis tegenda verba faciens, ex professo quasi de *Circumcisis* quoque agit, quomodo attrahere possint. Cujus verba, quoniam omnes, quos vidi, iis adsertionem suam superstruunt, verbotenus placuit adducere. *In eo qui circumcisus est*, inquit, *sub circulo glandis scalpello diducenda cutis est ab interiore cole. Non ita dolet, quia summo soluto, deduci deorsum usque ad pubem manu potest. Neque ideo sanguis profluit. Resoluta autem cutis, rursus extenditur ultra glandem. Tum multa frigida aqua fovetur, emplastrumque circa datur, quod valentem inflammationem reprimat, proximisque diebus ut probe a fame victus est, ne forte eam partem satietas excitet. Ubi jam sine inflammatione est, deligari debet a pube usque circulum: Super glandem autem emplastro adverso imposito induci. Sic enim fit, ut inferior pars glutinetur: superior ita sanescat, ne inhæreat.* Ita *Celsus* modum describit.

X. Alii autem, quibus illud, quod §. 20. & 21. dicetur, curæ cordique fuit, non contenti erant sola attractione: præsertim post inventam denudationem, ubi difficulter attrahebatur. Hinc, ut eo firmius esset, futuras quoque admittebant insuper. Si quidem vera dicit *Epiphanius*, (*i*) ἀκρόβυστοι γίνονται, inquiens, τέχνῃ τῇ ἰατρικῇ διὰ καλουμένου σπαθιστῆρος τὴν τῶν μελῶν ὑποδερματίδα ὑποσπαθισθέντες, ῥαφέντες, καὶ κολλητικοῖς περιοδευθέντες ἀκροβυστίαν αὐτοῖς ἀποτελοῦσιν. *Præputiati fiunt*

(a) *Plin. l. 35. c. 12.*
(b) *Galen. I. 9. de simplic. medic.*
(c) *Ramirez. in Pentecontarch. c. 4. p. 62.*
(d) *R. Sal. in Glossa sup. loc. Sanhed. sup. cit. p.* 44. 1.
(e) *Cocej. Comment. in cod. Sanhedrin. loc. supra citat. p.* 249.

(f) *Galen. in m. m. l. 14. c. 16.*
(g) *Vid. Vidii de Curat. memb. lib. II. pag.* 649.
(h) *Celsus l. 7. c. 25. de arte medica.*
(i) *Epiph. l. c.*

fiunt arte quadam medica per σπαθιςῆρα id est instrnmentum attractorium appellatum, internam membri cuticulm attrahi sinentes, suturamque admittentes, & glutinatoriis circundatis præputium rursus superinducunt. Eadem fere verba habet quoque *Mercurialis*, (*a*) quæ propterea adscribere noluimus.

XI. Nondum tamen adeo manifeste liquet exinde, quomodo attraxerint, aut suturas fecerint. Clarius e sequentibus patescet. Suturam enim infra glandem seu coronam penis factam esse existimamus, ita quidem, si illam cutis particulam, quæ cum κυνοδεσμίῳ coronæ glandis adhæret, & post sectionem uti §. 4. dictum remansit, versus pubem paullo deduxerint: Inferiorem autem præputii partem, quæ post denudationem corrugata, & circa pubem collecta fuit, versus glandem adduxerint. Tunc enim excoriata utrinque cute, & adductis conjunctisque oris, ita tamen ut callosum prius detrahatur, mox utramque per filum sericum consuere, & cum emplastro agglutinare potuerunt. Quæ sane difficilis fuit operatio.

XII. Consuto itaque & agglutinato præputio, eadem ratione & facilitate potuit supra glandem produci, quemadmodum fit a Chirurgis, si naturaliter breve est præputium præter scissuram. Per instrumentum scilicet, quod valide attrahat. *Epiphanius* (*b*) vocat *Spathisterem*, de quo tamen præterea nihil invenire potuimus, anxii licet in inquirendo. *Sixtus Senensis* (*c*) existimat *spasterem* esse vocandum potius, respicit enim ad verbum σπάω. Sed neque sic tamen quale fuerit colligitur; nisi quod instrumentum attractorium fuerit. *Stephanus* (*d*) paullo proprius accedit, dum dicit ferro attraxisse, sed præterea tamen nihil addit.

XIII. *Galenus* (*e*) charta quadam seu membranula chartacea utebatur. Nimirum attrahebat præputium supra glandem, & gummi illinibat, postea χαρτίον ἐν κύκλῳ *chartam circumducebat. Siquidem & siccatur cito, & sine dolore adstringit.* Qualis membrana eligenda videatur *Falloppius* (*f*) attracto ita præputio & membranula agglutinata, non poterat præputium recurrere cum exsiccaretur. Ut enim melius attrahatur supponit solenarium, & existimo etiam membranam eidem alligari. Προϋποτιθέναι δὲ, inquit, χρὴ τοῦ δέρματος τῆς ποσθῆς ἐκ τῶν ἔνδον μερῶν στρογγύλον τι σύμμετρον ὃ καὶ μετὰ τὸ κολλῆσαι τὴν ἵνα ῥαδίως ἐξαιρήσεις. *Porro cuti præputii ex interna parte rotundum aliquid ac mediocre supponi prius oportebit: quud videlicet, posteaquam agglutinata membranula est, facile eximas.* Illud autem, quod supponendum postea vocat σωληνάριον *solenarium*. ἐν αὐτῷ δὲ τῷ περιβάλλειν τε τῷ δέρματι καὶ κατακολλᾷν αὐτὸ, προϋποκεῖσθαι χρὴ τὸ σωληνάριον, *ubi circundabitur cuti, & agglutinabitur, subtus imponi solenarium prius oportebit.* Fistula scilicet sive canalis, ut urina possit excerni.

XIV. Alii solebant producere adhuc alio modo, teste *Falloppio*. (*g*) Accipiebant fistulam, adponebant ad glandem, & supra fistulam trahebant præputium, & alligabant, & imponebant medicamentum ex thapsia. Meminit ejusdem *Galenus* quoque. *Eorum qui thapsia præputium adducunt, quidam rotundum id e plumbo fecerunt, veluti solenarium quoddam. Mox illi extrinsecus præpntii cutem circumtendunt, ac molli loro deligant.* Quæ deligatio molesta est, & dolorem non levem parit.

XV. Hic Cynthius aurem vellicat, illud *Hippocratis* insusurrando: (*h*) νεῦρον διακοπὲν ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν, ἢ ἀκροποσθίη, οὐ συμφύεται. *Præcisus nervus, aut quod in gena tenue est, aut præputium non coalescit. Id quod etiam repetitur alibi.* (*i*) Nec dissentit *Galenus*. (*k*) Salvari tamen poterit *Epiphanius*, si dicatur Veteres respexisse ad eam hypothesin, quod præputium sit pars spermatica, quam negant posse uniri. Quæ opinio cum juxta *Harvei* (*l*) sententiam, hodie explodatur, cum omnes partes ex colliquamento crystallino oriantur, etiam ea superstructa opinio labefactabitur. Potest tamen etiam ita explicari, ac si difficulter coalescat. Vel etiam, quod non coalescat per πρῶτον σκοπὸν, bene tamen per δεύτερον σκοπὸν, mediante poro. Prout etiam in aliis partibus similaribus fit, v. g. osse &c. v. *Excellentiss. Dn. D. Joh. Theod. Schenckium* (*m*) *Patronum & Præceptorem nostrum Parentis loco venerandum.*

XVI. Sed antequam portum respiciamus,

(a) *Mercur. variar. lect. lib.* 1. *c.* 19.
(b) *Epiph. l. cit.*
(c) *Sixtus Senens. l.* 4. *symmach.*
(d) *Stephani Lex. Græc. sub verbo* σπάω.
(e) *Galen. l. c.*
(f) *Fallop. tom.* 3. *tract.* 2. *c.* 9.
(g) *Fallop. l. c.*
(h) *Hippoc.* 504. *Coac. prænot. sect.* 2.
(i) *Aph.* 19. *lib.* 6. *& lib.* 1. *de morb.*
(k) *Gal. m. m. lib,* 3. *c.* 1.
(l) *Harv. de Generat. animal.*
(m) *Schenck. Exerc. anat.* 2. *l.* 1. *sect.* 1. *c.* 23. *p.* 154.

mus, causam efficientem sive *Auctorem epispasmi* ut exponamus, necessum erit. *Epiphanius* refert, quod nonnulli *Esavum* constituant. Ταύτην δὲ τὴν παράδοσιν τῆς κακοδαίμονος ἐννοίας, φασὶ τὸν ἠσαῦ τὸν ἀδελφὸν τοῦ Ἰακὼβ εὑρηκέναι πρὸς ἀπαρνησιθέιαν, καὶ πρὸς ἀφανισμὸν τοῦ τῶν πατέρων αὐτοῦ χαρακτῆρος. Verum inde hæc habeat, hactenus reperire non potuimus. Neque adeo probabile videtur.

XVII. Alii plane inventum hoc referunt ad ipsum *Adamum*, quia scilicet non datur ultra. Ita enim in *Jalkut* (*a*) *Adamo* tribuitur id vitii, hisce verbis: אדם הראשון משוך בערלתו היה: *Adam primus attractum habuit præputium*. Existimabant enim quod *Adam*, *Moses* & *David* sine præputio nati sint. Quemadmodum de Adamo itidem refert *Jalkut* (*b*): אדם הראשון נברא מהול *Adam primus conditus fuit sine præputio*. v. *Cl. Hackspan*. (*c*) Sed neque hoc, nisi pro fabula, habendum.

XVIII. Existimamus autem a Medico hoc artificium fortassis inventum fuisse, ut, si talis casus acciderit, cūi præputium admodum breve, attrahi posset, ne quid arti videatur impossibile. Siquidem apud Græcos turpissimum erat, circumcisum esse. v. *Falopp*. §. 19. *citatum*. Postea vero facile potuerunt Judæi *Apostatæ* id imitari.

XIX. Atque ii in eum *finem* adhibebant, ut a religione deficientes præputiati fierent. Quemadmodum enim *circumcisio* symbolum erat *religionis* ita *epispasmus apostasia*. Unde etiam istud fulmen & maledictio *de non liberandis e fovea*, ad eos cumprimis spectat, teste *Excellentiss. Schmidio* (*d*) quia qui congrediebatur cum gentili & rursus attrahebat præputium, erat Apostata, nec liberari poterat e fovea.

XX. Namque cum defecissent, & postea circumcisi in Ephebiis & palæstris, ubi nudi potissimum exercitia tractabant, conspicerentur, ludibrio erant Græcis. Siquidem circumcisio erat πρᾶγμα γελώμενον παρὰ πολλοῖς, teste *Philone*, sive, ut *Hugo Grotius* (*e*) exprimit, actio *quæ ab externis omnibus deridebatur*. Quo spectare videtur illud *Josephi* (*f*) præputium adduxerunt, ὡς ἂν εἶεν καὶ περὶ τὴν ἀπόδυσιν ἕλληνες, *ut nudi quoque Græci essent*.

XXI. Id quod etiam *D. Danhauerus* refert *ad pathicorum juvenum prostibula*, ut in iis quoque græci essent. Sive cum Sodomiticis indulgerent libidinibus; sive cum nefariam exercere mollitiem, hoc est *ut Mortalis* (*g*) loquitur, Thalassonem manibus libidinosis inducere vellent.

XXII. Fortassis etiam ut vel ipsi majorem voluptatem in συνουσιασμῷ persentirent, tum lubricitando, ut putat *Falopius* (*h*) tum operiendo & aperiendo, ut vult *Lindanus*. (*i*) Vel ut græcis mulieribus & scortis eo magis grati essent. Nam Judæi propter præputium abscissum minus gratiosi uxoribus; teste *Riolano* (*k*) ex mente *Fragosii in Chirurgia Hispanica*. (*l*) Quarum libidini explendæ Christianorum congressus ideo appetibilior habetur. Hæc ita sufficiant. Deo sit laus honor & gloria!

(a) *Jalkut. ad c. 6. 7. Hoseæ.*
(b) *Ad Gen. p. 5. col. 1.*
(c) *Hacksp. in Nizachon R. Lipmanni cap. 3. p. 475.*
(d) *Schmid. de Circumcis. part. 3. c. 5. p. 378.*
(e) *Grotius de verit. relig. Christ. 15. & 147.*
(f) *Lib. 12. c. 6.*
(g) *Danhau. Μυστηριοσοφ 4. sect. 2. artic. 1.*
(h) *Mart. l. 12. Epigr. 95.*
(i) *Falopp. l. c.*
(k) *Lindan. in Phys. Med. p. c.*
(l) *Riolan. in anthropog. l. 2. c. 31. p. 158.*

F I N I S.